DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

EIUSQUE AUCTORITATE PROMULGATA

SUB AUSPICIIS SS. DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII.

Vol. II.

AB ANNO 1706 NUM. 2163 USQUE AD ANNUM 1870 NUM. 3232.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCXCVIII.

INDEX

DIOECESIUM ET DECRETORUM

D

E

F

S

T

U

V

W

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

2163. HILDESHEIMEN. (3738)

Pro parte Episcopi Titularis et Suffraganei Hildesheimen. infrascripta dubia declarare demisse supplicatum fuit:

1. An liceat Episcopo Titulari Suffraganeo uti baldachino dum Pontificalia exercet in suis Ecclesiis, et in exemptis Regularium eius Dioecesis?

2. An uti etiam baldachino in Ecclesiis extra suam Dioecesim, de licentia tamen Ordinarii? et quatenus affirmative,

3. An dictum baldachinum esse debeat constans et fixum, ita ut, peracta dicta functione, statim non debeat removeri?

Et S. R. C. censuit respondendum: « Negative in omnibus ». Et ita decrevit. Die 6 Martii 1706.

2164. MONOPOLITANA. (3739)

Cum in Civitate Monopolitana Festum S. Francisci de Paula, utpote Patroni principalis celebretur de praecepto: cumque hoc anno incidat in Feriam VI in Parasceve, per Vicarium Capitularem eiusdem Civitatis a S. R. C. demisse supplicatum fuit declarari:

An cum Officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi Sacrum?

Et S. R. C. respondit: « Negative; et in Feria VI in Parasceve non teneri audire Sacrum ». Die 20 Martii 1706.

2165. RECINETEN. (3740)
PRAEEMINENTIARUM.

Super usu Crucis argenteae, Campanae et paramentorum sacrorum, nec non super loco separandi pro Missis privatis celebrandis, inter Altaristas, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Recineten. controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Card. Coloredus infrascripta dubia inter partes concordata decidenda proposuit:

1. An Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Recineten. conveniat distinctio, tam quoad qualitatem paramentorum quam quoad locum se parandi pro Missis privatis, respectu Altaristarum aliorumque Sacerdotum eidem Ecclesiae addictorum?

2. An Campana maior praefatae Ecclesiae, quae pulsatur pro convocando Capitulo dictarum Dignitatum et Canonicorum, possit pulsari pro convocandis Congregationibus respicientibus negotia particularia dictorum Altaristarum?

3. An iidem Altaristae in associatione funerum, sine interventu dicti Capituli, possint uti Cruce argentea quae de praesenti adest in Ecclesia; vel debeant uti alia Cruce inferiori?

4. An dicti Altaristae vel alii inferiores ministri possint commodare aliis Ecclesiis vasa et paramenta sacra sive suppellectilia ad praefatam Ecclesiam Cathedralem spectantia?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 4. « Servetur Decretum Episcopi ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 20 Martii 1706.

2166. URBIS ET ORBIS (3741)
DECRETA GENERALIA
CIRCA RUBRICAS.

Cum a S. R. C. demisse supplicatum fuit sequentia dubia declarari:

1. An, cum multis Congregationibus vel Religionibus, sive Ecclesiis vel Nationibus, concessum sit a S. Sede Apostolica ut semel

vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus celebrentur varia Officia per annum v. gr. de SSmo Sacramento vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici vel semiduplici, liceat eiusmodi Officia facere etiam in diebus Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum et quatuor Temporum, etiamsi de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus? (1)

2. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et *Confiteor,* itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredo, respondit:

Ad 1. « Negative; et huiusmodi Indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum et Vigiliarum, sive cum ieiunio sive absque ieiunio, nec in Feria II Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicae ».

Ad 2. « Negative in omnibus ».

Et ita decrevit et servari voluit.

Ac insuper, ut declarationes seu Decreta praedicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20 Martii 1706.

2167. CENTUMCELLARUM. (3742)

Praefectis triremium Summi Pontificis praetendentibus a Fratribus Ordinis Capuccinorum earumdem triremium Cappellanis in principio et post finem Missae salutari; ad consulendum propriae conscientiae, Cappellani praedicti quidnam ipsis in casu liceret, praescribi a S. R. C. demisse supplicaverunt:

Et S. R. C. respondit: « Observetur Rubrica Missalis et Caeremoniale ». Die 24 Aprilis 1706.

2168. CIVITATIS PLEBIS. (3743)

Episcopo Civitatis Plebis a S. R. C. demisse declarare supplicanti:

An Clerus Saecularis et Regularis quando recurrit anniversarium Consecrationis Episcopi teneatur celebrare Missas de dicto anniversario in tota Dioecesi?

S. eadem R. C. respondit: « Negative ». Die 24 Aprilis 1706.

(1) E. Dub. 2.

2169. NULLIUS (3745)
TERLITIEN. SEU IUVENACEN.

Per Vicarium Generalem Terlitien. Nullius seu Iuvenacen. Dioecesis exposito quod Moniales Monasterii S. Clarae Terrae praedictae in Dominica Palmarum et Feria VI in Parasceve maioris Hebdomadae proxime praeteritae ausae fuerint, iuxta morem Collegiatarum et aliarum Ecclesiarum tam Saecularium quam Regularium, in Missis solemnibus in earumdem Ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare in Passione partem ad turbam spectantem, a S. R. C. demisse supplicatum fuit declarari:

An dictis Monialibus praedicta liceant? et quatenus negative, qua poena veniant puniendae?

Et eadem S. R. C. respondit: « Prohibeat sub poena suspensionis, et in posterum non permittat ». Die 17 Iunii 1706.

2170. TRANEN. (3746)

Cum attenta non modica distantia palatii episcopalis ab Ecclesia Metropolitana Civitatis Tranen. invaluisset ibi, prout asserebatur ab Archiepiscopo, consuetudo quod Archiepiscopo in solemnibus accedenti cum mozzetta et rochetto ad Ecclesiam Metropolitanam praedictam, unus ex Dignitatibus vel unus ex Canonicis gradatim ordine successivo ad ianuam eiusdem Ecclesiae acceptam e manibus familiaris eiusdem cappam pontificalem vel imponeret illi vel reaptaret; anno 1698 inter Archiepiscopum et Canonicos praedictos exortae sunt nonnullae controversiae, et praesertim super praetenso iure ab Archiepiscopo exigendi a praedictis Dignitatibus seu Canonicis obsequium praedictum impositionis cappae ad ianuam Ecclesiae Metropolitanae. Ista vero controversia ab eo tempore ad plures annos siluit, donec iterum excitata et ad S. R. C. nuper delata, atque infrascripto dubio per Emum et Rmum D. Card. Barbarinum proposito:

An Canonici vel Dignitates Cathedralis Ecclesiae Tranen. teneantur imponere vel aptare cappam magnam Rmo Archiepiscopo Cathedralem Ecclesiam introeunti in casu et ad effectum de quo agitur?

S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: « Negative; et non teneri ». Et ita declaravit. Die 17 Iulii 1706.

2171. URBIS ET ORBIS. (3748)

Cum anno 1707 proxime futuro Festum Sancti Marci Evangelistae occurrat in Feria II post Dominicam Resurrectionis, et similiter Festum Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi in Dominica in Albis, ac propterea iuxta Rubricas utrumque sit transferendum; quaesitum fuit a S.R.C.: Quodnam eorum debeat in translatione praeferri et prius reponi?

Et S. R. C., omnibus bene perpensis, referente Emo et Rmo D. Card. Colloredo, censuit: « Praeferendum esse Officium S. Marci ». Et ita decrevit et servari mandavit. Die 17 Iulii 1706.

2172. THEATINA. (3752)

Ex parte Archiepiscopi Theatini a S. R. C. demisse supplicatum fuit declarari:

An permittendum sit Cancellario Civitatis Theatinae Feria V in Coena Domini, inter Sacra solemnia publico Civitatis sigillo obsignare Arcam in qua repositum est Sanctum Domini Corpus, illudque sigillum sequenti die inter Sacra item solemnia publice inde auferre?

Et S. R. C. respondit: « Negative ». Et ita declaravit. Die 18 Septembris 1706.

2173. URBIS ET ORBIS. (3753)

Remissa a SSmo Domino Nostro Clemente PP. XI ad S. R. C. discussione dubii:

An, occurrente Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae in die Festo SSmi Corporis Christi, anticipato ieiunio Vigiliae praedictae in diem 22 Iunii ad formam Constitutionis *Cum evenire quandoque possit*, s. m. Urbani PP. VIII, debeat in Officio diei 22 Iunii de eiusdem Evangelio nona Lectio recitari, et in Officio et Missa de eadem fieri commemoratio?

Eadem S. R. C., omnibus bene perpensis et pluries consideratis, Emo et Rmo D. Card. Colloredo referente: « Nihil de Vigilia in Officio et Missa peragendum censuit, si SSmo Domino Nostro videbitur ». Die 18 Septembris 1706.

Et facta per me Secretarium de praedictis SSmo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 2 Mensis Octobris eiusdem anni.

2174. FERENTINA. (3755)

Cathedralem Ecclesiam Sanctorum Ioannis et Pauli Ferentinam nimis rudem, antiquatam et absque laqueari constructam (ex traditione), anno salutis humanae 1100, postmodum Capitulum et Canonici anno 1693 et subsequentibus fornice decorarunt, interiores parietes a solo ad culmen emarginaverunt, columnas quasdam novo caemento circumvestitas glutinarunt et dealbarunt, Cappellas laterales demolitas recenti studio in aequali situ composuerunt, ita ut tota pars interior et forma Ecclesiae non tantum restaurata sed insimul renovata appareat.

Scripturae, Monumenta, Signum Crucis in pariete et alia similia Consecrationem indicantia nullibi habentur pro tota Ecclesia, sed tantummodo pro Ara maiori prout huius memoria legitur in schedula, anno 1576 die 29 Novembris, apud Reliquiarum fragmenta sub mensa eiusdem inventa.

Anniversarium tamen totius Ecclesiae sub fide maiorum recolitur die 13 Iunii, in qua pariter ad Ecclesiam Fratrum Minorum Sancti Francisci solemniter celebratur Festum S. Antonii Patavini, populo Civitatis et finitimorum locorum propter affluentes nundinas ibidem adveniente, et Cathedralem non visitante, nec memoriam colente suae Dedicationis.

Quapropter Episcopus, Capitulum et Canonici humiliter S. R. C. consuluerunt et quaesierunt declarari:

An opportuniori tempore consecranda sit Cathedralis et etiam Ara maior eiusdem, in die non impedita, ut populus anniversariam Dedicationem possit recolere? et quatenus negative,

An saltem sit locus translationi anniversariae solemnitatis, quae recolitur die 13 Iunii, ad aliam opportuniorem diem?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Colloredi respondit: « Ecclesiam Cathedralem non indigere nova consecratione, sed tantum Altare maius; Festum vero Dedicationis Ecclesiae posse transferri ab Episcopo ad aliam diem ab ipso designandam, et non amplius immutandam ». Et ita declaravit. Die 27 Novembris 1706.

2175. SEPTEMPEDANA. (3757)

Per Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Civitatis Septempedanae humiliter a S. R. C. supplicatum fuit declarari:

An sit attendenda, quatenus adsit, consuetudo etiam longissima quod per Diaconum paratum inservientem Missae solemni, et etiam Episcopo celebrante, thurificentur, post Magistratum, alii ex omni genere per-

sonarum sedentes in scamnis inferioribus, vel prope vel e conspectu dicti Magistratus?

Et S. R. C. respondit: « Negative; non attenta immemorabili ». Et ita declaravit. Die 11 Decembris 1706.

2176. CUSENTINA. (3759)

Gaspar Veraldi Parochus Terrae S. Ioannis in Flore Cusentinae Dioecesis a S. R. C. demisse supplicavit declarari:

An ipsi liceat et suo Clero in Nativitate Domini ob Officium divinum, quod cantari solet in Choro in praedicta die et aliis Festis Domini Nostri Iesu Christi, ad Primam solemniter cantare Martyrologium ordinatum cantari in Vigilia, mutato colore; et hoc ob maiorem solemnitatem?

Et S. R. C. respondit: « Non licere; et serventur Rubricae ». Et ita declaravit. Die 22 Ianuarii 1707.

2177. TUDEN. (3762)

Cum in Dioecesi Tudensi, tam circa validam erectionem Cappellarum et Oratoriorum vulgariter *Eremita* nuncupatorum, quam circa celebrationem Missarum in illis, plura insurrexerint dubia; Episcopus pro bono regimine dictae suae Dioecesis pro infrascriptorum declaratione apud S. R. C. demisse supplicavit.

1. An in Ecclesia, Cappella seu Oratorio publico noviter erecto, Missa celebrari possit, antequam per Episcopum Ordinarium loci visitetur per se sive per alium?

2. An, recusante Episcopo in novo Oratorio publico, Cappella seu Ecclesia, licentiam celebrandi Missam concedere, possit talis licentia per Iudicem Appellationis concedi, quin dicta visitatio non praecesserit?

3. An ultra consecrationem seu benedictionem Ecclesiae, Cappellae seu publici Oratorii, requiratur effectiva et formalis consecratio Altaris seu Altarium, vel sufficiat sola Oratorii, Cappellae seu Ecclesiae benedictio, etiam absque lapide consecrato? et cui incumbat onus probandi adesse in Altari talem lapidem consecratum, visitatione Episcopi deficiente?

4. An interdici possit per Episcopum propter solam deficientiam ornamentorum?

5. An sit in arbitrio Episcopi, dote non existente congrua neque ab eo approbata, Cappellam, Ecclesiam seu publicum Oratorium, Fundatorem ad supplendum cogere, vel illam demoliri facere, maxime deficientibus eiusdem Fundatoris bonis?

Et S. R. C., Emo et Rmo Dom. Card. Fabronio referente, respondendum censuit:

Ad 1 et 2. « Ad Sacram Congregationem Concilii ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem saltem circa Altare portatile; Negative quoad secundam; probationem vero spectare ad asserentem ».

Ad 4 et 5. « Ad Sacram Congregationem Concilii ».

Et ita declaravit. Die 22 Ianuarii 1707.

2178. TREVICANA. (3764)

Cum Episcopus Trevicanus in maiori Hebdomada proxime elapsi anni, non in Ecclesia Cathedrali, sed in Parochiali Terrae Castelli Olea sancta consecraverit; hinc inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Trevicanae et Presbyteros Terrae Castelli controversiis exortis, eisque ad Sacram Congregationem Concilii delatis, et ab eadem ad S. R. C. remissis; Emus et Rmus Dom. Card. Caprara infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An Episcopus Trevicanus solitam consecrationem Oleorum sanctorum in Feria V in Coena Domini teneatur facere in Ecclesia Cathedrali?

2. An, dato quod Episcopus, propter aliquam canonicam necessitatem, Oleorum sanctorum consecrationem faciat in aliqua alia Ecclesia Dioecesis, dicta Olea sancta dispensari debeant in Ecclesia Cathedrali Parochis totius Dioecesis?

Et S. R. C., ex parte Capituli Cathedralis informantibus tantum auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Teneri in Cathedrali, cessante legitimo impedimento ».

Ad 2. « Affirmative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 19 Februarii 1707.

2179. BRACHAREN. (3774)

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Bracharen. a S.R.C. infrascripta dubia declarari demisse supplicatum fuit:

1. An, occurrente Festo duplici in Sabbato quatuor temporum, Missa in qua conferuntur Ordines esse debeat de Festo; vel de Sabbato quatuor temporum?

2. An in Missa Pontificali non cantata, cum Ministris tamen non paratis, in qua conferuntur Ordines, debeat Archiepiscopus

pro tempore in fine benedicere populum cum Cruce ante se? vel ex eo quod sine Cruce benedicat, accipere debeat mitram ad benedicendum?

3. An in Missa, in qua uni tantum confertur Ordo Subdiaconatus aut Diaconatus, debeat promotus Subdiaconus cantare Epistolam vel Diaconus Evangelium, ut fit in Ordinationibus generalibus?

4. An quoties Episcopus sedens cum mitra admonet Ordinandos, debeat baculum in manu gestare, cum Pontificale solum loquatur pro admonitione Presbyterorum? (1)

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Citra approbationem Missae cum Ministris et non cantatae, cum in Ordinationibus generalibus debeat Episcopus benedicere solemniter habens ante se Crucem; Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Servetur Pontificale Romanum, ut iacet ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 27 Augusti 1707.

2180. BITUNTINA. (3777)

Capitulum Bituntinum S. R. C. humiliter exposuit: Primo, quod antiquitus ab immemorabili celebrabat Officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4 mensis Maii; at cum anno circiter 1679 Episcopus, consecrato in altera die, quae ignoratur, Altare maiore eiusdem Ecclesiae, transtulerit idem Officium Consecrationis ad diem primam Septembris contra Decreta S. R. C., demisse supplicavit declarare:

1. An dicta translatio debeat sustineri, vel potius remitti in praedictam diem 4 Maii?

A Regia Maiestate Reginae Poloniae nuper fuisse donatum ipsi Capitulo Corpus integrum S. Victoris Martyris una cum authentica Emi et Rmi D. Card. Vicarii, asserentis illud extractum ex Coemeterio Callisti: et cum S. R. C. non esse celebrandum Officium alicuius Sancti ratione Reliquiae insignis, non constito de identitate eiusdem, decreverit; humiliter etiam declarare supplicavit:

2. An possit celebrari Officium S. Victoris praedicti die 15 Decembris, cum in Martyrologio Romano plures reperiantur SS. Martyres eiusdem nominis et diversis diebus?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Gabrielli, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 1 Octobris 1707.

2181. ROMANA. (3779)

In S. R. C. Archipresbytero Carolo Bartholomaeo Piazza demisse supplicante pro declaratione:

An inter functiones magis principales et solemnes in Caeremoniali praescriptas comprehendatur Festum Dedicationis nuper in Collegiata S. Mariae in Cosmedin de Urbe celebrari introductum; et an propterea ad ipsum Archipresbyterum spectet praedicto die Festo celebrare?

Eadem S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Card. Gabrielli, censuit: « Celebrationem Missae solemnis et Officii pro Festo Dedicationis Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin ab Archipresbytero esse peragendam ». Et ita declaravit. Die 10 Decembris 1707.

2182. SQUILLACEN. (3780)

Cum referente Emo et Rmo D. Card. Gabrielli controversiis exortis inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae et Clerum ex una, atque Monasterium et Monachos S. Ioannis Theresti Ordinis S. Basilii Oppidi Stili Squillacen. Dioecesis ex altera parte, die 22 Iunii 1703, super secundo dubio, nempe:

An dicti Monachi teneantur accedere ad alias Processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent in eodem Oppido, etiam cum delatione Reliquiarum S. Ioannis Theresti, quae servantur in Ecclesia eorumdem Patrum; talique casu debeatur praecedentia Clero Saeculari etiam in atrio Monasterii? S. R. C. responderit: « Quoad primam et tertiam partem, Affirmative; quoad secundam vero partem, Negative: idest dictos Monachos non posse compelli ad deferendas in publicis Processionibus Reliquias S. Ioannis Theresti; quod si istae Reliquiae deferantur, deferri debeant a Monacho incedente in loco digniori Processionis »;

Cumque in praesentiarum ex parte prae-

(1) E. Dub. 5.

dictorum Monasterii et Monachorum Ordinis S. Basilii demisse S. R. C. expositum fuerit quod Reliquiae S. Ioannis Theresti, cum existant in quadam mole lignea ab uno Monacho deferri nequeant, et propterea eidem S. R. C. humiliter supplicatum ad tollendas ulteriores controversias benigne declarare: An in casu proposito debeatur Monacho cum pluviali dignior locus, ac si Reliquias propriis manibus gestaret?

Et eadem S. R. C., ad relationem eiusdem Emi et Rmi Dom. Card. Gabrielli, respondit: « Monacho cum pluviali induto incedenti in Processione prope Reliquias S. Ioannis Theresti, deberi locum digniorem, seu eum debere incedere ultimo loco ». Et ita decrevit et declaravit. Die 10 Decembris 1707.

2183. CLUSINA. (3781)

Contra praescripta in Decretis s. m. Alexandri PP. VII anno 1659 edita, Abbate S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis retinente, prout assertum fuit, in sua Ecclesia Cathedram fixam et permanentem cum tribus gradibus, non simplici serico panno sed pretioso, ornatam seu coopertam; nec non utente mitra pretiosa et baculo pastorali absque velo, et accedente ad peragenda Pontificalia cum associatione totius sui Cleri: S. R. C., apud quam Episcopus Clusinus super praemissis pro aliqua providentia demisse supplicans conquestus fuit, censuit respondendum: « Secretario ad mentem; et mens fuit quod omnino serventur Decreta s. m. Alexandri VII ». Et ita decrevit. Die 10 Martii 1708.

2184. BRACHAREN. (3786)

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Ecclesiae Bracharen. penes S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicatum fuit: (1)

1. An celebrans et Ministri debeant stare vel sedere capitibus coopertis vel nudis, dum Episcopus distribuit palmas, cineres etc.?

2. An Episcopus assistens paratus vel cum cappa Missae Palmarum, cum non possit stare dum tota Passio cantatur, debeat sedere coopertus, vel genuflectere?

3. An Canonici et Assistentes Episcopo parati, et illum ad Altare comitantes in Pontificalibus, debeant omnes procedere cooperti; vel nudis capitibus?

4. An Episcopus celebrans tertiam Missam Nativitatis in Pontificalibus debeat genuflectere ad *Verbum caro factum est*, quando legitur Evangelium; vel quando stat, dum Diaconus illud canit?

5. An possit Episcopus Missam votivam celebrare de Spiritu Sancto, vel aliam pro eligenda Abbatissa Conventus suae iurisdictionis, licet ipsa dies sit duplex vel Dominica?

Et S. R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Debent sedere capitibus coopertis ».

Ad 2. « Non debet sedere neque genuflectere, sed stare; et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem Missae ».

Ad 3. « Ratione habita paramentorum, posse procedere per Ecclesiam coopertis capitibus; et ideo: Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 4. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 28 Aprilis 1708.

2185. PARMEN. (3790)

Ex parte Guardiani et Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Parmen. a S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta dubia declarari:

1. An, exposito Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, in Vesperis liceat thurificare Confratres Confraternitatis *del Cordone di S. Francesco?*

2. An, exposito ut supra publicae Venerationi Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, liceat post thurificatum ad *Magnificat* Altare, thurificare etiam Altare S. Francisci ac ipsius Statuam ab Altari disiunctam?

Et S. R. C. ad utrumque censuit respondendum: « Negative ». Et ita declaravit et servari mandavit. Die 4 Augusti 1708.

2186. PICENA. (3791)

Marco Antonio Nardo Piceno in S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicante, videlicet:

An diebus in quibus fit de Festo duplici, cum non possit dici Missa de Requiem

(1) E. Dub. 1.

nisi in die obitus, anniversarii etc.; possit, cantata Missa de Sancto, fieri in fine huius Missae absolutio circa lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Domine etc.?*

Et S. R. C. respondit: « Negative ». Et ita decrevit. Die 4 Augusti 1708.

2187. QUITENSIS. (3799)

Cum in Hispaniarum Indiarumque Ecclesiis mos invaluerit ut Sacerdotes utantur superpelliceis oblongas manicas habentibus, cumque in Ecclesia Quitensi, ex regula consueta, Canonicis praescriptum sit ut in aliquibus peculiaribus casibus, in quibus maiorem reverentis animi significationem praeseferre debent, manicas e scapulis deponant, et circa brachia obvolvant; Episcopus Quitensis electus nuper Quamagensis, a S. R. C. infrascripta dubia demisse supplicavit declarari:

1. An easdem manicas depositas ac brachiis intortas habere debeant Canonici etiam intra Chorum, quando Venerabile Sacramentum publicae adorationi est expositum?

2. An idem servandum sit, dum Cantica tum Zachariae seu *Benedictus*, tum B. Virginis seu *Magnificat*, tum Simeonis seu *Nunc dimittis* recitantur; et toto eo tempore quod in ipsis modulandis insumitur, manicae depositae habendae sint?

3. An, Episcopo ad Ecclesiam accedente, et Canonicis honoris causa ad ipsum excipiendum obviam euntibus, servandus sit idem mos deponendi a scapulis manicas easque sic depositas habenti usque dum Episcopus ad locum in Choro sibi destinatum perveniat?

Et S. R. C. in omnibus respondendum censuit: « Affirmative ». Die 2 Martii 1709.

2188. COMPSANA. (3802)

Inter Primicerium Iosephum Cardone et Archipresbyterum Iosephum Sansonum Ecclesiae matricis Terrae Colliani Compsanae Dioecesis, anno 1706 renovata antiqua controversia super iure peragendi nonnullas functiones ecclesiasticas, eaque in S. R. C. delata, Emus et Rmus D. Card. Gabrielli infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An celebratio Missae solemnis in diebus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et in die Festo SSmi Corporis Christi, spectet privative ad Archipresbyterum? et quatenus affirmative,

2. An, absente eo vel impedito, possit alium in sui locum ad libitum subrogare; seu potius huiusmodi celebratio fieri debeat privative a Primicerio vel a Presbytero Hebdomadario?

3. An celebratio Missarum in secundis Feriis Paschatis Resurrectionis et Pentecostes ac in die Festivitatis Divi Stephani Protomartyris, nec non in die Dominica infra octavam Corporis Christi, spectet privative ad eumdem Primicerium vel ad Hebdomadarium?

4. An SSmum Eucharistiae Sacramentum in Processione quae fit in Festo SSmi Corporis Christi deferri debeat ab eo qui Missam celebrat?

5. An idem servandum sit in Processione quae fit in die Dominica infra octavam Corporis Christi; seu potius deferri tunc debeat SSmum Eucharistiae Sacramentum ab Archipresbytero?

Et S. R. C., Archipresbytero licet pluries citato non informante, audito Primicerio tantum, censuit respondendum:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; et quoad alteram, celebrationem spectare ad Primicerium ».

Ad 3. « Spectare ad Primicerium ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 23 Martii 1709.

2189. PERUSINA. (3804)

Pro parte Regularium Civitatis Perusiae a S. R. C. infrascriptum dubium demisse supplicatum fuit declarari:

An in die S. Laurentii Titularis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Perusiae sit recitandum Symbolum Apostolorum in Ecclesiis Regularium? (1)

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis S. Clementis, censuit respondendum: « Non esse recitandum Symbolum Apostolorum, nisi in Ecclesia propria ». Et ita declaravit. Die 23 Martii 1709.

2190. TARENTINA (3805)
PRAEEMINENTIARUM.

Inter Archidiaconum et Vicarium Capitularem, atque Capitulum et Canonicos Ec-

(1) E. Dub. 2.

clesiae Metropolitanae Tarentinae, super nonnullis iuribus praeeminentialibus, controversiis exortis et ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Gabrielli super eisdem infrascripta dubia declaranda proposuit: (1)

1. An liceat Vicario Capitulari interesse Choro vel aliis functionibus capitularibus cum vestibus brevioribus?

2. An dictus Vicarius Capitularis interesse possit concionibus in sigmate et cum *zimarra*?

3. An Vicarius Capitularis conciones audiens inter Missarum solemnia possit praecedere Canonico celebranti sacris vestibus induto?

4. An idem Vicarius Capitularis incedens in Processionibus cum vestibus nigris, incedere possit post Canonicum celebrantem?

5. An idem Vicarius Capitularis incedens cum vestibus suae Dignitatis occupare debeat proprium locum in Processionibus; vel potius incedere debeat post Canonicum celebrantem, prout Archiepiscopus?

6. An liceat dicto Vicario Capitulari in expeditionibus et actibus Vicarii Capitularis uti proprio sigillo; vel potius debeat uti sigillo Capituli?

Et S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis informante audita, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 23 Martii 1709.

2191. CATANIEN. (3806)

Guardiano et Fratribus Ordinis Conventualium S. Francisci Conventus Caltagironis in Sicilia in S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicantibus, videlicet:

An, incidente die Festo S. Antonii de Padua infra octavam Corporis Christi, possit peragi Processio solemnis S. Antonii dicta die non impedita aliis Processionibus?

Et S. R. C., in casu de quo agitur, censuit respondendum: « Affirmative ». Et ita declaravit. Die 4 Maii 1709.

2192. CREMEN. (3807)

Praetendente Praeposito Cathedralis Cremen. non teneri ex debito, sed tantum sibi esse arbitrarium canere Missas in solemnioribus diebus Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini aliisque Pontificalibus, Episcopo Cremen. non celebrante propter eius absentiam seu aliud impedimentum; et delationem SSmi Sacramenti in Processionibus fieri solitis ad ipsum spectare, non autem ad Canonicum celebrantem seu Hebdomadarium; et hinc inter Praepositum praedictum atque Capitulum et Canonicos Cathedralis controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An Episcopo non celebrante in Festivitatibus solemnioribus, Praepositus, prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Cremen., teneatur ad celebrationem Missae et Vesperarum? et quatenus negative,

2. An saltem teneatur ad celebrandas Vesperas, tam primas quam secundas, quoties velit canere dictam Missam, et e contra?

3. An in Processionibus, in quibus deferri solet SSmum Eucharistiae Sacramentum, eius delatio spectet ad Praepositum, seu potius ad Canonicum celebrantem sive Hebdomadarium?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis,

Ad 1 et 2. censuit respondendum: « Dilata ».

Ad 3. « Spectare ad celebrantem ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 4 Maii 1709.

2193. PISTORIEN. (3808)

Carlo Ioviani Magistro Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Pistorien. penes S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicante, nempe:

1. An occurrente commemoratione Sancti simplicis in Feria secunda Quadragesimae, quando dictum est Nocturnum defunctorum, debeat in Missa quarto loco dici Oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum etc.*, pro commemoratione defunctorum? et quatenus affirmative, quaenam Oratio dicenda sit quinto loco?

(1) E. Dub. 1, 2 et 4.

2. An occurrente dicto casu Feria secunda post Dominicam Passionis, quando pariter dictum est Nocturnum defunctorum, quot et quae Orationes dicendae sint in Missa?

Et S. R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Sufficere tertiam Orationem *A cunctis;* quod si dicatur quarta *Omnipotens,* quinta erit ad libitum ».

Ad 2. « Dicendam secundam Orationem de simplici tantum ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 4 Maii 1709.

2194. BRACHAREN. (3809)

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Bracharen. a S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta dubia declarari: (1)

1. An diebus infra octavam SSmae Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae, in Festis infra dictam octavam occurrentibus debeat ad Primam dici Symbolum S. Athanasii?

2. An diebus 6 et 7 dictae octavae cum de eis fiat Officium, quia dignius Officio Corporis Christi; debeat etiam legi IX Lectio de simplici illis diebus occurrente; vel omitti, ratione octavae Corporis Christi?

3. An cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum; vel necessario debeat esse album?

4. An instrumentum, vulgo *Bugia,* cum candela pro Episcopis ad librum, possit esse materia Ordinis Acolythorum, loco Candelabri seu Ceroferarii?

5. An quatuor Dignitates seu Canonici assistentes Episcopo ad absolutionem ad tumulum debeant necessario esse Sacerdotes?

6. Quo loco debeat fieri commemoratio in Missa pro consecratione Episcopi, quando ratione Festi occurrentis dicitur Missa de Festo habente plures alias commemorationes?

Et S. R. C. censuit respondendum:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Diebus 6 et 7 infra octavam Titularis SSmae Trinitatis faciendum Officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi cum commemoratione SS. Trinitatis ».

Ad 3. « Posse uti cingulo colore paramentorum ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Serventur Rubricae Pontificalis Romani de Consecratione Electi in Episcopum post Examen § *Propter ordinationem etc.* et Rubricae Missalis in fine post Benedictiones ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 8 Iunii 1709.

2195. BRACHAREN. (3810)

Propositis dubiis ex parte Magistrorum Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Bracharen., nempe:

1. An Feria V in Coena Domini, cum Episcopus exit a Sacrorum custodia ad Altare, Canonici qui eum parati associant debeant praecedere Presbyteros, Diaconos et Subdiaconos, qui eum comitantur ut assistant Olei consecrationi; vel sequi?

2. Supplicatur pro declaratione § 13, cap. 23, lib. 1, Caeremonialis Episcoporum, ubi dicitur de Episcopo Missae interessente eumdem thurificari post Evangelium, et in lib. 2, cap. 9, § 8 legitur thurificari solum post oblata?

3. Supplicatur etiam pro declaratione seu concordia eiusdem Caeremonialis lib. 2, cap. 6, § 4, ubi pro Presbytero celebranti Matutinum solemne in habitu canonicali assignat primum locum Chori, licet adversetur Decretum S. C. 22 Augusti 1626, declarans primam Sedem in Choro deberi Hebdomadario parato tantum?

S. R. C. respondit:

Ad 1. « Quoad primam partem, Negative; quoad secundam, Affirmative ».

Ad 2. « Si non est paratus, semel tantum post oblata ».

Ad 3. « Servandum esse Caeremoniale, non attenta immemorabili, ut in Casertana 22 Augusti 1626 ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 8 Iunii 1709.

2196. CREMEN. (3811)

Ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua repropositis dubiis in Congregatione diei 4 mensis Maii proxime praeteriti non resolutis, et super quibus fuit dilata resolutio, nempe:

1. An Episcopo non celebrante in Festivitatibus solemnioribus, Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Cremen. teneatur ad celebrationem Missae et Vesperarum?

(1) E. Dub. 1.

2. An saltem teneatur ad celebrandas Vesperas tum primas tum secundas, quoties velit canere dictam Missam, et e contra?

Eadem S. R. C., tam voce quam scriptis utraque parte audita, respondit:

Ad 1. « Non teneri, sed decere ».

Ad 2. « Affirmative, nisi sit legitime impeditus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 8 Iunii 1709.

2197. MIRANDEN. (3813)

Ex parte Petri Nolasci Mirandeu. Dioecesis a S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta dubia declarari:

1. An liceat cantari Missam solemnem de Requiem in diebus Sanctorum duplicium minorum et maiorum, non de praecepto, extra diem obitus, anniversarii, tertii, septimi et trigesimi, quando cantatur Officium defunctorum solemniter in Ecclesiis parochialibus aliisque similibus, saltem quando in Choro Officium de Sancto non celebratur nec Missa cantatur?

2. Utrum in diebus supradictis liceat cantare Missam de Requiem, quando scilicet defunctus legavit pro anima sua seu pro animabus suorum parentum, benefactorum etc., unum aut duo vel plura Officia defunctorum, quae cantanda sunt per Clericos et Sacerdotes, ita ut in quolibet Officio adsint quatuor vel plures, secundum dispositionem testatorum?

3. An liceat cantari Missam de Requiem in diebus expositis supra, quando aliqua Confraternitas, ratione suorum statutorum, pro quolibet confratre defuncto habet obligationem cantandi unum Officium defunctorum cum Missa in fine?

Et S. R. C. ad omnia censuit respondendum: « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 13 Iulii 1709.

2198. BERGOMEN. (3814)

Parochus Ecclesiae Almenni in Dioecesi Bergomen., ad tollendas quamplures disceptationes exortas in Clero eiusdem Dioecesis super una et altera ex Rubricis Breviarii et Missalis Romani, pro solutione infrascriptorum dubiorum apud S. R. C. demisse supplicavit, videlicet:

1. Super Rubrica Missalis Romani de Translatione Festorum Tit. VI, ubi sic legitur: *In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo;* quaeritur: An possit omitti Missa solemnis de die et cantari Missa de Festo Titulari vel alio, in iis Ecclesiis in quibus non est obligatio cantandi Missam quotidie? aut saltem fieri commemoratio de Festo, si de eo non debet celebrari Officium illa die? (1)

2. An iis temporibus quibus tertia Oratio in Missis est ad libitum, ac ex iussu vel Summi Pontificis vel Episcopi in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica necessitate, videlicet contra Turchas, seu ad petendam serenitatem aut pluviam etc., haec Oratio praescripta a Summo Pontifice vel ab Episcopo ponenda necessario sit in Missis tertio loco, praetermissa quae ad libitum; vel potius celebrans possit recitare tertiam Orationem ad libitum suae devotionis, et quarto loco quae est praescripta de mandato Pontificis vel Episcopi?

Et S. R. C. censuit respondendum?

Ad 1. « Rescribendum in casu proposito pro gratia cantandi Missam solemnem votivam de Festo occurrente tantum ».

Ad 2. « In casu proposito ad primam partem, Negative; ad secundam, Affirmative, per modum praecepti et obligationis ». Die 17 Augusti 1709.

2199. FERRARIEN. (3818)

Ex parte Natalis Falloni infrascriptum dubium a S. R. C. demisse supplicatum fuit declarari:

Super Rubrica Breviarii qua praescribitur in Festo Sanctorum Cornelii et Cypriani, die 16 Septembris, pro commemoratione Sanctorum Euphemiae et Sociorum in primis Vesperis dicendam esse antiphonam *Gaudent in Coelis,* et in Laudibus antiphonam *Istorum:* dubitatur et quaeritur: Utrum praedictae antiphonae dicendae sint etiam quando Officium Sanctorum Cornelii et Cypriani in perpetuum transfertur; an tunc in primis Vesperis dicenda sit antiphona *Istorum,* et in Laudibus antiphona *Vestri capilli etc.?*

Et S. R. C. censuit respondendum: « Negative, quoad primam partem; Affir-

(1) E. Dub. 2.

mative, quoad secundam ». Et ita declaravit. Die 14 Decembris 1709.

2200. HIERACEN. (3822)

Cum in causa Hieracen. Praeeminentiarum inter Salvatorem Nannum Archipresbyterum et alios Parochos Terrae Siderni Hieracen. Dioecesis, rescriptum fuerit: Dilata et compulsentur Bullae erectionis aliarum Parochialium; et successive ad instantiam Archipresbyteri ad probandam immemorabilem emanaverit resolutio concessionis Remissoriae Episcopo viciniori dirigendae, quae (de consensu) Vicario Capitulari Civitatis Oppidi directa fuit : in praesentiarum ab Emo et Rmo D. Card. S. Clementis in S. R. C. infrascriptis dubiis propositis :

1. An Archipresbytero Terrae Siderni competat ius deferendi suam Crucem in associandis cadaveribus, tam aliarum Ecclesiarum parochialium quam aliarum quarumcumque in quibus cadavera tumulantur, privative quoad alios Parochos ; seu potius sit deferenda Crux propriae Parochiae defuncti ? et quatenus affirmative,

2. An Parochi defunctorum teneantur accedere ad Ecclesiam Archipresbyteralem, ad effectum associandi praedictorum cadavera?

3. An praedictus Archipresbyter habeat ius exercendi funebres functiones in Ecclesiis non parochialibus sitis in alienis Parochiis ; vel potius idem ius competat propriis Parochis ?

S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum :

Ad 1. « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Ut ad primum ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 22 Martii 1710.

2201. PENNEN. (3823)

Praetendente Michaele Malia moderno Abbate et prima Dignitate Ecclesiae Collegiatae Terrae Laureti Pennen. Dioecesis, novum in Ecclesia praedicta introducere Caeremoniale, et gaudere praeeminentiis ab Antecessoribus nunquam praetensis, quia solum debitis Abbatibus pollentibus dignitate quasi Episcopali ; Capitulum et Canonici Collegiatae praedictae, ad obviandum praetensionibus praedictis, ad S. R. C. recursum habuerunt. Haec de more, scriptis literis Archiepiscopo pro informatione, post auditum Abbatem praedictum, ipse coram Episcopo non comparuit ; et pluries atque pluries de ordine S. R. C. ab Episcopo citatus et intimatus ad deducendum sua iura in S. R. C. nunquam comparuit : quapropter post plures dilationes super propositione huiusmodi captas , Emus et Rmus Dom. Card. Gabriellio infrascripta dubia decidenda proposuit, videlicet:

1. An liceat Abbati pro tempore Collegiatae S. Petri Terrae Laureti Pennen. uti Sede cum fulcro, in assistendo concionibus aliisque publicis functionibus in Ecclesia, praesente Capitulo ?

2. An liceat eidem in aliis functionibus canonicalibus et ecclesiasticis uti genuflexorio cum stratu et pulvinari ad orandum ?

3. An liceat eidem celebrare Missam lectam cum quatuor candelis accensis ?

4. An liceat eidem quaestuare vel quaestuari facere, sine licentia Vicarii Foranei ?

5. An Cappellae dependentes ab Abbate possint iure ordinario vel delegato visitari per Episcopum ?

Et eadem S. R. C., ex parte Capituli et Canonicorum tantum informationibus auditis, respondendum censuit :

Ad 1, 2, 3 et 4. « Negative ».

Ad 5. « Affirmative iure delegato ». Die 22 Martii 1710.

2202. RAGUSINA. (3824)

Episcopo Suffraganeo Civitatis Ragusinae apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicante, videlicet :

1. An Episcopus Suffraganeus, qui in Civitate sui Metropolitani de ordine SSmi commoratur, non valens in propria Dioecesi commorari, possit in dicta Civitate deferre rochettum sub mantelletta, occasione celebrandi Sacrum, vel visitandi cives ipsius Civitatis ?

2. An Episcopus praedictus, ut supra, possit extra domum per Civitatem Metropolitani deferre, ut dicitur, *il Mantellone* cum *Zimarra ?*

3. An possit Episcopo praedicto Metropolitanus prohibere Sacrum celebrare in propria domo ? (1)

(1) E. Dub. 4.

Et S. R. C. censuit respondendum:
Ad 1. « Affirmative ».
Ad 2. « Negative ».
Ad 3. « Negative ».
Et ita declaravit et servari mandavit. Die 22 Martii 1710.

2203. URITANA. (3825)

Inter Patres Strictioris Observantiae Sancti Francisci Casalis Novi et nonnullos Presbyteros seu Archipresbyterum aliosque quoscumque Collegiatae dicti loci Uritanae Dioecesis, ortis super celebratione Festivitatis S. Antonii de Padua controversiis eisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Barbarinus in Ponentem datus infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An liceat Archipresbytero, Canonicis aliisque Presbyteris insignis Collegiatae Ecclesiae Oppidi Casalis Novi celebrare Festum S. Antonii in Cappella ibidem sita? et quatenus negative,
2. An liceat eisdem celebrare praedictum Festum in alio et quo die?
3. An liceat eisdem canere quotidie responsorium de praedicto Sancto cum antecedenti signo campanae?
4. An pro dicto Responsorio oblationes et stipendia iidem recipere valeant?
5. An liceat iisdem, occasione Festivitatis aut Responsorii aut aliarum quarumcumque functionum in honorem praedicti Sancti, quaestuare per Oppidum?
6. An liceat Fratribus Reformatis in die Festo dicti Sancti Processionem per Oppidum peragere?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:
Ad 1. « Negative »
Ad 2. « Negative ».
Ad 3. « Affirmative ».
Ad 4. « Negative ».
Ad 5. « Negative ».
Ad 6. « Arbitrio Episcopi ».
Et ita declaravit et servari mandavit. Die 22 Martii 1710.

2204. ALEXANDRINA. (3826)

Inter Cappellanos atque Canonicos et Capitulum Cathedralis Alexandrinae controversiis exortis et in S. R. C. delatis, Cappellani praedicti eidem S. R. C. pro declaratione, quod obligatione inserviendi pro Diacono et Subdiacono Canonicis celebrantibus praegravari non debeant, demisse supplicaverunt; unde ab Emo et Rmo D. Card. Gabrielli, huiusmodi instantiae Relatore, infrascriptum dubium decidendum propositum fuit:

An Cappellani Cappellaniarum erectarum in Ecclesia Cathedrali Alexandrina, vigore dispositionis quondam Canonici Pumesani, teneantur inservire in officio Diaconi et Subdiaconi Dignitatibus vel Canonicis eiusdem Cathedralis celebrantibus?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: « Negative; et amplius proponi vetuit ». Die 17 Maii 1710.

2205. ORDINIS CAPUCCINORUM. (3827)

Fratre Victorio a Novellaria Ordinis Capuccinorum infrascripta dubia declarari a S. R. C. demisse supplicante, videlicet:

1. Si contingat fieri Officium semiduplex in vigilia Festi omnium Sanctorum, quaeritur: Utrum, non obstante commemoratione vigiliae, tunc dici debeant Suffragia communia in Laudibus et Oratio *A cunctis* in Missa eiusdem semiduplicis; an vero utraque sit omittenda, et dicenda in Missa Oratio de Spiritu Sancto? (1)
2. Si pro facienda in Laudibus commemoratione alicuius diei infra octavam sumenda sit antiphona ex eodem communi unde sumpta est pro Officio, quaeritur: Utrum in hoc casu servanda sit Rubrica Breviarii Romani Tit. IX de Commemorationibus num. 8, ut scilicet sumatur ex primis Vesperis; an vero sumi debeat ex secundis Vesperis quia dies infra octavam non habet primas Vesperas?

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Card. Gabrielli, censuit respondendum:
Ad 1. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».
Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».
Et ita declaravit. Die 21 Iunii 1710.

2206. ANDRIEN. (3828)

Inter Patres Ordinis Praedicatorum Civitatis Andrien. atque Capitulum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ortis controversiis eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Card. Vallemannus infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Patres Dominicani teneantur as-

(1) E. Dub. 2.

sistere in Cathedrali primis Vesperis et Missis solemnibus Festivitatum SSmae Assumptionis Beatae Mariae Virginis et S. Richardi? et quatenus affirmative,

2. An convenire debeant ad sonum Campanae; vel praecedere debeat specialis intimatio?

3. An et in quo loco Ecclesiae assistere et sedere debeant?

4. An et in quo numero accedere teneantur?

5. An in casu quo non accedant, puniri possint per Ordinarium, et quibus poenis?

6. An Capitulum Cathedralis in associatione cadaverum tumulandorum in Ecclesia S. Dominici possit eam ingredi cum propria Cruce erecta; et facere funus supra cadaver?

7. An Parochus dictae Cathedralis, associans solus dicta cadavera absque Capitulo, possit dictam Ecclesiam S. Dominici ingredi cum Stola et superpelliceo?

8. An Patres Dominicani possint asportare ad sepeliendum in eorum Ecclesia cadavera parvulorum ante septennium, sine licentia Parochi?

9. An in dicta asportatione liceat dictis Patribus deferre Stolam?

S. R. C., partibus tam scriptis quam voce auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 3. « Servari solitum ».

Ad 4. « Servari solitum ».

Ad 5. « Arbitrio Episcopi, excepta carceratione et censuris ».

Ad 6. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Negative, salvo iure probandi immemorabilem ».

Ad 9. « Negative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 19 Iulii 1710.

2207. SENARUM. (3831)

Emi ac Rmi Domini: Virgines Conservatorii S. Nicolai in Saxo, Civitatis Senensis, Eminentiis Vestris humiliter exponunt quae sequuntur:

Cum Ecclesiae ipsarum Cappellani animadvertissent, super inferiori gradu alterius ex Altaribus lateralibus extare lapidem, quo tegitur descensus in sepulchrum, ubi defunctae virgines tumulantur, censuerunt praefatum Altare vi Decretorum Apostolicorum esse interdictum, ut in eo Missae fieri nequeant. Cum autem locus exploratus fuisset, repertum fuit, lapidem quidem super gradu extare, sed satis distare ab Altari sepulturam, iuxta acclusam ichnographiam, ita ut non comprehendatur in Decretis. Hinc recursu habito ad Archiepiscopum, cui et documenta fuerunt exhibita, respondit sibi non esse propositum Apostolicorum Decretorum interpretandi, sed velle ut audiamus oraculum Sacrae Congregationis, ex quo regendi norma habeatur. Ideo exorant Eminentias Vestras, ut, designatione inspecta, declarare dignentur licere in proxima S. Mariae ad Nives Festivitate super dicto Altari Missam agere.

S. R. C., omnibus mature perpensis et consideratis, censuit respondendum iuxta votum Magistri Caeremoniarum, nempe: « Archiepiscopo Senarum; qui veris existentibus narratis restituat ad Sacrosanctum Missae Sacrificium Altare ».

Et ita declaravit. Die 13 Septembris 1710.

2208. PLACENTINA. (3832)

Super iure peragendi functiones parochiales, inter Canonicum Io. Baptistam de Augustis Parochum Ecclesiae Collegiatae Terrae Curtis maioris ex una, et nonnullos Confratres Confraternitatis S. Iosephi eiusdem Terrae Dioecesis Placentinae partibus ex altera, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Card. S. Clementis infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An liceat Parocho celebrare primas et secundas Vesperas ac canere Missas solemnes in Festivitatibus fieri solitis in Oratorio a Confratribus S. Iosephi Terrae Curtis maioris; vel potius dictae functiones spectent ad Cappellanum eorum Confratrum?

2. An liceat eidem Parocho celebrare Vesperas et canere Missas minus solemnes in aliis Festivitatibus inibi fieri solitis in eodem Oratorio; vel potius expleri debeant a Cappellano?

3. An et ad quem spectet canere Missam et facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Oratorio praedicto?

4. An liceat Confratribus sacco indutis celebrare, mediante eorum Cappellano, Anniversaria quae cum Missis sive solemnibus sive minus solemnibus celebrari solent in eorum Oratorio? et quatenus negative,

5. An liceat Parocho pro explendis dictis functionibus ducere, quatenus opus sit, Sacerdotes sibi bene visos, et cuius expensis? sive potius sit in libertate Confratrum invitare quos maluerint?

6. An liceat eisdem Confratribus, mediante eorum Cappellano, statutis Feriis VI sive qualibet anni die etiam occasione expositionis quadraginta horarum, exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum et dare benedictionem, sine licentia et praesentia Parochi?

7. An liceat Confratribus retinere Confessionale in dicto Oratorio; eorumque Cappellano approbato liceat audire Confessiones sine licentia Parochi? et quatenus negative,

8. An eidem Parocho intervenire volenti seu non volenti in supradictis functionibus, et Confessiones per se ipsum audire recusanti, liceat subdelegare aliquem Sacerdotem sibi benevisum; vel potius teneatur subdelegare Cappellanum Confraternitatis?

9. An tam pro Missa solemni seu minus solemni celebranda, occasione expositionis SSmi, quam pro assistentia Confessionali, debeatur Parocho seu eius substituto consueta eleemosyna?

10. An et ad quam rationem debeatur eleemosyna Cappellano Parochi pro asserta celebratione Missarum, et pro praetensa assistentia praestita singulis Feriis VI, occasione expositionis SSmi Sacramenti in dicto Oratorio?

11. An liceat Confratribus et Sororibus in dicto Oratorio eligere sepulturam, soluta dumtaxat Parocho quarta funerali; et ex quibus dicta quarta funeralis debeatur?

12. An liceat Confratribus associare cadavera Confratrum et Sororum ad Ecclesiam et Oratorium; atque facere Processiones privatas et solemnes infra ambitum dicti Oratorii, absque licentia Parochi, sed cum interventu eorum Cappellani?

13. An eisdem Confratribus liceat facere dictas Processiones extra ambitum Ecclesiae sine dicti Parochi licentia?

14. An Confratres in recitandis et explendis Officiis mortuorum, et Anniversariis sibi per testatores in genere iniunctis, teneantur celebrare Missam cantatam minus solemnem?

15. An constet de attentatis et quae veniant purganda?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 2. « Ut ad proximum ».

Ad 3. « Spectare ad Parochum ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Servetur Decretum Ordinarii datum anno 1697 ».

Ad 6. « Arbitrio Ordinarii ».

Ad 7. « Ut ad proximum, arbitrio Ordinarii ».

Ad 8. « Quoad Confessiones, arbitrio Ordinarii; quoad reliquas functiones: Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 9. « Affirmative pro Missis tantum; nullatenus vero pro audientia Confessionum ».

Ad 10. « Deberi pro Missis tantum, iuxta taxam synodalem ».

Ad 11. « Affirmative, reservatis Parocho emolumentis ad formam Constitutionum synodalium; et iuxta solitum ».

Ad 12. « Quoad primam partem, Affirmative, cum interventu Parochi; quoad secundam, pariter Affirmative, iuxta eorum institutum ».

Ad 13. « Negative, nisi adsit licentia Ordinarii ».

Ad 14. « Ordinarius provideat, prout de iure, servata mente testatorum ».

Ad 15. « Partes acquiescant ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 22 Novembris 1710.

2209. CATANIEN. (3834)

Cum in Ecclesia Collegiata Oppidi Arcis Regalis sub titulo SSmae Annuntiationis, Catanien. Dioecesis, celebretur Novendiale B. M. V., in qua Canonicus canit Missam votivam eiusdem Beatae M. V.; Canonici Ecclesiae Collegiatae praedictae penes S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicaverunt, videlicet:

1. An possit dici Symbolum Apostolorum, cum ab immemorabili nunquam in huiusmodi Missa dictum sit?

2. An Canonico in qualibet Dominica aspergente Altare et Chorum, debeant Canonici huiusmodi aspersionem recipere stantes, an vero genuflexi?

3. An Canonico, post sumptionem Corporis et Sanguinis, dispensante Corpus Christi Clericis qualibet prima Dominica mensis (ut moris est), debeant Canonici genuflectere?

S. R. C. respondit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 31, § 4 ».
Ad 3. « Affirmative ».
Et ita declaravit, et servari mandavit. Die 9 Martii 1711.

2210. PAPIEN. (3835)

IURIUM PAROCHIALIUM.

Inter Ioannem Petrum Bezzi Rectorem Ecclesiae parochialis Terrae *Pezzetti* et Confraternitatem SSmae Trinitatis sive S. Sebastiani eiusdem Terrae Dioecesis Papien., super nonnullis iuribus parochialibus, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis, ab Emo et Rmo D. Card. S. Clementis infrascripta dubia decidenda proposita fuerunt:

1. An liceat Confratribus celebrare seu cani facere Missas in Festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore seu Cappellano Confraternitatis absque ulla Parochi dependentia?
2. An ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis Dominicis cuiuslibet mensis, et populo benedicere absque licentia et dependentia dicti Parochi?
3. An liceat Confraternitati seu Confratribus retinere Sedes confessionales in eorum Oratorio, ut ibi Confessarii approbati excipiant Confessiones sacramentales?
4. An liceat Processiones peragere extra propriam Ecclesiam seu Oratorium cum usu Stolae a proprio Capellano seu Rectore deferendae, pariter absque licentia et dependentia dicti Parochi?

Et S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis audita, censuit respondendum:
Ad 1. « Affirmative ».
Ad 2. « Licere de licentia Episcopi ».
Ad 3. « Ut ad proximum ».
Ad 4. « Serventur Decreta generalia».
Et ita decrevit et servari mandavit. Die 9 Martii 1711.

2211. MELITEN. (3836)

Propositis in S. R. C. infrascriptis dubiis:

1. An equites Hierosolymitani teneantur recitare Officium cum octava Dedicationis Ecclesiae maioris conventus?
2. An Cappellani *di obbedienza* servitio eiusdem Ecclesiae addicti et Moniales S. Ursulae eiusdem Ordinis similiter teneantur idem Officium recitare?

Eadem S. R. C. respondendum censuit:
Ad 1. « Affirmative ».
Ad 2. « Negative ».
Et ita decrevit et servari mandavit. Die 11 Iulii 1711.

2212. NAULEN. (3837)

Supplicatum fuit a S. R. C. infrascriptum dubium declarari:
An Episcopus Naulen. possit in qualibet suae Dioecesis Ecclesia erigere Cathedram episcopalem et baldachinum, etiam tempore quo Episcopus non residet et functiones episcopales non exercet in dicta Ecclesia, maxime si dicta Ecclesia suae Dioecesis parum distet, nempe per milliarium circiter, ab Ecclesia Cathedrali?
Et S. R. C. censuit respondendum: « Iuxta votum; nempe Negative ». Et ita declaravit et decrevit. Die 11 Iulii 1711.

2213. TOLOSANA. (3844)

Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum SSmo Domino Nostro Papae Clementi XI porrectas, in quibus enixe supplicabatur pro prohibitione cuiusdam novi Rosarii, quod in honorem Sanctissimae Trinitatis Patres Religionis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum in eorum Ecclesia Beatae Mariae Virginis Conventus Tolosani recitari introduxerant, edito liberculo gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis edocetur; eisque a SSmo Domino Nostro ad S. R. C. remissis;
Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem Emi D. Card. de Abdua, audito prius Procuratore Generali Patrum supradictae Religionis SSmae Trinitatis, et successive D. Prospero Lambertini Concistorialis Aulae Advocato et Rmi Domini Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadiutore in scriptis et voce audito: « Rosarium, de quo agitur, prohibendum esse censuit, et quoad liberculum gallico idiomate impressum, remisit instantiam ad S. Indicis Congregationem ». Die 21 Novembris. 1711.

2214. PISAUREN. (3846)

Cum in Civitate et Dioecesi Pisauren. die 31 Augusti occurrit Festum Dedicationis Cathedralis sub ritu dupl. primae classis celebrandum, et eodem die ab universali Ecclesia fit Officium S. Raymundi Nonnati

sub ritu dupl. min.; itemque in eadem Civitate et Dioecesi die 24 Septembris occurrit Festum S. Terentii Mart. Patroni principalis Civitatis et Dioecesis sub ritu duplici primae classis celebrandum, et eadem die ab universali Ecclesia fit Officium B. M. V. de Mercede sub ritu dupl. mai.; a Canonicis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Pisauren. supplicatur pro declaratione infrascripti dubii, nimirum:

An, si supradicta Festa altioris ritus venerint die Sabbati, Officia S. Raymundi et B. Mariae de Mercede sint celebranda die Dominica sequenti, tamquam die propria, vel debeant transferri in feriam proxime non impeditam?

Et S. R. C. respondendum censuit: «Faciendum esse de Officiis de quibus agitur sub diebus respective perpetuo assignatis, etiam in occursu Dominicae». Die 2 Iulii 1712.

2215. PLACENTINA (3848)

Propositis in S. R. C. per Emum et Rmum D. Card. S. Clementis dubiis inter Mansionarios Ecclesiae Collegiatae S. Antonini et Canonicos dictae Collegiatae Civitatis Placentinae, super accessu Canonicorum ad Lectorile exortis, videlicet:

1. An Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Antonini, tempore divinorum Officiorum in Choro, teneantur ab eorum stallis descendere et una cum Beneficiatis dictae Ecclesiae canere ad Lectorile magnum situm in medio Chori quidquid ibi canendum occurrit, etiam accedendo ad dictum Lectorile? et quatenus affirmative,

2. An, quando et in quibus functionibus et quomodo teneantur ad dictum accessum?

S. R. C., utraque parte informante tam voce quam scriptis audita, respondit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 2 Iulii 1712.

2216. CORCYREN. (3851)

Cum ex parte Rmi D. Archiepiscopi Civitatis Corcyren. nomine etiam Capituli et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis pro declaratione infrascriptorum dubiorum apud S. R. C. humillime supplicatum fuerit, nimirum:

1. An in Vesperis semipontificalibus, quibus Episcopus assistit in pluviali et mitra cum quatuor aut sex Canonicis pluviali indutis; cum isti de Sacristia pervenerint processionaliter ante Altare maius, et Episcopus genuflexerit in faldistorio duobus Canonicis cum cotta hinc inde assistentibus; ipsi Canonici parati in pluviali debeant et ipsi genuflexi in plano Cappellae post Episcopum et cum Episcopo orare?

2. An iidem Canonici parati, sedente Episcopo in Sede episcopali, sedere debeant in scamnis sive podiis, coram Altare vel coram Episcopum?

3. An prima antiphona ex praescripto Caeremonialis debeat praeintonari Episcopo a Canonico digniori post Dignitates, vel a Magistro scholastico: aliis vero Canonicis ab eo ad quem spectet de consuetudine Ecclesiae, sed non ab eodem qui Episcopo praeintonavit?

4. An iidem Canonici parati, dum Episcopus thurificat Altare ad Canticum *Magnificat,* stare debeant in plano Cappellae ante idem?

S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. «Canonicos debere orare in suis locis in Choro, non post Episcopum».

Ad 2. « Debere sedere in stallis Canonicorum ».

Ad 3. « Antiphonas debere praeintonari ab eodem, tam Episcopo quam Canonicis ».

Ad 4. « Manere debent in propriis stallis, dum ab Episcopo thurificatur Altare».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 8 Aprilis 1713.

2217. FUNDANA. (3852)

Orta inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Fundanae nec non Archipresbyterum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Platea et Confraternitatem a *Morte* nuncupatam in eadem Fundana Civitate controversia: An nimirum Ordinario liceret facultatem concedere, ut praedicta Confraternitas die Dominica infra octavam Corporis Christi Processionem cum delatione SSmi Sacramenti habere posset, et tunc Parochiam Cathedralis Ecclesiae et respective Ecclesiae Collegiatae praedictae spatio viginti passuum attingere, invitis Parochis?

S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. de Abdua respondendum censuit: « Affirmative: et ad mentem; mens autem fuit quod Ordinarius imposterum abstineret a concessione huiusmodi Processionum, quae limites alienae Parochiae quoquomodo pervadant ». Die 8 Aprilis 1713.

2218 LAUSANNEN. (3853)

Cum ad instantiam Rmi D. Episcopi Lausannen. apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicatum fuerit, nempe:

1. An, sicut fit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Lausannen. licet ab haereticis pollutae, ita illius Titulare Festum peragendum sit per Dioecesim?

2. An Festa Fori cum Festis Chori tantum, sed eiusdem ritus, concurrentia utrasque Vesperas integras habere debeant?

3. An quoties fit aqua benedicta toties sal sit exorcizandus; vel adhiberi possit iam in huiusmodi functione exorcizatus et in hunc usum servatus, conformiter Rituali Romano Pauli V de Baptismo administrando?

S. eadem R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 8 Aprilis 1713.

2219. MAIORICEN. (3855)

PRAEEMINENTIARUM.

Cum inter Dignitates Ecclesiae Cathedralis Maioricen. et Canonicos eiusdem Ecclesiae ortae fuerint nonnullae controversiae super eorumdem praeeminentiis, tum in Capitulo tum in Choro aliisque functionibus; iisque ad S. R. C. delatis, concordata fuerint, et ex parte Dignitatum infrascripta dubia proposita, videlicet:

1. An Dignitates Ecclesiae Maioric., quamvis non sint Canonici, habeant locum et vocem in Capitulo in omnibus concernentibus bonum regimen Ecclesiae, exceptis tantum quae concernunt fructus mensae capitularis? et quatenus affirmative,

2. An dictae Dignitates Canonicatum non habentes debeant praecedere in stallo et voto omnes Canonicos in Capitulo?

3. An spectet ad Dignitates gradatim, iuxta eorum ordinem; vel potius ad Canonicos ministrare Sacramenta Episcopo infirmo, eoque defuncto, Officia celebrare?

4. An nolente vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus maioris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes et ceteris expressis in Caeremoniali Episcoporum, signanter lib. 2. cap. 34, prout etiam occasione Processionum SSmi Corporis Christi et similium; dictae functiones maiores expleri debeant per Dignitates gradatim iuxta illorum ordinem; vel potius explendae sint per Canonicos a Capitulo deputandos?

5. An Dignitates cogi possint ad Evangelium canendum, celebrante Canonico vel alio inferiori?

6. An mortuo Episcopo, ante electionem Vicarii Capitularis, spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim; vel potius ad Canonicum antiquiorem, convocare Capitulum?

7. An, Sede Episcopali vacante, spectet ad primam Dignitatem et successive ad alias gradatim celebrare functiones ecclesiasticas in maioribus Festivitatibus, quae, vivente Episcopo, ex dispositione Caeremonialis faciendae sunt per Episcopum; vel potius spectet ad Vicarium Capitularem vel alium Canonicum a Capitulo eligendum?

Et cum S.R.C. alias ad relationem Emi et Rmi Card. de Abdua, partibus tam voce quam scriptis informantibus auditis, respondendum censuerit:

Ad 1. « Dilata ».

Ad 2. « Dilata ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Dilata ».

Ad 7. « Non proposita ».

Nunc ex parte Canonicorum petita et obtenta ab eodem Emo D. Card. de Abdua nova audientia tam super iisdem praedictis dubiis iam resolutis, quam super illis in quibus fuit responsum: « Dilata »;

Eadem S. R. C., auditis iterum informationibus ab utraque parte tam scriptis quam voce deductis, et referente eodem Emo et Rmo D.Card. de Abdua, rescripsit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Satis provisum in primo ».

Ad 3. « In Decisis ».

Ad 4. « In Decisis ».

Ad 5. « In Decisis ».

Ad 6. « Spectare ad primam Dignitatem quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates quae pariter sint Canonici ».

Ad 7. « Spectare ad primam et successive ad alias Dignitates, etiam si non sint Canonici ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 26 Augusti 1713.

2220. BAREN. (3859)

Super iuribus honorificis sive praeeminentiis in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Baren. ex una, atque Confraternitatem SSmi Sacramenti eiusdem Civitatis partibus ex altera, controversiis exortis, ab Emo et Rmo D. Card. de Abdua in S. R. C. infrascriptis dubiis propositis, videlicet:

1. An in Processione quae fit in die Corporis Christi et in alia quae fit infra octavam, nec non etiam in aliis quibuscumque Processionibus quae fiunt infra annum, liceat Confratribus SSmi Sacramenti incedere post Crucem Capituli seu Patriarchae, iunctim seu intermedie cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, sive isti incedant in habitu chorali sive cum pluvialibus, attenta praetensa consuetudine?

2. An idipsum liceat eidem Confraternitati in associatione cadaverum, attenta praetensa consuetudine? et quatenus negative,

3. An liceat Confraternitati in omnibus praedictis Processionibus non invitare dictum Capitulum et Canonicos?

4. An in qualibet ex dictis Processionibus requiratur consensus et licentia Capituli sive Archiepiscopi?

5. An in anniversariis quae fiunt pro animabus Confratrum, praesente Capitulo, possint iidem Confratres sedere in banco posito in medio Chori a duobus eius lateribus, attenta praetensa consuetudine?

6. An Feria V et VI maioris Hebdomadae possint iidem Confratres assistere functionibus sedendo in stallis Canonicorum, Canonicis sedentibus in medio eiusdem Chori ab utroque latere, et Archiepiscopo sedente in medio pontificaliter induto, attenta praetensa consuetudine?

7. An in die Corporis Christi et octava possint iidem Confratres habere sedem seu locum retro Altare maius eiusdem Cathedralis, attenta praetensa consuetudine?

Cum S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis informante audita, alias rescripserit: « Ad mentem », et mens fuerit, ut scriberetur Rmo D. Archiepiscopo qui curaret partes componere; cumque Confraternitas praedicta huiusmodi rescripto minime aquieverit, ab eodem Emo et Rmo D. Card. de Abdua suprascripta dubia inter partes concordata iterum decidenda proposita fuerint;

S. eadem R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1, 2 et 3. « Negative ».

Ad 4. « Requiri licentiam Archiepiscopi tantum ».

Ad 5, 6 et 7. « Negative; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 23 Septembris 1713.

2221. MEDIOLANEN. (3860)

Cum in Ecclesia Collegiata S. Nazarii Maioris Civitatis Mediolani, in qua Canonici vicissim obligationem habent inserviendi Praeposito dictae Collegiatae diebus Dominicis aliisque solemnioribus anni festivitatibus in officio Diaconi et Subdiaconi, abusus irrepserit nonnullos ex illis Ordinis Subdiaconalis, quin dicto Ordine sint insigniti, officium Subdiaconatus exercendi, utendo Dalmatica absque tamen manipulo; nunc ex parte Marci Mariae Barbavarae Praepositi Ecclesiae praedictae in S. R. C. infrascripta dubia inter partes concordata proposita fuerunt:

1. An Canonici insignis Collegiatae Ecclesiae S. Nazarii Mediolani in Minoribus Ordinibus constituti exercere valeant officium Subdiaconi, ministrando solemniter celebranti induti Dalmatica aliisque sacris vestibus, sed absque manipulo? et quatenus negative,

2. An teneantur recipere Ordinem Subdiaconatus?

Et S. R. C., partibus informantibus auditis, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Corradini, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Ad Sacram Congregationem Concilii ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 23 Septembris 1713.

2222. SENOGALLIEN. (3861)

Inter Confraternitates aliaque Loca Pia tam Saecularium quam Regularium Civitatis Senogallien. ex una, atque Confraternitates S. Iosephi et Caritatis ac Magistratum eiusdem Civitatis partibus ex altera, super elevatione sedilis dum idem Magistratus functionibus ecclesiasticis intervenit, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. S. Clementis infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An liceat Confratribus Societatis S. Iosephi et Caritatis in eorum Ecclesia elevare sedile Magistratus? et quatenus affirmative,

2. An liceat in Ecclesiis tam aliarum Confraternitatum quam Regularium consimilem elevationem facere? et quatenus negative,

3. An Magistratus teneatur accedere ad Ecclesias dictarum Confraternitatum et Regularium in festivitatibus (in quibus est solitus intervenire) solitasque oblationes in eis facere?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 23 Septembris 1713.

2223. CATANIEN. (3863)

Proposito in S. R. C. nomine Ioannis Baptistae Musmecii Ecclesiae Collegiatae Oppidi Arcis Regalis Catanien. Dioecesis Caeremoniarum Magistri supplici libello, et in eo simul dubio: An in novemdiali ante Nativitatem Domini, liceret in eadem Ecclesia Missam de B. Virgine, ad quam ex voto Magistratus praedicti Oppidi se obligavit, solemniter canere, etiam die Dominica et in Festo S. Thomae Apostoli?

S. R. C. respondit: « Cantari posse ac debere Missam praedictam cum *Gloria* et *Credo*, etiam in diebus enunciatis instar Missarum votivarum pro re gravi, non omissa tamen in eadem Ecclesia Missa Conventuali ». Die 9 Decembris 1713.

2224. PLACENTINA. (3864)

Cum alias in causa Placentina super iure peragendi functiones inter Comitem Fridericum Scottum Praepositum Ecclesiae Collegiatae et parochialis S. Mariae in Galliverto Civitatis Placentinae ex una, et Congregationem Oratorii S. Philippi Nerii partibus ex altera, controversiis exortis, referente Emo et Rmo D. Card. Ptolomeo, S. R. C. rescribendum censuerit: « Dilata; et adducendas esse Constitutiones synodales »; his modo exhibitis, idem Emus Ponens infrascripta dubia iterum decidenda proposuit:

1. An Prior et Officiales pro tempore Congregationis S. Philippi Nerii possint in eorum Oratorio facere publicas expositiones cum SSmo Eucharistiae Sacramento, dare cum Eo benedictionem super populo, ac exponere publicae venerationi Reliquias et Sanctorum Imagines; atque celebrare Missas solemnes, praecipue diebus Festis dictae Congregationis et in suffragium defunctorum ac facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis, independenter a Praeposito Parocho?

2. An possint, statis horis, cum vel sine cantu dicere Horas Canonicas, independenter ut supra?

3. An possint Episcopo vel Magnatibus accedentibus ad Oratorium porrigere aspersorium, independenter ut supra?

4. An possint habere publicas conciones cum licentia tantum Ordinarii?

5. An possint facere Processiones extra ambitum Oratorii cum licentia Praepositi Parochi?

6. An possint administrare oblationes et eleemosynas, ac capsulae pro illis recipiendis clavem retinere, et de bonis propriis disponere, independenter ut supra?

7. An possint retinere Sedem confessionalem ad publice audiendas Confessiones fidelium utriusque sexus, independenter ut supra?

Et S. R. C., omnibus mature perpensis et partibus hinc inde tam voce quam scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem dubii circa expositionem SSmi Sacramenti, Imaginum et Sacrarum Reliquiarum, Affirmative, de licentia Episcopi; quoad secundam vero partem circa Missas et Officium funebre super cadaveribus defunctorum, Negative ».

Ad 2. « Affirmative, servata forma Constitutionis synodalis ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative, iuxta proprium institutum ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. « Affirmative de licentia Episcopi ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 10 Martii 1714.

2225. SPOLETANA. (3869)

Remissis nuper ab Auditore SSmi ad S. R. C. controversiis inter Parochos Castri

Crucis et Villae Orvani Spoletanae Dioecesis ex una, et Petrum Buccettum Plebanum Terrae Fematris ac Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Spoleti partibus ex altera, Emus et Rmus D. Card. Priolus in S. R. C. infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Parochi Castri Crucis et Villae Orvani teneantur accedere ad Processionem SSmi Corporis Christi quae fit in Villa Fematris?

2. An liceat Parocho S. Crucis facere Processionem in die Festivitatis SSmi Corporis Christi cum interventu aliorum Sacerdotum incedere volentium?

3. An liceat Parocho Castri Orvani facere Processionem in die Dominica infra octavam eiusdem Solemnitatis?

4. An electio Cappellani in Ecclesia B. M. dicta *dell' Eremita,* sita in Territorio Crucis, libere spectet ad homines Castri Crucis villae Orvani ac Fematris, ita ut electio fieri possit de Sacerdote aliorum locorum? (1)

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative; et servetur Decretum Episcopi ».

Ad 3. « Ad mentem ». Et mens est « quod usque dum Ecclesia non habeat paramenta et alia decentia requisita ab Episcopo, non liceat in ea facere Processionem ».

Ad 4. « Affirmative ».

Et ita decrevit. Die 21 Aprilis 1714.

2226. NOVARIEN. (3870)

Super modo recipiendi a Canonicis Regularibus Lateranensibus S. Mariae Gratiarum Civitatis Novariae Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis una cum Decurionibus Civitatis praedictae in Festo Nativitatis B. M. V., ad Ecclesiam dictorum Canonicorum Regularium accedentes, ortis controversiis, iisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. S. Vitalis infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An accedentibus processionaliter una cum Cruce et Clero atque Decurionibus Civitatis, Capitulo et Canonicis Cathedralis ad Ecclesiam S. M. Gratiarum in Festo Nativitatis B. M. V., teneantur Canonici Regulares Lateranenses dictae Ecclesiae recipere dictum Capitulum et Canonicos? et quatenus affirmative,

2. In quo loco dictae Ecclesiae teneantur recipere et quousque, tam in accessu quam in recessu associare; et an collegialiter et cum superpelliceo vel sine superpelliceo teneantur?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, respondit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Dilata, et concedantur literae Remissoriales; et interim, per modum provisionis, sine praeiudicio iurium ambarum partium, recipiant in ingressu, et associent in regressu eodem modo Capitulum et Magistratum ».

Et ita decrevit. Die 18 Augusti 1714.

2227. URBIS SEU ROMANA (3871)
IURIUM ET PRAEEMINENTIARUM.

Super iure deferendi Crucem et Stolam per Sacristam sive Cappellanum Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae, occasione associationis cadaveris in dicta Ecclesia tumulandi, inter Parochum SS. Quirici et Iulitae ex una, atque Capitulum et Canonicos eiusdem Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae Urbis partibus ex altera, nuper ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia inter partes concordata ab Emo et Rmo Dom. Card. Origo proposita fuerunt:

1. An in associatione cadaverum quae humanda deferuntur ad Ecclesiam S. Anastasiae sit eius Crux erigenda?

2. An in eadem associatione possit eiusdem Ecclesiae Sacrista seu Cappellanus cum Stola una cum Parocho defuncti, saltem ad sinistram, incedere?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter sub die 9 Augusti 1681, favore eiusdem Ecclesiae S. Anastasiae, respondendum censuit:

Ad 1 et 2. « Affirmative ». Die 18 Augusti 1714.

Decretum datum die 9 Augusti 1681, est ut sequitur:

Instantibus Capitulo et Canonicis vetustissimae Collegiatae Ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, Sacra Rituum Congregatio, inhaerendo Decretis alias editis, declaravit: « In

(1) E. Dub. 5 et 6.

associatione cadaverum quae humanda deferuntur ad eamdem Ecclesiam ipsius Crucem erigendam esse; et eiusdem Sacristam seu Cappellanum cum Stola incedere, et in ipsa Ecclesia circa praedicta cadavera officium et absolutionis caeremoniam peragere debere ». Et ita servari mandavit.

2228. URBIS ET ORBIS. (3873)

Cum occasione Missalis typis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide summa cura ac diligentia novissime impressi et prope diem publico usui exponendi, apud S. R. C. enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla eiusdem S. C. Decreta, iam alias edita et approbata, in praedicto novo Missali summatim apponi et imprimi benigne concedere dignaretur, videlicet:

Missae pro defunctis sive de Requiem in Festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debeant. Quod si ex benefactorum institutione Missae huiusmodi celebrandae incidunt in Festum duplex; tunc, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, iuxta mentem eorumdem benefactorum. Datum die 5 Augusti 1662 et approbatum a fel. rec. Alexandro VII eadem die.

Praedictum Decretum ab eodem fel. rec. Alexandro VII speciali Brevi, quod incipit: *Credite nobis*, denuo fuit confirmatum; ac insuper statutum idem servandum esse quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, et Indulgentias per huiusmodi privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum.

Deinde fel. rec. Clemens IX Sacrae Congregationis Decreta alio Brevi, cuius initium: *Cum felicis recordationis etc.*, iterum confirmavit; praedictamque Alexandri VII dispositionem ad Altaria non in perpetuum, sed ad septemnium seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed in aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quandocumque privilegiata, extendit die 23 Septembris 1669, approbando Decretum eiusdem S. C. 20 Iulii 1669.

Tandem proposito dubio: An supradictae Alexandri VII et Clementis IX declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis et infra octavam Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi aliisque anni diebus, quibus, licet a Festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missae defunctorum iuxta ritum Ecclesiae celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missae, quas iisdem diebus celebrare licet, servata ceteroquin privilegiorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur; eadem S. R. C. die 3 Aprilis 1688 praedictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus iuxta Rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit; eiusque Decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio PP. XI speciali Brevi, quod incipit: *Alias postquam*, dato die 4 Maii 1688.

Decretum a S. R. C. anno 1630 editum, quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora vel Reliquiae insignes in eisdem asservantur, intelligendum est dumtaxat de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis eorumdem vel insignis Reliquiae, secus vero de Sanctis in eodem Martyrologio non descriptis. Quorum tamen Corporibus et Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis, debita a fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque Officio et Missa sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium aliisque in Constitutione S. Pii V contentis. Datum die 11 Augusti 1691, et approbatum a fel. rec. Innocentio XII die 19 Octobris eiusdem anni.

Ad augendam fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, eiusque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibitum est celebrare Missas votivas vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi. Datum die 21 Iunii 1670, eodemque die a fel. rec. Clemente IX approbatum.

Item prohibitum est easdem Missas celebrare infra octavam Nativitatis Domini. In Missis vero solemnibus pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis, dicenda est Praefatio iuxta Rubricam Generalem Tit. XII, num. 4. Datum die 25 Septembris 1706, et iam a SSm̃o approbatum.

Re vera in S. R. C. ad relationem Em̃i et Rm̃i Dom. Card. Barbarini pluries discussa et mature perpensa, S. eadem R. C.: « Praedicta Decreta, tum ut Celebrantium instructioni et usui sint, tum ut nonnulli abusus qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post Rubricas Gene-

rales apponi et imprimi posse censuit, si SSmo Dom. Nostro visum fuerit ». Die 15 Septembris 1714.

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de praedictis SSmo Dom. Nostro relatione, Sanctitas Sua: « Sensum S. C. approbavit, eademque Decreta in Missali apponi et imprimi mandavit ». Die 29 Septembris eiusdem anni 1714.

2229. COMEN. (3874)

Referente Emo et Rmo Dom. Card. de Abdua in causa Comen. iurium parochialium seu praeeminentiarum super controversiis exortis inter Parochum, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Euphemiae Insulae ex una, atque Deputatos Ecclesiae B. M. V. de Succursu Insulae, eiusque Cappellanum Dioecesis Comen. partibus ex altera, et propositis infrascriptis dubiis:

1. An Ecclesia B. M. de Succursu, sita intra limites Parochiae Insulae, seiuncta tamen a Parochiali, habeat aliquam dependentiam in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus a Parocho, vel a Capitulo Collegiatae S. Euphemiae Insulae praedictae? et quatenus negative,

2. An celebratio Missae cantatae in diebus Sabbati, festivis aliisque infra annum, spectet ad Cappellanum dictae Ecclesiae?

3. An Episcopo accedenti ad dictam Ecclesiam porrigendum sit aspersorium a Cappellano vel potius a Parocho?

4. An possit Archipresbyter Parochus, vel alius de dicto Capitulo, retinere clavem capsulae expositae in dicta Ecclesia de Succursu pro recipiendis eleemosynis?

S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, exceptis functionibus expressis in Synodo Turriani ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Porrigendum a Cappellano ».

Ad 4. « Affirmative ».

Et ita decrevit. Die 24 Novembris 1714.

2230. CAMERINEN. (3877)

PRAEEMINENTIARUM.

Ad sedandas controversias iamdiu excitatas inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Venantii partibus ex altera, super nonnullis praeeminentiis ab utraque parte praetensis, Emus et Rmus Dom. Card. Casinus infrascripta dubia in S. R. C. declaranda proposuit:

1. An Priori Collegiatae Ecclesiae S. Venantii, occasione accessus capitulariter ad Ecclesiam Cathedralem, debeatur locus in Presbyterio eiusdem Cathedralis? et quatenus affirmative,

2. An eidem Priori debeatur praecedentia ante Praepositum aliosque Canonicos eiusdem Cathedralis, tam praesente quam absente Archidiacono prima Dignitate eius Cathedralis?

3. An idem locus in dicto Presbyterio debeatur etiam Canonicis eiusdem Collegiatae infra locum Canonicorum Cathedralis et in linea aequali?

4. An et qui locus debeatur Priori S. Venantii, absente Archidiacono Cathedralis, in Processionibus aliisque actibus, in quibus incedere solet utrumque Capitulum, et Prior S. Venantii incedit a sinistris Archidiaconi, ipso praesente et interessente?

5. An Archidiaconus habeatur pro praesente quando assistit Episcopo celebranti, vel assistentiam praestat eidem in Processionibus etiam SSmi Corporis Christi, ita ut Prior S. Venantii debeat praecedere Praepositum Cathedralis?

6. An ministrare naviculam Episcopo ponenti thus in thuribulo in Collegiata Ecclesia, in Processionibus in quibus intervenit Capitulum Cathedralis et Episcopus non assistit in Pontificalibus, spectet ad Digniorem ex Capitulo Cathedralis; vel ad Priorem aliumve digniorem ex Capitulo Collegiatae?

7. An Parochus Collegiatae in Processionibus, in quibus intervenit utrumque Capitulum, incedere debeat a sinistris Parochi Cathedralis, etiam cum Stola?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et tam scriptis quam voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative, praesente Archidiacono; Negative vero, absente ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Satis provisum in secundo ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 7. « Affirmative; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 11 Maii 1715.

2231. SEPTEMPEDANA. (3878)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Septempedanae ex una, et Communitatem ac Magistratum eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Magistratus et Consul Septempedae, absente Domino Gubernatore, accedere debeant in Festivitatibus solemnibus ad ianuam cubiculi, vulgo *Anticamera*, palatii episcopalis, et ibidem recipere; necnon associare Episcopum cappa indutum accedentem ad Ecclesiam, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi, atque eumdem recedentem associare ad ianuam maiorem eiusdem palatii?

2. An Magistratus et Consul teneantur accedere ad ianuam secretam palatii adiacentem Choro Cathedralis, et ibidem recipere Episcopum indutum cappa, Capitulo et Clero associante, ad effectum pontificaliter celebrandi vel solemniter assistendi?

3. An Magistratus et Consul stantes in Ecclesia teneantur usque ad ianuam eiusdem Ecclesiae obviam ire Episcopo habitu episcopali Ecclesiam ingredienti; et eumdem recedentem associare ad eamdem ianuam Ecclesiae?

4. An Magistratui et Consuli liceat in Processionibus aliisque sacris functionibus incedere pari gradu cum Episcopo; seu potius Episcopus solus praeire debeat?

5. An Magistratui et Consuli liceat genuflectere in eodem genuflexorio una cum Episcopo cappa induto?

6. An Magistratui et Consuli Septempedae debeatur reverentia seu salutatio a Sacerdote celebrante post expletum Evangelium S. Ioannis, et antequam ab Altari idem Sacerdos recedat?

7. An liceat Episcopo retinere in Ecclesia Cathedrali Thronum cum quatuor gradibus?

8. An liceat eidem Episcopo addere secundum gradum altitudinis unius cubiti circiter subtus Sedem, umbella seu baldachino ornatam, in qua sacris concionibus in Ecclesia Cathedrali solet assistere?

9. An liceat eidem Episcopo retinere unum aut plures gradus subtus faldistorium?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; sed teneri usque ad scalam palatii episcopalis, iuxta solitum: quo vero ad secundam partem, Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Licere retinere Thronum cum tribus gradibus et suppedaneo ».

Ad 8. « Licere retinere unum gradum cum suppedaneo ».

Ad 9. « Posse Episcopum, in casu de quo agitur, retinere parvum tabulatum subtus faldistorium ad formam Caeremonialis ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 11 Maii 1715.

2232. URBIS (3879)

SEU ROMANA.

Super iure porrigendi aspersorium in Festo S. Pantaleonis, tam Emo Titulari quam aliis Emis Cardinalibus ad Ecclesiam S. Pantaleonis accedentibus, inter Patres Congregationis Matris Dei Scholarum Piarum ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Eustachii Urbis, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An, accedente Emo Dom. Cardinali Titulari ad Ecclesiam S. Pantaleonis in die festo eiusdem Sancti, tempore quo Canonici S. Eustachii capitulariter existunt in eadem Ecclesia vel intersunt Vesperis et Missae cantatae, Canonici debeant excipere eumdem Cardinalem Titularem, et pertineat ad digniorem de Capitulo, porrigere aspersorium ipsi Emo Titulari; vel potius ad RR. PP. Matris Dei Scholarum Piarum? et quatenus affirmative ad primam partem,

2. An idem servandum sit quoad ceteros Emos Dom. Cardinales ad praedictam Ecclesiam pariter dicto tempore accedentes?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; et Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Satis provisum in primo ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 6 Iulii 1715.

2233. SARNEN. (3882)

Super iure praecedendi in Processionibus ceterisque functionibus ecclesiasticis inter Seminarium Civitatis Sarni et Capitulum Ecclesiae Cathedralis, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei eiusdem Civitatis, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Albanus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An in Processionibus ceterisque functionibus ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei Sarni; vel potius Seminario eiusdem Civitatis? et quatenus negative quoad primam, affirmative quoad secundam partem,

2. An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo et Canonicis, quotiescumque praefatum Capitulum et Canonici incedant sub Cruce Cathedralis?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam, quando Canonici Collegiatae incedunt sub diversa Cruce ».

Ad 2. « Affirmative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Februarii 1716.

2234. CAIACEN. (3883)

Habito per P. Procuratorem Generalem Montis Virginis ad S. R. C. recursu adversus Parochum Terrae Formiculae Dioecesis Caiacen., super controversa iurisdictione pulsandi in triduo Passionis per totam praedictam Terram tabulam, vulgo *troccola*, ad effectum convocandi populum ad divina Officia, ipsi tantum competere praetendentem; et huiusmodi controversia ad S. R. C. ex parte Patrum Congregationis Montis Virginis proposita pro declaratione: An Patribus Monasterii S. Spiritus dictae Congregationis commorantibus in Terra Formiculae licitum sit in triduo Passionis per totum circuitum dictae Terrae cum tabula, vulgo *la troccola*, convocare populum ad divina Officia?

S. R. C., Parocho supradictae Terrae pluries intimato et nequaquam comparente, visisque tamen iuribus hinc inde coram Ordinario Caiacen. deductis et ad S. R. C. transmissis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Martii 1716.

2235. TROPIEN. (3884)

Inter Episcopum Tropien., Archidiaconum Antonium Pelliccia, Ignatium de Trancia Decanum et alios Ecclesiae Civitatis Tropien., super nonnullis functionibus ecclesiasticis peragendis aliisque iuribus praeeminentialibus, controversiis exortis eisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Dom. Cardinalis S. Clementis infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An celebratio Missae solemnis et intonatio hymni *Te Deum laudamus*, occasione natalis Regis, publicationis pacis, reportatae victoriae et similium, Episcopo non celebrante, spectent ad Decanum primam Dignitatem; vel liberum sit Episcopo alteri ex Dignitatibus vel Canonicis dictas functiones supplendas demandare?

2. An eidem Decano dictas functiones solemnes facienti vel alias solemniter in diebus pontificalibus celebranti, debeantur privative quoad alios Canonicos et etiam Dignitates, Casula, alia sacra indumenta et cetera necessaria ad Missae Sacrificium cum magnis pulvinaribus, tapete, cereis distinctis, tam in Altari quam in candelabris deferendis a ceroferariis, abacum in Presbyterio cum assistentia Presbyterorum antiquiorum in munere Diaconi et Subdiaconi, omnia pretiosiora et distincta ab aliis quibus utuntur dicti Canonici et Dignitates solemniter celebrantes?

3. An eidem Decano cantanti Vesperas solemnes debeatur assistentia sex Presbyterorum antiquiorum et pluviale distinctum et pretiosius eo quo utuntur praedicti Canonici et Dignitates, privative quoad dictos Canonicos et Dignitates solemniter pariter dictas Vesperas cantantes? et quatenus affirmative quoad omnia,

4. An haec omnia debeantur Decano, praesente et assistente non tamen celebrante Episcopo?

Et S. R. C., partibus tam voce quam scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Satis provisum; et amplius ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 21 Martii 1716.

2236. FERRARIEN. (3888)

Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Ferrarien. recusantibus in Processione SSmi Corporis Christi sacris paramentis albis iuxta proprii Ordinis gradum incedere, in eo casu quo Emus Episcopus sit impeditus deferre SSmum Eucharistiae Sacramentum, ortisque super praemissis inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis ex una, et Capitulum praedictae Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, controversiis, iisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Dom. Card. Nuptius infrascriptum dubium decidendum proposuit:

An Canonici et Dignitates Ecclesiae Cathedralis Ferrariae teneantur incedere induti sacris paramentis albis iuxta proprii Ordinis gradum in Processione SSmi Corporis Christi, etiamsi Emus Episcopus sit impeditus deferre SSmum Sacramentum?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce audita, rescribendum censuit: « Teneri ad interessendum cum indumentis sacris ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1716.

2237. HORTANA. (3889)

Existente in Terra Suriani Hortanae Dioecesis Ecclesia parochiali sub titulo S. Nicolai, cuius regimen et animarum cura administratur a quatuor Sacerdotibus, nempe a Curato Decano aliisque tribus Curatis, qui omnes diebus Sabbati et Dominicae in propriis stallis, iuxta eorum antianitatem sedentes, Choro inserviunt et in solemnioribus Festis Missam solemnem celebrant; atque inter tres Curatos Ecclesiae parochialis S. Nicolai supradictae Terrae ex una, et Curatum Decanum supradictae Ecclesiae partibus ex altera, super iure deferendi Stolam et pluviale ac sedendi in primo stallo Chori, occasione qua memorati tres Curati officium Hebdomadarii gradatim peragunt, ortis controversiis, illisque ab Auditore SSmi ad S. Rituum Congregationem pro voto remissis, Emus et Rmus Dom. Card. Gualterius infrascripta dubia inter partes concordata proposuit:

1. An curato Hebdomadario Ven. Ecclesiae parochialis Terrae Suriani liceat in dicta Ecclesia in Missa et Horis Canonicis incedere, stare et sedere, induto cum Stola et pluviali?

2. An eidem Hebdomadario sic induto liceat incedere, stare et sedere in digniori loco vel stallo quod occupat etiam quando non fungitur officio Hebdomadarii?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis ac tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: « Detur Decretum in causa Aretina sub die 24 Ianuarii 1688 » tenoris sequentis, videlicet:

Aretina. Die 24 Ianuarii 1688: Reproposita Causa Aretina praecedentiae ab Emo et Rmo Dom. Card. de Lauraea ad instantiam Praepositi cum aliquibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae Parochialis S. Agathae de Asciano; S. R. C., auditis iuribus ex noviter deductis, stetit in decisis sub die 13 Iunii et 28 Novembris 1682, et 2 Octobris 1683. Ac insuper declaravit: « Hebdomadario deberi praecedentiam sive cum paramentis sit sive absque eis ».

Et ita in causa Hortana servari mandavit. Die 12 Septembris 1716.

2238. ORDINIS (3890)
MINORUM OBSERVANTIUM
S. MONTIS SION.

Humillimis precibus P. Laurentii a S. Laurentio olim S. Montis Sion Guardiani totiusque Terrae Sanctae Custodis S. R. C. porrectis, et ab Emo et Rmo Dom. Card. de Abdua relatis;

S. eadem R. C.: « Ex gratia speciali benigne indulsit atque concessit, ut in novemdialibus quae ex immemorabili consuetudine a PP. Ordinis Minorum Observantium Civitatis Bethleem ad Praesepe Domini ante Festum Nativitatis D. N. I. C. celebrantur cum expositione SSmi Sacramenti, imposterum Missa solemnis votiva B. M. V. cum *Gloria* et *Credo,* ac Orationibus SSmi Sacramenti, pro Papa, Imperatore ac Principibus Christianis, a praedictis Patribus eiusdem Civitatis, etiam in diebus Dominicarum Adventus et S. Thomae, ad Praesepe Domini Nostri celebrari possit et valeat ». Die 12 Septembris 1716.

2239. POLICASTREN. (3892)

Exposito penes S. R. C. ex parte Cleri Ecclesiae matricis Terrae S. Ioannis ad Pyrum Dioecesis Policastren. quod Franciscus Provenzale et Scipio Ursaya eiusdem Terrae, qui antea erant de numero participantium supradictae Ecclesiae, et postmodum ad Canonicatum Ecclesiae Cathedralis promoti, dum in dicta Terra ob suppositam

aeris intemperiem diu commorantur, vigore primaevae aggregationis, praetensionem habuerunt deferendi habitum canonicalem ac praecedendi in omnibus ecclesiasticis functionibus, quae tam intra dictam Ecclesiam quam in Processionibus extra eamdem peraguntur; ortisque super praemissis inter Archipresbyterum, Cantorem et Clerum Ecclesiae matricis Terrae praedictae ex una, et Franciscum Provenzale ac Scipionem Ursaya Canonicos Ecclesiae Cathedralis Policastren. partibus ex altera, controversiis, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Canonicis Cathedralis Policastren., existentes in locis Dioecesis uti singuli, possint assumere habitum canonicalem?

2. An in Ecclesiis dictae Dioecesis praetendere possint locum et praecedentiam?

Et S. R. C., Canonicis Ecclesiae Cathedralis praedictae pluries citatis et nequaquam comparentibus, visisque tamen iuribus ex parte Archipresbyteri et Cleri Ecclesiae matricis Terrae S. Ioannis ad Pyrum, eorumque Procuratore tam scriptis quam voce informante audito, rescribendum censuit: « Negative ad utrumque ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 12 Septembris 1716.

2240. DECRETUM GENERALE. (3893)

Cum Festum SSmae Annuntiationis sequenti anno 1717 incidat in Feriam V maioris Hebdomadae a nonnullis quaesitum fuit: An praeceptum audiendi Missam et vacandi ab operibus servilibus ad Feriam II post Dominicam in Albis (in qua, iuxta Decretum S. R. C. die 12 Februarii anno 1690 editum, idem Festum celebrari debet) sit transferendum; an vero servandum sit in ipsa Feria V maioris Hebdomadae, et per locorum Ordinarios providendum ut eo die aliquae Missae privatae ante Conventualem pro praecepti adimplemento celebrentur?

S. R. C., re mature discussa, censuit: « Praeceptum audiendi Missam et abstinendi a servilibus non esse transferendum, sed omnino servandum esse in ipsa Feria V maioris Hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum providendum ut eo die pro Civitatum et Pagorum qualitate ac Christifidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae ante celebrationem Missae Conventualis pro praecepti adimplemento celebrandae non desint; sed tamen antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia SSmae Eucharistiae Sacramenti institutionem et memoriam recolit, summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur ». Et ita declaravit ac Decretum huiusmodi publicari et imprimi mandavit, si SSmo Domino Nostro visum fuerit. Die 12 Septembris 1716.

Factaque per me Secretarium de praedictis eidem SSmo D. N. relatione, « Sanctitas Sua benigne annuit ».

Die 27 Septembris 1716.

2241. SEGOBRICEN. (3895)

Cum vigore legis in Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 22, § 13, de Matutinis Tenebrarum Feriae V et VI maioris Hebdomadae praescriptae, a Rmo Episcopo Segobricen. usque ab anno 1713 mandatum fuerit ut Gubernator illius Civitatis, sub poena censurarum, imposterum abstineret a serico et nigro pulvinari hactenus ab ipso in Feria V et VI maioris Hebdomadae in Cappella maiori Ecclesiae Cathedralis, tam praesente quam absente Episcopo, ab immemorabili ut praetenditur retento; et quamvis idem Gubernator, super comminatione censurarum ad Metropolitanum recursum iam habuerit; nunc ex parte moderni Episcopi, unanimi ipsiusmet Gubernatoris consensu, delata ad S. R. C. huiusmodi controversia, pro declaratione infrascripti dubii enixe supplicatum fuit:

An Gubernatori Urbis Segobricen., Duci Medina-Coeli, liceat Feria V et VI maioris Hebdomadae habere usum pulvinaris serici et nigri, sive praesente sive absente Episcopo, in Cappella maiori Cathedralis Ecclesiae dictae Civitatis Segobricae?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Gualterii, tam voce quam scriptis Procuratore Gubernatoris Civitatis Segobricen. informante audito, ac mature perpensis iuribus favore Gubernatoris deductis, rescribendum censuit: « Non decere ». Die 5 Decembris 1716.

2242. SORANA. (3896)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis, Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Soranae ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae nec non Capitulum et Canonicos Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis partibus ex altera, super iure tam assistendi

Episcopo in omnibus Pontificalibus, quae in Ecclesia Cathedrali peraguntur, quam etiam accedendi ad omnes publicas et votivas Processiones eiusdem Civitatis, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Archipresbyter et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis Sorae intervenire et assistere debeant omnibus functionibus Pontificalibus ab Episcopo celebrandis in Ecclesia Cathedrali?

2. An idem Archipresbyter et Canonici teneantur intervenire Processionibus publicis et votivis dictae Civitatis Soranae? et quatenus affirmative,

3. An ad eamdem assistentiam teneantur etiam Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Pro nunc teneri ad Processiones tantum ».

Et ita declaravit. Die 5 Decembris 1716.

2243. EUGUBINA. (3902)

Inter Confratres Confraternitatis SSmi Sacramenti erectae in Ecclesia archipresbyterali et parochiali S. Ioannis Baptistae Terrae Fractae Dioecesis Eugubinae ex una, atque Gasparem Manciarellum Archipresbyterum et Parochum praedictae Ecclesiae partibus ex altera, ortis controversiis illisque ab Auditore SSmi, praevia avocatione causae ab A. C., ad S. R. C. remissis, Emus et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An ius celebrandi Missam sive solemnem sive minus solemnem vel Conventualem singulis tertiis Dominicis cuiuslibet mensis, nec non Missam solemnem pro gratiarum actione III Dominica mensis Novembris, quae ex instituto canere faciunt Priores et Confratres Societatis SSmi Corporis Christi in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Terrae Fractae parochiali ubi eadem Societas est erecta, nec non ius successive iisdem diebus ducendi Processionem et in ea ferendi SSmum Sacramentum, ac cum eo populum benedicendi, privative spectet ad Parochum Archipresbyterum; seu potius ius omnia praedicta peragendi spectet ad Cappellanum dictae Societatis?

2. An ius celebrandi Missam sive lectam sive cantatam et canendi Vesperas in dicta Ecclesia ac ducendi Processionem alterius Societatis SSmi Rosarii pariter in eadem Ecclesia erecta, prima Dominica cuiuslibet mensis, privative spectet ad eumdem Parochum; sive potius ad Cappellanum?

3. An, renuentibus Prioribus, Sacristis, Officialibus et Confratribus cani facere praedictis diebus Missas, de quibus supra, atque eisdem Missis et functionibus assistere, possit Parochus eos cogere?

4. An itidem, renuentibus dictis Confratribus subministrare solitam ceram pro Altari ubi Missae et functiones, de quibus supra, explentur, nec non assistere cum cereis accensis occasione elevationis et delationis SSmi Sacramenti, possit Parochus eos cogere ad assistendum, et ceram subministrandam?

5. An ius statuendi horam pro explendis tam dictis functionibus quam aliis occasione quarumcumque Festivitatum ordinariarum et extrordinariarum, in dicta Ecclesia celebrandarum, spectet ad dictum Parochum; sive potius ad dictos Priorem et Confratres, sive eorumdem Cappellanum?

6. An in diebus Dominicis et aliis Festivitatibus de praecepto, possint dicti Priores et Officiales celebrari facere in dicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae per eorum Cappellanum vel alios Sacerdotes Missas privatas, ante Missam parochialem lectam vel cantatam, sive huius celebratione durante, sine licentia dicti Parochi?

7. An Sacerdotes, qui volunt ob eorum devotionem celebrare in dicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae vel divina Officia peragere, possint hoc facere cum sola licentia Priorum et Confratrum; sive potius ius dandi dictam licentiam spectet ad dictum Parochum?

8. An et cui debeantur reliquiae cerarum, quae supersunt post expleta Officia Missarum, quae benefactores adventitii celebrare faciunt in dicta Ecclesia sive quae celebranda sunt ex particulari obligatione?

9. An ius concedendi licentiam dictis benefactoribus adventitiis pro celebratione Missarum, Officiorum sive Festivitatum, quae aliquando occurrere possunt, spectet ad Priores dictae Societatis SSmi Corporis Christi; vel potius ad eumdem Parochum?

10. An Confratres praedicti possint Parocho prohibere usum Altarium, in quibus Confraternitates sunt erectae, et ad dictum effectum illa spoliare solitis et quotidianis

suppellectilibus ac ornamentis, ad impediendum tam dictas functiones ordinarias, quam alias extraordinarias, arbitrio dicti Parochi faciendas?

11. An iidem Priores possint prohibere eidem Parocho usum Sacristiae pro induendis paramentis sacris, et respective usum sepulturae pro tumulandis cadaveribus quae in dicta Ecclesia ratione electionis vel alio praetenso iure sepeliri contingunt?

12. An cera quae, destracta quarta funerali, superest occasione tumulationis cadaverum in dicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae, integra Parocho debeatur, sive defunctus ibi eligat sepulturam sive ibi sepeliatur cum sit Confrater?

13. An Priores et Officiales pro tempore dictae Confraternitatis teneantur administrare tantum per semetipsos geminas alias Confraternitates SSmi Nominis Dei et Rosarii in dicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae erectas, ad formam Instrumenti conventionis initae die 3 Iulii 1623; sive potius possint substituere alios Officiales pro dictis duabus Confraternitatibus gubernandis?

14. An ius deputandi Sacerdotes et Clericos qui canere debeant Lectiones Matutini et qui assistere debeant Missae solemni, quae celebrari solet in nocte Nativitatis D. N. I. C. per dictam Confraternitatem SSmi Corporis Christi in dicta Ecclesia, spectet ad eumdem Parochum; vel potius ad ipsos Confratres?

15. An ius retinendi clavem ianuae maioris dictae Ecclesiae privative spectet ad dictum parochum; vel potius possit etiam retineri a Prioribus dictae Confraternitatis?

16. An ius retinendi clavem Sacrarii dictae parochialis Ecclesiae, privative spectat ad dictam Confraternitatem; vel potius possit retineri etiam a dicto Parocho?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 2. « Ut supra ».

Ad 3 et 4. « Episcopo, qui provideat ad formam Decretorum ».

Ad 5. « Episcopo, qui provideat mediante tabella horaria fixa ».

Ad 6. « Episcopo, qui provideat pro sua prudentia ».

Ad 7. « Quoad Missas privatas posse, excepto Altari proprio Parochi; quo vero ad Officia, nonnisi de licentia Parochi ».

Ad 8. « Ad Parochum, quoad Altare S. Ioannis; quoad reliqua Altaria, ad Confraternitatem ».

Ad 9. « Prout in septimo ».

Ad 10 et 11. « Negative ».

Ad 12. « Ad Parochum ».

Ad 13. « Episcopo, qui provideat ».

Ad 14. « Spectare ad Parochum ».

Ad 15. « Ut ad proximum ».

Ad 16. « Spectare ad utrumque ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Augusti 1717.

2244. URBIS. (3903)

Cum apud S. R. C. a Leone Luca, Nosocomii S. Iacobi de Augusta vulgo Incurabilium Urbis deputato Ecclesiastico, supplex porrectus fuerit libellus pro declaratione sequentium dubiorum:

1. An Officium Visitationis B. M. V. die secunda Iulii, in quo Festum Dedicationis eiusdem Ecclesiae S. Iacobi occurrit, celebrari debeat die immediate sequenti, etiamsi fuerit dies Dominica?

2. An item die immediate sequenti diei 1 Augusti etiam Dominica, celebrandum sit Officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipsa die occurrat octava S. Iacobi?

S. R. C. rescribendum duxit: « Faciendum esse de Officiis, de quibus agitur, in die immediate sequenti, etiam in occursu Dominicae, propter perpetuum impedimentum in propria die, iuxta alterum Decretum in una Pisauren. 2 Iulii 1712 ».

Et ita declaravit. Die 20 Novembris 1717.

2245. BENEVENTANA. (3905)

Proposito ad instantiam Emi et Rmi D. Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani in S. R. C. sequenti dubio, videlicet: (1)

Cum tempore Adventus, nonnisi in sola Dominica III quae dicitur *Gaudete*, et Quadragesimae tempore in sola Dominica IV quae dicitur *Laetare*, ex praescripto Caeremonialis Episcoporum lib. 1, cap. 28, § 2, permissum sit, ut Organa pulsentur; quaeritur: An pulsari debeant in Missa solemni tantum, an vero in omnibus aliis divinis Officiis seu Horis Canonicis, quae tum in Metropolitana tum in aliis Collegiatis Ecclesiis cantari solent?

(1) E. Dub. 1 et 2.

Et S.R.C. respondendum censuit: «Organa in praedictis Dominicis pulsari debere in Missa solemni et in Vesperis tantum, non vero in aliis Horis Canonicis ».

Et ita decrevit. Die 2 Aprilis 1718.

2246. BRUGEN. (3906)

Cum modernus Episcopus Brugen. acceperit in sua Ecclesia Cathedrali, vigore assertae consuetudinis, abusum irrepsisse quod Celebrans Feria VI maioris Hebdomadae ante ipsum Episcopum primo accedat ad deosculandum SSmum Crucifixum; cumque ad evitanda scandala ac dissidia quae inter Capitulum et Episcopum facile oriri poterant, dicta die huiusmodi functioni interesse se se abstinuerit, donec sensum a S. R. C. exquireret: propterea pro declaratione infrascripti dubii enixe supplicavit, videlicet:

An Celebrans Feria VI maioris Hebdomadae accedere possit ad deosculandum Sanctissimum Crucifixum ante Episcopum?

Et S.R.C. respondit: « Servandum esse Caeremoniale Episcoporum, iuxta id quod in eo praescribitur lib. 2, cap. 26, § 11 et 12; et contrariam consuetudinem esse abusum omnino tollendum ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 2 Aprilis 1718.

2247. BURGI S. DOMNINI. (3907)

Remissa ab Auditore SSmi ad S. R. C. controversia exorta inter Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii Terrae Monticellorum Dioecesis Burgi S. Domnini ex una, et Marchionem Gregorium de Casalibus eiusdem Terrae Feudatarium partibus ex altera, super praetenso iure recipiendi thurificationem et pacis osculum a praedicto Marchione, tamquam illius Terrae Feudatario, in Vesperis ac Missis solemnibus quae in dicta Ecclesia Collegiata celebrari solent, per eumdem Ministrum a quo Praeposito et Canonicis thurificatio ac osculum pacis exhibentur; et ab Emo et Rmo D. Card. Gualterio infrascripto dubio proposito:

An Marchioni Gregorio de Casalibus Feudatario loci Monticellorum eiusque Successoribus in Feudo, quoties ipsi intererint Missis et Vesperis in Ecclesia Collegiata S. Laurentii dicti loci solemniter decantandis, praestari debeat thurificatio et osculum pacis post omnes et singulos Canonicos, per eumdem Ministrum per quem thurificantur Praepositus atque Canonici, et per quem eisdem osculum pacis exhibetur?

S. R. C., tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: « Deberi ipsi Baroni tantum thurificationem et osculum pacis cum instrumento post omnes Canonicos per Ministrum cotta indutum ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 2 Aprilis 1718.

2248. CALENEN. (3908)

Cum usque ab anno 1713 a Duce Montis Dragonis praetensum fuerit retineri in Ecclesiis tam Saecularibus quam Regularibus Dioecesis Calenen, intra Presbyterium genuflexorium cum strato et Sede amovibili cum pulvinaribus, proptereaque ad S. R. C. recursum habuerit; cumque ob mortem Episcopi Calenen. causa huc usque discuti minime potuerit; nunc ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis praedictae per Emum et Rmum D. Cardinalem de Abdua propositis sequentibus dubiis videlicet:

1. An Duci Terrae Montis Dragonis liceat retinere intra Presbyterium genuflexorium cum strato et Sedem amovibilem cum pulvinaribus, tam in Ecclesiis Saecularibus quam Regularibus Dioecesis Calenen. ?

2. An idem liceat Ducissae?

Et S. R. C. respondit: « Negative ad utrumque; et amplius ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 2 Aprilis 1718.

2249. PRATEN. (3909)

Habito per Hieronymum Palli Vicarium Generalem Civitatis Praten. ad S. R. C. recursu adversus Ioannem Matthaeum de Biaginis unum ex Cappellanis Oratorii Beatae Virginis de Carceribus eiusdem Civitatis, vigore privilegii Protonotariatus a Domo Sfortia usque ab anno 1708 ab ipso obtenti, rochettum et mantellettam in omnibus ecclesiasticis functionibus, tam intra quam extra dictum Oratorium, deferre praetendentem; et ab Emo et Rmo D. Cardinali Zondadario infrascripto dubio proposito:

An Presbyter Ioannes Matthaeus de Biaginis, unus ex Cappellanis Oratorii B. M. V. a Carceribus nuncupati illorumque Prior, deferre valeat in functionibus ecclesiasticis, tam infra quam extra dictum Oratorium, rochettum et mantellettam vigore indulti

Protonotariatus per eum obtenti a Domo Sfortia?

S. R. C., dicto Ioanne Matthaeo de Biaginis pluries citato et nequaquam comparente, sed mature perpensis iuribus ex parte ipsius de Biaginis in Curia archiepiscopali Florentina deductis et ad S. R. C. transmissis, auditoque tantum scriptis et voce Procuratore supradicti Hieronymi Palli, rescribendum censuit: « Negative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 14 Maii 1718.

2250. NULLIUS (3910)
GUASTALLAE.

Inter Guidolum de Franciscis Parochum Ecclesiae S. Petri Nullius, Terrae Plebis extra muros Civitatis Guastallae ex una, et Confratres Confraternitatis SSmi Rosarii eiusdem Terrae partibus ex altera, nonnullis ortis controversiis illisque ad S.R.C. delatis; Emus et Rmus Zondadarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Confraternitas SSmi Rosarii Terrae Plebis Guastallae tres vel quot Campanas possit retinere in Campanili suae Ecclesiae seu Oratorii?

2. An dicta Confraternitas de licentia Ordinarii peragere valeat Processiones, tam publicas quam etiam privatas, per Parochiam extra ambitum Oratorii? et quatenus affirmative,

3. An in dictis Processionibus Cappellanus Confraternitatis possit deferre Stolam?

4. An in dicto Oratorio Confraternitatis possit ministrari Sacramentum Eucharistiae tam confratribus quam non confratribus?

5. An in Oratorio possit retineri Custodia cum Venerabili?

6. An inibi peragi valeat Novemdiale cum expositione Venerabilis et populus cum eo benedici?

7. An quarta funeralis pro funeribus illorum, qui tumulantur in Oratorio Confraternitatis, debeat praestari Parocho in medietate; vel potius in quarta portione?

8. Et de quibus ceris et candelis?

9. An diebus festivis possit recitari Rosarium in Oratorio Confraternitatis ante Vesperas celebrandas in Ecclesia parochiali?

10. An dictis diebus valeant celebrari in dicto Oratorio Missae tam lectae quam cantatae, cum signo Campanarum, ante celebrationem Missae parochialis?

11. An liceat Confraternitati celebrare in dicto Oratorio Anniversaria et Officia, tam fixa, sive ex obligatione, quam etiam manualia cum assistentia aliorum Sacerdotum sine assistentia Parochi?

12. An, quatenus Parochus ad dicta Officia vocari et intervenire debeat, duplicatam mercedem obtinere possit?

13. An de licentia Ordinarii valeat Confraternitas quaestuare per Parochiam, irrequisito Parocho?

14. An in Processionibus solemnibus, in quibus intervenire solet Parochus, liceat Confraternitati incedere sub suo Cappellano seorsim a Parocho?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, de licentia speciali Episcopi ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative, pro Novemdiali Nativitatis Iesu Christi, de licentia Episcopi ».

Ad 7 et 8. « Adeant Sacram Congregationem Concilii ».

Ad 9. « Affirmative; et quoad tempus, arbitrio Ordinarii ».

Ad 10. « Arbitrio et prudentia Ordinarii ».

Ad 11. « Affirmative ».

Ad 12. « Provisum in undecimo ».

Ad 13. « Affirmative ».

Ad 14. « Affirmative ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 9 Iulii 1718.

2251. PERUSINA. (3911)

Super nonnullis praetensis iuribus parochialibus aliisque sacerdotalibus functionibus adversus Curatum et Monachos Camaldulenses Ecclesiae parochialis S. Severi Civitatis Perusinae, expedito a Confratribus Confraternitatis a *Morte* et Oratione nuncupatae, erectae intra limites parochialis Ecclesiae praedictae, monitorio coram A. C.; atque ad instantiam supradictorum Monachorum et Parochi S. Severi ab Auditore SSmi, praevia avocatione Causae ab A. C., ad S. R. C. controversiis remissis; Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Cappellani manuales Societatis a *Morte* nuncupatae aliique Sacerdotes ab Epi-

scopo approbati, et per Confratres invitati, possint audire Confessiones sacramentales in Ecclesia seu Oratorio dictae Societatis, absque licentia et consensu Parochi?

2. An Confratres seu Cappellani possint impedire ne Parochus audiat Confessiones in dicta Ecclesia seu Oratorio?

3. An iidem Cappellani absque dicti Parochi licentia possint solemniter Missas canere, benedicere et distribuere candelas, palmas et cineres, ova et fruges etc.?

4. An possint facere Officium funebre super cadaveribus defunctorum sive Confratrum sive eligentium sepulturam in eorum Oratorio, tam eorum qui subiecti sunt Parocho, quam tumulandorum de aliena Parochia, sine interventu Parochi S. Severi?

5. An occasione tumulationis cadaverum de Parochia S. Severi explendae in Ecclesia dictae Societatis, Parochus perventus ad ostium eiusdem Ecclesiae teneatur deponere Stolam?

6. An ipsimet Cappellani incedentes cum Confratribus possint associare cadavera defunctorum cum Stola, praesente Parocho; et in aliis quibuscumque functionibus Stolam deferre extra eorum Ecclesiam?

7. An Confratres in cadaverum associatione et in Officio funebri possint erigere Crucem; sive potius incedere debeant sub Cruce parochiali?

8. An in dicta Ecclesia seu Oratorio a *Morte* nuncupato retineri possit diu noctuque SSmum Eucharistiae Sacramentum?

9. An possit illud exponi publicae adorationi infra annum in forma quadraginta horarum sive alio modo, sine interventu vel licentia Parochi?

10. An possit publicis Processionibus circumferri extra Ecclesiam, facta etiam ostensione per plateas et vias, sine licentia et interventu Parochi seu Parochorum per quorum limites est incedendum?

11. An occasione huiusmodi Processionum possint Confratres sive alii erigere in viis Altaria, ad quae sistat Sacerdos et Sacramentum deponat, tum intra tum extra Parochiam, invitis et irrequisitis Parochis?

12. An liceat in fine huiusmodi Processionum in ianua principali Ecclesiae cum Venerabili Eucharistiae Sacramento benedicere populo in plateis et viis genuflexo, sine licentia et interventu praedictis?

13. An Confratres possint per Cappellanos suos manuales peragere omnes functiones Hebdomadae maioris in dicta eorum Ecclesia, nempe canere Missas et Officia, ac reponere SS. Eucharistiam in Sepulcro aliasque functiones ecclesiasticas fieri solitas?

14. An Missae cantari debeant prius in Ecclesia parochiali, antequam canantur in dicta Ecclesia vel Oratorio, seu potius ad libitum cuiuslibet in propria Ecclesia?

15. An Confratres eleemosynas a fidelibus exigere possint, mediante publica quaestuatione, sine consensu Parochi; et etiam absque licentia Episcopi?

16. An de quaestuatione et collectis eleemosynis teneantur reddere rationem eidem Parocho, seu potius Officiali pro tempore dictae Societatis?

Et S. R. C., utraque parte tam voce quam scriptis informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative; excepta benedictione ovorum et frugum ».

Ad 4. « Affirmative; quatenus tumulandus sit de aliena Parochia ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Ad primam partem, Negative, interveniente Parocho; ad secundam, Affirmative ».

Ad 8. « Affirmative ».

Ad 9. « Affirmative ».

Ad 10. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad 11. « Arbitrio et prudentiae Ordinarii ».

Ad 12. « Negative, nisi de licentia Episcopi ».

Ad 13. « Negative, prout iacet ».

Ad 14. « Arbitrio et prudentiae Episcopi ».

Ad 15. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 16. « Teneri reddere rationem Parocho, tamquam deputato ab Episcopo ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 9 Iulii 1718.

2252. CATANIEN. (3912)

Cum ex parte civium Civitatis Platiae Dioecesis Catanien. expositum fuerit, quod occasione qua in Ecclesiis Civitatis praedictae exponi solet SSmum Eucharistiae Sacramentum, inoleverit abusus recitandi post finem ultimae Orationis, loco *Qui vivis et regnas etc. Per Dominum Nostrum Iesum Christum Filium etc.;* nunc apud S. R. C.

supplicatum fuit pro declaratione quomodo terminanda sit ultima Oratio?

S. eadem R. C. « Orationem praedictam his verbis : *Qui vivis et regnas in saecula etc.*, concludi debere declaravit ». Et ita servari mandavit. Die 10 Septembris 1718.

2253. NEPESINA. (3913)

Habito per Archipresbyterum et Universitatem Castri Malleani Pecudaritii Dioecesis Nepesinae ad S. R. C. recursu super celebratione Festi Nativitatis S. Ioannis Baptistae, quod vigore suppositi indulti ab antiquo tempore et ex variis assertis circumstantiis in Ecclesia parochiali sub titulo S. Ioannis Baptistae Castri praedicti huc usque semper die 17 Maii celebratum fuit; auditaque prius relatione ipsius Episcopi, cui commissa fuerit super enarratis informatio,

S. eadem R. C. rescribendum censuit: « Festum S. Ioannis Baptistae celebrari debere die 24 Iunii, nec posse anticipari; et Episcopus incumbat pro executione ».

Die 10 Septembris 1718.

2254. PLACENTINA. (3914)

Super iure exponendi publicae venerationi Reliquiam SSmae Crucis nec non cum illa benedictionem populo elargiendi, ac etiam nonnullas alias functiones Ecclesiasticas in Oratorio Confraternitatis S. Iacobi Minoris, sito intra limites Ecclesiae parochialis S. Iacobi Maioris Civitatis Placentiae, independenter a Parocho exercendi, inter Iosephum Buttafabam Rectorem praedictae Ecclesiae parochialis ex una, et Confratres eiusdem Confraternitatis partibus ex altera, ortis controversiis; iisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Fabronus infrascripta dubia declaranda proposuit, nempe:

1. An liceat Confratribus S. Iacobi Minoris exponere publicae venerationi assertam Reliquiam in casu? et quatenus affirmative,

2. An Cappellanus Confraternitatis possit cum eadem populo benedicere; vel potius spectet ad Parochum hanc functionem peragere? (1)

3. An in Ecclesia Confraternitatis possit Feria V in Coena Domini solemniter Missa celebrari, aliaeque functiones Feriae VI et Sabbati Sancti ibidem peragi? et quatenus affirmative,

4. An huiusmodi functiones fieri possint independenter a Parocho?

5. An pariter idem Cappellanus possit independenter a Parocho celebrare Missam solemniter in Festo Titulari eiusdem Ecclesiae, aliisque festivitatibus in dicta Ecclesia celebrari solitis?

6. An in eadem Ecclesia possit retineri Confessionarium fixum ad audiendas omnium fidelium Confessiones?

7. An Confratres possint ducere Processiones extra ambitum propriae Ecclesiae absque licentia Parochi?

Et S.R.C., visis ac mature perpensis iuribus hinc inde ex Curia episcopali transmissis, et tam voce quam scriptis utraque parte informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Quoad primam partem, Negative, nisi de licentia Ordinarii; quoad secundam, Affirmative ».

Ad 3. « Negative; exceptis Matutinis Tenebrarum ».

Ad 4. « Provisum in praecedenti ».

Ad 5. « Negative, ad formam Constitutionum synodalium ».

Ad 6 et 7. « Negative, nisi de licentia Episcopi ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 10 Septembris 1718.

2255. VELITERNA. (3915)

Ad componendas controversias exortas inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis S. Clementis et Clerum Civitatis Veliternae ex una, atque Magistratum Civitatis praedictae partibus ex altera, super nonnullis iuribus honorificis ab illius Magistratu praetensis, vigore assertae immemorabilis consuetudinis, et occasione qua certis anni temporibus et signanter in Festis solemnioribus idem accedit ad Ecclesiam Cathedralem aliasque praefatae Civitatis Ecclesias ad effectum interessendi Missis solemnibus ceterisque Officiis divinis; a Capitulo Ecclesiae Cathedralis ad Emum et Rmum D. Sacri Collegii Emorum et Rmorum DD. Cardinalium Decanum Episcopum habito recursu; illisque controversiis ab Eminentia sua ad S. R. C. pro decisione remissis; Emus

(1) V. Dub. 3

et Rmus D. Cardinalis Fabronus infrascripta dubia declaranda proposuit, videlicet:

1. An Magistratus Velitrarum in Festo S. Francisci Xaverii possit incedere cum clava et eodem comitatu ac incedit in Festivitatibus quatuor SS. Patronorum dictae Civitatis, SSmae Conceptionis et B. Mariae Gratiarum?

2. An idem Magistratus in Ecclesiis extra Cathedralem sit thurificandus triplici ductu? (1)

3. An Celebrantes post finem Missae, tam solemnis quam privatae, debeant antequam ab Altari discedant reverentiam facere Magistratui per capitis inclinationem?

4. An, eodem Magistratu interessente Missae privatae, liceat in Altari accendere quatuor candelas?

5. An Magistratus immediate post Canonicos et ante Beneficiatos ceterosque de Clero admitti debeat ad Crucis adorationem et ad cineres?

6. An Magistratus eiusque Officiales in Processionibus, in quibus deferunt intortitia, illa propriis manibus deferre debeant?

7. An, Magistratu accedente ad Cathedralem aliasque Ecclesias Civitatis cum comitatu et clava, licitus sit sonitus tubarum intra easdem Ecclesias?

8. An, eodem Magistratu in Cathedrali aliisque Ecclesiis Saecularibus et Regularibus interessente Missae privatae, licitus sit sonitus tubarum in actu elevationis SSmae Eucharistiae intra ipsas Ecclesias?

9. An eidem Magistratui liceat in Ecclesia parochiali S. Mariae de Trivio retinere scamnum intra Presbyterium?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde, tam super praemissis quam super admissione articulorum expetita a Magistratu, ad effectum probandi praetensam immemorabilem consuetudinem, deductis et tam voce quam scriptis utraque parte informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Affirmative, dummodo incedat in habitu consulari ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. et 8. « Affirmative, sed extra ianuam ».

Ad 9. « Negative ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 10 Septembris 1718.

(1) E. Dub. 3 et 11.

2256. AESINA. (3918)

Ex parte Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Aesinae apud S.R.C. humillime supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii, videlicet:

An in Vigilia Epiphaniae Missae votivae et defunctorum celebrari possint?

S. R. C. respondit: « Negative ». Et ita decrevit et servari mandavit. Die 10 Decembris 1718.

2257. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI. (3919)

S. R. C. ad humillimas preces P. Matthaei de Pareta Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Commissarii Generalis Curiae benigne indulsit atque concessit: « Ut in omnibus Ecclesiis praedicti Ordinis, in quibus hactenus in novemdiali ante Nativitem Domini Missa solemnis votiva B.M.V., quae incipit *Rorate,* absque *Gloria* et *Credo* celebrari consuevit, in posterum iisdem diebus eadem Missa cum *Gloria* et *Credo* celebrari possit et valeat, non omissa tamen Conventuali ». Die 10 Decembris 1718.

2258. PLACENTINA. (3920)

Cum in causa Placentina controversiarum vertente inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini ex una, et Beneficiatos ac Mansionarios eiusdem Ecclesiae Civitatis Placentiae partibus ex altera; S. R. C., ad relationem cl. mem. Card. S. Clementis sub die 2 Iulii 1712 ad infrascripta dubia, videlicet:

1. An Canonici Collegiatae S. Antonini tempore divinorum Officiorum in Choro teneantur ab eorum stallis descendere et una cum aliis Beneficiatis dictae Ecclesiae Collegiatae canere accedendo ad Lectorile magnum, situm in medio Chori, quidquid ibi canendum occurrit? et quatenus affirmative,

2. An quando et in quibus functionibus teneantur praedicti Canonici ad dictum accessum?

Rescribendum censuerit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Verum quia Canonici praefati, vigore dictarum resolutionum a cantu *Introitus, Gradualis, Versiculorum* et similium, quae in Choro hactenus decantare solebant prout

assertum fuit, postmodum, permanendo etiam in eorum propriis stallis, sese abstinuerunt; huiusmodi praetensio novarum controversiarum inter eosdem occasionem praebuit, et a Beneficiatis ac Mansionariis praedictis adversus Canonicos iterum habito recursu, illisque controversiis ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An Canonici Collegiatae S. Antonini Placentiae teneantur, permanendo in eorum stallis, et absque accessu ad Lectorile positum in medio Chori, canere una cum aliis Beneficiatis in Matutinis, Vesperis et Missis Conventualibus ac Solemnibus respective *Invitatorium, Hymnos, Versiculos, Antiphonas, Responsoria, Introitus, Kyrie, Gradualia, Credo, Offertorium* et quidquid ad supradictum Lectorile canendum occurrit; vel solummodo teneantur Beneficiati et Mansionarii?

2. An licuerit et liceat in posterum dictis Canonicis imponere mulctas extraordinarias Beneficiatis et Mansionariis non adimplentibus eorum munus in dicto servitio Chori, absque scientia et approbatione Ordinarii?

3. An Canonici, Beneficiati et Mansionarii assurgere debeant, detecto capite, quoties a Dignitatibus et aliis Canonicis in Festivitatibus solemnibus ante alicuius Psalmi initium praecinuntur antiphonae, sub poena mulctarum arbitrio Ordinarii?

4. An dicti Canonici, Beneficiati et Mansionarii assistere debeant concionibus, quae habentur tempore Adventus et Quadragesimae in dicta Collegiata, sub poena mulctarum?

5. An dicti Canonici, Beneficiati et Mansionarii tempore Missarum, quae canuntur in Hora Tertiae in dicta Collegiata, possint accipere Missas aliquas dicendas in aliis Ecclesiis, vel accedere ad inserviendum in illis ad formam Decreti editi in visitatione anni 1567?

6. An et quomodo Decreta, alterum nempe editum in Sacra visitatione anno 1581 et alterum in Synodo anno 1632, tit. *de Chori ingressu,* sint servanda?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Serventur Constitutiones synodales ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative, sub poena mulctarum, arbitrio Ordinarii ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Servanda esse Decreta prout iacent; dempta poena censurarum ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 10 Decembris 1718.

2259. URBIS. (3921)

S. R. C. ad humillimas preces Gubernatoris et Confratrum Confraternitatis sub titulo Sanctarum Plagarum D. N. I. C., erectae in Ecclesia S. Philippi Nerii in via Iulia, benigne indulsit atque concessit: « Ut in novemdiali ante Nativitatem Domini Missa votiva B. M. V., quae incipit: *Rorate,* quam hactenus absque *Gloria* et *Credo*, iuxta Rubricarum praescriptum, celebratam fuisse assertum fuit, in posterum ad magis magisque augendam ipsorum Confratrum devotionem cum *Gloria* et *Credo* celebrari possit et valeat ». Die 10 Decembris 1718.

2260. LUCANA. (3922)

Cum in Civitate et Dioecesi Lucana contra praescriptum Decreti generalis die 13 Septembris 1692, occasione Festivitatis S. Iosephi Feria V in Coena Domini occurrentis, emanati, quo permissum fuit pro satisfaciendo praecepto dicta die plures Missas celebrari ante Missam Conventualem, irrepserit abusus celebrandi in omnibus Ecclesiis tam Regularium quam Confraternitatum, ianuis semiapertis, plures Missas ante Conventualem; propterea Episcopus Lucanus humiliter supplicavit pro declaratione: An liceat a quibusvis Sacerdotibus in quacumque Ecclesia seu Oratorio, etiam ianuis clausis, praeter Missam Conventualem dictas Missas celebrari?

Et S. R. C.: « Dictas Missas, nedum non celebrandas, verum etiam prohibendas esse decrevit et declaravit; firmo tamen remanente Decreto generali sub praedicta die emanato ». Die 28 Ianuarii 1719.

2261. IANUEN. (3924)

Cum occasione Constitutionis s. m. Urbani PP. VIII plures inter Clerum super celebratione nonnullorum Festorum exortae fuerint controversiae; propterea Emus et Rmus Dom. Card. Archiepiscopus Ianuen., ad tollendam in posterum variarum sui Cleri opinionum discrepantiam, ac etiam ad formandam in universa sua Dioecesi uniformitatem, pro declaratione infrascriptorum dubiorum S. R. C. enixe supplicavit:

1. An, stante allegata consuetudine celebrandi Festos Titulares Ecclesiarum Dioecesis Ianuensis, teneatur populus sub praecepto ad eorumdem celebrationem.

2. An in casu, quo dicta consuetudo praecesserit Constitutionem Urbani, adhuc sit licitum dictos dies Festos non celebrare?

3. An, quando non constet consuetudinem praedictam praecessisse Constitutionem Urbani, adhuc populus teneatur servare sub praecepto dictos dies Festos?

S. R. C., audito prius voto Dom. Abbatis Gambarucci SSmi Domini Nostri Papae Caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Martii 1719.

2262. FULGINATEN. (3927)

Cum ex parte Episcopi Fulginaten. expositum fuerit, quod Vicarius Generalis, Dignitates ac Canonici suae Cathedralis in Missae privatae celebratione uti soleant ministro superpelliceo induto, qui ad celebrantis latus assistens substinet Missale, illius folia volvit et indicat legenda nec non tegit ac detegit Calicem, et ante Offertorium aquam et vinum in Calicem infundit; nunc idem Episcopus apud S. R. C. supplicavit pro declaratione: An supradicta in posterum permittenda sint?

Et S. R. C. rescribendum censuit: « Dandum esse Decretum in Caesenaten. editum die 9 Februarii 1675, et etiam aliud praecipue in causa Senen. 20 Iulii 1686; et ita etiam in Civitate ac Dioecesi Fulginaten. servari mandavit ». Die 13 Maii 1719.

2263. PERUSINA. (3928)
IURIUM PAROCHIALIUM.

Super praetensis iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis peragendis in publica Ecclesia Confraternitatis B. M. de Planctu Civitatis Perusinae, inter Parochum S. Elisabethae ac Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis ex una, et Confratres Confraternitatis praedictae ex altera parte, ortis controversiis; illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Oliverius infrascripta dubia declaranda proposuit:

1. An liceat Cappellano Confraternitatis S. Mariae de Planctu in Ecclesia vel Oratorio dictae Confraternitatis explere benedictiones cinerum, palmarum et candelarum absque ulla licentia Parochi S. Elisabethae?

2. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in forma 40 horarum bis in anno, absque consensu et licentia Parochi?

3. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in die Nativitatis B. M. V. Festo principali dictae Confraternitatis, absque consensu et licentia Parochi?

4. An liceat eidem Confraternitati exponere SS. Sacramentum in dicta Ecclesia qualibet Dominica, quae praecedit Festivitatem S. Antonii Abbatis, et cum eodem benedicere populum per suum Cappellanum?

5. An liceat eidem ducere Processionem solemnem cum delatione SS. Sacramenti eadem die Dominica intra limites Parochiae S. Elisabethae, absque licentia Parochi quotannis obtinenda?

6. An liceat Cappellano praedicto sive aliis Sacerdotibus ab Episcopo approbatis et per Confraternitatem invitandis, in eadem Ecclesia Missas cantatas celebrare et Sacramentales Confessiones audire absque licentia Parochi?

7. An pertineat ad Parochum S. Elisabethae vel potius ad Cappellanum Confraternitatis facere Officium funebre super cadaveribus eorum, qui non sunt parochiani S. Elisabethae, sepeliendis in dicta Ecclesia Confraternitatis?

Et S. R. C. rescripsit: « Dilata » ac Remissoriales a Parocho expetitas ad effectum probandi praetensam immemorabilem consuetudinem concessit, cum clausula tamen, *non retardata executione Decretorum generalium eiusdem S. C.* Verum ab eo tempore a Parocho expeditione Literarum Remissorialium procrastinata, S. R. C. ad instantiam Confraternitatis sub die 28 Ianuarii proxime praeteriti peremptorium duorum mensium terminum ad deducendum sua iura Parocho assignavit. Elapso itaque dicto termino, reiectaque nova ipsius Parochi instantia super dilatione;

Eadem S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Oliverii, visis iuribus deductis et tam voce quam scriptis Procuratore praefatae Confraternitatis informante audito, ad supradicta dubia rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad 5. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad 6. « Licere, de licentia Episcopi, et ad mentem; et mens est ut licentia concedatur ».

Ad 7. « Negative, quoad Parochum; Affirmative, quoad Cappellanum ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 13 Maii 1719.

2264. PERUSINA. (3929)

Pro declaratione dubii circa modum concedendi licentias Cappellanis Confraternitatum audiendi Confessiones,

S. R. C. mandavit: « Scribatur Episcopo iuxta mentem; et mens est, quod abstineat in posterum a concedendis licentiis audiendi confessiones cum clausula, *de licentia Parochi* ». Die 13 Maii 1719.

2265. IMOLEN. (3933)

Cum usque ab anno 1663, subsequuta anno 1669 Ordinarii approbatione, in Ecclesia parochiali S. Iacobi Apostoli Civitatis Imolen. erecta fuerit Congregatio 72 Sacerdotum Saecularium sub invocatione S. Philippi Nerii, qui cotta et bireto induti, per modum simplicis unionis pro peragendis Congregationibus et solemniter celebranda Festivitate eorum S. Protectoris in eadem Ecclesia congregantur, et iuxta proprium Institutum inibi Officia et Missas in suffragium confratrum defunctorum absque ulla eleemosynae receptione semper celebrarunt; et occasione associationis cadaverum Confratrum eiusdem Confraternitatis cum propria Cruce seu Vexillo supra omnes Regulares praecedentiam hucusque habuerunt; cumque controversiae super huiusmodi iure praecedendi et iure deferendi propriam Crucem seu Vexillum, ab universo Clero Regulari adversus supradictos Confratres dudum excitatae, a Rmo Domino Auditore SSmi ad S. R. C. remissae fuerint; nunc Emus et Rmus D. Card. Priolus loco Emi et Rmi Dom. Card. Zondadarii absentis, huiusmodi causae Ponentis, infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Congregationi Sacerdotum Saecularium sub invocatione S. Philippi Nerii in associatione Confratrum defunctorum competat praecedentia supra Regulares?

2. An eidem Congregationi, occasione associationis eorumdem cadaverum, liceat elevare propriam Crucem?

Et S. eadem R. C., iuribus hinc inde deductis mature consideratis, et tam scriptis quam voce utriusque partis Procuratoribus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. « Affirmative; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 19 Augusti 1719.

2266. VELITERNA. (3935)

Habito ab Abatissa et Monialibus Monasterii sub titulo SSmi Nominis Iesu ad S. R. C. recursu, exponendo quod, occasione Festivitatum dicti Monasterii ad quas Magistratus eiusdem Civitatis cum delatione oblationum accedere solebat, ob praetermissam postea a Celebrante salutationem eiusdem in fine Missae, ad normam Decreti a S. R. C. sub die 10 Decembris 1718 editi, dictus Magistratus solitas oblationes postmodum deferre omiserit, illasque ad aliam Ecclesiam detulerit: indeque Monialibus praedictis, ne ob executionem huiusmodi Decreti ab ipsis debitae observantiae demandati, in posterum praeiudicium inferri valeat, pro aliquo opportuno iuris remedio in S.R.C. enixe supplicantibus;

Eadem S. R. C. rescribendum censuit: « Magistratum cogendum esse tum ad deferendas in posterum oblationes in solitis Festivitatibus praefati Monasterii, tum ad solutionem omissae oblationis in praeterita Festivitate: praesensque Decretum Emo Episcopo pro executione tradendum ». Et ita decrevit. Die 9 Decembris 1719.

2267. AQUILEIEN. (3940)

Cum Moniales, Educandae et Conversae Monasterii Ursulinarum Goritiae Dioecesis Aquileiae a tempore immemorabili in nocte Nativitatis D. N. I. C. in fine primae Missae cantatae Sacram Communionem semper recipere consueverint, nunc pro indulto in posterum continuandi in praedicta consuetudine, apud S. R. C. humillime supplicarunt.

S. eadem R. C. « Attentis circumstantiis supra expressis, huiusmodi instantiae iuxta petita annuendum esse censuit ». Die 27 Iulii 1720.

2268. FULGINATEN. (3941)

Habito ex parte Crispolti de Gregoriis moderni Prioris ac primae Dignitatis Cathedralis Fulginaten. ad Sacram Congregatio-

nem Episcoporum et Regularium recursu, adversus prohibitionem per Vicarium Generalem illius Curiae factam Iosepho Anicolae Clerico dictae Cathedralis in minoribus ordinibus constituto, super modo inserviendi eidem Priori in Missa, illoque una cum Episcopi informatione ad S. R. C. remisso atque relato;

S. eadem R. C., inspectis omnibus quae in ipsa informatione notificabantur, nempe quod praefatus Prior, praeter peculiarem dicti Clerici assistentiam, ab illo Missale sibi substineri, folia verti, orationes indicari, Calicem tegi et detegi, ac in illum vinum et aquam infundi, ac manum more Episcoporum deosculari facit; inhaerendo aliis Resolutionibus in similibus editis, mandavit: « Omnia praedicta in posterum minime permittenda esse, et Decretum praecipue in Senen. 20 Iulii 1686 editum debitae executioni pro observantia demandari praecepit ». Die 27 Iulii 1720.

2269. IANUEN. (3943)

S. R. C., instantibus Monialibus Professis Monasterii prope S. Sebastianum Civitatis Ianuen. sub Regula S. Augustini, Ordinario tamen subiectis, pro declaratione dubii circa recitationem Officii S. Augustini pro die semel in mense eidem Ordini concessi, declaravit: « Ut Moniales praedictae, quatenus gaudeant privilegio recitandi Officia Sanctorum Ordinis, possint recitare Officium S. Augustini semel in mense, sed die non impedita Officio duplici vel semiduplici, etiamsi sit Sanctorum Dioecesis; quod omittere non possunt, quamvis perpetuo translatum, sed omittere debent eo mense Officium S. Augustini ». Et ita declaravit. Die 15 Martii 1721.

2270. MELITEN. (3945)

Exponentibus nonnullis Presbyteris Casalis Zebbug Dioecesis Meliten., habito ad S. R. C. recursu, inductum fuisse per Vice-Parochum dicti Casalis abusum peragendi secundam benedictionem domorum post primam ab ipso Parocho expletam, quamvis in Constitutionibus synodalibus per cl. mem. Michaelem Hieronymum de Molina, olim Episcopum Meliten., anno 1690 editis et per alios Episcopos postea confirmatis id prohibitum fuisset; et praetendente Parocho ex eo quod in Casali praedicto existit Cura, in cuius auxilium, sive ad propriorum parochianorum commodum, semper Vice-Parochum retinere consuevit, secundam benedictionem per suum Vice-Parochum adhuc peragi deberi: ad instantiam nunc Ioannis Bonicii, Petri Pullicinii, Ioannis Pauli et Angeli Attardi ex una, atque Ioannem Baptistam Sagnanum Parochum Casalis Zebbug eiusque Vice-Parochum partibus ex altera, coram Emo et Rmo D. Cardinali Zondadario Ponente, infrascripta dubia inter partes concordata, in S. R. C. examinanda proposita fuerunt:

1. An expleta per Parochum benedictione domorum, possit per Vice-Parochum fieri secunda benedictio? et quatenus negative,

2. An dicta benedictio fieri possit per Vice-Parochum quoad parochianos illam requirentes?

Et S. R. C., tam voce quam scriptis utraque parte informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad 1. et 2. rescribendum censuit: « Negative in omnibus; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Martii 1721.

2271. PISTORIEN. ET PRATEN. (3946)

Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione Dioecesanae Synodi comperiisse abusum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi, ad eorum libitum ultra Diaconum et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem; ideoque in S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione huiusmodi dubii: An usus praedictus sit permittendus?

S. R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis: « Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam abusum prohibendum esse mandavit ». Et ita decrevit. Die 15 Martii 1721.

2272. PATAVINA. (3949)

Abbatissa Monasterii S. Georgii Ordinis S. Benedicti, Civitatis Patavinae, pro declaratione dubii circa modum celebrandi secundas Vesperas in Festo S. Georgii Titularis ipsarum Ecclesiae, occurrentes cum primis Vesperis Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, apud S. R. C. humillime supplicante;

S. eadem R. C: « Secundas Vesperas de S. Georgio ex integro celebrandas esse cum commemoratione Dedicationis Ecclesiae Cathedralis » declaravit. Die 9 Augusti 1721.

2273. BURGI S. SEPULCRI. (3951)

Cum Ioseph Pichi Praepositus Ecclesiae Cathedralis Burgi S. Sepulcri, vigore privilegii Protonotariatus Apostolici anno 1720 expediti, assumpserit habitum Protonotarii et cum eodem ad Chorum accesserit, sedendo in primo stallo a parte Epistolae sibi tamquam Praeposito competente; aliae duae Dignitates, nempe Archidiaconus et Archipresbyter ceterique Canonici illius Cathedralis, super delatione memorati habitus, recursum habuerunt ad proprium Episcopum, qui extraiudicialiter et per modum provisionis imposuit praefato Praeposito ut se abstineret ad Chorum accedere cum habitu Protonotarii, donec causa resoluta fuerit. Nunc vero huiusmodi controversia ad S. R. C. delata, Emus et Rmus D. Card. Origus infrascriptum dubium inter partes concordatum decidendum proposuit:

An Praeposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus de numero non participantium, liceat in Choro aliisque functionibus ecclesiasticis incedere cum habitu praelatitio, nempe rochetto et mantelletta, atque suum retinere locum et stallum, reluctantibus Dignitatibus et Canonicis?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, rescribendum censuit: « Affirmative, amissis distributionibus; et amplius ». Die 22 Augusti 1722.

2274. SARSINATEN. (3952)

Excitata controversia praeeminentiarum inter Canonicum Ruscellum et Episcopum Administratorem Sarsinaten., eaque ad S. R. C. delata, referente Emo et Rmo D. Card. Paulutio, proposita sunt infrascripta dubia:

1. An Episcopus Civitatis Ducalis, modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten., in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus? et quatenus negative,

2. An dictus Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas et Vesperas in pontificalibus, possit sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus et parata cum baldachino ac postergali; et uti possit baculo?

3. An concedere possit indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica?

4. An ei, dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei;* et tunc, ubinam debeat sedere?

5. An fieri debeat Anniversarium suae Consecrationis cum Missa cantata per Capitulum et Clerum, eiusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

6. An, cum Administrator Missam cantat in pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa?

7. An, dum idem cantat Missam in pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris paramentis indui; vel tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subdiaconi et Presbyteri assistentis?

8. An dum vadit ad Cathedralem, debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus; vel in ingressu Ecclesiae aut Presbyterii?

9. An Canonici eum accessurum ad Cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus; vel soli tres aut quatuor ad portam Ecclesiae?

10. An diebus Festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione, ad formam Concilii Tridentini et Caeremonialis Episcoporum?

Et S. R. C. respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative; et sedeat in primo stallo Chori ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 8. « Arbitrio Administratoris ».

Ad 9. « Decere, in casu de quo agitur, ut omnes accedant ».

Ad 10. « Affirmative ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 22 Augusti 1722.

2275. MELITEN. (3957)
IURIUM PAROCHIALIUM
ET PRAEEMINENTIARUM.

Cum in Causa Melitensi vertente inter Curatum et Patres Ecclesiae parochialis Regularis B. M. V. Portus Salvi Civitatis Vallettae atque Parochum ac Clerum alterius Ecclesiae parochialis Saecularis Naufragii

S. Pauli eiusdem Civitatis, a S. R. C. alias nonnullae resolutae fuerint controversiae; cumque exinde a Curato et Patribus praefatae Ecclesiae parochialis B. M. V. Portus Salvi, super iuribus parochialibus et praeeminentiis, novae promotae fuerint controversiae; hisce ad instantiam Curati et Cleri praedictae Ecclesiae parochialis Naufragii S. Pauli ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta dubia decidenda proposuit, videlicet:

1. An et de cuius matricitate constet in casu?

2. An et cui sit danda praecedentia in quibuscumque Processionibus generalibus et functionibus episcopalibus?

3. An, occasione associationis cadaverum ad Ecclesiam S. Pauli seu ad aliam existentem intra limites eiusdem, invitatis et accedentibus tam Parocho Saeculari quam Regulari, Parochus Saecularis praecedere debeat alteri Regulari?

4. An, occasione associationis cadaverum ad Ecclesiam Portus Salvi sive ad aliam existentem intra limites eiusdem, invitatis et accedentibus Parocho Saeculari, et Regulari, Parochus Saecularis praecedere debeat eidem Parocho Regulari?

5. An in dicta associatione ad aliquam ex praedictis Ecclesiis, interveniente Clero Saeculari una cum Parocho Saeculari et altero Regulari, omnes incedere debeant sub Cruce Cleri et Parochi Saecularis vel Regularis?

6. An eodem modo procedendum sit, accedente Episcopo ad visitandam Ecclesiam parochialem Portus Salvi?

7. An in eisdem Processionibus et funeralibus, licitum sit dicto Parocho Regulari una cum suis Religiosis deferre Crucem cum velo vel sine velo seu pallio appenso?

8. An et a quo Parocho, Saeculari vel Regulari, facienda sit Processio post Vesperas diei Festivitatis SSmi Corporis Christi.

9. An eadem Processio, ut supra facienda, transire etiam possit per vias magis conspicuas Civitatis Vallettae, etiam intra limites alterius Parochiae, irrequisito altero Parocho?

10. An Patres Dominicani teneantur accedere ad dictam Processionem illamque associare?

11. An liceat Parocho S. Pauli se conferre ad administranda Sacramenta, tam SSmi Viatici quam extremae Unctionis, incolis et habitantibus in domibus sitis retro Ecclesiam Beatae Mariae de Victoria, nec non incolis et habitantibus in foveo Castri S. Helmi?

12. An eidem Parocho S. Pauli, occasione administrandi eadem Sacramenta propriis parochianis habitantibus extra portam Civitatis Vallettae, liceat exire a porta maiore eiusdem Civitatis et transire cum pompa intra limites Parochiae Portus Salvi, sive potius teneatur exire ab altera porta nuncupata *della marina*?

13. An eidem Parocho S. Pauli sit prohibendum administrare Sacramenta, et praecipue occasione Praecepti Paschalis, Clericis Saecularibus habitantibus intra limites Parochiae Portus Salvi, etiamsi adscripti non sint servitio Parochiae S. Pauli; qui propterea teneantur accedere in adimplementum dicti Praecepti ad eamdem Parochiam Portus Salvi?

Et S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Constare de matricitate Ecclesiae Portus Salvi, ad effectum de quo agitur ».

Ad 2. « Deberi Parocho Portus Salvi ».

Ad 3. et 4. « Servandam esse concordiam ».

Ad 5. « Omnes debere incedere sub una Cruce, nempe Ecclesiae tumulantis ».

Ad 6. « Sub Cruce Ecclesiae visitandae ».

Ad 7. « Servari solitum ».

Ad 8. « Processionem faciendam esse a Parocho Portus Salvi in die Festo Corporis Christi post Vesperas ».

Ad 9. « Negative ».

Ad 10. « Negative ».

Ad 11. « Episcopus provideat, prout de iure, auditis interesse habentibus, etiam cum facultatibus S. Congregationis ».

Ad 12. « Arbitrio Episcopi ».

Ad 13. « Omnes teneri satisfacere praecepto Paschali in propria Parochia, praeter addictos et insimul inservientes Ecclesiae S. Pauli ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 27 Februarii 1723.

2276. MONOPOLITANA. (3958)

Super iure celebrandi Festum SSmi Nominis Iesu die 1 Ianuarii a Patribus Societatis Iesu Civitatis Monopolis anno 1720, adversus Patres Ordinis S. Dominici eiusdem Civitatis, qui eadem die idem Festum celebrare consueverunt, controversiis excitatis, et in illa Curia episcopali favore Patrum Praedicatorum resolutis; cum Patres

supradictae Societatis adversus Episcopi resolutiones, inhibitionem vigore appellationis coram A. C. expedierint, praevia avocatione huiusmodi causae a Tribunali A. C. per Auditorem SSmi ad S. R. C. remissae; infrascriptum dubium inter partes concordatum Emus et Rmus D. Card. Origus declarandum proposuit:

An liceat Collegio et PP. Societatis Iesu Civitatis Monopolis celebrare Festum SSmi Nominis Iesu in die Circumcisionis D. N. Iesu Christi?

S. R. C., tam scriptis quam voce utraque parte informante audita, ac iuribus hinc inde deductis mature consideratis, rescribendum censuit: « Licere PP. Iesuitis celebrare die 1 Ianuarii Festum SSmi Nominis Iesu; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 13 Martii 1723.

2277. BRICTINORIEN. (3963)

Proposito a Communitate et populo Foropompilii quod Episcopus Brictinorien. vigore Synodi anno 1712 ab ipso habitae decretum renovari mandavit, quo adstringere praetendebat Communitatem et populum Foropompilii ad observationem Festi de praecepto S. Catharinae V. et M. uti Protectricis principalis Civitatis Bertinorii, non obstante quod idem populus Festum S. Ruffilli primi Episcopi ac ipsius primarii Protectoris de praecepto celebrare consuescat; habitoque adversus huiusmodi decretum ex parte praefatae Communitatis ad S. R. C. recursu, infrascriptum dubium coram Emo et Rmo D. Card. Gualterio Ponente inter partes concordatum propositum fuit:

An Foropompilienses, tam exempti quam non exempti, teneantur celebrare de praecepto Festum S. Catharinae V. et M.?

Et S. R. C., visis iuribus tam ex parte Communitatis quam ex parte Promotoris Fiscalis, eorumque Procuratoribus, in scriptis et voce informantibus auditis, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 18 Augusti 1725.

2278. URBIS SACROSANCTAE BASILICAE LATERANENSIS. (3968)

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII ad humillimas preces Capituli et Canonicorum Basilicae Lateranensis, ut novae Consecrationis eiusdem Basilicae, quam Sanctitas Sua die 28 Aprilis currentis anni solemni ritu peregit, memoria in posterum recolatur, benigne indulsit atque concessit, ut in Festo Dedicationis illius die 9 Novembris sextae lectioni secundi nocturni sequentia verba addantur: eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terrae insuper motibus disiectam eversamque ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus XIII Pontifex Maximus die 28 Aprilis 1726 ritu solemni consecravit, eiusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit: ac insuper mandavit « Ut idem Festum, tamquam Dedicationis Ecclesiae Cathedralis huius Almae Urbis, ab universo illius Clero Saeculari tantum eiusque districtus, iuxta Decreta S. R. C. hac in re pluries edita sub ritu dupl. 1. class. cum octava quotannis celebretur ». Die 14 Septembris 1726.

2279. RAVENNATEN. (3970)

Cum S. R. C. sub die 16 Februarii 1669 super dubio per cl. mem. Card. Gualterium tunc proposito: An, absente Archiepiscopo Civitatis Ravennaten. ex qualibet causa et accedente Capitulo Cathedralis eiusdem Civitatis ad Ecclesiam S. Vitalis in die illius Festi, liceat Abbati Cassinensi in eadem sua Ecclesia S. Vitalis erigere et retinere baldachinum, etiam praesente dicto Capitulo, et seorsim ab eo canere primas Vesperas et Missam in pontificalibus? utraque parte informante rescripserit: « Licere, non interveniente tamen dicto Archiepiscopo »: nunc ad praecavendas et evitandas, immo prorsus eliminandas quascumque controversias, quae super intelligentia praedicti Decreti oriri unquam possent, SSmus Dominus Noster Benedictus XIII praesenti Decreto suo illud S. R. C. confirmando, et quatenus opus sit declarando, mandat et praecipit quod: « Existente in Civitate vel in suburbiis aut villis Archiepiscopo, aut eo a Civitate et villis sive suburbiis immo et a Dioecesi absente, dummodo aut non possit aut nolit memoratae functioni interesse, licet Capitulum Cathedralis Ecclesiae interveniat, in istis casibus erigi debeat baldachinum Abbatis Regularis S. Vitalis, etiam praesente ipso Capitulo et functiones suas peragente; ipseque Archiepiscopus existens in Civitate vel in locis vicinis, teneatur saltem in pervigilio Festivitatis S. Vitalis hora competenti, de mane tamen, certiorem facere Abbatem sive Superiorem Monasterii S. Vitalis, utrum velit nec ne memoratis functionibus personaliter intervenire; ut,

eo interveniente, opportuno tempore, baldachinum Archiepiscopi, vel eo nolente intervenire, illud Abbatis Regularis erigi possit; iniungens Emo et Rmo Dom. Card. pro tempore legato, ut executioni huius Decreti Sanctitatis Suae, adhibitis etiam auctoritate sua iuris remediis, sedulo incumbat ». Die 12 Martii 1727.

2280. RAGUSINA. (3972)

Cum ex parte Patrum Abbatum Ordinis Sancti Benedicti Status Ragusini expositum fuerit, quod, ipsi occasione Processionum et absolutionum ad funeralia Rmorum Archiepiscoporum et Dominorum Rectorum Reipublicae Ragusinae, ad quas iidem invitati sunt simul cum Episcopis Suffraganeis, nulla persona in Dignitate Ecclesiastica constituta interposita, pontificalibus ornamentis induti semper accesserunt; cumque modo, ad effectum ne a simili possessione a Canonicis Cathedralis Ragusinae iidem in posterum perturbari valeant, declarationem manutentionis huiusmodi assertae consuetudinis a S. R. C. humillime supplicatum fuerit declarari:

S. R. C., visis attestationibus Episcoporum Stagnen., Mercanen. et Tribunen., atque lecto voto a Rmo Archiepiscopo Amaseno Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto exarato, rescribendum censuit: « Praecedentiam supra Canonicos deberi Abbatibus praedictis, et solitum servari mandavit ». Et ita decrevit. Die 12 Iulii 1727.

2281. SORANA. (3974)

PRAETENSAE ASSISTENTIAE
IN PONTIFICALIBUS.

Reassumpta iterum controversia iam a Canonicis Ecclesiae Cathedralis et Promotore Fiscali Curiae episcopalis Civitatis Soranae, adversus Praepositum et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae eiusdem Civitatis, super assistentia in Pontificalibus excitata, quae in S. R. C. habita 5 Decembris 1716, respectu Praepositi et Capituli praefatae Collegiatae nondum penitus resoluta fuit; et per Emum et Rmum D. Card. Polignac infrascripto dubio inter partes concordato proposito:

An decisa sub die 5 Decembris 1716, contra Archipresbyterum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis Sorae, militent etiam in omnibus contra Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae eiusdem Civitatis?

S. R. C., partibus tam scriptis quam voce hinc inde informantibus auditis, alias rescribendum censuit: « Affirmative quoad omnia ». Adversus tamen huiusmodi resolutionem obtenta a Capitulo et Praeposito praefatae Collegiatae S. Restitutae nova audientia, et modo iterum reproposita dicta controversia super suprascripto dubio,

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi et Rmi D. Card. Polignac, utraque parte voce et scriptis informante denuo audita, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 24 Ianuarii 1728.

2282. MILETEN. (3975)

Cum in Civitate Mileti, tam occasione accessus illius Magistratus et Capituli Ecclesiae Cathedralis ad palatium episcopale ad effectum associandi Episcopum Pontificalia peracturum ac in ceteris ecclesiasticis functionibus cum delatione Clavae, vulgo *Mazza d'onore*, quam super aliis praeeminentiis, contra ipsum Magistratum et Capitulum a Ioanne Francisco Mangioni eiusdem Cathedralis Canonico excitatae fuerint controversiae, atque ad instantiam dicti Canonici Mangioni ad S. R. C. delatae fuerint; Emus et Rmus D. Card. Pipia infrascripta dubia inter partes concordata in S. R. C. declaranda proposuit: (1)

1. An Magistratui et Capitaneo Virgae, postquam associaverint Episcopum usque ad Altare SSmi Sacramenti, liceat transire per Presbyterium ad effectum prosequendi eiusdem associationem usque ad locum baldachini?

2. An liceat eisdem in functionibus ecclesiasticis uti, sine Sanctae Sedis permissione, Clava, quam de praesenti ante se deferre faciunt, tam extra quam intra Ecclesiam?

3. An eadem Clava uti valeant in praefatis functionibus ecclesiasticis, tam praesentibus quam absentibus Episcopo et Capitulo?

4. An, pariter sine Sanctae Sedis gratia, liceat eisdem uti dicta Clava intus Ecclesiam, tempore quo non celebrantur functiones ecclesiasticae?

5. An liceat Capitulo Ecclesiae Cathedralis, sine Apostolicae Sedis indulto, in functionibus ecclesiasticis uti tam extra

(1) E. Dub. 1 et 2.

quam intus Ecclesiam, Clava, vulgo *Mazza d'onore,* quam de praesenti ante se deferre facit?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis ac tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad omnia: « Affirmative; et amplius ». Et ita decrevit ac declaravit et servari mandavit. Die 20 Martii 1728.

2283. ASCULANA. (3976)

Cum in Ecclesia Cathedrali Civitatis Asculi, occasione qua Rm̃us Ioan. Philippus Cauti Canonicus praefatae Cathedralis, post sibi collatum a SSm̃o D. N. Benedicto XIII titulum Episcopatus Erythraearum, ad sui canonicatus residentiam se restituit; inter Capitulares dictae Cathedralis ex una et ipsum Episcopum Titularem partibus ex altera, tam super modo sedendi in Choro quam super aliis praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus, multae exortae fuerint controversiae, pro quibus evellendis nonnulla inter ipsos efformata fuerunt dubia, ad effectum exquirendi votum alicuius SSm̃i Domini Nostri Papae Caeremoniarum Magistri: super quibus, prolatis a Rm̃o Archiepiscopo Gambaruccio responsionibus, idem Episcopus Titularis acquiescere minime voluit; verum, habito ex parte praefati Capituli ad S. R. C. recursu, pro infrascriptorum dubiorum declaratione humillime supplicatum fuit:

1. An post delatam per Archidiaconum sive Presbyterum assistentem pacem Episcopo locali, debeat illa deferri per dictum Archidiaconum sive Presbyterum Episcopo Titulari, antequam Canonici assistentes in Throno illam recipiant ab Episcopo locali?

2. An Canonicus Episcopus Titularis, in Missis et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis, teneatur discedere a stallo una cum reliquis Canonicis, pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcoporum?

3. An, exercente Pontificalia Episcopo, liceat Episcopo Titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre pluviale; vel potius incedere debeat cum rochetto, mantelletta et habitu violaceo? et quatenus affirmative quoad primam partem,

4. An una cum pluviali possit quoque deferre mitram Episcopalem, absque consensu Episcopi localis? et quatenus affirmative,

5. An et cuius qualitatis debeat esse mitra gestanda per dictum Episcopum Titularem in casu?

6. An, in casu concessionis usus mitrae ut supra, debeat Episcopus Titularis illam per seipsum imponere et amovere a capite; vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius?

7. An liceat Episcopo Titulari canenti Missas et Vesperas, ceu Canonico in propria Hebdomada, uti faldistorio et indumentis pontificalibus; seu potius illas canere debeat sedendo in scamno, prout reliqui Canonici, et absque pontificalibus indumentis? et quatenus affirmative ad primam partem,

8. An tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo locali?

Et S. R. C., ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Pico Ponentis, Procuratore Capituli scriptis et voce informante audito, atque Episcopo Titulari, quamvis intimato et nequaquam comparente, tam super praedictis dubiis quam etiam super iure ab ipso Episcopo Titulari praetenso recipiendi thurificationem ante Archidiaconum exercentem officium Presbyteri assistentis, ac etiam ante Canonicos Throno assistentes Episcopo in Missis cantatis aliisque functionibus ecclesiasticis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 4. « Debere, accedente consensu Rm̃i Episcopi ».

Ad 5. « Mitram debere esse lineam ».

Ad 6. « Per se ipsum, in casu ut supra ».

Ad 7. « Ad mentem; et mens est, ut in Missis de turno abstineat et subroget alium: in solemnioribus vero posse, de licentia Episcopi ».

Ad 8. « Iam provisum; et quoad thurificationem, Episcopum Titularem esse thurificandum post Archidiaconum et Canonicos Throno assistentes ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 10 Aprilis 1728.

2284. NULLIUS FORI POMPILII SEU BRICTINORIEN. (3977)

Ad sedandas controversias quae occasione Processionum faciendarum in Litaniis maioribus et minoribus, in Solemnitate SSm̃i Corporis Christi et in Dominica infra eius octavam, oriri solebant inter Capitulum atque Clerum Ecclesiae Collegiatae et Abbatialis S. Ruffilli ex una, et Clerum Ec-

clesiae Parochialis S. Petri Oppidi Fori Pompilii partibus ex altera; inita inter ipsos ab annis 1641 et 1682 concordia, eaque usque ad annum 1726 hinc inde servata; ipsa tamen non obstante, mense Aprili eiusdem anni, post indictam a Capitulo et Clero S. Ruffilli horam pro peragenda Processione S. Marci, ad quam Clerus dictae Parochialis S. Petri accedere tenebatur, idem Clerus S. Petri similem Processionem eodem tempore indixit. Ortis proinde inter ipsos multis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Picus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An inter Clerum Abbatialis et insignis Collegiatae Ecclesiae S. Ruffilli Fori Pompilii Nullius Provinciae Ravennaten. atque Clerum parochialis Ecclesiae S. Petri eiusdem Oppidi seu Civitatis servanda sit concordia super Processionibus faciendis in Litaniis maioribus et minoribus, in Solemnitate SSmi Corporis Christi et in Dominica infra eius octavam ad formam instrumentorum desuper stipulatorum annis 1641 et 1682? et quatenus affirmative,

2. An Regulares interesse debeant praedictis omnibus Processionibus?

3. An convocatio, ordinatio et horae praefinitio in singulis praefatis Processionibus spectet ad Capitulum praedictae Abbatialis et Collegiatae Ecclesiae S. Ruffilli?

4. An eidem Capitulo liceat sub propria Cruce ad dictas Processiones accedere ac sub ea in iisdem incedere?

5. An sub unica Cruce eiusdem Capituli incedere debeant utriusque Parochiae Cleri? (1)

Et S. R. C., utraque parte scriptis atque voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative; sed ab utraque Ecclesia cum suo respective Clero Saeculari et Regulari ac Confraternitatibus Processionem SSmi Corporis Christi faciendam esse per easdem vias, per quas hactenus habita fuit, servata alternativa; ita ut prima vice fiat a Collegiata S. Ruffilli in die Festo de mane, a Parochia vero S. Petri in die Dominica infra octavam pariter de mane; et anno sequenti fiat in die Festo a Parochiali et in die Dominica a Collegiata. Quod si ob aliquod legitimum impedimentum ab Ecclesia, ad quam iuxta praefatam alternativam spectaret, neque de mane neque post Vesperas dicti diei festi Processio fieri poterit, in hoc casu a dicta Ecclesia fiet de mane Dominicae infra octavam, et ab altera post Vesperas: Processiones Rogationum fiant in eadem die ab utraque Ecclesia cum suo respective Clero, ut supra, per vias magis aptas existentes in suis respective territoriis ».

Ad 2. 3. 4. et 5. « Iam provisum in primo ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 10 Aprilis 1728.

(1) E. Dub. 6, 7, 8, 9 et 10.

2285. CAMERINEN. (3978)

Praetendentibus Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Camerini, nedum ipsis competere praestare assistentiam Episcopo Pontificalia exercenti in Ecclesia Collegiata S. Venantii eiusdem Civitatis, quamvis Dignitates et Canonici praefatae Cathedralis non collegialiter neque capitulariter, sed uti singuli, accedant; verum etiam denegare Capitulo dictae Collegiatae, occasione Synodi, locum in eadem linea cum Capitulo Cathedralis, quamvis Capitulum Collegiatae, vigore motus proprii s. m. Pauli III, in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus unum corpus fere efformando, in eadem linea cum ipso Capitulo Cathedralis incedere soleat, cedendo tantum Capitulo Cathedralis manum dexteram; super quibus, exortis inter duo Capitula controversiis illisque ad S. R. C. delatis, a cl. mem. Card. Casino Ponente, anno 1714, ob imminentem celebrationem Synodi Decretum provisionale editum fuit, quo mandavit dicta Capitula sedere debere in scamnis aequalibus et aeque distantibus a Sede Episcopali, unum ad dexteram, nempe Capitulum Cathedralis, et alterum a sinistris, nempe Capitulum Collegiatae; sed postmodum, reassumpta controversia, per Emum et Rmum D. Card. Zondadarium infrascripta dubia inter partes concordata, in S. R. C. declaranda, proposita fuerunt:

1. An Episcopo Pontificalia exercenti in Collegiata S. Venantii debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis; seu potius a Priore et Canonicis eiusdem Collegiatae?

2. Ubi et quomodo occasione Synodi sedere debeant Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis?

Et S. R. C., utraque parte scriptis

et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Servetur Decretum a cl. mem. Card. Casini editum anno 1714 ».

Huiusmodi vero resolutioni Capitulum Cathedralis minime acquievit, et quamvis petita nova audientia eaque obtenta, attamen in repropositione causae comparere minime voluit, sed ad instantiam Capituli Collegiatae iterum causa super praedictis dubiis proposita fuit.

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi D. Card. Belluga, pro Emo Zondadario absente, inspectis praerogativis competentibus Capitulo Ecclesiae Collegiatae, quae ex privilegio Pauli III in multis gaudet privilegiis Cathedralitatis: « Stetit in decisis, quoad utrumque; et amplius ». Die 10 Aprilis 1728.

2286. PLACENTINA. (3980)

Inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis S. Iustinae Civitatis Placentiae ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Salernus infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An Magister Caeremoniarum Capituli Ecclesiae S. Antonini Placentiae associare valeat dictum Capitulum cum habitu violaceo et cum gestatione ferulae in illis Processionibus publicis ceterisque functionibus generalibus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Cathedralis? (1)

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et tam scriptis quam voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit: « Negative; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 3 Iulii 1728.

2287. PARISIEN. (3983)
PRAEEMINENTIARUM.

Cum in Ecclesia Collegiali et parochiali S. Ioannis in Laterano Civitatis Parisiensis, cuius animarum cura prius a tribus Prioribus Curatis Ioanne Baptista Moysant, Honorato Marion et Francisco Languet Religiosis Ordinis Ierosolymitani, alternatim et per hebdomadas exercebatur, occasione renunciationis per ipsum Fratrem Ioannem Baptistam Moysant primum et antiquiorem Priorem Curatum factae vigore Concordiae a *Bailivo* Moreae praedicti Ordinis, sub cuius iurisdictione dicta Ecclesia existit, approbatae super nonnullis praeeminentiis, quibus dictus Moysant tamquam primus et antiquior in receptione in illa Ecclesia fruebatur, inter Fratrem Honoratum Marion et Fratrem Franciscum Languet ratione antianitatis multae exortae fuerint controversiae et ad S. R. C. postea delatae; Emus et Rmus D. Card. de Polignac Ponens infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An quilibet ex Curatis parochialis Ecclesiae S. Ioannis in Laterano Civitatis Parisien. alternative et per hebdomadas curae animarum incumbentibus frui debeat in sua hebdomada omnibus honoribus, praerogativis et praeeminentiis attributis et adnexis titulo Curati?

2. An ius occupandi primum stallum in Choro Ecclesiae parochialis S. Ioannis in Laterano Civitatis Parisiens., recipiendi, ante alios, nobiles Matronas eleemosynas ad pios usus in eadem Ecclesia colligentes et incedendi ultimo loco quando itur ad stationem subtus eamdem Ecclesiam, competat privative Curato hebdomadario Ecclesiae, vel potius Curato magis antiano in receptione et conventualitate, quamvis non sit hebdomadarius?

3. An uterque Curatus teneatur interesse Officiis divinis, tam in sua quam extra suam hebdomadam?

4. An liceat dictis Curatis in actibus concernentibus Curam alium sibi arrogare titulum quam Prioris Curati?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Competere Honorato Marion, in casu de quo agitur ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Negative; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 11 Decembris 1728.

2288. FIRMANA. (3985)

Habito ex parte Magistratus Oppidi Murrovalli Firmanae Dioecesis ad S. R. C. recursu adversus Capitulum Ecclesiae Colle-

(1) E. Dub. 2, 3 et 4.

giatae S. Bartholomaei dicti Oppidi, exponendo, quod idem Magistratus tempore Adventus et Quadragesimae, occasione concionum, decenter sedens in scamnis in medio praefatae Ecclesiae, ante Canonicos qui in subselliis Chori post Altare maius intererant, salutationem concionatore recipere consuevit, sed postmodum, vigore Decreti in Concilio Provinciali anno 1726 celebrato, constructis a dicto Capitulo scamnis et in medio Ecclesiae appositis, Praepositus, Canonici ceterique Capitulares in illis sedent, tunc salutatio illa praefato Capitulo, ipso Magistratu controvertente, exhiberi caepit: deductaque ad S. R. C. huiusmodi controversia, Emus et Rmus Dom. Card. S. Clementis infrascriptum dubium inter partes concordatum proponi mandavit:

An et cui debeatur primo loco salutatio in casu?

Et S. R. C., ad relationem per me Secretarium, vice et nomine dicti Emi et Rmi D. Card. S. Clementis Ponentis, factam, audita informatione Rmi Archiepiscopi et tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: « Salutationem primo loco deberi Capitulo; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 20 Augusti 1729.

2289. TERULEN. (3987)

Cum ex parte Episcopi Terulen. ad evellendos multos abusus qui in praeiudicium propriae Dignitatis, occasione solemnium ecclesiasticarum functionum, et vigore consuetudinis a Capitulo et Canonicis illius Cathedralis praetensae, irrepserunt, a S. R. C. humillime supplicatum fuit sequentia dubia declarari:

1. An liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, etiam quando descendit, vertendo terga ad Altare pro impositione cinerum ac distributione candelarum et palmarum, et pro quacumque alia functione ecclesiastica?

2. An liceat, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus Civitatis vulgo *Regidores* utantur eodem tapete et pulvinari in iisdem functionibus?

3. An liceat, praesente Episcopo, eisdem Dignitatibus et Canonicis intra vel extra Ecclesiam Cathedralem adhibere in privatis functionibus ecclesiasticis Sedes cum brachiis et subselliis; aut solum uti debeant scabellis vel scamnis, quemadmodum utuntur, Episcopo Pontificalia exercente?

4. An liceat eisdem Dignitatibus et Canonicis occupare easdem Sedes cum brachiis, absente Episcopo, in functionibus ecclesiasticis intra Ecclesiam, non obstante non usu in contrarium in Cathedralibus Hispaniarum?

5. An Episcopo Pontificalia exercenti competat retentio baldachini seu umbraculi, etiam pretiosi et aurati, supra Sedem positam a latere Altaris maioris? (1)

S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Belluga Ponentis, utraque parte voce et scriptis informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Pro reformatione dubii, quod non bene concipitur; et Episcopus declaret, quid in eo exquiratur ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Competere, dummodo non sit pretiosum, nec auratum ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 20 Augusti 1729.

2290. NARNIEN. (3988)

Habito ab Episcopo Narnien. recursu contra Magistratum illius Civitatis, exponendo quod idem, quamvis antea ab ipso Episcopo pluries hortatus, admonitus ac occasione Decreti in actu visitationis facti sub poena pecuniaria adstrictus fuerit, eique conveniens locus extra Presbyterium fuerit assignatus, dicto Episcopo Pontificalia in Ecclesia Cathedrali peragenti assistere semper recusavit, sub praetextu quod idem in stallis choralibus assistere solebat, prout ante promulgationem Concilii Romani servatum fuit; factaque per me Secretarium de praedictis SSmo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua: « Dictum Magistratum per mulctam et censuras cogendum esse » mandavit. Die 14 Septembris 1729.

2291. AVENIONEN. (3990)

Excitata a Rectoribus Hospitalis S. Marthae Civitatis Avenionen. controversia adversus Capitulum illius Ecclesiae Metropolitanae, cui summam scutatorum sexaginta pro quolibet anno, vigore legati praefato Capitulo relicti, iidem Rectores paucis ab hinc annis persolvere recusabant, sub prae-

(1) E. Dub. 6.

textu quod a Canonicis et Beneficiatis dictae Metropolitanae testatoris dispositio non plene adimplebatur; dum ipsi, occasione benedictionis SSmi Sacramenti et, ad preces coram illo fundendas singulis Dominicis post Completorium, a Choro minime descendissent, eaque ad S. R. C. delata; Emus et Rmus D. Card. Gotti infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An Canonici et Beneficiati, dum occasione benedictionis Augustissimi Sacramenti singulis Dominicis post Completorium cantatur Hymnus: *Pange lingua etc.*, teneantur descendere a Choro et flexis genibus canere coram Venerabili; vel potius remanere possint in eorum stallis choralibus?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Gotti, perpensa prius informatione Rmi Archiepiscopi, nec non scriptis et voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit: « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 26 Augusti 1730.

2292. NEAPOLITANA. (3993)

Super iure praecedendi in Synodo aliisque publicis functionibus in Civitate Neapolis peragendis, inter Capitulum et Clerum Ecclesiae S. Mauri Casalis Casoriae, in insignem Collegiatam erectae usque ab anno 1702, a clar. mem. Carolo Card. Barbarino legato a latere ad illam Civitatem transmisso, ex una, et Parochos eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Belluga infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An in Synodo Neapolitana et in aliis publicis functionibus faciendis in dicta Civitate debeatur praecedentia Praeposito et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Mauri Casalis Casoriae: vel potius Parochis Civitatis Neapolis? Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, rescripsit: « Dilata; et ad mentem; et mens fuit quod exquireretur observantia aliarum Dioecesium, et modus etiam quo in Civitate Neapolis ordinantur Processiones ». Vigore itaque huiusmodi Rescripti, perventis pluribus variarum Regni aliarumque Ecclesiarum informationibus super tali consuetudine ab Emo Ponente requisitis, supradictoque dubio in S. R. C. iterum proposito;

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, partibus voce et scriptis denuo informantibus auditis, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 9 Decembris 1730.

2293. TERULEN. (3994)

Cum in causa Terulen. praeeminentiarum vertente inter Rmum Episcopum Terulen. ex una, atque Dignitates et Canonicos illius Cathedralis partibus ex altera, ac per Emum et Rmum Dnum Card. Belluga Ponentem proposita, super secundo dubio: An liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, quando descendit pro impositione cinerum, pro distributione palmarum et candelarum et pro quacumque alia functione ecclesiastica, etiamsi sequatur casus quod Magistratus Civitatis, vulgo *Regidores,* utantur eodem tapete et pulvinari in eisdem functionibus? a S. R. C. die 20 Augusti 1729 responsum fuerit: Ad secundum pro reformatione dubii; cumque postmodum idem Episcopus, de mandato ipsius S. C., pro meliori facti dilucidatione super huiusmodi abusu tempore Sedis Episcopalis vacantis inducto, magis opportunam transmiserit informationem; nunc idem Emus Belluga praedictum dubium a S. R. C. declarandum proposuit:

Et S. eadem R. C., Procuratore Rmi Episcopi scriptis et voce informante audito, ac nova ipsius Episcopi relatione mature perpensa, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit et servari mandavit. Die 9 Decembris 1730.

2294. ASTURICEN. (3995)

Ex parte moderni Episcopi Asturicen. expositum fuit, quod cum in temporibus Ordinationum a iure statutis multoties contingat occurrere eadem die Sabbati, quatuor temporum vel ante Dominicam Passionis, Festa duplicia aut semiduplicia, atque de tali occurrentia nihil in Pontificali disponitur circa Missam in Ordinationibus celebrandam, alios Antistites diversimode se gessisse audivit; quod scilicet nonnulli Missam de Festo, alii Missam de tempore celebraverint: quapropter ad tollendam super praemissis omnem dubietatem, a S. R. C. humillime supplicavit sequentia dubia declarari:

1. An, occurrente Festo duplici cuiuscumque classis aut solemnitatis in Sabbato quatuor Temporum aut ante Dominicam Passionis, Missa pro explenda Ordinatione debeat celebrari de Festo, an vero de tempore?

2. An idem dicendum in semiduplicibus, et casu quo in istis Festis dicenda sit Missa de Sancto, possit ex causa Ordinationis legi Missa de tempore, sicut potest ex iusta causa celebrari Missa votiva in praedictis Festis?

3. An si Missa celebranda sit de tempore, debeat fieri commemoratio de Sancto cuius fit Officium, an vero debeat dici prout in Ordinario, sicut in Ecclesiis Cathedralibus, ubi duae Missae celebrantur in praefatis diebus?

4. An Episcopo Ordinationes tenente in Cathedrali vel Collegiata, ubi canuntur duae Missae de Festo et de Feria, possit Ordinationem habere in Missa de Festo, an vero debeat fieri in Missa de Feria?

S. R. C., audito voto R. P. D. Reali Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit: « Iuxta votum », nempe:

Ad 1. « Missam pro explenda generali Ordinatione esse dicendam de tempore, non omissa tamen, iuxta Rubricarum dispositionem, illa de Festo occurrente ».

Ad 2. « Ut ad primum ».

Ad 3. « Provisum in secundo ».

Ad 4. « Ordinationem habendam esse in Missa de Feria ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 30 Ianuarii 1731.

2295. URBIS. (3996)

Cum ex Calendario Ecclesiae Sapientiae Urbis praescriptum sit singulis annis Feria IV, VI et Sabbato hebdomadae Sexagesimae, tempore vacationum a studiis, tres celebrandas esse exequias; cumque eaedem, iuxta dispositionem Decretorum, enunciatis diebus ob occurrentiam Sanctorum duplicium minime peragi, nec ad aliam diem ratione assistentiae tam DD. Advocatorum Consistorialium, quam aliorum ipsius Archigymnasii Professorum, transferri possint; propterea ex parte Custodum dictae Ecclesiae Sapientiae, pro indulto illas in posterum celebrandi in praefatis diebus, etiam Sancto duplici occurrente in S. R. C. humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R. C., attentis circumstantiis in supplici libello expressis: « Huiusmodi instantiae iuxta petita annuendum esse censuit ». Die 20 Februarii 1731.

2296. IANUEN. (3997)

Reluctantibus nonnullis Cappellanis Presbyteris, nuncupatis de Massa, Ecclesiae Metropolitanae Ianuen., contra antiquum solitum usque ad annum 1729 servatum, accedere una cum Canonicis illius Metropolitanae ad aulam Palatii Archiepiscopalis destinatam, ad effectum associandi R̃mum Archiepiscopum cappa indutum pontificaliter celebraturum vel celebrationi solemni adstiturum usque ad Ecclesiam, et ab ea ad dictam aulam respective reducendi; nec non, occasione huiusmodi associationis, genuflectere et in Ecclesia sacra paramenta ad Cathedram deferre; et a praefatis praetensionibus aliquibus ex dictis Cappellanis, non obstante etiam Edicto R̃mi Archiepiscopi, occasione Vigiliae et Festivitatis omnium Sanctorum anno praedicto publicato, minime recedentibus; idem R̃mus Archiepiscopus devenit contra nonnullos ex praefatis ad censuras suspensionis a Divinis. Verum ad eorumdem instantiam ab Auditore SS̃mi, praevia absolutione a censuris cum reincidentia, remissis ad S. R. C. controversiis, etiam quoad censuras, et in ea infrascriptis dubiis coram Ẽmo et R̃mo D. Card. Porzia Ponente inter partes concordatis discussis, nempe:

1. An Cappellani Metropolitanae Ecclesiae, de Massa nuncupati, ad eamdem Archiepiscopo accedente, Missam aliaque divina Officia pontificaliter celebraturo, ex aula archiepiscopali ad Ecclesiam et ab Ecclesia ad dictam aulam comitari teneantur?

2. An eadem associatio debeatur, quando Archiepiscopus cappa indutus descendit, ad effectum praestandi assistentiam in casu?

3. An praefati Cappellani in aula archiepiscopali, tam in accessu quam in regressu, teneantur Reverendissimo Archiepiscopo genuflectere?

4. An praefati Cappellani teneantur Archiepiscopo pontificaliter celebraturo deferre sacra paramenta ad Cathedram archiepiscopalem; et actualiter celebranti tenere librum et palmatoriam?

5. An censurae sustineantur in casu?

S. R. C., ad relationem Ẽmi et R̃mi D. Card. Pichi, loco dicti Ẽmi Ponentis, utraque parte scriptis et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Quoad paramenta sacra non teneri, nisi deficientibus Acolythis; quoad librum et palmatoriam, Affirmative ».

Ad 5. « Petita venia, recurrant ad Archiepiscopum ad mentem »; et mens est

« ut Archiepiscopus concedat licentiam celebrandi ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 3 Martii 1731.

2297. FLORENTINA. (3998)

Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium Monasterii S. Donati sub regula S. Benedicti Ordinis Cisterciensis extra moenia Civitatis Florentiae, S. R. C. benigne indulsit atque concessit: « Ut ipsae imposterum, tam in die Festo quam per octavam S. Donati, uti earum Monasterii Protectoris, Orationem et Lectiones proprias, iuxta approbationem pro Ecclesia Aretina factam, nec non nomina Sanctorum Benedicti et Bernardi in *Confiteor* recitare possint et valeant ». Die 3 Martii 1731.

2298. TREVICANA. (4000)
INSIGNIUM
AC CONSECRATIONIS
ET DISTRIBUTIONIS OLEI SANCTI.

Tam super delatione insignium Canonicalium, nempe caputii cum almutia et brevi cauda ad instar stolae sinistrorsum pendente, coloris violacei, hyemali tempore pelle varia ex alba et nigra, aestivo tempore serico eiusdem coloris violacei, cooperto, ac rochetto absque manicis, ab Episcopo Trevicano utrique Clero Ecclesiarum Collegiatarum S. Ioannis Baptistae Carifi et S. Mariae de Fracta Castelli Dioecesis Trevicanae anno 1729 concessorum; quam super delatione aliorum insignium Canonicalium, nempe mozzettae cum rochetto integro et caputio, sub praetextu illorum reintegrationis a cl. me. Viglino Episcopo Trevicano usque ab anno 1704 Capitulo illius Cathedralis concessorum; nec non etiam super controversia consecrationis et distributionis Olei sancti, quamvis ista favore dictae Cathedralis sub die 19 Februarii 1707 iam resoluta fuerit, habito ad S. R. C. recursu, ac super eisdem per Emum et Rmum D. Card. Pico Ponentem propositis infrascriptis dubiis inter partes concordatis illisque discussis, nempe:

1. An concessio insignium, de quibus agitur, facta ab Episcopo Trevicano Presbyteris Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Carifi et S. Mariae de Fracta Castelli Collegiatarum sustineatur in casu?

2. An Capitulum Cathedralis Ecclesiae Trevicanae sit manutenendum in possessione seu quasi possessione deferendi insignia, de quibus agitur in casu?

Nec non alio dubio: An standum sit vel recedendum a decisis in S. C. die 19 Februarii 1707, tam quoad Ecclesiam in qua fieri debeat consecratio Olei sancti in die Coenae Domini, quam quoad Ecclesiam in qua fieri debeat illius distributio?

S. eadem R. C., scriptis et voce Procuratoribus Capituli Cathedralis ex una, atque Promotori Fiscali supradictarum Ecclesiarum S. Mariae de Fracta Castelli et S. Ioannis Baptistae Carifi partibus ex altera, informantibus et auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative; et amplius ».

Ad 2. « Negative, quoad insignia concessa ab Episcopis; et amplius ».

Et quoad alterum dubium: « In decisis; et amplius ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 28 Aprilis 1731.

2299. BAREN. (4004)

Existente in Terra Aquaevivae Dioecesis Baren. Ecclesia Collegiata sub titulo S. Eustachii Mart., cuius Clerus componitur ex Archipresbytero prima Dignitate, duobus Primiceriis et triginta octo Canonicis seu Presbyteris installatis, nec non ex indeterminato numero simplicium Sacerdotum originariorum, inter quos, in explendis functionibus ecclesiasticis, unicus ordo absque ulla contradictione semper servatus fuit; Canonici modo praetendere coeperunt, occasione celebrationis Missarum solemnium et primae classis, quae ad illius Archipresbyterum spectant, eo absente vel impedito, ad exclusionem dictorum Primiceriorum, non obstante asserta eorum favore consuetudine; hoc munus ab ipsis Canonicis, iuxta propriam antianitatem explendum esse, sub motivo quod Primicerii quatenus Chori regimini praepositi sint eorumque Officium circa cantum versetur, dictum Chorum numquam derelinquere possunt. Proinde, excitatis a praefatis Canonicis adversus Primicerios pluribus controversiis, illisque a Rmo SS. Domini Nostri Auditore ad S. R. C. remissis; Emus et Rmus Dom. Card. Porzia Ponens infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An directio Chori privative spectet ad Primicerios? et quatenus affirmative,

2. An eisdem vel eorum altero absentibus, possint Primicerii subrogare sibi simplicem Presbyterum; vel potius debeant Canonici eorum vices supplere eosque coadiuvare in canendis antiphonis?

3. An Primicerii debeant assistere Archiepiscopo in eorum Collegiata solemniter celebranti?

4. An assistere debeant in Officio Diaconi et Subdiaconi Archipresbytero functiones solemniter peragenti? (1)

5. An ad ipsos vel ad Canonicos spectet peragere functiones solemniores, Archipresbytero impedito vel celebrare nolente?

6. An dictas functiones solemniores, Primiceriis peragentibus, teneantur Canonici illis assistere in munere Diaconi et Subdiaconi?

Et S. R. C., ad relationem praefati Emi Ponentis, partibus scriptis et voce informantibus prius auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, quatenus intersint Choro ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative, in casu de quo agitur ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Spectare ad Primicerios ».

Ad 6. « Affirmative; et in omnibus, amplius ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 24 Novembris 1731.

2300. RAGUSINA. (4005)

Super iuribus praeeminentialibus, quae variis temporibus inter Patres Abbates Ordinis S. Benedicti Congregationis Melitensis status Ragusini ex una, et Capitulum ac Canonicos illius Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera, exortis controversiis, atque occasione recursus habiti a Capitulo et Canonicis praefatae Metropolitanae, adversus resolutionem favore dictorum Abbatum sub 12 Iulii 1727 a S. R. C. editam, iterum ad eamdem delatis; Emus et Rmus D. Card. Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An sit confirmandum Decretum sub die 12 Iulii 1727, concedens Abbatibus pontificalibus ornamentis indutis, veluti coabsolventibus, praecedentiam in Processionibus funerum, de quibus agitur?

2. An dictis Abbatibus, ut supra indutis, tamquam invitatis pro assistentia in solemnibus primis Vesperis, Processione et Missa in Festivitate S. Blasii, veniat denuo assignandum stallum in Presbyterio, quo usos fuisse praetendunt in antiqua Cathedrali?

3. An per eosdem Abbates similiter indutos, et genua flectentes in actu receptionis et restitutionis Sacrarum Reliquiarum, quae per eosdem in dicta Processione deferuntur, sit permittendus usus eiusdem pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiepiscopus quam Episcopi Suffraganei?

4. An dicti Abbates in dictis Processionibus secum ducere valeant duos Clericos seu Monachos cotta indutos, ab utroque latere assistentes pro servitio et usu mitrae et baculi pastoralis?

Et S. eadem R. C., ad relationem praedicti Emi et Rmi D. Card. Belluga, tam scriptis quam voce utraque parte informante audita, ac iuribus hinc inde deductis mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Archiepiscopus assignet Abbatibus locum decentem in Presbyterio, post Episcopos ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative; ita tamen ut, praeter dictos duos Clericos aut Monachos, alios ducere non possint ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 24 Novembris 1731.

2301. PAPIEN. (4008)

Inter Patres Minores Conventuales S. Francisci Oppidi Valentiae *del Pò* Dioecesis Papien. ex una, atque Praepositum et Parochum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris Oppidi praedicti partibus ex altera, tam occasione associationis cadaverum quam solemnis Processionis quae in Festo SSmae Conceptionis ratione voti singulis annis fieri solet, controversiis exortis illisque ex parte dictorum Patrum Minorum Conventualium ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Dom. Card. Lercari infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An, occasione associationis cadaverum in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium Valentiae, liceat Praeposito et Parocho insignis Collegiatae dictae Civitatis, cum vel sine Clero, ingredientibus Ecclesiam praefatam cum Stola et Cruce elevata, praecedere Hebdomadarium Regularem indutum superpelliceo et Stola, usque ad locum exequiarum?

2. An, occasione solemnis Processionis fieri solitae in Festo SSmae Conceptionis, Patres Minores Conventuales dictae Civitatis habere debeant locum in Choro et stallo

(1) E. Dub. 5.

Canonicorum dictae Collegiatae a cornu Epistolae, ibique honorationes recipere praestari solitas dicto Capitulo, et praecedenter super ipso Capitulo?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta modum praescribendum ab Emo Ponente. Modus est, ut Patres Conventuales habere debeant locum in Choro et stallo Collegiatae a cornu Epistolae ibique solitas honorationes recipere, sed post Canonicos, etiam non interveniente Praeposito ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 15 Martii 1732.

2302. FIRMANA. (4009)

Cum in Terra Montis Georgii Firmanae Dioecesis adsit Ecclesia ad praesens nuncupata S. Francisci Fratrum Minorum Conventualium, ad quam tam Praepositi quam Parochi aliarum Ecclesiarum, occasione nonnullarum Processionum, simplici tantum superpelliceo induti accedere consueverunt: cumque, huiusmodi consuetudine minime obstante Praepositus Ecclesiae S. Ioannis et S. Benedicti die 25 Aprilis 1729 in Processione S. Marci, et anno 1730 in alia Processione pro Festivitate S. Benedicti, Stolam primum et postmodum etiam pluviale in dicta Ecclesia S. Francisci vigore Ritualis Romani induere coeperit; propterea, ratione praefatae delationis Stolae et pluvialis, inter Fratres Minores Conventuales ex una, atque Praepositos Ecclesiarum Sanctorum Ioannis et Benedicti ac S. Michaelis Archangeli illius Terrae (Parochis a lite postmodum recedentibus) partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Porzia infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Praepositi Sanctorum Ioannis et Benedicti ac S. Michaelis Archangeli teneantur accedere ad Ecclesiam Minorum Conventualium Montis Georgii, occasione peragendi Processiones, quae fiunt in dicta Terra? et quatenus affirmative,

2. An praefati Praepositi possint deferre in dicta Ecclesia Stolam et pluviale?

Et S. R. C., partibus scriptis et voce informantibus auditis, rescribendun censuit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta solitum ».

Ad 2. « Posse, iuxta praescriptum Ritualis Romani, unum ex Praepositis, vel alium Sacerdotem Secularem aut Regularem actualiter incipientem et peragentem functionem Processionis deferre Stolam et pluviale ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 17 Maii 1732.

2303. TARENTINA. (4010)

Cum ex parte D. Ioannis Baptistae Cicinelli Patritii Neapolitani Principis Cursi apud S. R. C. humiliter supplicatum fuerit, quatenus ipsi in Ecclesiis Terrae Cryptalearum intra fines Dioecesis Tarentinae, quae in temporalibus eidem subest, iura honorifica, aliis suis praedecessoribus permissa concedere dignaretur;

S. eadem R. C., audita relatione Rmi Archiepiscopi: « Iuxta modum ab ipso praescriptum supradicto Oratori usum genuflexorii panno laneo cooperti, dummodo dictum pannum genuflexorii fines non excedat, cum duobus etiam parvis pulvinaribus simili panno confectis, extra tamen Presbyterium (in Collegiata tantum), non in medio Ecclesiae, sed in uno ex lateribus ei melius viso; ita tamen ut illi numquam liceat uti genuflexorio, praesente Archiepiscopo in Terra Cryptalearum, neque maneat semper ornatum in Ecclesia, sed eo feratur toties quoties dictum Principem illam adire contigerit; concedi posse » censuit. Die 17 Maii 1732.

2304. NULLIUS (4017)
TERRAE MELDULAE
PROVINCIAE RAVENNATEN.

Consuetudo viget in Terra Meldulae, ut quoties illius Clerum, in aliqua Ecclesia ad sacras peragendas functiones convenire contingit, post Archipresbyterum S. Nicolai ceterosque animarum Rectores, reliqui Presbyteri et Clerici praecedentiam obtineant, iuxta antianitatem promotionis ac servata ordinum distinctione; cum vero nonnulli ex Cappellanis, a Caesare Armanno eorum institutore Armannis nuncupatis, sibi debitam asserant praecedentiam supra alios Presbyteros et Clericos quamvis prius ordinatos, nec non supra alios Cappellanos Armannos postremo electos, licet seniores in ordine; propterea, exortis inter Clerum supradictae Terrae ex una, et nonnullos Cappellanos Adunationis Armannae partibus ex altera, controversiis super iure praecedendi in Processionibus ceterisque omnibus actibus et functionibus ecclesiasticis, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Do-

min. Card. Gotti infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An et quibus debeatur praecedentia in casu?

S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: « Post Archipresbyterum S. Nicolai et alios Parochos, deberi praecedentiam iuxta antianitatem promotionis, servata Ordinum distinctione; et amplius ». Et ita declaravit. Die 9 Maii 1733.

2305. BARCINONEN. (4020)

Humillime apud S. R. C. supplicante Clero Cathedralis Barcinonen. pro declaratione infrascripti dubii: An, dum Festum S. Georgii Patroni Principatus Catalauniae occurrit in Feria VI maioris Hebdomadae sive in Sabbato Sancto, ita ut in aliam diem non impeditam transferatur, eadem die qua peragitur Officium translatum de S. Georgio adsit etiam obligatio audiendi Missam?

Et S. R. C. respondit: « Pro translatione Officii et Missae, sed absque obligatione praecepti audiendi Sacrum et vacandi ab operibus ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 10 Decembris 1773.

2306. AVENIONEN. (4022)

Delatis ad S. R. C. a Capitulo et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Avenionen. controversiis super nonnullis iuribus et praeeminentiis, tam ab illius Civitatis Magistratu et Consulibus quam a Dignitatibus trium Collegiatarum, nempe S. Agricolae, S. Petri et S. Desiderii, nec non utroque Clero Seculari ac Regulari iam excitatis; Emus et Rmus Dom. Card. S. Agnetis infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An exequiae Summorum Pontificum, Regum, Ducum, Magnorum principum et similia, tamquam functiones pontificales fieri debeant in Ecclesia Metropolitana; vel eius loco in Ecclesia Patrum Franciscanorum?

2. An in casu quod una ex dictis Ecclesiis sit quocumque modo impedita, electio alterius Ecclesiae spectet ad Archiepiscopum seu Capitulum; vel potius ad Consules Civitatis?

3. An in huiusmodi exequiis absolutiones circa castrum doloris, post Dignitates Metropolitanae, fieri debeant a Dignitatibus trium Collegiatarum; seu potius a Canonicis eiusdem Metropolitanae? et quatenus negative ad secundam partem,

4. An dictis Dignitatibus Collegiatarum, agentibus similes functiones, Subdiaconus et Diaconus assistere debeant?

5. An dictae Dignitates Collegiatarum peragentes dictas functiones et similes, possint uti rochetto?

6. An tribus Collegiatis Maioribus, habentibus curam animarum, competat ius exigendi a Metropolitana quartam funeralem pro suis parochianis, qui in dicta Metropolitana eligunt sepulturam?

7. An in Processionibus generalibus uterque Clerus teneatur convenire in Ecclesia Metropolitana, sive eius platea, tam in principio quam in reditu Processionis?

8. An, a quibus et in quo loco sint convocanda comitia generalia Cleri? et an convocatio et destinatio loci spectet ad Praepositum seu Capitulum?

9. An praecedentia, tam in sedendo quam in votando, competat Canonico deputato Capituli Metropolitanae super alios Deputatos Collegiatarum, etiamsi isti sint Dignitates?

10. An in aliis Congressibus, qui fiunt coram Archiepiscopo occasione Synodi, vel in Domo Civitatis, similis praecedentia competat Canonico deputato a Capitulo Metropolitanae; vel potius Deputatis Collegiatarum, quatenus sint Dignitates?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, sub die 15 Februarii 1727 rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem, Affirmative; quoad secundam, relinquendum arbitrio Archiepiscopi ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 4. « Iam provisum ».

Ad 5. « Provisum in tertio ».

Ad 6. « Ad S. C. Concilii ».

Ad 7. « Affirmative, et intra Ecclesiam Metropolitanam ».

Ad 8. « Comitia generalia esse convocanda a Praeposito Cathedralis in Aula Capitulari ».

Ad 9. « Affirmative ».

Ad 10. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Verum adversus resolutiones 1 et 2 ex supra propositis dubiis expetita et obtenta a Magistratu et Consulibus praefatis nova audientia; ac modo reproposita controver-

sia, praevia discussione infrascriptorum dubiorum, nempe:

An sit standum vel recedendum a decisis in primo et secundo dubio diei 15 Februarii 1727, in casu etc.?

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi Cardinalis S. Agnetis, utraque parte scriptis et voce iterum audita, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 17 Iulii 1734.

2307. MONOPOLITANA. (4023)

Super iure praetenso a Capitulo Ecclesiae Cathedralis Monopolitanae eligendi unum tantum Magistrum Caeremoniarum per Rmum Episcopum postea approbandum, pro assistentia praestanda in omnibus functionibus, tam ab ipso Episcopo quam a Capitularibus celebrandis, expedito coram A. C. monitorio, et huiusmodi controversia ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis ab Emo et Rmo D. Card. Pro-Auditore SSmi, praevia avocatione causae a dicto Tribunali, ad S. R. C. remissa atque delata; Emus et Rmus D. Card. Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An liceat Capitulo eligere Magistrum Caeremoniarum ab Episcopo confirmandum? et quatenus affirmative,

2. An valeat Episcopus, iustis de causis in Caeremoniali Episcoporum praescriptis, confirmationem electionis denegare; et an teneatur causas exprimere?

3. An idem Magister Caeremoniarum censeri debeat electus privative, etiam quoad omnes functiones pontificales et assistentias praestari solitas Episcopo, tam intra quam extra Ecclesiam Cathedralem? et quatenus negative,

4. An Episcopo liceat alium Magistrum Caeremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipso peragendis et aliis, ipso praesente, explendis, tam intra quam extra dictam Ecclesiam? et quatenus affirmative,

5. An eidem Magistro Caeremoniarum electo ab Episcopo omnes Capitulares teneantur obedire quoad ea quae divinum cultum concernunt, sub poena arbitrio Episcopi?

Et S. R. C., partibus hinc inde scriptis et voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 17 Iulii 1734.

2308. NULLIUS PUTIGNANI. (4024)

Pro declaratione dubii circa delationem pileoli tempore quo Magister Caeremoniarum inservit et assistit Missis solemnibus aliisque divinis Officiis, pro Priore et Primiceriis Ecclesiae Collegiatae Nullius Terrae Putignani: « Non licere ». Die 17 Iulii 1734.

2309. LAUDEN. (4026)

Exhibita sub die 30 Februarii 1733 ad instantiam Vicarii Generalis Lauden. inhibitione Bernardino Campi Praeposito Ecclesiae Collegiatae Oppidi Cotonei Dioecesis Lauden., qua eidem iniunctum fuit, ne, occasione exercendi Pontificalia, auderet excedere ultra facultates in proprio privilegio expressas, habitoque ex parte praefati Praepositi adversus huiusmodi inhibitionem ad S. R. C. recursu; Emus et Rmus D. Cardinalis Lercari, ad tollenda dissidia, infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Praepositus Ecclesiae Cotonei possit ad libitum exercere Pontificalia more Episcoporum (abstinendo a benedictione privata et septimo candelabro) et uti simplici baldachino et Sede uno gradu humiliore prae Sede episcopali in Ecclesia propria?

2. An sibi iisdem Pontificalibus uti possit in aliis Ecclesiis subiectis, et in Processionibus non egredientibus limites Parochiae?

3. An sit honorandus titulo Rmi in scripturis publicis et privatis; atque in Synodis interesse valeat cum indumentis pontificalibus more Abbatum?

Et S. R. C., scriptis et voce partibus informantibus auditis, visisque iuribus, tam ex parte dicti Praepositi quam Promotoris Fiscalis, iisque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative: et servetur Decretum Alexandri VII ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 28 Augusti 1734.

2310. AQUILANA. (4028)

Habito ad S. R. C. recursu ex parte Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis Aqui-

lanae super nonnullis iuribus a Capitulo illius Cathedralis praetensis, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Cardinalis Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An liceat Capitulo eligere pro functionibus canonicalibus et eius servitio Magistrum Caeremoniarum distinctum ab altero Episcopi? et quatenus affirmative,

2. An idem Magister Caeremoniarum valeat suum munus exercere absque consensu et approbatione Episcopi?

3. An idem ex permissione Capituli uti valeat in dictis functionibus veste violacea, tam praesente quam absente Episcopo?

4. An Archidiaconus et Canonici in Missis celebrandis, tam intra quam extra Cathedralem, ultra unum inservientem qui Missae respondeat, uti valeant dicto Magistro Caeremoniarum cum vel sine veste violacea, vel alio ministro Sacerdote, tam pro delatione Calicis ad Altare et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo et cooperiendo Calicem, in illum infundendo vinum et aquam, porrigendo Patenam cum Hostia itemque Calicem, eumdemque postea instruendo cum velo ad instar Episcoporum; vel potius debeant celebrare, ut quilibet alius simplex Sacerdos, omnes relatos ritus a semetipsis explendo absque ope Ministri?

5. An Archidiaconus et Canonici teneantur capitulariter in habitu canonicali recipere Episcopum a suo cubiculo et associare ad Ecclesiam Cathedralem, similique modo ad eumdem reducere, quando iste vult pontificaliter celebrare, tam in solemnioribus a Pontificali Romano praescriptis, quam in aliis solemnitatibus ex consuetudine vel devotione in Civitate introductis, vel occasione universalis Iubilaei, vel alia rationabili causa Episcopo benevisa?

6. An idem veniat servandum quando Episcopus ad eamdem Ecclesiam accedit cum cappa, ut assistat Missae cantatae, vel Vesperis aut Processioni, vel ut concionem audiat, vel alia de causa?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Non posse exercere absque approbatione Episcopi ».

Ad 3. « Affirmative, tantum in functionibus episcopalibus, ex dispositione Caeremonialis non vero ex dispositione Capituli ».

Ad 4. « Negative in omnibus, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Affirmative, iuxta Caeremoniale ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 22 Ianuarii 1735.

2311. THEATINA. (4029)

Super celebrationem Missarum solemnium, occasione Processionum generalium tribus diebus Rogationum in Ecclesiis Regularium Ordinum S. Augustini, Minorum Conventualium et S. Dominici Oppidi Vasti Dioecesis Theatinae, inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris ex una, et ipsos Regulares partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Lercari infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum, nempe Feria II, in Ecclesia PP. S. Augustini; Feria III, in Ecclesia PP. Minorum Conventualium; Feria IV. in Ecclesia Patrum Dominicanorum Civitatis Vasti, cantari debeant a Canonicis S. Mariae Maioris; vel potius a Regularibus respective dictarum Ecclesiarum? Et S. R. C., partibus hinc inde informantibus auditis, die 19 Ianuarii 1732, rescribendum duxit: « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Verum ad istantiam dictorum Regularium, vigore novae audientiae ab ipsis obtentae, reproposita huiusmodi controversia super dubio: An sit standum, vel recedendum a decisis; S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, sub die 13 Septembris dicti anni, ex iuribus a dictis Regularibus noviter deductis, rescripsit: « Praevio recessu a decisis, Missas cantandas esse a Regularibus ».

Sed adversus istam resolutionem, petita et obtenta etiam a Capitulo praefatae Collegiatae nova audientia, idem Emus Ponens sequens dubium declarandum proposuit: An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis?

Et S. eadem R. C., iuribus hinc inde deductis mature examinatis, et utraque parte scriptis et voce audita, rescribendum censuit: « Standum esse in secundo loco decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 22 Ianuarii 1735.

2312. SURRENTINA. (4031)

Delatis ad S. R. C. a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli de Plano Surrenti controversiis, super nonnullis iuribus et praeeminentiis a Capitulo Ecclesiae Metropolitanae iam excitatis; Emus et Rmus D. Card. Gotti infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Collegiatae et Parochiali Ecclesiae S. Michaelis Archangeli de Plano Surrenti competat titulus *Insignis*?

2. An Canonicis eiusdem Collegiatae liceat uti cappis cum caputio subsutis serico rubri coloris?

3. An dicti Canonici possint in Processionibus aliisque solemnitatibus intervenire solutis cappis; vel potius illis ligatis et recollectis?

4. An Archiepiscopo Pontificalia celebranti in dicta Ecclesia Collegiata, vel filialibus aliisque sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici eiusdem Collegiatae; seu potius eadem assistentia spectet ad Canonicos Metropolitanae, qui sive singulariter sive capitulariter, interveniant?

5. An Canonici dictae Collegiatae assistentes Archiepiscopo in Throno Pontificalia exercenti debeant esse induti vestibus choralibus; seu potius paramentis sacris; et an eidem debeant circulum componere?

6. An in dicta Collegiata possit retineri Thronus inversus, et illum in rectum poni, Archiepiscopo interveniente et Pontificalia exercente?

7. An et qui locus debeatur Canonicis Collegiatae ad Cathedralem accedentibus, occasione Synodi aliarumque functionum?

8. An dictis Canonicis Collegiatae sint assignanda scamna nuda; vel potius cum humerulis, suppedaneo et panno decoratis?

Et S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, sub die 22 Ianuarii proxime praeteriti rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam, nisi quando Canonici Metropolitanae interveniant capitulariter ».

Ad 5. « Negative ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et quoad circulum, servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Occasione Synodi, serventur notata per Gavantum in Praxi cap. 13, n. 10, tit. de Synod.; et in reliquis functionibus collocandos esse inter alios de Clero in loco digniori post Capitulum Cathedralis ».

Ad 8. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Verum adversus supradictas resolutiones instantibus modo Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis pro concessione novae audientiae;

S. eadem R. C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescripsit: « Nihil de nova audientia; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Martii 1735.

2313. VERCELLEN. (4032)

Cum ex parte Praepositi Ecclesiae parochialis sub titulo S. Mariae Viveronis et Roppuli Dioecesis Vercellen. apud S. R. C. humiliter supplicatum fuerit pro assignatione diei Festi consecrationis illius Ecclesiae; quia ob longum temporis lapsum, quamvis in parietibus dictae Ecclesiae plures adhuc existent Cruces ipsius consecrationem indicantes, dies huius penitus ignoretur;

S. eadem R. C., audita prius relatione Emi et Rmi Episcopi, huiusmodi instantiae annuendo: « Petitam assignationem pro die ab ipso Emo Episcopo semel designanda et numquam in posterum mutanda concedendam esse censuit ». Die 12 Martii 1735.

2314. GERUNDEN. (4033)

Aegre ferentibus Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis Gerunden. quod Thomas Milans Magister Cappellae post ipsius iubilationem iisdem praerogativis, quibus ante iubilationem gavisus fuit, frui deberet; Capitulum et Canonici praefatae Cathedralis, promovendo etiam iura honorifica favore dicti Magistri Cappellae iam iubilati, causam in S. R. C. proponi, ac infrascripta dubia inter ipsos Beneficiatos et Canonicos concordata discuti curarunt, nempe:

1. An Magistro Cappellae Cathedralis Ecclesiae Gerundensis iubilato concedenda sit gratia fruendi iisdem insignibus et praeeminentiis in Choro et aliis functionibus, quibus ante iubilationem fruebatur? et quatenus affirmative,

2. An gaudere possit eadem praecedentia et insignibus super Beneficiatis eiusdem Ecclesiae Cathedralis, etiam in omnibus ecclesiasticis functionibus quae fiunt in Ecclesia S. Lucae?

Et S. R. C., ad relationem Eñi et Rñi D. Card. Zondadari, utraque parte scriptis et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. « Affirmative; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 14 Maii 1735.

2315. IMOLEN. (4034)

Inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae et S. Hilarii Terrae Luci Dioecesis Imolen. ex una, et Patres Ordinis S. Dominici *del Molino* dictae Terrae partibus ex altera, occasione trium Processionum, quae in dicta Ecclesia S. Mariae *del Molino* cum interventu totius Cleri Secularis et Regularis nec non omnium Confraternitatum infra annum fieri solent, circa modum ingrediendi dictam Ecclesiam ibique assistendi ac Missam solemnem celebrandi, ortis controversiis, illisque a S. C. Episcoporum et Regularium ad S. R. C. remissis; Eñus et Rñus D. Card. S. Clementis infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An liceat Capitulo insignis Collegiatae S. Mariae et S. Hilarii in tribus Processionibus in singulis annis celebrandis introire Ecclesiam S. Mariae *del Molino;* et quidem cum celebrante et duobus assistentibus paratis pluviali et dalmaticis?

2. An Missa solemnis, quae cantari solet in dicta Ecclesia S. Mariae *del Molino* post Processiones, quae fiunt diebus 26 Aprilis et 15 Augusti cuiuslibet anni, cantanda sit ab Archipresbytero et Canonicis dictae Collegiatae, dissentientibus Religiosis; sive potius sit cantanda ab eisdem Religiosis? et quatenus affirmative ad primam partem,

3. An liceat eidem Capitulo in dictis casibus assistere dictae Missae solemni in utroque latere Presbyterii, potius quam in alia parte eiusdem Ecclesiae?

4. An Processio celebrata die 26 Aprilis anni praeteriti, quae absolvi non potuit a Capitulo propter impedimentum iniuste praestitum a Religiosis in ingressu eiusdem Ecclesiae, sit iterum celebranda, prout etiam aliae Processiones, quae successive celebrari debebant, et non fuerunt celebratae?

Et S. R. C., partibus scriptis et voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam, circumscripta resolutione Concilii die 28 Februarii 1735 ».

Ad 3. « Affirmative, et Episcopus assignet locum ».

Ad 4. « Negative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 14 Maii 1735.

2316. ANAGNINA. (4040)

Super nonnullis iuribus honorificis, inter Ioannem Baptistam Bassi Episcopum Anagninum et Fr. Bartholomaeum Rubini illius Coadiutorem ex una, atque Scipionem Ambrosii de Thomasiis Praepositum Cathedralis eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis; Eñus et Rñus D. Card. Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Praeposito Ecclesiae Cathedralis Anagninae debeatur thurificatio triplici ductu, absente Episcopo? et quatenus affirmative,

2. An debeatur, praesente Vicario Generali?

3. An Praepositus in locis ubi, ob deficientiam Sedium fixarum in Choro, Canonici sedent in scamnis, sive in functionibus sacris sive in congressibus canonicalibus, debeat, praesente vel absente Episcopo, sedere in istis, servata praerogativa primi loci; sive potius sit pro eo ponenda Sedes honoraria cum dorso ad humeros?

4. An, Praeposito in diebus solemnibus Sacrum faciente, possint in gradibus Abaci exponi pelvis, gutturnium et manutergium in lance, quibus utatur, duobus Mansionariis vel Clericis cum cotta ministrantibus ad *Lavabo;* vel potius debeat Sacrum facere ad instar aliorum Canonicorum?

5. An Praeposito in Processionibus debeatur candela maioris ponderis, et in distributione palmarum distincta et honorabilior quam ceteris de Capitulo?

6. An assistentibus in Choro Vicario Generali et Praeposito praecedere debeat Vicarius; vel potius Praepositus? et quatenus affirmative ad primam partem,

7. An eadem praecedentia debeatur Vicario, si Praepositus sit indutus sacris vestibus, aut si Vicarius sit simul Canonicus et intersit in Choro cum habitu Canonicali?

8. An, dum Praepositus exuitur vestibus usualibus in sacrario et induitur vestibus choralibus, pro delatione Breviarii ad suum stallum tolerari possit, ut ei inserviat unus aut alter ex Mansionariis?

9. An Praeposito debeantur in sacrario paramenta Sacra et nobiliora in loco distincto a ceteris Canonicis?

10. An Praepositus teneatur per seipsum, quando non est legitime impeditus, servare Hebdomadam in Choro et canere Missas per turnum cum ceteris Canonicis?

11. An liceat Praeposito se eximere ab assistentia in Processionibus S. Marci, Rogationum et aliis cum pluviali?

S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 4. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. et 9. « Negative ».

Ad 10. « Affirmative ».

Ad 11. « Servetur Caeremoniale; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Aprilis 1736.

2317. MONTIS ALTI. (4042)

Inter Priorem et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Lauretanae Terrae Castignani Dioecesis Montis Alti ex una, et Praebendatos Ecclesiae parochialis S. Petri dictae Terrae partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Cardinalis Georgius Spinola infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Ecclesia S. Petri Apostoli Terrae Castignani sit Collegiata? et quatenus negative,

2. An Processiones generales et aliae publicae, pro tempore indicendae, inchoari debeant ab Ecclesia Collegiata S. Mariae Lauretanae et in ea terminari; vel potius ab Ecclesia S. Petri?

3. An in iisdem Processionibus Prior et Canonici dictae Collegiatae praecedere debeant Parocho aliisque Presbyteris et Praebendatis Ecclesiae S. Petri?

4. An et ad quem spectet in dictis Processionibus, et signanter Rogationum, benedicere campestria, et in Festo SSmi Corporis Christi deferre Sacramentum et dare benedictionem populo?

5. An in dictis Processionibus incedi debeat sub Cruce tantum Ecclesiae Collegiatae; an sub Cruce etiam S. Petri? et quatenus affirmative ad secundam partem,

6. Quaenam ex dictis Crucibus praecedere debeat?

7. In funeribus deferendis ad Ecclesiam S. Petri, in quibus intervenit invitatum ab haeredibus defuncti Capitulum Collegiatae, sub qua Cruce incedi debeat?

8. An in iisdem funeribus Capitulum ingredi possit Ecclesiam S. Petri, ibique assistere usque ad humationem cadaveris, cum sua Cruce erecta, etiam in absolutione funeris? et quatenus affirmative,

9. Cuinam competat praecinere antiphonas? (1)

10. An pulsatio nolarum in Sabbato Sancto spectet prius ad Ecclesiam Collegiatam S. Mariae; vel potius ad Ecclesiam S. Petri?

11. An dictae Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae Lauretanae competat ius sepeliendi?

S. R. C., Procuratore Capituli praefatae Ecclesiae Collegiatae, scriptis et voce audito rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Spectare ad Priorem Ecclesiae Collegiatae sive ad alterum eiusdem Canonicum, qui in casu impedimenti illius vices suppleat ».

Ad 5. « Sub utraque Cruce ».

Ad 6. « Praecedentiam deberi Cruci Ecclesiae Collegiatae ».

Ad 7. « Sub Cruce Ecclesiae S. Petri tumulantis ».

Ad 8. « Negative ».

Ad 9. « Provisum in praecedenti ».

Ad 10. « Spectare ad Collegiatam ».

Ad 11. « Affirmative, salvis iuribus Parochi ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Aprilis 1736.

2318. MAZARIEN. (4043)

Cum S. R. C. innotuerit in Oppido Drepani Dioecesis Mazarien., occasione funerum, quemdam irrepsisse abusum, nempe collocandi cadavera Archipresbyterorum de-

(1) E. Dub. 10, 11 et 12.

functorum, induta pluviali, in sede, non vero in feretro, ut praescribit Rituale Romanum.

S. eadem R. C., audita relatione Episcopi, rescripsit: « Non licere; et servetur Rituale Romanum ». Die 21 Aprilis 1736.

2319. EINSIEDELN. (4044)

Dubia varia circa Breviarium Benedictinum, pro quorum resolutione et declaratione apud S. R. C. humillime supplicatur.

AD TITULUM VII
RUBRICAE GENERALES DE OCTAVIS.

Dubium unicum: An Commemoratio solemnis S. Patris Benedicti in mense Iulio sit celelebranda cum octava?

℟. « Negative, nisi adsit concessio specialis ».

AD TITULUM VIII
DE OFFICIO S. SCHOLASTICAE
IN FER. III PRO SINGULIS MENSIBUS.

An Lectiones ex Ven. Beda pro mense Ianuario in Officio cuiuslibet mensis assignatae, quarum initium est: *Quia B. Scholasticae commemoratione peragimus etc.*, quando eo mense Ianuario Officium impediatur, sint dicendae mense sequenti, quo primum fit Officium in mense de S. Scholastica?

℟. « Negative; scilicet Lectiones unius mensis, licet non fuerint recitatae, non sunt legendae mense sequenti ».

AD TITULUM IX
DE COMMEMORATIONIBUS.

An in Desponsatione B. M. V. sit facienda commemoratio S. Iosephi?

℟. « Negative, nisi constet de speciali concessione ». (1)

AD TITULUM XX
DE HYMNIS.

Dubium unicum: An Hymnus proprius S. Hermenegildi Martyris quando in primis Vesperis omissus fuerit, sit ponendus in Matutino, et Hymnus Matutini in Laudibus?

℟. « Affirmative ad utrumque ».

AD TITULUM XXI
DE ANTIPHONIS.

Dubium 1. An in Feria VI et Sabbato post octavam Ascensionis Antiphonae 1 et 2 Nocturni dicendae sint absolute, ut in Feria VI et Sabbato infra octavam Ascensionis, adeoque Antiphona *Elevata est* et *Dominus in Templo* sint habendae tamquam fixae et propriae pro Feria VI post octavam Ascensionis, et Antiphonae: *A summo coelo* et *Exaltare* pro Sabbato seu Vigilia Pentecostes; non curando, an adhuc supersint aliae impeditae per octavam Ascensionis? An vero quoad hoc etiam illi duo dies sint reputandi pro diebus infra octavam Ascensionis, ita ut non debeant in his diebus ab initio repeti hae Antiphonae ex Festo Ascensionis sed pro exigentia rei, aliae sint dicendae: verb. gr. si infra octavam Ascensionis semel sit factum Officium de octava, et fuerint proinde dictae duae primae Antiphonae ex primo Nocturno Festi Ascensionis scilicet: *Elevata est* et *Dominus in Templo*, deinceps autem omnes dies sint dupliciter impediti; Feria VI autem post octavam non occurrat Festum, sed dicendum sit de Feria VI post octavam Ascensionis: tunc non sint rursus dicendae Antiphonae: *Elevata est* et *Dominus in Templo;* sed Antiphona 3 et 4, scilicet: *A summo coelo* et *Exaltare:* sicut moris est in die tertia infra octavam?

℟. « Servetur omnino Rubrica eiusdem Breviarii Monastici apposita post octavam Ascensionis ante Officium Feriae VI, et recitentur illae Antiphonae, quae tali vel tali die assignantur ». (2)

Dubium 2. Quando Festum SS. Philippi et Iacobi celebratur extra tempus Paschale, quaenam omitti vel retineri debeant *Alleluia,* et an tollendi sint Asterisci?

℟. « Extra tempus Paschale omittantur omnia *Alleluia;* et Asterisci non tollantur ». (3)

AD TITULUM XXV
DE BENEDICTIONIBUS
ET LECTIONIBUS.

Dubium 1. An benedictio XI in Officio menstruo S. Scholasticae, item Feria III de S. Benedicto, nec non de Immaculata Conceptione in Sabbato sit *Cuius commemorationem colimus?*

℟. « Negative, et dicatur semper *Cuius Festum colimus* ».

Dubium 2. An in Festo S. Ioannis Chrysostomi universaliter in primo Nocturno legendae sint Lectiones *Sapientiam etc.* de Doctoribus, etiam extra Quadragesimam?

(1) E. Dubia ad tit. X. — (2) E. Dub. 2, 3, 4 et 5. — (3) E. Dubia ad tit. XXIII et XXIV.

℟. « Servetur Rubrica Breviarii Romani, et extra Quadragesimam dicantur Lectiones de Scriptura occurrente; intra Quadragesimam vero recitentur Lectiones de Communi Doctorum ».

Quid etiam pro S. Ioanne de Matha?

℟. « Pro S. Ioanne de Matha idem servandum est; et in Quadragesima dicantur Lectiones de Communi, scilicet *Beatus vir etc.* ».

Quid de S. Anselmo?

℟. « Quocumque tempore in Officio S. Anselmi Lectiones primi Nocturni dicantur de Communi Doctorum videlicet: *Sapientiam etc.* ».

Quid autem, quando in Festo aliquo assignantur Lectiones: *Sapientiam,* de Doctoribus; vel *Beatus* aut *Iustus* vel aliae de Communi? An scilicet ita firmiter sint dicendae, ut tunc non possit eo die legi Scriptura occurrens; etiam si sit Initium cadens vel alias iam impeditum, vel si alioquin in ea Hebdomada Initio Scripturae nullus esset locus, nisi omittantur illae Lectiones de Communi assignatae?

℟. « Quando Lectiones assignantur sive propriae sive de Communi, omittatur etiam Initium Scripturae, quod reponendum est infra Hebdomadam in Officio ritus inferioris, minoris dignitatis ac solemnitatis; etiamsi tale Festum habeat Lectiones proprias aut sint de Scriptura ».

Dubium 3. An in octava Ascensionis Domini ponenda sit Epistola S. Pauli ad Ephesios; *Obsecro itaque vos etc.;* Feria autem sequenti tria Initia: scilicet Initium Epistolae secundae et aliud Epistolae tertiae S. Ioannis Apostoli, et tandem Initium Epistolae S. Iudae?

℟. « Servetur omnino dispositio Breviarii Monastici Romani, et recitentur enunciatae Epistolae, nempe S. Pauli in die octava, et Sanctorum Ioannis et Iudae in Feria VI ».

Et si citata Initia nec Feria VI nec alia die antecedenti dici possint, quaeritur: An in Dominica praecedenti, loco Lectionum III et IV, debeant poni, ut notat Breviarium Styriae editum 1731?

℟. « Omittantur, nec recitentur in Dominica praecedenti; et quoad Initium Epistolae S. Iudae, si neque alia die legi potuerit, omittatur ».

Dubium 4. An, quando October habet tantum quatuor Dominicas, Lectiones Dominicae V Octobris in aliqua die Hebdomadae praecedentis Dominicae viciniori sint ponendae?

℟. « Servetur omnino dispositio Breviarii Romani, et in Feria V, VI et Sabbato Hebdomadae IV Octobris legantur Lectiones de Dominica V, continentes historiam Martyrii Sanctorum Machabaeorum ».

Dubium 5. An, postquam pro octava S. Matris nostrae Scholasticae sunt approbatae Lectiones ex Ven. Beda, Lectiones diei infra octavam impeditae dicendae sint die sequenti, qua fit primo de octava, vel in ipsa die octava?

℟. « Negative ».

Dubium 6. In Festo S. Gregorii II Papae die 13 Februarii in Lectione octava ad finem ponitur obiisse die 11 Februarii, cum tamen in Martyrologio legatur 13 Februarii, quae est dies obitus; ideo quaeritur: An illa lectio sit per errorem et mendose sic posita, et an sit corrigenda?

℟. « Expungatur dies obitus S. Gregorii ab octava Lectione in Officio eiusdem, et tantum dicatur: *Coelum conscendisse mense Februario* ».

Dubium 7. In Festo S. Georgii, cuius in Germania specialis est cultus, cum legantur tres Lectiones de Communi, petitur concessio Lectionum propriarum: celebratur enim Officium sub ritu duplici.

℟. « Pro gratia; et legantur in secundo Nocturno Lectiones de Sermone S. Laurentii Iustiniani, quae propriae sunt de S. Georgio ». (1)

DUBIA CIRCA LECTIONES TERTII NOCTURNI.

Dubium 1. Cum in III Nocturno pro Festo S. Ioannis Nepomuceni ponatur Homilia in Evangelium *Nihil est opertum etc.,* quaeritur: Nonne melius ponerentur Lectiones de Communi tam intra quam extra tempus Paschale?

℟. « Semper dicatur Evangelium: *Nihil est opertum* cum sua Homilia ».

Dubium 2. Cum saepe contingat ut in Dioecesi celebretur unum et idem Festum, quod etiam fit a Religione Benedictina, sed alii in III Nocturno unum assignant Evangelium, alii vero aliud; quaeritur: An Religiosi sequi debeant ordinem proprii Breviarii an Dioecesani?

℟. « Servetur ordo Breviarii proprii Monastici nationalis ». (2)

(1) E. Dub. 8 et 9. — (2) E. Dub. 3, 4, 5 et 6.

Dubium 3. An in Dominica in Albis Lectio XII legatur de simplici Festo occurrente, et hoc anno 1735, de S. Aniceto?

℟. « Affirmative ».

Dubium 4. An, quando Vigilia omnium Sanctorum venit in Dominica, et consequenter anticipanda est in Sabbato, quod tunc erit dies 30 Octobris, de ea solum facienda sit commemoratio; quia tum Festum Sacrarum Reliquiarum, quod die 30 Octobris in nostro Ordine celebratur, tum illa Vigilia habet idem Evangelium et eamdem Homiliam; idem enim fieri consuevit, si Festum Expectationis Partus B. V. venit in Feria IV Temporum, de qua ex ratione simili tantum fit commemoratio? An vero tali casu pro Festo Sanctorum, quorum Reliquiae in nostris Ecclesiis asservantur, aliud Evangelium et alia Homilia sint accipienda: et quaenam? An *Cum audieritis etc.* vel *Sedente Iesu super Montem Oliveti etc.?*

℟. « De Vigilia fiat commemoratio tantum; in Officio autem Sacrarum Reliquiarum recitetur Evangelium *Descendens Iesus de monte* cum Homilia S. Ambrosii ».

AD TITULUM XXVII
DE RESPONSORIIS PROLIXIS.

Dubium. An, quando in Officio duodecim vel trium Lectionum dicendum est Responsorium de simplici Feria maiori vel Vigilia non habente Responsoria propria, pro eadem Lectione universaliter sit accipiendum Responsorium 1 ex primo Nocturno Dominicae, vel de Communi Sanctorum? An vero in hoc sit habenda ratio Feriarum Hebdomadae, ita ut Feria secunda et quinta sumendum sit Responsorium 1 ex primo Nocturno Dominicae, vel de Communi Sanctorum: Feria 3 et 6 primum responsorium ex secundo Nocturno Dominicae vel de Communi Sanctorum: et Feria 4 et Sabbato Responsorium 1 ex tertio Nocturno Dominicae vel de Communi Sanctorum?

℟. « Servetur Rubrica Breviarii Monastici Romani titul. 27 de Responsoriis prolixis num. 6; et Responsorium dicatur de simplici, desumpto a Communi, quod competit tali simplici, si Lectio sit de simplici: nempe a Communi Confessorum, si Lectio sit de Confessore; de Communi Martyrum, si Lectio sit de Martyre ». (1)

ALIA DUBIA.

Dubium 1. An Festum principalis Patroni alicuius Dioecesis a Regularibus sit celebrandum ritu primae classis, et Dedicatio Ecclesiae Cathedralis ritu secundae classis; licet hactenus Festum Patroni celebretur ritu duplici maiori, Festum autem Dedicationis omnino non celebretur?

℟. « Affirmative, tum quoad primum, tum quoad secundum; sed sine octavis: Regulares autem degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium ».

2. An postquam S. Canutus pro Ordine Benedictino fixe est repositus die 20 Februarii, possit pridie huius diei hoc elogium S. Canuti Regis et Martyris legi in Martyrologio, non obstante quod lectum fuerit septimo Idus Ianuarii?

℟. « Affirmative, non variata tamen dispositione Martyrologii Romani ».

3. An in Festo S. Marci ac in Feriis Rogationum, si in iis fiat de Festo duodecim Lectionum, in iis locis ubi una tantum Missa cantatur, pro populi maiori commoditate ut possit post Processionem vacare laboribus; oporteat potius cantari Missam de Festo, quam de Rogationibus?

℟. « Convenientius est Processionem facere post Nonam, inde cantare Missam Rogationum ». (2)

4. An si per Dedicationem Ecclesiae vel aliud Festum cadens in Dominica impediatur Initium Scripturae talis Dominicae, et per octavam non sit locus pro eo, quod omnes dies sint de die infra octavam, praeter unam forte de Festo quod tamen habeat Lectiones de Communi assignatas, tunc tale Initium sit omittendum, vel potius reponendum in illo Festo, omissis Lectionibus assignatis? Et quid, si illud Festum sit duplex maius?

℟. « Initium Scripturae aut transferendum est ad diem liberam, etiamsi post octavam hoc eveniat, aut anticipate legendum. Sed in Officio pro quo assignatae sunt Lectiones de Communi, istae sunt legendae: quod faciendum est vel magis in duplici maiori, iuxta Rubricas Breviarii de Lectionibus ».

5. An in die octava Dedicationis ita omnia sint de die Dedicationis praeter Lectiones secundi et tertii Nocturni, ut etiam Lectiones primi Nocturni sint desumendae ex die

(1) E. Dub. 2, 3 et 4. — item E. Dubia ad tit. XXVIII et ad tit. de Orationibus.

(2) E. Dub. 4, 9 et 11.

Dedicationis; licet dies octava occurrat in Dominica habente Initium Scripturae?

℟. « In die octava Dedicationis semper sunt repetendae Lectiones in primo Nocturno quae iam lectae fuerunt in primo Nocturno Officii de ipso Festo Dedicationis ».

6. Si Festum SS. Philippi et Iacobi veniat infra Hebdomadam quartam post Pascha, et in Dominica quarta veniat Festum duplex non habens Lectiones assignatas de Communi nec proprias, Scriptura talis Dominicae sit in tali Festo ponenda, non obstante quod eaedem Lectiones rursus infra illam Hebdomadam occurrant in Festo Sanctorum Philippi et Iacobi? vel sufficiat quod talis Scriptura ponatur in Festo horum Apostolorum, et in Festo occurrente in Dominica possint poni Lectiones de Communi?

℟. « In Dominica quarta legantur Lectiones: *Incipit Epistola Catholica B. Iacobi Apostoli*. In Festo autem SS. Philippi et Iacobi legendae erunt Lectiones eiusdem Epistolae, quae occurrunt dicendae in illa Feria ».

7. Cum in Rubricis pro primis Vesperis SSmi Corporis Christi dicatur, quod illi duo Psalmi *Beati omnes* et *Lauda Ierusalem* debeant alternari, quod etiam praescribitur de Antiphonis; quaeritur: An omissi una die propter Festum duplex occurrens, debeant postea reponi et dici alia die in qua fiat de octava? an vero computandi sint dies illi, ac si in eis non fuissent positi tales Psalmi et Antiphonae cum alternatione?

℟. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

8. An Festa affixa Dominicis diebus, v. gr. Patrocinii, S. Raphaelis etc. possint celebrari in diebus octavis?

℟. « Non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quae sunt concessa pro locis et Ecclesiis particularibus ad eorum instantiam. At quando Officia praedicta sunt de praecepto pro aliquo Statu, sicuti sunt Officia plura B. M. V. concessa a s. m. Benedicto XIII pro Statu Ecclesiastico affixa certis diebus, transferuntur ».

9. An infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Dominicá secunda vel tertia Adventus etiam in Hymnis Dominicae *Conditor alme siderum* et reliquis sit dicenda clausula: *Gloria tibi Domine, qui natus etc.*, vel in Hymnis Dominicae propriis retinenda sit clausula: *Laus, honor, virtus, gloria, etc.* tamquam propria?

℟. « Omnes Hymni in casu terminentur cum versibus: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine etc.* ».

10. An ubi Festum SSmae Trinitatis est Titulus Ecclesiae vel Patronus sit dicendum Symbolum S. Athanasii per totam octavam, sive Officium fiat de octava sive de alio Festo occurrente?

℟. « Negative; et Symbolum S. Athanasii recitetur solum in solemni Festo SSmae Trinitatis, et in die octava eiusdem ».

11. Cum modo plura Festa a die obitus translata sortita sint aliam diem fixam v. g. S. Petri Urseoli, S. Canuti, S. Bonifacii IV, S. Pii V, S. Columbani, S. Eusebii, S. Petri Chrysologi etc.; quaeritur: An haec Festa sint annuntianda in Martyrologio diebus eorum obitus, vel pridie illius diei quo eorum faciendum est Festum et Officium, et sub quibus formulis?

℟. « Annuncianda sunt Festa iisdem diebus et verbis in Martyrologio Romano descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, debet nunciari Festum illius Sancti, de quo sequenti die agetur solemnis memoria ».

RELIQUA DUBIA.

Reliqua dubia proposita ab Abbate Monasterii Einsiedeln. Congregationis Elveticae Ordinis S. Benedicti super nova Breviarii impressione, pro quorum declaratione S. R. C. exoratur humillime:

1. An in occurrentia Festorum eiusdem ritus et in ceteris quomodocumque parium, sit eorum praelationis causa Religio aut Natio, v. g.: si fuerit Ordinis nostri aut si fuerit Germanus?

℟. « Primum locum habebit Officium Ecclesiae particularis, 2. Ordinis seu Religionis, 3. Dioecesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae universalis ».

2. An, contra Decretum sub die 14 Februarii 1632, in Oratione de S. Petro Nolasco adhuc sit retinendum verbum *Nolascum*, quod nonnulla Breviaria adhuc retinent?

℟. « Expungantur omnino, in Orationibus tantum, Cognomina et Patriae Sanctorum ».

3. Quae Responsoria sint dicenda pro XII Lectione de Sancto Simeone, ubi S. Helladii Festum, quod est de indulto, celebratur eodem die 18 Februarii: An scilicet ℟. primum primi Nocturni, vel ex Nocturno Feriae correspondente?

℟. « Dicatur Responsorium primum primi Nocturni desumptum a Communi unius

Martyris, non vero Responsorium Nocturni quod correspondet Feriae ».

4. An octava S. Scholasticae impediat Preces etc., specialiter autem si dies Cinerum cadat infra dictam octavam; an scilicet illa die dicendae sint Preces, quae omittuntur in omnibus octavis?

℟. « Octava S. Scholasticae impedit Preces, quando de illa fit Officium. Quod si octava occurrat in Feria IV Cinerum, dicantur Preces, sed nihil fiat de octava, quae terminatur ad primas Vesperas Feriae IV Cinerum exclusive ».

5. An conformiter cum Decreto Sacrae Rituum Congregationis de commemoratione octavae Sanctae Scholasticae in die Cinerum omittenda, etiam, Dominica Passionis infra octavam Sancti Benedicti cadente, in primis eiusdem Dominicae Vesperis sit omittenda commemoratio octavae?

℟. « In primis Vesperis facienda est commemoratio de die infra octavam, quando octava celebratur post Dominicam Passionis; secus autem, si dies octava incidat in eamdem Dominicam Passionis: quia tunc propter Dominicam privilegiatam cessat octava ».

6. Cum frequens nimis sit Homilia S. Hieronymi: *Grandis fiducia etc.* in Evangelium: *Dixit Petrus ad Iesum* (legitur enim in Officio mensuali S. Benedicti, item in eius solemni Festo et pro aliis Abbatibus) petitur facultas apponendi aliam in eius solemni Festo, nempe Homiliam ex Ven. Beda, quae incipit: *Perfectus ille etc.* seu aliam ex iisdem Homiliis approbatis in Communi Abbatum?

℟. « Pro gratia; et apponatur Homilia S. Bernardi Abbatis vel alia S. Ioannis Chrysostomi, quae est in Communi Abbatum in Breviario vetere Einsiedeln., nisi Homilia quae petitur et inscribitur Ven. Bedae, convenientior sit et accommodatior Festo, rebus gestis ac virtutibus S. Benedicti; quo casu ista aliis praeferatur ».

7. Quale Responsorium sit dicendum post penultimam Lectionem in Officio Sanctorum Philippi et Iacobi, quando illud Festum in Dominica cadens amittit suam ultimam Lectionem, cuius loco legitur Homilia in Evangelium eiusdem Dominicae occurrentis?

℟. « Si Festum Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi occurrat in Dominica, Responsorium ultimum, quia est proprium, dicatur loco penultimi ».

8. An quando secundum communem modum transferri debeat Festum Inventionis S. Crucis cadens in Dominica, in qua celebratur Festum Dedicationis Ecclesiae; hoc Festum S. Crucis, utpote secundae classis, debeat expectare usque ad diem aliquam non impeditam; vel possit statim sequenti die fieri, licet Festo duplici impedita?

℟. « Transferatur Officium S. Crucis; quod, licet sit secundae classis, reponi debet prima die Festo duplici vel semiduplici non impedita ». (1)

9. An Festum S. Chiliani Episc. Martyris sit celebrandum cum Sociis de Communi plurimorum Martyrum; vel sine Sociis de Communi unius Martyris?

℟. « Fiat Officium de Communi unius Martyris ».

10. Item quae Oratio dicenda sit in Festo S. Chiliani Episc. Martyris?

℟. « Oratio *Infirmitatem* ».

11. Item quae Oratio et Missa in Festo S. Udalrici 4 Iulii?

℟. « Missa erit *Statuit*, et Oratio *Da quaesumus* ».

12. Cum Festum Sacrarum Reliquiarum, quae in aliquibus Ecclesiis Ordinis Nostri asservantur, celebretur sub ritu duplici secundae classis in die Dominica, et aliquando in eadem Dominica occurrat Festum S. Lucae Evangelistae, quaeritur quale sit transferendum, et de quo celebrandnm sit Officium?

℟. « Non est transferendum Officium S. Lucae ».

13. An in secundis Vesperis Festi S. Emiliani Abbatis, quod est dupl. mai., et quae concurrunt cum Festo omnium Sanctorum Monachorum, facienda sit commemoratio de S. Emiliano, utpote qui et ipse est unus ex iisdem Sanctis Monachis, quorum festus dies celebrari incipit in primis Vesperis?

℟. « Affirmative ».

14. An Festum SSmi Nominis Mariae celebrandum sit Dominica infra Octavam Nativitatis, etiam si Dominica occurrat in ipsa die octava?

℟. « Affirmative ad utrumque, et ex praecepto; et quando ipsa dies octava Nativitatis incidat in Dominica, nulla fiat commemoratio octavae ».

15. An Festum Sacrarum Reliquiarum, quae asservantur in Ecclesiis Ordinis nostri, celebrandum sit et qua die mense Octobris?

℟. « Affirmative, et die 30 Octobris ».

(1) E. Dub. 9, 14, 16, 17 et 28.

16. Cum plerumque Officium Monasticum careat in primo Nocturno Lectionibus Sacrae Scripturae, quaeritur: An in Festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis legendae sint Lectiones de Communi vel de Canticis, ut in Festo S. Mariae Magdalenae poenitentis?

℟. « Dicantur omnino Lectiones de Communi ».

17. Quaeritur: quae Lectiones I Nocturni sint legendae in Festo S. Alexii?

℟. « Omnino de Communi, et quae positae sunt primo loco, nisi aliae sint in eodem Communi, quae magis sint accommodatae virtutibus et rebus gestis Sanctorum, de quibus ea die fit Officium ».

18. Quando contingit fieri Officium infra octavam Dedicationis, v. g. Feria II et IV, quaeritur: Quae Responsoria sint dicenda? et quae absolutiones et benedictiones?

℟. « Responsoria tunc dicantur, iuxta ordinem distributum in dandis benedictionibus: absolutiones autem et benedictiones varientur per Hebdomadam, iuxta ordinem praescriptum in Feriis, qui reperitur impressus in Breviario Einsiedeln. ante Psalterium ».

19. Quaeritur: An, quando in Officiis Sanctorum adsunt Hymni proprii et particulares, et item Responsoria, antiphonae etc.; ista omnia dicenda sint de praecepto, itaut minime liceat ea desumere e Communi?

℟. « Propria omnia dicenda sunt, et ex praecepto ».

20. Cum in Festo S. Marci et in Feriis Rogationum, ex nupero S. R. C. Decreto, debeat post Nonam fieri Processio et cani Missa Rogationum, petitur facultas cantandi Missam Rogationum ante Officium diei, ut populus, qui frequentissimus adesse solet tempore matutino in Ecclesia, possit vacare laboribus.

℟. « Pro gratia; et poterit cantari Missa Rogationum ante Processionem pro populi commoditate ».

21. An in Officio S. Mariae in Sabbato facienda sit commemoratio S. Benedicti; item S. Scholasticae?

℟. « Affirmative, quoad primum; Negative, quoad secundum ».

22. An in Officio de S. Benedicto, quod celebrari solet in singulis Hebdomadis, facienda sit commemoratio S. Scholasticae?

℟. « Negative ».

23. An in Officio SS̃mi Sacramenti, quod recitatur singulis Feriis V in Germania; et in Officio Immaculatae Conceptionis quod ex indulto S. R. C. recitatur in Germania sub ritu duplici in Sabbato, facienda sit commemoratio S. Benedicti?

℟. « Servetur Rubrica de commemorationibus; et commemoratio de S. Benedicto fiat in semiduplici, simplici et Feriis. Quod autem ipsa Officia S. Benedicti, S. Scholasticae, SS̃mi Sacramenti, et Immaculatae Conceptionis, servetur Decretum die 20 Martii 1706, quo prohibentur huiusmodi Officia celebrari intra Quadragesimam, Adventum, quatuor Tempora, Ferias Rogationum et Vigilias omnes sive cum ieiunio, sive sine ieiunio ».

24. An in Officio defunctorum in Vesperis et in Laudibus dicendi semper sint Psalmi appositi: *De profundis* et *Lauda anima mea Dominum;* an aliquando sint relinquendi?

℟. « Servetur Rubrica Breviarii et Ritualis Romani ».

25. Cum septimum Responsorium in Communi Virginum sit: *Afferentur Regi Virgines etc.*, octavum vero: *Prudentes Virgines etc.* cum suo versu: *Media autem nocte clamor factus est etc.;* quaeritur: An in nova Breviarii impressione id servandum sit, vel potius Responsorium septimum ponendum sit loco octavi, et octavum Responsorium recitandum sit loco septimi?

℟. « Septimum Responsorium erit: *Prudentes Virgines*, octavum vero: *Afferentur Virgines etc.* ».

26. An infra octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. vel S. Benedicti vel aliorum Sanctorum, occurrente aliqua Feria, Missae debeant dici de Feria, vel de die infra octavam? et quatenus Missae dicantur de Feria, quaenam Orationes in Missis apponi debeant? et quae Praefatio dicenda sit?

℟. « Quando occurrit Vigilia aut Feria quatuor Temporum infra octavam Conceptionis B. M. V., debet recitari Officium de die infra octavam Conceptionis; Missae autem, sive una cantetur, sive cunctae legantur, dicantur de Feria quatuor Temporum cum secunda Oratione de octava, tertia vero de Spiritu Sancto, quae semper dicitur infra octavas Festorum B. M. V., iuxta Tit. IX de Orationibus n. 7 et 9. Oratio enim, quae ibi praescribitur dicenda secundo loco, in casu ponitur loco tertio. At si Feria quatuor Temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Missae privatae dicantur de octava Conceptionis cum commemoratione Feriae; Missa autem solemnis, quae dicitur post Tertiam, erit de ipsa die octava Conceptio-

nis sine commemoratione Feriae, cum de ea cantari debeat alia Missa post Nonam sine commemoratione Conceptionis, de qua nulla hic est habenda ratio. Dicendae autem sunt Orationes assignatae in ipsa Feria, nempe secunda: *Deus qui de B. M. V. utero*, et tertia *Ecclesiae* vel *pro Papa;* cum Praefatione communi, ut videre est in Rubrica Missalis Romani. Idem servandum est in Missa et Officiis S. Benedicti, nec non aliorum Sanctorum ex speciali privilegio octavam in Quadragesima habentibus. Verum, si Officium recitetur extra tempus Passionis, Missae omnes dici debent de Feria cum commemoratione octavae, et tertia Oratione *Concede*, non vero *A cunctis;* tempore autem Passionis, quando contingat fieri Officium de die infra octavam, unica cantari debet Missa de Feria cum commemoratione diei infra octavam, et Praefatione de octava, si habeatur propria, ut dictum est superius de octava Conceptionis ».

27. Quaeritur: An in Missa feriali, quae substituitur Missae de octava, sit genuflectendum in Choro?

℟. « Affirmative, in omnibus Missis ferialibus, etiam infra octavas ».

28. Quaeritur tandem: Quae Orationes dicendae sint in Missa votiva quae celebrari aliquando potest infra octavam?

℟. « Si infra octavam dicatur aliquando Missa votiva, tunc prima Oratio erit propria de Missa, secunda de Octava, tertia autem de Feria; neque in fine recitabitur Evangelium Feriae, sed Initium S. Ioannis, nempe: *In principio* ».

Propositis in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Georgio Spinula, ad instantiam P. Abbatis Monasterii Einsiedeln. Ordinis S. Benedicti Congregationis Helveticae, suprascriptis dubiis, illisque mature perpensis atque examinatis,

S. eadem R. C.: « Resolutiones approbavit, et imprimi posse concessit ». Die 5 Maii 1736.

2320. SENOGALLIEN. (4045)

Inter modernum Priorem et Clerum parochialis Ecclesiae S. Severi Terrae Montis Novi Dioecesis Senogallien. ex una, atque Societatem SSmi Sacramenti eiusdem Terrae partibus ex altera, super iure praecedendi in Processionibus aliisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Guadagni infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An liceat confratribus Ven. Societatis SSmi Sacramenti Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post Clerum hinc inde et ante baldachinum in solemnitate SSmi Corporis Christi; sive potius teneantur incedere a latere eiusdem baldachini?

2. An idipsum liceat in Processione quae fieri solet Feria VI maioris Hebdomadae cum Statua defuncti Salvatoris; seu potius teneantur etiam incedere a latere Statuae?

S. R. C., partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Provisum in primo; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 5 Maii 1736.

2321. ARIMINEN. (4046)

Delatis ad S. R. C. controversiis vertentibus inter Mansionarios Ecclesiae Cathedralis Ariminen. ex una, et Martinum Ugolinum Vicarium Curatum dictae Ecclesiae ex altera partibus, super iure praecedendi in associatione cadaverum, eo quod praetendant illi collegialiter accedentes, non interveniendibus tamen capitulariter Canonicis, praecedentiam sibi deberi privative super Vicarium Curatum in absolutione et associatione cadaverum de Parochia Ecclesiae Cathedralis tumulandorum in dicta Ecclesia vel in alia; super his Emus et Rmus D. Card. Gotti infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An, Canonicis capitulariter non intervenientibus, gestatio Stolae et praecedentia in associatione et in absolutione cadaverum de Parochia Ecclesiae Cathedralis Ariminen. tumulandorum in dicta vel in alia Ecclesia, debeatur alicui ex Mansionariis collegialiter accedentibus; vel potius Vicario Curato amovibili eiusdem Cathedralis?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, atque tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 5 Maii 1736.

2322. FIRMANA. (4047)

Praetendente Alexandro Fabritio Canonico Praebendato Ecclesiae Cathedralis Firmanae in eius Hebdomada, quando exercet officium diaconale in Missa solemni, assistente Rmo Archiepiscopo, committere tale

officium suo coadiutori, et insuper per seipsum exercere diversum officium libri, coram eodem Rmo Archiepiscopo, quod ad Nicolaum Torrenti alterum Canonicum Praebendatum spectaret, ortis inter ipsos controversiis, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Georgius Spinula infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An Alexander Fabritius in eius Hebdomada seu turno adstrictus exercere officium diaconale in Missa solemni, assistente Archiepiscopo, possit tale officium committere suo Coadiutori, et insimul exercere per se ipsum alterum diversum officium libri coram supradicto Archiepiscopo, in praeiudicium Praebendati immediate sequentis?

Et S. R. C., audito scriptis et voce Procuratore praefati Alexandri Fabritii, ad relationem ipsius Emi et Rmi Ponentis rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 23 Iunii 1736.

2323. BRUGEN. (4049)

Rmus Episcopus et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Brugen. a S. R. C. infrascripta dubia declarari demisse supplicarunt: (1)

1. An, dum Missa cantatur coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes, an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Item: An eadem commemoratio possit vel debeat fieri etiam in Festis primae vel secundae classis?

2. An Sequentia in Missa de SSmo Nomine Iesu dicenda vel omittenda sit in ipsius Festo?

3. An dum in Choro, praeter Missam Conventualem, cantatur Missa votiva ex fundatione, in hac Missa debeat fieri commemoratio Festi de quo cantatur Missa Conventualis?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto; et in Missis solemnibus celebrandis in Festis primae et secundae classis esse eamdem commemorationem faciendam sub unica conclusione ».

Ad 2. « Sequentiam esse omittendam ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit. Die 23 Iunii 1736.

2324. BRIXIEN. (4051)

Canonicis et Clero insignis Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Terrae Virolae Brixien. Dioecesis demisse in S. R. C. supplicantibus pro resolutione infrascriptorum dubiorum:

1. An post expositionem vel Processionem Reliquiae S. Crucis, quando Reliquia reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa?

2. An ipsa incensanda sit a Celebrante genuflexo; vel stante?

3. An Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante Altare, in quo recondita est, genuflectendum sit illi ab omnibus indiscriminatim; an vero ceteris de Clero genuflectentibus, canonicis aliisque a Caeremoniali Episcoporum lib. 1, cap. 18, § 3, exceptis, ubi agitur de cultu simplicis Crucis, se illi profunde inclinare tantummodo sufficiat?

S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis, respondit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. et 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 15 Septembris 1736.

2325. ROMANA RUBRICARUM. (4054)

Ex parte Redactoris Calendarii Romani apud S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii, nempe:

An in Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini, occurrente Festo simplici, dicenda sit tertia Oratio: *Ecclesiae* vel pro Papa; et an eadem tertia Oratio recitanda quoque sit infra octavas Paschatis et Pentecostes? (2)

Et S. R. C., inhaerendo resolutioni alias in simili dubio editae, ad relationem Emi et Rmi D. Card. de Gentilibus Ponentis, respondit: « Nihil esse innovandum; nempe, non esse dicendam tertiam Orationem ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 15 Septembris 1736.

2326. TOLETANA. (4055)

Ex parte Ignatii Cocchi Magistri Caeremoniarum regalis Monasterii, nuncupati *delle Scalze,* Oppidi Matriti Dioecesis Toletanae humillime supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum dubiorum.

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7. — (2) E. Dub. 2.

1. Occurrente Festo duplici secundae classis octavam habente cum Dominica Septuagesimae, et (sequentibus diebus occupatis) translato ad sequens Sabbatum, secundae Vesperae eruntne ut in primis aut ut in secundis Festi cum commemoratione Dominicae in Sexagesima? vel erunt de Psalterio a Capitulo de Dominica cum commemoratione de die octava ut in primis Vesperis Festi? et quid si dies octava habeat Orationem propriam?

2. An Festo Purificationis B. M. V. occurrente in supradictis Dominicis, tum in Ecclesiis dicatis sub titulo Annuntiationis vel Assumptionis etc., possit dici Missa de Purificatione? et an in Ecclesiis praecipuis cantandae sint duae Missae, de Dominica nempe et de Purificatione? ac ubi tantum cantatur una Missa, idne fieri debeat sine alterius commemoratione?

3. An in Processione Feriae VI in Parasceve cappae seu pluvialia deferentium hastas baldachini, debeant conformari in colore cum indumentis nigris Celebrantis aut cum albo baldachini?

4. An in adoratione Crucis dictae Feriae debeant Celebrans et Ministri deponere etiam manipulum?

5. Occurrente Festo semiduplici in Vigilia alicuius Apostoli, in Missa Festi tertia Oratio eritne *A cunctis* vel *Concede?*

6. Si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia sive ultima debetne concludi *eiusdem Spiritus Sancti etc.?* (1)

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Secundas Vesperas Festi fieri debere cum commemoratione Dominicae in Sexagesima, et in die octava esse recitandam Orationem propriam eiusdem octavae ».

Ad 2. « Esse cantandam Missam Dominicae tantum, nec faciendam esse commemorationem ».

Ad 3. « Non esse adhibenda pluvialia, sed solum cottas a gestantibus hastas baldachini ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Esse recitandam Orationem *A cunctis* ».

Ad 6. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 15 Septembris 1736.

2327. MECHLINIEN. (4056)

Ex parte Emi et Rmi Domini Cardinalis Thomae de Alsatia Archiepiscopi Mechlinien. apud S. R. C. enixe supplicatum fuit, ut Decreta, iam pro Ecclesia Cathedrali Burgen. sub die 23 Iunii 1736 ab eadem S. C. edita, ad Metropolitanam Mechlinien. extendere dignaretur, prout resolutum fuit ad infrascripta dubia, videlicet: (2)

1. An, dum Missa cantatur coram Ven. Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de venerabili ante omnes alias commemorationes, an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Item: An eadem commemoratio possit vel fieri debeat etiam in Festis primae vel secundae classis?

2. An Sequentia in Missa de SSmo Nomine Iesu dicenda vel omittenda sit in ipsius Festo?

3. An dum in Choro, praeter Missam Conventualem, cantatur Missa votiva ex fundatione, in hac Missa debeat fieri commemoratio Festi de quo cantatur Missa Conventualis?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Zondadarii Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto; et in Missis solemnibus celebrandis in Festis primae et secundae classis, esse eamdem commemorationem faciendam sub unica conclusione ».

Ad 2. « Sequentiam esse omittendam ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita etiam in Ecclesia Mechliniensi servari mandavit. Die 16 Februarii 1737.

2328. CAPUANA. (4059)

Inter Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Capuae ex una, et Hebdomadarios eiusdem Ecclesiae partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Belluga infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Laudibus et Vesperis, quae solemniter celebrantur per Canonicos vel Dignitates, assitere debeant cum pluvialibus Hebdomadarii Presbyteri, vel potius novi Mansionarii Diaconi? et quatenus affirmative quoad Hebdomadarios Presbyteros,

2. An eadem assistentia praestanda sit Canonicis et Dignitatibus celebrantibus extra

(1) E. Dub. 7 et 8. — (2) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et 7.

Cathedralem solemniter Missam, Vesperas et Laudes, mercede soluta?

3. An, celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in Throno cum pluvialibus duo ex duodecim Hebdomadariis Presbyteris cum duobus Mansionariis Diaconis; vel potius quatuor ex octo Mansionariis Diaconis?

4. An Hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter Hebdomadarios et Lectorile nudum, dissentiente Capitulo?

5. An Hebdomadarius faciens officium Presbyteri assistentis sit thurificandus ante Canonicos?

6. An, celebrante Archiepiscopo, teneantur Canonici deferre Crucem; et in die Epiphaniae annunciare populo Festa mobilia; vel potius utrumque teneantur facere Hebdomadarii, arbitrio Archiepiscopi?

7. An celebrante Canonico, teneatur alter ex Canonicis Psalmos intonare, tam in Choro quam in Processionibus; vel potius intonare teneantur Hebdomadarii?

8. An, in functionibus in quibus Canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi Canonici canere in Choro ex proprio stallo una cum Hebdomadariis in cantu Gregoriano; vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos Hebdomadarios et Mansionarios?

9. An, translato ad diem non impeditam Festo in quo celebrare Canonicus teneatur, adhuc Canonicus celebrare debeat in die translationis; vel potius onus celebrandi in Hebdomadarios possit refundi, mercede soluta?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Servetur Decretum Archiepiscopi ».

Ad 2. « Affirmative, Canonicis capitulariter accedentibus ».

Ad 3. « Hebdomadarios non teneri ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative, quoad primam partem, deposita mitra; quoad secundam, servetur solitum, nempe, quod Canonici teneantur annunciare Festa Mobilia; quoad tertiam, negative ».

Ad 7. « Quoad primam partem, Negative; et quoad secundam, Affirmative ».

Ad 8. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 9. « Canonicos non teneri, nisi dies translationum habeantur pro Festivis in Metropolitana ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 3 Augusti 1737.

2329. AESINA (4060)
PRAECEDENTIAE.

Cum nomine Nobilitatis Aesinae apud S. R. C. expositum fuerit nonnullas ortas fuisse contentiones inter famulos Episcopi aliosque famulos Nobilitatis praedictae in associatione Sanctissimae Eucharistiae pro infirmis et in aliis Processionibus fieri solitis, praetendentibus illis quandoque praecedere etiam Confraternitates et Religiones;

S. R. C., audita praecedenti relatione Episcopi, censuit rescribendum: « Competere famulis Episcopi primum locum inter alios famulos ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 3 Augusti 1737.

2330. RIPANA (4061)
PRAEEMINENTIARUM.

Super iuribus praeeminentialibus, inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae maioris ac Priores terrae Montis Brandonis Dioecesis Ripanae ex una, atque Patres Minores Observantes Conventus S. Mariae Gratiarum eiusdem Terrae partibus ex altera; exortis controversiis occasione Processionis quae fieri solet tam in Festivitatibus S. Iacobi de Marchia quam in alia Festivitate SS̃mae Conceptionis B. M. V., aliarumque functionum ecclesiasticarum; iisdemque delatis ad S. R. C. ad eas penitus evellendis, Em̃us et Rm̃us Dom. Card. Zondadarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Canonicis et Clero liceat in Ecclesia Patrum Minorum Observantium, in quacumque ex consuetis Festivitatibus, occupare Chorum eorumdem Patrum et canere Antiphonas?

2. An ipsi Canonici in eadem Ecclesia et occasione debeant thurificari ante omnes alios Religiosos paratos, excepto Celebrante?

3. An Priores Communitatis thurificandi sint immediate post Canonicos et ante omnes Religiosos, etiam paratos?

4. An Patres praedicti Minores Observantes teneantur ultima die Rogationum tradere pluviale Praeposito Canonicorum, occasione accessus ad Ecclesiam eorumdem Patrum?

5. An in binis Festivitatibus S. Iacobi de Marchia, et respective in Processionibus

fieri solitis in illis diebus, Religiosi parati debeant incedere unitim cum Celebrante; seu potius Canonici praecedere debeant eisdem Religiosis paratis?

6. An iisdem Canonicis liceat in principio Processionis intonare Hymnum *Iste Confessor;* seu potius spectet ad Celebrantem? (1)

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et utraque parte scriptis et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Servetur solitum ».

Ad 2. « Servetur Caeremoniale ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 3 Augusti 1737.

2331. URBEVENTANA. (4062)

Proposita per Emin. et Rev. Dom. Card. Zondadarium Ponentem in S. R. C. causa vertente inter Episcopum Urbeventanum ex una, atque Capitulum, Dignitates, Canonicos, Beneficiatos et Cappellanos eiusdem Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera; illaque ad dictum Emin. Ponentem pro concordia cum facultatibus ipsius S. C. remissa; quia tamen praedicta concordia minime sequuta fuerit, causa iterum per eumdem Emin. Ponentem in S. R. C. reproposita fuit super declaratione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. An, quo habitu et quo in loco Episcopus teneatur assistere celebrationi Missae cantatae et recitationi divini Officii?

2. An eidem Episcopo, assistenti in Throno cum cappa recitationi Horarum Canonicarum, liceat habere Presbyteros chorales illi assistentes, superpelliceo indutos, hinc inde adstantes?

3. An Episcopus per se possit praescribere horas, in quibus celebrari debeant Missae lectae in Ecclesia Cathedrali; seu potius cum consensu Capituli?

4. An et a quibus celebrari debeant eaedem Missae, iuxta horas praescribendas?

5. An liceat Vicario Generali assistenti in Choro, tam praesente Episcopo quam eo absente, habere praeter pulvinar etiam stratum; et an pulvinar debeat esse sericum sive laneum?

6. An thurificatio post Evangelium debeatur Celebranti, seu potius Episcopo cum cappa assistenti?

7. An liceat Episcopo habere Thronum cum quinque gradibus?

8. An in associatione Episcopi Pontificalia celebraturi, tam in accessu quam in recessu ab Ecclesia, praeire debeant familiares Episcopi, deinde ipse Episcopus, et postea processionaliter Canonici; vel potius praeire debeant processionaliter Clerus et Canonici, postea familiares Episcopi, et demum ipse Episcopus?

9. An Canonicus Cathedralis concionator teneatur Episcopo genuflectere in actu recipiendae benedictionis; seu potius tantum caput inclinare?

10. An tempore quadragesimali liceat Capitulo Cathedralis recitare Matutinum pro die sequenti de sero, immediate post Completorium?

11. An quoties ex praescripto Rubricarum celebrandae et cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare?

12. An Dignitatibus et Canonicis Cathedralis liceat retinere in tabella Sacrarii ad publicam lecturam titulum Illmi et Rmi?

13. An tempore quo Episcopus cappa indutus in eius accessu ad Ecclesiam SS. Sacramentum in genuflexorio adorat, liceat Canonicis pergere ad Sedes chorales vel alibi ibique genuflectere; vel teneantur genuflectere circa genuflexorium Episcopi?

14. An Archidiacono Missam celebranti possint a Clerico folia Missalis verti et Orationes indicari, nec non tam ipsi quam ceteris Dignitatibus et Canonicis possit etiam a Clerico Calix detegi, et respective tegi?

15. An eaedem praerogativae competant Vicario Generali?

S. eadem R. C., visis iuribus hinc inde deductis ac mature perpensis, et partibus tam scriptis quam voce informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Assistentiam choralem praestandam esse ab Episcopo cum cappa in altera ex duabus Sedibus existentibus in Choro, quae congrue aptetur, ac prope Episcopum sedeant Dignitates et Canonici, iuxta ordinem ».

Ad 2. « Servetur Caeremoniale lib. 2, cap. 5, § 1 ».

(1) E. Dub. 7.

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Missas esse celebrandas tam ab his qui tenentur ex obligatione, quam ab aliis etiam de Capitulo, si recipiant eleemosynam ».

Ad 5. « Nec pulvinar nec stratum deberi Vicario, sed sedeat primus inter Dignitates et Canonicos ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Negative; et servetur Caeremoniale lib. 1, cap. 13, § 3 ».

Ad 8. « Servetur Caeremoniale lib. 1, cap. 15, § 2 ».

Ad 9. « Servetur Caeremoniale lib. 1, cap. 22, § 2 ».

Ad 10. « Negative ».

Ad 11. « Negative ».

Ad 12. « Negative ».

Ad 13. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 14 et 15. « Negative; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 3 Augusti 1737.

2332. BITUNTINA. (4064)

Inter Dignitates Ecclesiae Cathedralis Bituntinae ex una, et Canonicos eiusdem Cathedralis partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Gotti infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An diebus Festis, quibus celebrant Canonici, scamnum ornari debeat eodem panno serico quo utuntur Dignitates?

2. An Dignitatibus solemniter celebrantibus liceat retinere Abacum; et quatenus affirmative, an idipsum vel cum aliqua distinctione retineri valeat pro Canonicis?

3. An idem fanalium seu intortitiorum numerus in elevatione Venerabilis, in Hymno *Te Deum* et in Cantico *Benedictus* adhibitus pro Dignitatibus, adhibendus sit etiam pro Canonicis solemniter celebraturis?

4. An deficiente ultima ex sex Dignitatibus, celebratio Missarum ac divinorum Officiorum, quae ei obtigisset, suppleri valeat et debeat per Canonicum Presbyterum antiquiorem; vel potius per alteram ex iisdem Dignitatibus?

5. An in Capitulo generali diei 6 Augusti in aula Episcopi celebrari solito, Canonicis debeantur sedilia aequalia et ad instar Dignitatum?

6. An Candelae, quae in Festo Purificationis B. M. V. distribuuntur Dignitatibus, debeant esse eiusdem ponderis ac pro Canonicis?

7. An funerum emolumenta, quae per haeredes defunctorum Capitulo solvi solent, inter Canonicos et Dignitates aequaliter dividi debeant?

8. An Campana magna eodem modo pulsari debeat, sive celebrent Dignitates sive Canonici?

9. An Canonici Sacrum facientes, tam diebus Festis quam ferialibus, uti valeant iisdem vestibus et ornamentis sacris quibus Dignitates utuntur; sive potius Dignitatibus debeantur pretiosiora?

10. An, Canonicis celebrantibus divina Officia, Invitatorium cantandum sit a Mansionariis vel potius a Clericis; et quatenus affirmative, an idem numerus Mansionariorum, tam Dignitatibus celebrantibus quam Canonicis, adhiberi debeat?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, sub die 6 Aprilis proximi praeteriti rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative; ad utramque dubii partem, sine distinctione ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Dilata ».

Ad 5, 6, 7 et 8. « Affirmative ».

Ad 9. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 10. « Quoad primam partem, servetur solitum; quoad secundam, Affirmative ».

Adversus huiusmodi resolutiones a S. R. C. emanatas, petita a Dignitatibus supradictae Cathedralis nova audientia, illaque ab Emin. et Rev. Dom. Card. Gotti Ponente concessa, idem Emin. Ponens in S. R. C. iterum supradicta dubia cum aliis sequentibus proposuit, videlicet:

11. An Canonici, qui in Officio solemni cantant Lectiones, debeant esse in eodem numero, sive illud celebretur a Dignitatibus sive a Canonicis?

12. An Primicerius et Cantor in Missis et Officiis solemnibus teneantur prope Lectorile canere per se ipsos; vel possint ad canendum substituere?

13. An idem Primicerius et Cantor teneantur per se Antiphonas Canonicis intonandas exhibere, eosque invitare ad canendum Responsoria, et insimul prosequi?

14. An, Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralem, aspersorium tradi debeat

ab aliqua ex Dignitatibus; vel potius a Canonico seniore?

15. An in Processionibus, in quibus Episcopus exercet Pontificalia et Canonici sacris vestibus sunt ornati, Praefectus Caeremoniarum deferre valeat intortitium, licet sit in habitu chorali?

16. An idem Caeremoniarum Praefectus, Episcopo Pontificalia exercente, teneatur stare vel potius sedere debeat in scabello?

17. An in defectu superiorum Dignitatum idem Praefectus Caeremoniarum possit assistere Throno episcopali; et an tunc valeat pro directione Caeremoniarum alium substituere?

18. An in confectione notulae Capitularium qui tenentur assistere Episcopo Pontificalia exercenti, Dignitates designari valeant diverso titulo ac designantur Canonici?

19. An Canonicis solemniter celebrantibus debeatur assistentia per eumdem Caeremoniarum Praefectum; sive potius ea praestanda sit per Chori Magistros?

20. An dictus Caeremoniarum Praefectus valeat sibi appropriare balsamum, quod superest in consecratione Olei sancti, candelas trianguli et particulas thuris, quae in Sabbato Sancto cereo affiguntur?

Et S. eadem R. C., tam scriptis quam voce partibus informantibus auditis, ac iuribus noviter deductis mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1 et 2. « In decisis ».

Ad 3. « In decisis; habita tamen ratione Festorum, et non personarum ».

Ad 4. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 5, 6 et 7. « In decisis ».

Ad 8 et 9. « In decisis; habita tamen ratione Festorum maioris vel minoris solemnitatis ».

Ad 10. « In decisis; et amplius in omnibus ».

Ad 11. « Affirmative ».

Ad 12. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 13. « Negative ».

Ad 14. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 15. « Negative ».

Ad 16. « Servetur solitum, extra tamen Solium ».

Ad 17. « Affirmative, ad utramque dubii partem ».

Ad 18. « Negative ».

Ad 19. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 20. « Servetur solitum; et amplius in omnibus ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 31 Augusti 1737.

2333. BRIXINEN. (4065)

Cum a S. R. C. in causa iuris benedicendi et consecrandi inter Rmum Episcopum Brixinen. ex una, et P. Abbatem Monasterii S. Ioannis Baptistae in Stambs Ordinis Cisterciensis ex altera partibus, vertente super dubio:

An liceat Abbati Monasterii Stambsensis supellectiles sacras benedicere, in quibus sacra unctio non adhibeatur; sed etiam Altaria consecrare et alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum Chrysma; idque non tantum ad usum propriae Ecclesiae Monasterii, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum?

Referente Emo et Rmo Dom. Card. Georgio Spinula, responsum fuit: « Negative; et servetur Decretum datum die 27 Septembris 1659 ».

Verum, ad instantiam praedicti Abbatis, obtenta ab eodem Emo et Rmo Dom. Card. Spinula Ponente nova audientia, et ab eodem iterum in S. R. C. proposito infrascripto dubio:

An sit standum vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde noviter deductis, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 31 Augusti 1737.

2334. CAPUANA. (4066)

Cum Rmus Archiepiscopus Capuanus usque ab initio suae assumptionis ad illam Ecclesiam Archiepiscopalem incoeperit cogere Capitulum S. Mariae de Capua ut quolibet anno Feria V in Coena Domini transmittere deberet ab Oppido S. Mariae sex e suis Canonicis, ut ipsi eidem Rmo Archiepiscopo inservirent in confectione Olei sancti; Capitulum praedictum per aliquot annos sub spe promissae liberationis ab Archiepiscopo et ob reverentialem metum, emissis semper solemnibus protestationibus, paruerat, modo transmittendo Canonicos, modo simplices Presbyteros. Verum cum nuper anno 1736, praefatum Capitu-

lum renuerit amplius transmittere vel Canonicos vel Presbyteros; et e contra Rmus Archiepiscopus cogere ipsum Capitulum praetenderit: propterea, delata ad S. R. C. huiusmodi causa, Emus et Rmus Dom. Card. Lercarius, loco Emi Guadagni, infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An Capitulum et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Capuae teneantur accedere et interesse, arbitrio Archiepiscopi, benedictioni Olei sancti in Ecclesia Cathedrali sub poenis ab eodem Archiepiscopo infligendis?

2. An constet de attentatis, et quomodo ipsa sint purganda?

Et S. eadem R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Non posse cogi ».

Ad 2. « Nihil de attentatis ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 31 Augusti 1737.

2335. TIBURTINA. (4069)

Super iure retinendi clavem capsulae, in qua Feria V in Coena Domini servatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii Tiburis inter Capitulum et Confraternitatem SSmi Salvatoris eiusdem Civitatis ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Georgius Spinula infrascriptum dubium declarandum proposuit:

An clavis capsulae, in qua SSmum Corpus Christi Feria V in Coena Domini servatur, tradenda sit Confraternitati laicali; seu potius Sacerdoti in crastinum celebraturo?

Et S. R. C., Procuratore supradicti Capituli scriptis et voce audito, ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Decembris 1737.

2336. SIGNINA (4073)
PRAEEMINENTIARUM.

Inter Archipresbyterum aliosque Presbyteros parochialis Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum Terrae Montis Fortini ex una, et Parochum Ecclesiae S. Stephani eiusdem Terrae Dioecesis Signinae partibus ex altera; tam super praetensa collegialitate Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum, quam super praeeminentiis in Processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Gotti infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An constet de collegialitate Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum Montis Fortini? et quatenus affirmative,

2. An Parocho Ecclesiae S. Stephani eiusdem loci in Processionibus generalibus aliisque functionibus, in quibus intervenit Capitulum dictae Ecclesiae Collegiatae, liceat incedere tertio loco, nempe ad laevam Archipresbyteri, incedente ad dexteram Canonico Curato? et quatenus negative,

3. An et in quo loco incedere debeat?

4. An in Processionibus particularibus, quae fiunt a Parocho S. Stephani, in quibus intervenit dictum Capitulum, praecedentia et usus Stolae debeatur eidem Parocho; vel potius Capitulo dictae Collegiatae?

5. An in Processionibus funerum de Parochia S. Stephani, in quibus intervenit dictum Capitulum, incedendum sit sub Cruce Parochiae; vel potius Collegiatae, et cui debeatur praecedentia in casu?

6. An liceat Canonicis dictae Collegiatae deferre signum, quod actu deferunt?

S. R. C., utraque parte tam scriptis quam voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, sub die 3 Augusti anni proxime praeteriti rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Provisum in secundo ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 5. « Sub Cruce Parochiae, et praecedentiam deberi Parocho ».

Ad 6. « Negative ».

Adversus huiusmodi resolutiones petita a praefato Archipresbytero et Presbyteris S. M. Laetitiarum in S. R. C. nova audientia;

Eadem S. R. C., iuribus ab utraque parte noviter deductis visis ac mature perpensis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis rescribendum censuit: « Nihil de nova audientia ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 27 Aprilis 1738.

2337. BITUNTINA. (4075)

Cum inter partes concordata fuerint coram Emo et Rmo Dom. Card. Gotti Po-

nente triginta dubia in causa Bituntina praetensarum praeeminentiarum vertente inter dignitates illius Cathedralis ex una, et Canonicos eiusdem ex altera partibus, quorum viginti a S. R. C. ad relationem ipsius Dom. Ponentis, in duobus Positionibus sequutis sub die 6 Aprilis et 31 Augusti 1737 resoluta fuerunt; modo ex parte Canonicorum praefatae Cathedralis institum fuit pro resolutione reliquorum dubiorum, prout infra:

21. An aliqua ex dictis Dignitatibus in Sacro Subdiaconatus Ordine non constituta, in Processionibus aliisque solemnitatibus sacras vestes deferre atque Canonicis Presbyteris praecedere possit?

22. An Canonicus nondum in Sacris constitutus, vel non habens aetatem pro Sacris Ordinibus, possit habere vocem in Capitulo; et quid si fuerit dispensatus super defectu aetatis?

23. An Capituli convocatio pertineat ad Archidiaconum, eoque deficiente, ad digniorem in Ordine; sive potius ad Canonicos Syndicos seu Ordinatos, etiam sine licentia Archidiaconi seu alterius qui sequitur in Ordine? et quatenus affirmative quoad secundam partem,

24. An ante affixionem schedulae convocatoriae iidem Canonici Syndici teneantur designare Archidiacono vel alteri qui sequitur in Ordine, materias Capitulo proponendas? et quatenus affirmative,

25. An, facta materiarum designatione, liceat praefatis Canonicis Syndicis, petita et non obtenta licentia, Capitulum indicere per affixionem dictae schedulae?

26. An Dignitates, quae in Officio maioris Hebdomadae intonant antiphonas, teneantur etiam canere Lamentationes?

27. An Canonici, qui sacris vestibus induti assistunt Episcopo exercenti Pontificalia, sedere debeant super scabellis panno coopertis?

28. An resolutio Capitularis sub die 30 Maii 1733 substineatur?

29. An laceratio schedulae convocatoriae Capituli eiusdem diei fuerit attentata et iniuriosa? et quatenus affirmative, quomodo attentata sint purganda?

30. An electio Advocati laici facta per Capitulum die 30 Augusti 1734 substineatur, ita ut remotio D. Canonici Satio fuerit attentata, et quomodo purganda sit in casu?

Et S. eadem R. C. scriptis et voce Procuratore praedictorum Canonicorum audito, ad relationem memorati Emin. Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 21. « Affirmative ».

Ad 22. « Negative, ad utramque partem ».

Ad 23. « Servetur Synodus Episcopi Galli ».

Ad 24. « Affirmative, solum in genere ».

Ad 25. « Affirmative ».

Ad 26. « Servetur Caeremoniale Romanum ».

Ad 27. « Negative ».

Ad 28. « Negative, in casu de quo agitur ».

Ad 29. « Affirmative, pro prima parte; et pro secunda, Negative ».

Ad 30. « Negative in casu etc. ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 19 Iulii 1738.

2338. ORDINIS MINORUM (4078) OBSERVANTIUM REFORMATORUM S. FRANCISCI.

Emi Domini: Fr. Michael Angelus a Gallipoli, Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, EE. VV. suppliciter exponit quatenus recenter a S. R. C. concessa sunt quaedam Sanctorum Officia, alia Urbis et Orbis, alia pro aliquibus Regnis, Ditionibus Statibusque peculiaribus recitanda tum a Secularibus tum a Regularibus qui ad Horas Canonicas tenentur, quorum concessiones exprimuntur his verbis: « recitari posse, fieri posse »; et cum ex Rubricis novi Breviarii Franciscani approbatis a s. m. Innocentio PP. XII per Bullam quae incipit: *Exponi nobis etc.* statuatur, ut quotiescumque fit haec expressio: « recitari posse, fieri posse: » nihil aliud intelligatur nisi Officia ad libitum; hinc humiliter petit ab EE. VV. ut dignentur declarare: An praedicta Officia cum tali expressione si occurrant in die impedita ab aliis Officiis de praecepto Breviarii praedicti, non obstantibus Decretis S. R. C. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, a nobis possint transferri ad aliam diem, vel debeant omitti?

S. R. C. ad preces P. Fr. Michaelis Angeli a Gallipoli, Procuratoris generalis Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, declaravit: « Praedicta Officia acceptata non reputari debere tamquam mera Officia ad libitum,

sed de praecepto; adeoque si occurrant diebus perpetuo impeditis in alia die esse reponenda ». Die 6 Septembris 1738.

2339. PISANA. (4079)

Cum Praepositus et Canonici insignis Collegiatae Liburni Dioecesis Pisanae exposuerint Praepositum praedictum indulto utendi mitra et baculo aliisque insignibus pontificalibus auctoritate Apostolica potiri et gaudere; ex parte eorumdem apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus pro divini cultus incremento ac eiusdem Ecclesiae decore, benigne impertiri dignaretur, ut ipsi in posterum inter Missarum solemnia uno Canonico assistente pluviali induto uti possint.

Et S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri: « Facultatem petitam oratoribus, dummodo accedat expressus consensus Rev. Archiepiscopi, posse concedi censuit, ita tamen ut eorum Praeposito pontificalibus ornamentis insignito Canonicus cum pluviali ministret; Canonicis autem, non alter Canonicus sed unus ex Ecclesiae Ministris cum pluviali pariter inserviat, si SSmo Dom. Nostro visum fuerit ». Die 20 Septembris 1738.

Factaque deinde per me Secretarium de praedictis SSmo Dom. Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 3 Octobris 1738.

2340. CARTHAGINIEN. (4080)

Ad instantiam Capituli Ecclesiae Cathedralis Carthaginien. in Hispania sub die 20 Septembris proxime praeteriti proposita fuerunt ab Emo et Rmo Dom. Cardinali Belluga Ponente in S. R. C. infrascripta dubia, super quibus rescriptum fuit: Ad Rev. Dom. Gambaruccium Apostolicarum Caeremoniarum Praefectum pro voto; quod per eumdem datum fuit, eiusque relatio iterum in eadem S. C. ab ipso Emo Ponente facta est, prout infra, videlicet:

1. An si transferantur ad tempus Paschale Festa Sanctorum Martyrum, in quorum Missa Introitus sit: *Gaudeamus omnes in Domino etc.*, debeat idem Introitus dici tempore quoque Paschali; vel potius alter eiusdem temporis incipiens *Protexisti me Deus*?

2. An si Festum alicuius S. Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paschale, dici debeat idem proprium Evangelium; vel potius unum ex assignatis pro tempore Paschali?

3. An in Officio Transverberationis S. Theresiae debeat ad Matutinum recitari hymnus: *Haec dies, qua candidae:* vel potius de Communi Virginum? (1)

4. An, dum incensatur Altare in quo est expositum publicae adorationi Venerabile, post illud incensatum, debeat quoque Crux incensari?

5. Utrum in Festo Expectationis Partus B. V., hymni debeant terminari cum versibus: *Iesu tibi sit gloria* vel potius *Virtus, honor, laus, gloria?*

Et S. R. C. rescribendum censuit:

Ad 1. « Si Officium Missae Sanctorum Martyrum, ultra Introitum: *Gaudeamus etc.*, habeat etiam proprium vel Evangelium vel Epistolam, tunc debeat recitari idem Introitus; secus, si nihil aliud proprii habeat ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad 3. « Debere recitari Hymnos proprios, qui recitantur in Festo S. Theresiae, sed loco: *Haec est dies, qua candidae,* dicatur in Festo Transverberationis: *Felix dies, qua candidae* ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 29 Novembris 1738.

2341. SUESSANA. (4081)

Propositis in S. R. C. per Emum et Rmum Dom. Card. Belluga infrascriptis dubiis in causa Suessana inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis, et Magistratum dictae Civitatis, videlicet:

1. An Processio Corporis Christi fieri debeat iuxta formam a Caeremoniali Episcoporum praescriptam lib. 2, cap. 33, § 5 et 21: praecipue de hastis ferendis a dignioribus Beneficiatis seu Mansionariis usque ad portam Ecclesiae; et in illis gestandis sit servandus ordo praescriptus ab eodem Caeremoniali lib. 1, cap. 14, § 4? (2)

2. An prohibitio facta ab Episcopo quod Processiones, quas Suessani facere volunt in Hebdomada Sancta de nocte, non ingrediantur Ecclesias Monialium, debeat sustineri?

3. An Episcopus possit tolerare, ut Agens Ducalis status Suessae, praetextu capiendae possessionis Agentiae, excipiatur in Ecclesia

(1) E. Dub. 4. — (2) E. Dub. 2, 4. 5 et 7.

a Superiore eiusdem cum pluviali et aspersorio in manu, et cum genuflexorio, strato et pulvinaribus, et cum cantu: *Te Deum*, prout ita voluit excipi, inscio Episcopo, modernus Agens Leonardus Guemez?

S. R. C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescripsit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative, quoad omnes Ecclesias, etiam Regulares ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 29 Novembris 1738.

2342. ALEXANEN. (4082)
FUNERUM.

Inter Patres Minores Conventuales Conventus Civitatis Alexani ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, exortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Gotti Ponens infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Capitulum et Clerus Ecclesiae Cathedralis Civitatis Alexani, accedentes cum Canonico Curato eiusdem Ecclesiae ad associanda cadavera sepelienda in Ecclesiis Minorum Conventualium et Capuccinorum Ordinis S. Francisci eiusdem Civitatis, possint ingredi dictas Ecclesias cum Cruce elevata, et sine Stola? et quatenus affirmative,

2. An ad praefatum Canonicum Curatum spectet in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium S. Francisci Officium funeris explere et Missam de Requiem canere; vel potius, tam in dicta Ecclesia quam in illa Patrum Capuccinorum, ipse et Capitulum possint funeri tantum assistere?

3. An ad Parochum spectent omnes cerae, quae deferuntur in associatione cadaveris et circa illud exponuntur in funere in dicta Ecclesia Patrum Conventualium; vel potius sola quarta funeralis dictae cerae? (1)

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et tam voce quam scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2 et 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 21 Martii 1739.

(1) E. Dub. 4.

2343. MONTIS POLITIANI. (4084)

Promotor Fiscalis Curiae episcopalis Montis Politiani exponit in illa Cathedrali vigere consuetudinem, quandocumque cantentur Vesperae feriales diebus Quadragesimae, Adventus et Ieiuniorum, canendi etiam Preces, quae flexis genibus persolvuntur, alta voce cum desinentia ad unumquemque versiculum, prout in festo simplici in commemorationibus communibus et ad antiphonas B. M. V., scilicet a *Fa* ad *Re*, excepta Oratione Dominica, quae non canitur sed alta voce recitatur usque ad vers. *Et ne nos inducas etc.*, qui pariter canitur cum supradicta desinentia: item Psalmus *Miserere* non cantatur, sed recitatur alta voce et in eodem tono, sicut ceteri versiculi. Quamobrem humillime quaerit: An ista consuetudo servanda sit? et quatenus negative, quo modo et forma Preces illae dicendae sint?

Et S. R. C. supradictae instantiae Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis Montis Politiani, audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, respondit: « Non esse attendendam assertam consuetudinem concinendi Preces feriales ad Vesperas et ad Laudes in diebus Ieiuniorum per depressiones vocis a *Fa* ad *Re*, sed utendum tono ac voce uniformi per simplicem *Fa* ». Et ita declaravit. Die 9 Maii 1739.

2344. ORDINIS (4085)
EREMITARUM CAMALDULENSIUM
MONTIS CORONAE.

R. D. Oddo Procurator Generalis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae pro declaratione infrascriptorum dubiorum humillime supplicavit, nempe:

Cum S. R. C. pluries responderit in Officio defunctorum semper dicendum esse post Vesperas Psalmum *Lauda anima mea*, et post Laudes Psalmum *De profundis*, exceptis diebus Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et depositionis defuncti, iuxta Rubricas Breviarii et Ritualis Romani,

1. Quaeritur: An hoc observandum sit etiam in illis Ecclesiis, ubi ex vi Regulae, seu ob adimplendas pias defunctorum voluntates, totum Officium defunctorum ritu duplici recitari debet, ut fit diebus supra expressis? et in casu affirmativo,

2. Quaeritur: An in dictis casibus omittendum sit Invitatorium, cum Rubrica Breviarii innuat quod hoc dicatur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum?

Et S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative; nempe, quod in Officio defunctorum, quando recitatur integrum, numquam omittendum sit Invitatorium ».

Et ita declaravit. Die 9 Maii 1739.

2345. POLEN. (4086)

Ex parte moderni Episcopi Polensis apud S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit, nempe:

Dignitates, Canonici et Capitulum Cathedralis Polensis, praetextu consuetudinis, terminatis omnibus Horis Canonicis, etiam diebus festivis (in quibus nec Horam Tertiam canunt, nisi Pontificalia exercente Episcopo, recitatis anticipate hoc casu Sexta et Nona) Missam Conventualem decantant. Itemque Missas pro defunctis a testatoribus legatas, quoties contingunt, ante Matutinum cum cantu celebrant. Cumque hae consuetudines opponuntur Rubricis Missalis tit. de Hora celebrandi Missam, quaeritur: An, attenta consuetudine, tolerari queant huiusmodi respectivae anticipationes et posticipationes Horarum, et solemnium Missarum etc. supramemoratae?

S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit: « Serventur omnino Rubricae Missalis Romani Tit. XV ». Et ita declaravit. Die 9 Maii 1739.

2346. PLACENTINA PROCESSIONIS. (4087)

Propositis, ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis Civitatis Placentiae nec non Capituli et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis, duobus sequentibus dubiis, videlicet:

1. An Monachi Cassinenses Monasterii S. Xysti Civitatis Placentinae accedere teneantur ad Processionem SSmi Sacramenti, quae fieri solet ab Ecclesia Cathedrali dictae Civitatis in octava Corporis Christi? et quatenus affirmative,

2. An Episcopus illos compellere possit per censuras?

S. R. C., ad relationem Emi D. Card. Gentili Ponentis, utraque parte scriptis et voce informante audita, visis iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: « Non teneri; et amplius ». Die 9 Maii 1739.

2347. BONONIEN. (4088)

Cum ab anno 1699 exortae fuerint nonnullae controversiae circa praecedentiam in associatione cadaverum inter Parochos Civitatis Bononiae et Consortiales ac Mansionarios, tam Metropolitanae quam Collegiatae Ecclesiae S. Petronii eiusdem Civitatis, praetendentibus istis erigere non minus propriam Crucem quam etiam praecedere Cruci Parochi tumulantis; S. R. C., utraque parte informante audita, ad relationem cl. mem. Card. Colloredi, sub die 4 Aprilis dicti anni rescripsit: « Consortialibus, dummodo incedant sub unica Cruce Parochi, deberi praecedentiam respectu Cappellanorum conductitiorum ». Huic resolutioni acquiescentes tam Consortiales quam Mansionarii diuturno temporis decursu cadavera associarunt sub Cruce Parochi, praecedentes Cappellanos conductitios. Verum hodierni Parochi contenderunt se neutiquam teneri vigore praefatae resolutionis admittere sub eorumdem Cruce Consortiales et Mansionarios, sed admissionem huiusmodi ab eorum arbitrio et beneplacito dependere; quare sub dicta Cruce recipere recusarunt Consortiales et Mansionarios praedictos, praetendentes quod isti intervenire deberent associationi habitu chorali induti et collegialiter sub propria ipsorum Cruce, ante Crucem Parochi tumulantis. Huiusmodi praetensioni renuentes Consortiales et Mansionarii iterum recursum habuerunt ad S. R. C. pro executione supradictae resolutionis.

Et ipsa S. R. C., audita informatione Emin. Archiepiscopi, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Fini Ponentis, rescribendum censuit: « Emo Archiepiscopo pro omnimoda executione Resolutionis S. R. C. sub die 4 Aprilis 1699 »; et in sequelam eiusdem Resolutionis declaravit: « Parochos teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales et Mansionarios illius Ecclesiae Metropolitanae et Collegiatae Bononiae a defunctorum haeredibus vocatos ad funera: ac proinde idem Emin. Archiepiscopus procedat prout de iure, tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu quo ausi fuerint avertere sive per se sive per alios, sive mediate sive immediate, fidelium voluntates a vocatione

Consortialium sive Mansionariorum in associationibus ad funera ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 9 Maii 1739.

2348. BARCINONEN. (4089)

Ex parte Episcopi Barcinonen. expositum fuit, quod Abbates Regulares Ordinis Claustralium S. Benedicti Congregationis Tarraconen., qui a S. Sede Apostolica facultatem habent utendi Pontificalibus in suis tantum Ecclesiis aut sibi pleno iure subiectis, praetendunt quod Episcopus concedat eisdem licentiam utendi Pontificalibus in aliis Ecclesiis Dioecesis sive Secularibus sive Regularibus; propterea praefatus Episcopus in S. R. C. enixe supplicavit pro resolutione infrascripti dubii, videlicet:

An Episcopus possit concedere licentiam Abbatibus Claustralibus Ordinis S. Benedicti Congregationis Tarraconensis exercendi Pontificalia in Ecclesiis Secularibus aut Regularibus Dioecesis dictis Abbatibus non subiectis?

Et S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, respondit: « Nequit Episcopus Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus, exercitium Pontificalium restrictive habentibus in suis tantum Ecclesiis, facultatem seu licentiam impertiri exercendi illud in Ecclesiis ipsis non subiectis, sive Seculares fuerint sive Regulares suae Dioecesis ». Et ita decrevit ac declaravit. Die 11 Iulii 1739.

2349. SENOGALLIEN. (4093)

Capitulum et Canonici Cathedralis Ecclesiae Senogallien., ad dirimendas controversias saepe saepius excitatas a Magistratu dictae Civitatis, tam circa praetensam expectationem adventus eiusdem ad solemnitates ecclesiasticas, quam circa caeremonias in salutando, ea qua decet submissione humillime apud S. R. C. supplicarunt pro resolutione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. An pro inchoandis divinis Officiis, quibus intervenire assolet Magistratus multoties ad deferendas consuetas oblationes, Capitulum teneatur dictum Magistratum expectare ultra horam condictam?

2. An Capitulum et Canonici, tam in Cathedrali quam extra, postquam ingressi sunt Presbyterium pro Missis vel Vesperis celebrandis, induti pluvialibus, sicuti quoties procedunt ad sedendum vel redeunt ad Altare, sese inclinant Cruci, Episcopo et Canonicis existentibus in Presbyterio, ita quoque debeant sese vertere a Presbyterio ad extra et salutare Magistratum?

Et S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, et inhaerendo aliis resolutionibus in similibus pluries editis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Et ita declaravit. Die 11 Iulii 1739.

2350. SURRENTINA. (4094)

Super nonnullis iuribus praeeminentialibus, occasione functionum ecclesiasticarum, inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Surrenti ex una, atque Capitulum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae *Carrotti Plani* eiusdem Civitatis ex altera partibus, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Gotti Ponens infrascripta dubia decidenda proposuit:

1. An Collegiatae et parochiali etc.

(*Vide dubia et resolutiones sub die 12 Martii 1735.* N. **2312**).

Ad effectum igitur evitandi ulteriores expensas ac dirimendi iurgia et lites, devenerunt partes ad mutuam concordiam perpetuo et inviolabiliter servandam; ac proinde pro illius confirmatione et approbatione apud S. R. C. humillime supplicarunt.

Et S. R. C., ad relationem eiusdem Emi Ponentis: « Praefatam concordiam benigne approbavit ». Die 11 Iulii 1739.

2351. VOLATERRANA. (4096)

Ex parte Cappellanorum Prioriae S. Petri in Silice Civitatis Volaterranae apud S. R. C. demisse supplicatum fuit pro declaratione infrascripti dubii, nempe:

An liceat Sacerdotibus Prioriae S. Petri in Silice Civitatis Volaterranae deferre cadavera Monialium ex Monasterio ad Ecclesiam supradictae Prioriae?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « Negative, iuxta mentem et normam praescriptam in Rituali Romano ». Et ita declaravit. Die 11 Iulii 1739.

2352. MESSANEN. (4099)

Super infrascripto dubio nomine Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Messanen. penes S. R. C. porrecto, videlicet:

An Canonici Cathedralis Ecclesiae Messanen. mitrae usum habentes genuflectere

debeant, dum Episcopus benedictionem impertit cum Venerabili Sacramento?

S. R. C., audito prius voto Apostolicarum Caeremoniarum Magistri, respondit: « Servandum esse Caeremoniale Romanum » nempe: « Canonicos pro Diacono et Subdiacono assistentes debere genuflectere, dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit ». Et ita declaravit. Die 28 Novembris 1739.

2353. SANCTI THOMAE DE MELIAPOR. (4101)

Ex parte Episcopi S. Thomae de Meliapor, apud S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum enixe supplicatum fuit, nempe:

1. An B. Rita de Cascia possit eligi in Titularem Ecclesiae publicae erectae in Hospitio Meliaporiensi Patrum Eremitarum S. Augustini, licet de Titulari cuiusvis Ecclesiae debeant fieri Suffragia in Laudibus et Vesperis, et hoc prohibitum sit quoad Beatos utpote nondum Canonizatos; praetereaque de Titulari fiat Officium cum octava, de Beatis vero non fiat cum octava absque speciali privilegio?

2. Casu, quo dicta Beata sit electa in Titularem, contradicente Ordinario; an debeat supprimi talis Titulus, et eligi in Titularem alius Sanctus iam Canonizatus?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Non licere Patribus Eremitarum S. Augustini, Pontificio indulto nequaquam munitis, assumere in Titularem propriae Ecclesiae B. Ritam de Cascia ».

Ad 2. « Titulum sic assumptum debere supprimi, et alium de Sancto iam Canonizato substitui ».

Et ita declaravit. Die 23 Ianuarii 1740.

2354. SALISBURGEN. (4104)

Cum Civitati et Dioecesi Salisburgen. atque omnibus Dominiis ac Statibus haereditariis Augustissimae Domus Austriae ex indulto Apostolico concessum fuerit Officium SS. Sacramenti pro qualibet Feria V non impedita; ad omnes disputationes tollendas apud S. R. C. humillime supplicatum fuerit, quatenus declarare dignaretur: An in Officio votivo SSmi Sacramenti, quod recitatur extra tempus Paschale, in Responsoriis ad Matutinum et Horas atque in Versiculis ad *Magnificat* et Laudes etc. recitari debeant *Alleluia*, prout dicitur in Officio festivo diei Solemnitatis Corporis Christi?

Et S. R. C., exquisito prius voto unius ex Caeremoniarum Magistris SSmi Domini Nostri, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Belluga, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit. Die 10 Decembris 1740.

2355. CALAGURITANA. (4105)

Ex parte Rectoris Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Calaguritanae expositum fuit, quod in quibusdam Ecclesiis Dioecesis Calaguritanae et Calceaten., et praesertim in Parochialibus SS. Apostolorum Iacobi et Andreae dictae Civitatis sit consuetudo in Oratione: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine,* in humatione foeminae dicere: *Cum famula tua* vel *ancilla tua;* quapropter excitatum fuit dubium ab aliquibus Beneficiatis dictarum Ecclesiarum, asserentibus non licere mutare verbum aliquod ex contentis in praedicta Oratione, nisi de hoc expressa mentio fiat; et licet hac ratione, mota lite inter ipsos Beneficiatos, decisum fuerit ab Ordinario Dioecesano; attamen aliqui insistunt pro mutatione. Hinc ad sedandam quaestionem Rector praefatae Ecclesiae S. Iacobi a S. R. C. humillime supplicavit declarari, quomodo agendum sit?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit: « Servetur Decretum editum in Fanensi 31 Augusti 1697, nempe in depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud Te iustificabitur homo;* quando est mulier aut plures sunt defuncti, non possunt verba *Servo tuo* permutari in *Serva tua* vel *Servis tuis* ». Et ita declaravit. Die 21 Ianuarii 1741.

2356. MELITEN. (4106)

In causa Meliten. vertente inter Rmum Episcopum ex una, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Pauli Civitatis Vallettae eiusdem insulae partibus ex altera, super genuflexione facienda a praefatis Canonicis eidem Rmo Episcopo, occasione functionum ecclesiasticarum, orta controversia eaque ad S. R. C. delata, Emus et Rmus D. Card. Lercarius infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An Dignitates et Canonici insignis Collegiatae Divi Pauli, quoties in functionibus ecclesiasticis transierint ante Episcopum, debeant eidem Episcopo genuflectere; vel tantum caput et humeros profunde inclinare?

S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem ipsius Eñi D. Card. Lercarii, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Ianuarii 1741.

2357. MUTINEN. (4107)

Delatis ad S. R. C. controversiis super praecedentia in associatione cadaverum a Parochis Civitatis Mutinen. excitatis contra Mansionarios Capituli illius Ecclesiae Cathedralis, Eñus et Rñus D. Cardinalis Lercarius infrascriptum dubium inter partes concordatum declarandum proposuit:

An Parocho defuncti, et respective Parocho Ecclesiae tumulantis, debeatur in associatione cadaverum praecedentia supra Mansionarios Capituli Cathedralis?

Et S. R. C., utraque parte informante audita, visis iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: « Negative; quatenus interveniat Capitulum Cathedralis ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 21 Ianuarii 1741.

2358. MELITEN. (4108)

Inter Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Meliten. ex una, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Pauli Civitatis Vallettae partibus ex altera, circa nonnullas praeeminentias, exortis controversiis illisque ad S. R. C. deductis, Eñus et Rñus D. Card. Lercarius infrascripta dubia inter partes concordata decidenda proposuit:

1. An Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Civitatis Notabilis non invitatis competat ius interveniendi in Ecclesia Collegiata S. Pauli Civitatis Vallettae in Festo Naufragii dicti Sancti ad solemnizandam eius Festivitatem, invitis Archipresbytero et Canonicis Collegiatae?

2. An hoc idem ius competat etiam, Sede Episcopali vacante?

3. An eisdem invitatis ab Episcopo tantum, competat dictum ius, invitis praedictis Archipresbytero et Canonicis Collegiatae? et quatenus affirmative,

4. An Episcopo pontificaliter celebranti in eadem Ecclesia Collegiata in die Festivitatis praedictae debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis; vel potius a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Collegiatae?

5. Quomodo sint assignanda stalla seu disponendae Sedes Canonicorum Cathedralis et Collegiatae respective, in casu praedicto?

6. Quomodo sit providendum circa receptionem Episcopi et eius associationem, occasione accessus ad Oratorium S. Pauli?

7. Quomodo et quo ordine intervenire atque accedere debeant in Processione?

8. An Canonici tam Cathedralis quam Collegiatae sint thurificandi duplici ductu?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et mature perpensis nec non utraque parte scriptis atque voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative, quoad assistentiam tantum; servato iure peragendi functiones Festivitatis Canonicis Collegiatae, dummodo Ecclesia Cathedralis non defraudetur suo servitio ».

Ad 4. « Assistentiam deberi a Canonicis Ecclesiae Cathedralis ».

Ad 5. « Esse assignanda stalla tam Canonicis Cathedralis, cum aliquo ornatu pro illis tantum, quam Collegiatae; dummodo primi praecedant secundis ».

Ad 6 et 7. « Tam in associatione Episcopi quam in Processione deberi praecedentiam et locum digniorem prope Episcopum Canonicis Cathedralis; receptionem vero spectare ad Canonicos Collegiatae ».

Ad 8. « Affirmative in omnibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Ianuarii 1741.

2359. BONONIEN. (4109)

Super iure praecedendi in associatione cadaverum inter Parochos Civitatis Bononiae et Consortiales ac Mansionarios, tam Metropolitanae quam Collegiatae Ecclesiae eiusdem Civitatis, ortis controversiis, praetendentibus istis erigere non minus propriam Crucem, quam etiam praecedere Cruci Parochiali; iisque ad S. R. C. delatis;

S. eadem R. C., Procuratore praedictorum Consortialium ac Mansionariorum audito, ad relationem Eñi et Rñi D. Card. Fini Ponentis sub die 9 Maii 1739 rescripsit: « Eño Archiepiscopo pro omnimoda executione resolutionis S. R. C. editae sub die 4 Aprilis 1699 »: et in sequelam eiusdem resolutionis eadem S. C. declaravit: « Parochos Bononienses teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales seu Mansionarios Ecclesiae Metropolitanae et Collegiatae Bononiae a defunctorum haeredibus vocatos ad funera; ac proinde Eñus Archiepiscopus

procedat prout de iure tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu quo ausi fuerint avertere, aut per se aut per alios, sive mediate sive immediate, fidelium voluntates a vocatione Consortialium aut Mansionariorum in associationibus ad funera ». Deinde, ad instantiam dictorum Parochorum, adversus praedictam resolutionem causa in eadem S. C. ordinaria habita coram SSmo reproposita est per Emum et Rmum D. Card. Accorambonum, loco praefati Emi Ponentis ab Urbe absentis, super infrascriptis dubiis, nempe :

1. An Parochi Bononienses teneantur admittere sub eorum Cruce Mansionarios et Consortiales Ecclesiae Metropolitanae et Collegiatae Bononiae a defunctorum haeredibus vocatos ad funera; sive potius iidem Mansionarii et Consortiales teneantur in associatione cadaverum propriam Crucem elevare? et quatenus affirmative ad primam partem,

2. An dicti Consortiales et Mansionarii praecedere debeant Clero Parochi in casu? et quatenus negative,

3. An dicti Mansionarii vel Consortiales cum eorum Cruce praecedere debeant Cruci Parochi?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 22 Aprilis 1741.

2360. WILNEN. (4110)

Ex parte Fratris Xysti a S. Cypriano Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum excalceatorum Conventus Civitatis Wilnen. in Lithuania pro declaratione infrascripti dubii apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, nempe: (1)

Cum in nostro Ordine octava Corporis Christi sit privilegiata ex Indulto S. R. C. 21 Aprilis 1738, ita ut de nullo Festo infra eamdem octavam fieri possit, nisi fuerit duplex primae classis, ex quo aequiparatur in Ordine nostro octavae Epiphaniae Domini, (nam etiam infra hanc octavam non potest fieri, nisi de Festo primae classis) quaeritur: Utrum octavae inchoatae ante Festum Corporis Christi, adveniente eodem Festo, debeant cessare sicut aliae octavae cessant a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam ob paritatem rationis; ac item si Festum secundae classis cum octava incideret infra hanc octavam tunc et de Festo fieri non posset, et octava periret; an vero non debeant omnino cessare octavae, sed commemorationes sint faciendae de illis?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Gotti, rescribendum censuit:

« Si octava inchoata sit ante Festum Corporis Christi, eo adveniente, octava est deserenda. Quod si infra octavam occurrat Festum sub ritu duplici primae classis cum octava, de eo celebretur Officium cum commemoratione octavae Corporis Christi, infra cuius Festi octavam fiet de ipsa octava Corporis Christi cum commemoratione alterius octavae occurrentis. Si vero infra octavam Corporis Christi occurrat Festum secundae classis, nihil de eo fit, sed transfertur post octavam Corporis Christi, pereunte octava Festi translati, si post octo dies a die eiusdem Festi celebretur ». Et ita declaravit. Die 22 Aprilis 1741.

2361. MELITEN. (4112)

Proposita in S. R. C. diei 21 Ianuarii proxime praeteriti causa Meliten. inter Rmum Episcopum ex una, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Pauli partibus ex altera, super infrascripto dubio: An Dignitates et Canonici insignis Collegiatae Ecclesiae Divi Pauli Civitatis Vallettae insulae Melitensis, quoties in functionibus ecclesiasticis transeunt ante Episcopum debeant eidem Episcopo genuflectere; vel tantum caput et humeros profunde inclinare? S. eadem C. rescripsit: « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Cum autem super huiusmodi resolutione ad instantiam Canonicorum praedictae Collegiatae ab Emo Card. Lercario Ponente nova concessa fuerit audientia; nunc, alterum dubium inter partes concordatum, idem Emus Ponens decidendum proposuit; videlicet

An sit standum, vel recedendum a decisis?

Et S. eadem R. C., partibus scriptis et voce denuo informantibus auditis, visisque iuribus hinc inde deductis, rescriben-

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5. 6 et 7.

dum censuit: « In decisis; et amplius ». Die 20 Maii 1741.

2362. NUCERIAE PAGANORUM. (4113)

In causa Nuceriae Paganorum inter sodales Confraternitatis SS̃mi Corporis Christi, habentes propriam Ecclesiam sub eodem titulo prope Parochialem S. Felicis, qui semper et usque ad praesens in Dominica infra octavam Festi SS̃mi Corporis Christi solemnem Processionem peregerunt, etiam auctoritate huius S. R. C., nec non Communitatem eiusdem Civitatis praedictis sodalibus adhaerentem ex una, atque Dignitates et Canonicos Cathedralis Ecclesiae ac Promotorem Fiscalem illius Curiae episcopalis, praetendentes in eadem Processione deferri non posse vestes sacras per Presbyteros, Diaconos et Subdiaconos, nec extolli Crucem processionaliter a Subdiacono cum Tunicella parato, partibus ex altera; propositis per Em̃um et Rm̃um D. Card. de Tencin Ponentem infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi in Processione quae peragitur in Dominica infra octavam solemnitatis SS̃mi Corporis Christi intra limites totius Paroeciae S. Felicis Universitatis Paganorum, possint induere super albis Casulas, et respective Dalmaticas et Tunicellas?

2. An Crux processionalis possit deferri ante Clerum per Subdiaconum cum Tunicella paratum; vel potius quoad utrumque sit servandum assertum solitum in casu?

S. R. C., audita informatione Episcopi, utraque parte informante et audita tam voce quam scriptis ac iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Em̃i et Rm̃i Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 20 Maii 1741.

2363. NULLIUS FASANI. (4114)

Ex parte Sacerdotis Ioannis Antonii Ferrari Magistri Caeremoniarum maioris Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae, Nullius Terrae Fasani, expositum fuit: Capitulum dictae Ecclesiae ab immemorabili, ut asseritur, in associandis cadaveribus Sacerdotum defunctorum, loco intonandi Antiphonam *Exultabunt Domino* et Psalmum *Miserere etc.*, iuxta Ritualis Romani dispositionem tit. de exequiis, consuevisse intonare cantu modulato ante domum defuncti Invitatorium Officii: *Regem, cui omnia etc.* cum Psalmo *Venite exultemus* per totam viam usque ad Ecclesiam tumulantem; ubi, deposito feretro, prosequitur reliquum Officium defunctorum, semper omittendo praedictam Antiphonam *Exultabunt*, Psalmum *Miserere* et Responsorium *Subvenite Sancti Dei* cum Precibus et Oratione subsequenti, prout in dicto Rituali praescribitur. Quare praedicta omnia animadvertens praefatus orator per dictum Capitulum fieri contra formam Ritualis Romani et usum omnium Ecclesiarum, a S. R. C. declarari demisse supplicavit: An huiusmodi consuetudo servanda sit?

Et S. R. C., audita prius informatione Ordinarii, rescripsit: « Servetur Rituale Romanum ». Die 20 Maii 1741.

2364. IANUEN. (4116)

Cum ex parte Confraternitatis *a Morte et Oratione* nuncupatae, sub invocatione S. Luciae Civitatis Ianuen. expositum fuerit, quod iidem Confratres speciali Instituto solent qualibet Feria secunda, a Festo duplici minime impedita, sese congregare in Oratorio dictae Confraternitatis, ibique recitare Officium defunctorum et assistere Missae de Requiem, quae in cantu celebratur pro anima cuiuslibet Confratris nuperrime vita functi; eoque deficiente, pro universitate eorumdem Confratrum ac Consororum. Cum ob frequentiam Festorum duplicium occurrentium in dictis Feriis secundis saepe saepius non possit dicta Missa in cantu celebrari; ad promptius suffragium praestandum animabus eorum Confratrum, apud S. R. C. humillime supplicarunt pro facultate celebrandi in dicto Oratorio singulis Feriis secundis, etiam a Festo duplici impeditis, unicam tantum Missam in cantu.

Et S. R. C., audita prius relatione Rm̃i Archipresbyteri: « Oratoribus gratiam petitam, exceptis tamen duplicibus primae et secundae classis ac Festis de praecepto, benigne concessit ». Die 8 Iulii 1741.

2365. AQUEN. (4119)

Unus e Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis, Curator Ordinis Divini Officii recitandi, a S. R. C. humillime supplicavit sequentia dubia declarari: (1)

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4 et 7.

1. SSm̃o Sacramento exposito, debetne in Altari collocari Crux, etiam post tempus Sacrificii? Potestne fieri commemoratio de SSm̃o Sacramento in Missa de Festo duplici coram ipso exposito celebrata, dummodo non sit Festum primae vel secundae classis? Suntne salutandae Reliquiae in Altari, in quo et ipsum Sacramentum expositum est?

2. Possuntne adimpleri quaelibet fundationes, sive in honorem Sanctorum sive pro defunctorum liberatione, Missam de die celebrando? Quoties in Missa tertia Oratio est ad libitum, potestne dici de Sanctis, quorum Missa est in Missali, vel de SSm̃o Sacramento, vel de Patrono?

3. Debetne fieri in tota Dioecesi Officium cum octava Titularis Ecclesiae Cathedralis aut Patroni? In Hymno *Iste confessor* diciturne *Hac die laetus meruit supremos laudis honores,* cum id notatur? Praedicta mutatio debetne fieri cum Officium Sancti habentis octavam transfertur, sed non ultra octo dies? Et quando tunc dicitur per reliquos octavae dies, dicendumne: *meruit beatas,* an *meruit supremos?* Si Festum Stygmatum S. Francisci transferatur, fitne in Hymno aliqua mutatio? In Festo S. Ioachim nonne dicendum est: *meruit supremos etc.?*

4. Psalmi Graduales suntne nunc de praecepto pro Choro? Suntne saltem de praecepto pro Canonicis non legitime dispensatis a Choro? Quid si ex legitima dispensatione absint? Idemne dicendum de Officio defunctorum, Psalmis Poenitentialibus et de Officio parvo B. M. V.? In Martyrologio Festa, semper ad aliam diem remissa, quandonam pronuncianda sunt, die quo notantur, an quo celebrantur? Organa debentne silere Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae?

5. In concursu Septem Dolorum B. M. cum eius Annuntiatione fitne commemoratio Septem Dolorum? Ubi Festum S. Petri ad Vincula vel Conversio S. Pauli est Titularis, per octavam fitne duplex distincta commemoratio, an unica communis per antiphonam *Petrus Apostolus?*

6. Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia cui praeest, sed pro alia a qua ad praesentem fuerit translatus; Missa, quae habetur in Missali, dicendane erit die Consecrationis, vel die Nominationis seu Translationis?

7. In Festo S. Teresiae et in die octava Dedicationis Ecclesiae Lectiones primi Nocturni suntne propriae seu de Communi, an de Scriptura occurrente?

8. Possuntne Regulares, cuiuscumque sint Ordinis, intra limites Parochiae et extra ambitum propriae Ecclesiae, absolutiones defunctis facere eosque incenso adolere, quando ad id faciendum rogati sint a parentibus defuncti, vel a Magistratibus Civitatis si agatur de funeribus unius e Magistratibus; et si contra ius parochiale supradictas functiones palam et publice, deposito feretro in vico, facere praesumant, quanam poena plectendi sunt?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad 1. « Etsi aliquando praeceperit haec S. R. C. quod in Altari ubi est publice expositum SSm̃um Sacramentum, tempore Sacrificii, Crux de more collocetur; non est tamen in suo robore observantia talis praecepti. Et sane Patriarchales Ecclesiae Urbis oppositum servant; supervacaneam enim adiudicant Imaginis exhibitionem ubi Prototypus adoratur. Et hac de causa Instructio pro Oratione quadraginta horarum Clementis XI, Benedicti XIII et Clementis XII Summorum Pontificum iussu edita, sub silentio praeterit an locanda removendave sit huiusmodi Crux, relinquens quemlibet in sua praxi. – Commemorationem de SS. Sacramento posse fieri in Missa de Festo duplici, non tamen primae vel secundae classis, iamdudum S. haec C. declaravit. – Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super Altare, in quo SS. Sacramentum publicae venerationi est expositum ».

Ad 2. « Affirmative. – Tertia autem Oratio dicenda ad libitum Sacerdotis potest esse vel de Sancto, vel de SSm̃o Sacramento, vel de Patrono, vel de Passione, vel de Cruce etc. ».

Ad 3. « Affirmative. – Quoad mutationem faciendam in Hymno *Iste Confessor etc.* fiat haec quando a Breviarii Rubrica iniuncta est. Nec praedicta mutatio fiet quando Officium festivum Sancti habentis octavam non ultra octavam transfertur; quia tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius Festi, et ideo versus idem per reliquos octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur. – In Festo translato Stygmatum S. Francisci nulla est facienda mutatio in Hymno; quae quidem mutatio servanda est in Festo S. Ioachim Dominica infra octavam Assumptionis celebrando ».

Ad 4. « Canonici extra Chorum Officium persolventes non tenentur ad Psalmos Gra-

duales, ad Officium defunctorum et ad Officium parvum B. M. V., quae quidem Officia sunt onera tantummodo ex praecepto implenda in Choro. – Festa perpetuo in aliam diem translata praenuncianda sunt in Martyrologio ipso die quo notantur et quo celebrantur. – Organa non silent quando Ministri Altaris, Diaconus scilicet et Subdiaconus, utuntur in Missa Dalmatica et Tunicella, licet color sit violaceus ».

Ad 5. « In concursu Officii Septem Dolorum B. M. V. cum eius Annuntiationis Festo, nulla in Vesperis fit commemoratio Septem Dolorum. – Ubi Festum S. Petri ad Vincula vel Conversio S. Pauli est Titulus Ecclesiae, semper per octavam facienda est commemoratio distincta alterius, prout in die Festo ».

Ad 6. « De Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis; et Festum huiusmodi erit annuntiandum cum termino *Translationis* ».

Ad 7. « In Festo S. Theresiae Lectiones primi Nocturni sunt de Scriptura occurrente; in die vero octava Dedicationis sunt propriae seu de Communi ».

Ad 8. « Negative, quoad primam partem; Parochi enim iurisdictio supra defunctum durat quousque transeat in aliorum iurisdictionem; non transit autem in iurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiae. Ita S. C. Concilii 28 Februarii 1708 in Sutrina, et 26 Martii 1711 in Montis Politiani. Et sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiae Regularium, consuetas recitare preces supra cadaver; ita non poterunt Regulares, antequam vere et realiter sit cadaver intra limites propriae iurisdictionis, illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum unice spectaret ad Parochum. Quoad secundam partem, consultius poena pecuniaria, quia agitur de re mere iurisdictionali, et ex praxi huius S. C., quae in similibus poenam centum aureorum inflixit Regularibus pulsare audentibus Campanam ante Ecclesiam matricem in die Sabbati Sancti ».

Et ita declaravit. Die 2 Septembris 1741.

2366. THELESINA. (4124)

Archidiaconus Cathedralis Ecclesiae Thelesinae humiliter petit a S. R. C. sequens dubium declarari, nempe: An sit omittendus in fine Horae Tertiae ℣. *Fidelium animae etc.*, quando post eam immediate cani debeat Missa Conventualis?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, censuit rescribendum: « Non est omittendus in fine cuiusvis Horae ℣. *Fidelium animae etc.*, etiam quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim Textus Rubricae XXX, n. 3, Breviarii Romani ». Et ita decrevit. Die 24 Aprilis 1742.

2367. CONIMBRICEN. (4125)

Ex parte Capituli et Praesidentis in spiritualibus Cathedralis Ecclesiae Conimbricen. apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus sequens dubium declarare dignaretur, nempe:

Utrum Episcopus uti possit Sede, qua desuper dependeat baldachinum, stante SS̃mo Sacramento super Altare palam exposito; vel faldistorio uti debeat?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit: « Ex vi aut lege Caeremonialis Episcoporum non prohibetur Episcopo ut propria utatur Sede, qua desuper dependeat umbraculum seu baldachinum, dum Divinis assistit, vel ea per se ipsum peragit, SS̃mo Sacramento super Altari palam exposito; dummodo genuflexiones tunc praescriptas debitasque reverentias adamussim observet, atque saltem aperto capite, in signum reverentiae, assistat ». Et ita declaravit. Die 9 Iunii 1742.

2368. ORDINIS (4130)
EREMITARUM CAMALDULENSIUM
MONTIS CORONAE.

Propositis in S. R. C. ex parte D. Mathiae Eremitae Camaldulensis Montis Coronae, Prioris Eremi S. Marthae Angelorum Civitatis Nolae, nonnullis dubiis circa Processionem tum in solemnitate Corporis Christi tum Feria V et VI maioris Hebdomadae;

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Praecedat Crux hastata a Religioso cotta induto delata inter ceroferarios cotta pariter indutos; sequentur viri Religiosi bini incedentes, qui in solemnitate Corporis Christi, monasticis cappis depositis, post communionem Celebrantis sument, non in Choro sed in alio convenienti loco, superpelliceum cereosque accensos gestabunt. In

Processionibus vero quae fiunt Feria V in Coena Domini et Feria VI in Parasceve, quia haec intra Ecclesiam peraguntur, cum cappis monasticis procedant. Post digniores Religiosos viros succedent duo thuriferarii itidem cum cottis, qui thuribula cum incenso fumigantia lente ducent ante Celebrantem facie, non dorso, ad Sacramentum semiversa in incessu. Tandem adveniet Celebrans pluviali ac velo humerali albo amictus, deferens Sacramentum inter Ministros sacris vestibus, sed sine manipulo, indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem Celebrante Psalmos submissa voce recitabunt. Supra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino baldachinum quaternis saltem hastis instructum, quae a totidem Religiosis superpelliceo indutis in Festo Corporis Christi eleventur. Feria autem VI in Parasceve deferri poterit baldachinum a Religiosis sine cotta; qua die Celebrans non sumet pluviale, Ministri autem Celebrantis, cum non utantur planetis, tum solemni illius diei Officio tum Processioni cum superpelliceo assistent. Cerei extinguentur postquam reconditum fuerit Sacramentum, et Feria VI in Parasceve postquam fuerit a Celebrante consumptum. Quod si ad huiusmodi supplicationes convocentur Confratres alicuius Sodalitii, hi sacco induti designari poterunt ad deferendum baldachinum, supplendo vices Religiosorum alia munia obeuntium. In iis autem Coenobiis seu Religiosis Familiis in quibus parva Monachorum manus sit, Assistentes Celebrantis poterunt incedere cum superpelliceo, sed nunquam fas sit ut omittatur baldachinum desuper deferendum vel a Monachis vel a Confratribus ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 15 Septembris 1742.

2369. TRIDENTINA. (4131)

Cum Ecclesia parochialis Oppidi Roboreti Dioecesis Tridentinae dicata sit S. Marco Evangelistae, ex parte Parochi praedictae Ecclesiae pro resolutione infrascriptorum dubiorum apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, nempe:

1. An dictum Festum tamquam de praecepto celebrandum sit ab incolis totius Oppidi vigore Constitutionis: *Universa per Orbem* emanatae ab Urbano VIII anno 1642, an vero solum ab iis qui eiusdem Ecclesiae parochiani existunt? Complectitur autem haec Parochia fere totum Oppidum, excepto unico Suburbio trans pontem.

2. An idem Festum celebrandum sit in Choro cum octava, iuxta Rubricas tit. VII, num. 1, ab omnibus Sacerdotibus Saecularibus eiusdem Oppidi; vel solum ab iis qui intra districtum huius Parochiae commorantur; vel denique ab iis tantum, qui eidem Ecclesiae specialiter addicti sunt?

Et S. R. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Si Festum S. Marci erit tamquam Patroni Oppidi Roboreti electi a Clero, populo etc. illius loci cum approbatione Episcopi, vigore Constitutionis Urbani PP. VIII, iuxta Decreta S. R. C. tunc Festum S. Marci erit de praecepto observandum et celebrandum ab incolis totius Oppidi, etiam trans pontem in Suburbiis; alias, Negative ».

Ad 2. « Si Festum S. Marci erit de Patrono Oppidi, ut supra, Officium celebrandum erit sub ritu duplici primae classis cum octava ab omnibus Sacerdotibus Saecularibus eiusdem Oppidi. Si vero Festum S. Marci erit Titularis illius tantum Ecclesiae parochialis, Officium celebrandum erit sub ritu duplici primae classis cum octava ab iis Sacerdotibus tantum qui addicti sunt servitio illius Ecclesiae parochialis ».

Et ita declaravit. Die 15 Sept. 1742.

2370. NULLIUS TERRAE FASANI. (4133)

Cum ex parte Sacerdotis Ioannis Antonii Ferrari Magistri Caeremoniarum maioris Ecclesiae S. Ioannis Baptistae Nullius Terrae Fasani expositum fuerit Ioannem Antonium Colucci Primicerium et nonnullos Sacerdotes participantes eiusdem Ecclesiae, ab immemorabili in associandis cadaveribus Sacerdotum defunctorum, loco intonandi antiphonam: *Exultabunt Domino* et Psalmum *Miserere mei Deus etc.* iuxta Ritualis Romani Rubricam tit. de Exequiis, consuevisse intonare cantu modulato ante domum defuncti Invitatorium Officii defunctorum: *Regem cui omnia etc.* cum Psalmo: *Venite, exultemus etc.* per totam viam usque ad Ecclesiam tumulantem; ubi, deposito feretro, prosequebatur reliquum Officium defunctorum, semper omittendo praedictam antiphonam *Exultabunt*, Psalmum *Miserere* et Responsorium *Subvenite Sancti Dei* cum precibus et Oratione subsequenti, prout in dicto Rituali praescribitur. Quae omnia

animadvertens praefatus Caeremoniarum Magister per dictos Primicerios aliosque Sacerdotes fieri contra formam Ritualis Romani et usum omnium Ecclesiarum; ut declararetur quid imposterum servandum esset, humillime supplicavit.

Et S. eadem R. C., audita prius informatione Ordinarii, sub die 20 Maii 1741 rescripsit: « Servetur Rituale Romanum ».

Adversus huiusmodi Rescriptum praetendentes Primicerius et Sacerdotes praedicti probare immemorabilem consuetudinem, instituerunt pro repropositione Causae in eadem S. C., in qua Emus et Rmus Cardinalis Belluga infrascriptum dubium inter partes concordatum proposuit:

An in associatione cadaverum Sacerdotum attendi debeat dispositio Ritualis Romani tit. de Exequiis, seu potius servari praetensa consuetudo canendi per viam Invitatorium cum Psalmo: *Venite, exultemus Domino etc.*, et in Ecclesia residuum Officium defunctorum?

Et S. R. C. respondendum censuit: « Servetur Rituale ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 1 Decembris 1742.

2371. ALIPHANA. (4138)

Ortis nonnullis controversiis inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Aliphanae ex una, atque Capitulum et Canonicos Collegiatae et matricis Ecclesiae Pedemontis partibus ex altera, super nonnullis praeeminentiis; illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Guadagni, pro Emo et Rmo D. Cardinali Lercario Ponente, infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Episcopo Pontificalia celebranti in insigni Collegiata S. Mariae Maioris Pedemontis aliisque Ecclesiis sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici eiusdem Collegiatae; seu potius Canonici Ecclesiae Cathedralis Aliphanae? et quatenus affirmative quoad secundam partem,

2. An dicti Canonici Cathedralis possint assistere capitulariter, quando singulariter interveniant?

3. An idem procedat sive dicti Canonici Cathedralis sint invitati ab Episcopo, sive non?

4. An, et quibus, in hoc casu debeatur praecedentia?

5. An Canonici dictae Ecclesiae Cathedralis, in Convisitatores adhibiti, possint gestare signum canonicale in dicta Collegiata ac aliis Ecclesiis sitis intra fines eiusdem? et quatenus affirmative,

6. An, et quibus, in hoc casu debeatur praecedentia?

Et S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis et utraque parte scriptis et voce informante audita, ad relationem eiusdem Emi Dom. Cardinalis Guadagni, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Quatenus invitati, et non alias ».

Ad 4. « Deberi Canonicis Cathedralis ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Deberi Canonicis Cathedralis Convisitatoribus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 19 Ianuarii 1743.

2372. FIRMANA. (4147)

Cum in Civitate Firmana semper invaluerit pius usus indicendi publicas Processiones qualibet secunda Dominica mensium aestivorum in honorem Beatae Mariae Virginis, cuius Imago asservatur in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia eiusdem Civitatis, a qua Ecclesia Processiones ducuntur ad Ecclesiam Metropolitanam, hoc ordine: post Confraternitates Laicorum, sequitur Clerus Regularis et Saecularis, deinde Capitulum dictae Metropolitanae; post illud vero subsequuntur ordinatim quatuor Confratres uniuscuiusque Societatis gerentes intortitia, assignato ultimo loco quatuor Confratribus Societatis SSmi Sacramenti incedentibus immediate cum intortitiis ante Sacram Imaginem a Sacerdotibus processionaliter delatam, ac postremo sequitur Gubernator pro tempore cum illius Magistratu; cum autem quatuor famuli, qui a dicto Magistratu ad Processionem mittuntur, non raro praetensionem excitaverint praecedendi Confratres Confraternitatis SSmi Sacramenti vestibus eiusdem Sodalitatis indutos, et occupandi nobiliorem locum immediate ante dictam Sacram Imaginem; propterea, ad dirimendas seditiones et scandala, Officiales praefatae Societatis SSmi Sacramenti recursum habuerunt ad S. R. C. adversus praedictum Magistratum pro declaratione infrascripti dubii ab Emo et Rmo D. Card. Sacripanti propositi, nempe:

An praecedentia tam in incessu quam in Ecclesia, occasione sacrarum Processionum, debeatur Confratribus Ven. Societatis SSmi Sacramenti gestantibus intortitia ac-

censa; vel potius famulis Magistratus similia intortitia deferentibus?

S. eadem R. C., audita informatione Rm̃i Episcopi ac iuribus ex parte supradictae Confraternitatis deductis, ad relationem ipsius Em̃i Domini Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 31 Augusti 1743.

2373. MEDIOLANEN. (4148)

Bernardinus Cassinus unus ex Magistris Caeremoniarum Metropolitanae Mediolanen. pro declaratione sequentium dubiorum penes S. R. C. humillime supplicavit; videlicet:

1. An iis diebus quibus, iuxta ritum Ecclesiae Ambrosianae, prohibetur fieri de duplici sive de solemni, prohibeantur etiam Missae de Requiem? et quatenus affirmative,

2. An Missae, enunciatis diebus Officium de duplici seu de solemni non admittentibus, in Calendario et Missali Ambrosiano praescriptae, ad Altaria privilegiata celebratae animabus in Purgatorio existentibus perinde suffragentur, ac si celebrarentur Missae de Requiem?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Affirmative ad utrumque ». Et ita declaravit. Die 31 Augusti 1743.

2374. URBIS. (4149)

Cum omni communi aeque ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut quos e Sanctorum numero sibi singulae elegerint, eos etiam adiecto illustrium Patronorum titulo, suis unaquaeque Calendariis inscribant: minime dubitandum est quin Romana potissimum Ecclesia Principum Apostolorum Petri et Pauli Martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris et gloriae culmen evecta a Fidei primordiis eosdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, seque in illorum tutela positam iure putaverit. Clarum antiquae huic traditioni perhibent testimonium tum S. Leo Papa Serm. 1, de Sanctis Petro et Paulo, ubi eos Romae Patronos nominat speciales: Sicut autem, inquiens, et Nos experti sumus, et Nostri probavere Maiores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitae ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adiuvandos; tum quoque S. Maximus Episcopus Taurinensis, Homilia 3 de iisdem, ubi eos Romae Patronos appellat peculiares dicens: Horum hodie concursu laetissimo recolit Roma Martyrium, et quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota patrocinio gloriatur: atque eisdem celebri disticho concinit S. Venantius Fortunatus:

A facie hostili duo propugnacula praesunt,
Quos Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.

At quia compertum est in Ordine divini Officii debita hac nota, ac insigni titulo Patronorum principalium Almae Urbis Sanctos eosdem Apostolos nuncupari non consuevisse, eam fortasse ob causam, quod Sancti Petrus et Paulus Catholicae Ecclesiae Patroni ceteroquin generales habeantur, eaque propter in communibus Suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur; SSm̃us Dominus Noster Benedictus PP. XIV solerter advertens per huiusmodi Ecclesiae universae generale patrocinium non effici quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiares, sive ut aiunt principales, et hoc nomine in earum Calendariis inscribantur, ratus est non decere, ut quae ipsorum patrocinio Roma prae ceteris laetatur, eos ubi maxime oportet in fastis Patronos non appellet. Qua de re Sanctitas Sua: « Ut in posterum debita honoris et obsequii ratio servetur in recolenda memoria Principum Apostolorum, quorum praesenti ope ac tutela Christiana Respublica undique procellis acta ac gravioribus in diem aerumnis confecta tandem erigatur, mandat ac praecipit memoratos Apostolorum Principes Sanctos Petrum et Paulum posthac Romano quoque Calendario sive Ordini Divini Officii pro degentis in Urbe Cleri directione quotannis imprimendo similiter inscribi, titulo scilicet principalium Patronorum non omisso ». Propterea eadem Sanctitas Sua inhaerens Decretis alias editis a S. R. C. et a Praedecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis, declarat: « Quod commemorationi, quae in unaquaque Civitate et Dioecesi, ex laudabili consuetudine, Rubricarum dispositione fit Sanctorum suorum Patronorum principalium inter Suffragia Sanctorum post Laudes et Vesperas in Divinis Officiis, quando commemorationes sive Suffragia Sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi ubicumque Sancti Apostoli Petrus et Paulus uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam seu communem,

quae fit eorumdem in universa Ecclesia post commemorationem Bmae Virginis Mariae». Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit et declarat. Die 16 Octobris 1743.

2375. BERGOMEN. (4153)

Cum ex parte Episcopi Bergomensis pro resolutione infrascriptorum dubiorum apud S. R. C. enixe supplicatum fuerit, nempe:

1 Utrum in Sabbato Sancto pro collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis, ut in Missali, celebrare?

2. Utrum in Ordinum collatione diebus a iure statutis, dicenda sit Missa de Sancto contingente, an semper de Feria occurrente? (1)

3. Cum Rubrica Missalis de Ritu servando in celebratione Missae, tit. IV, n. 5, praescribat, quod, incensata Cruce, incensentur et Reliquiae seu imagines Sanctorum, quaeritur: An imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctorum Reliquias, iuxta Quarti part. 3, tit. 4, de Introitu Missae, et Merati tom. 1, part. 2, titul. 4?

4. Quaeritur: utrum nocte Feriae V in Coena Domini licitum sit Statuam B. M. V. velo nigro circumdatam cum Crucifixo mortuo in gremium deposito exponere; et Feria VI sequenti mane eam in Processione cum pluvialibus nigris deferre?

5. Cum in quamplurimis nostrae Dioecesis Ecclesiis inoleverit et quotidie excrescat usus vestis violaceae cum ferula in sacris functionibus deferendae a Caeremoniarum Magistro; quaeritur: An sit usus tolerandus?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; id est pro collatione Sacrorum Ordinum in Sabbato Sancto Missa incipienda est a Prophetiis ».

Ad 2. « In Ordinum collatione diebus a iure statutis, dicatur semper Missa de Feria occurrente ».

Ad 3. « Non esse de necessitate in sculptis Sanctorum imaginibus in Altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut, incensata Cruce, valeant illae a Celebrante thurificari ».

Ad 4. « Permitti posse, ut Statua B. M. V. velo nigro circumdata nocte Feriae V in Coena Domini cum Iesu Domino Filio mortuo in gremium deposito in Ecclesia exponatur; et sequenti Feria VI mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur ».

Ad 5. « Serventur praescripta a Caeremoniali Episcoporum circa vestem violaceam et ferulam gestandam, prout legitur lib. I, cap. 5, § 4; quare huiusmodi color et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Ecclesiae Cathedralis ».

Et ita declaravit. Die 21 Martii 1744.

2376. EPISTOLA (4155)
BENEDICTI PAPAE XIV

Ad omnes Archiepiscopos et Episcopos qua commendatur observantia Decretorum, iussu Alexandri PP. VII editorum circa usum Pontificalium servandum ab Abbatibus aliisque Praelatis inferioribus.

Rme Domine uti Frater:

SSmus Dominus Noster pro diuturno, quo gubernat Ecclesiam zelo et sollicitudine, animo reputans, quod ea quae a longo tempore fuerunt statuta, quamquam opportunissima et necessaria, ita tamen decursu temporis in desuetudinem abeant et in oblivionem, ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse adversus Decreta a s. m. Alexandro VII constituta, praesertim circa usum Pontificalium; in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita coram eodem Pontifice anno 1659, idem SSmus Dominus Noster nedum opportunum, sed plane necessarium duxit praescribere, sicut reapse praescripsit, quod non solum fieret nova praedictorum Decretorum in memorata Congregatione editorum impressio, sed etiam quod ad omnes et singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur (quorum unum etiam Amplitudo tua hisce adnexum recipiet) ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras eosdem affectos esse decet, exactam eorumdem Decretorum observantiam urgeant et compleant: eoque magis, quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia, ex Apostolico indulto eis licitum esse ecclesiasticam supellectilem benedicere, S. R. C. mandavit usque ab anno 1660 tale indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum exhiberi, et interim abstinere,

(1) E. Dub. 3 et 5.

sed nunquam huc usque fuit ostensum. Diu felix et incolumis vivas.

Romae 31 Martii 1744.

2377. TIRASONEN. (4159)

Episcopus Tirasonen. enixe apud S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum, videlicet:

1. An liceat Abbatibus aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere Campanas, vasa sacra et alia, quae sacro Chrismate liniuntur; nec non vestes sacras et alia in quorum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur? et quatenus affirmative,

2. An hoc eis liceat etiam pro Ecclesiis sibi pleno iure non subiectis?

3. An Regularium Rectores, Priores, Guardiani, Ministri et alii Superiores possint explere benedictiones omnes, in quibus sacrum Chrisma non requiritur? (1)

4. An idem Episcopus, utendo ordinaria facultate, possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi sacra indumenta et alia in quibus, iuxta Rituale Romanum, Sacrum Chrisma non adhibetur: nec non hanc delegationem idem Episcopus etiam ad Campanarum benedictionem ampliare valeat?

5. An, quatenus ad eamdem delegationem Apostolicum requiratur indultum, istud sit concedendum praefato Episcopo, ut in locis praecipuis et nobilioribus suae Dioecesis tot Presbyteros in Dignitate constitutos ad hoc opus eligat, quot aestimet sufficere pro omnium Ecclesiarum suae Dioecesis indigentia?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburrini Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem, non licere, nisi habeant S. Sedis privilegium; quoad secundam partem, licere ».

Ad 2. « Hoc eis licere pro usu dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum ».

Ad 3. « Posse pro suis Ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio ».

Ad 4. « Non posse ».

Ad 5. « Posse concedi in forma solita ».

Et ita declaravit. Die 16 Maii 1744.

2378. CRACOVIEN. (4160)

Cum Decanus et Officialis generalis Cracoviensis, cui commissum est munus ordinandi Directorium pro Officio Divino recitando, nonnullas patiatur difficultates, nec pro earum resolutione sufficientem habeat auctoritatem, apud S. R. C. enixe supplicavit pro declaratione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. Utrum sufficiat usus in Regno Poloniae receptus qualificandi Festa non pauca titulo duplicis maioris, ex ea sola ratione quia sunt celebria apud populum?

2. Utrum ratione Festivitatis seu Feriationis in occurrentia cum aequalibus debeant Festa, quae sunt celebria in populo, habere integras Vesperas?

3. Utrum Festis a sua sede propter impedimentum perpetuo translatis possint assignari dies proprii, qui reperiuntur liberi in Calendario Romano, independenter ab octavis particularibus?

4. Utrum, interveniente necessitate movendi in perpetuum aliquod Festum cui assignata fuerat dies alia propria, moveri etiam debeant alia Festa quibus pariter assignati fuerant dies proprii, ita ut per modum translationis omnia ista cedant locum antiquioribus?

5. Utrum Ecclesia particularis, quae non potest facere de Festo die assignata tamquam propria pro tota Dioecesi, possit ac debeat huic Festo aliam diem eligere tamquam propriam?

6. Ab antiquo Festum Sanctorum Cosmae et Damiani perpetuo a sua die translatum in Polonia appositum fuit pro prima die Octobris; postea Festum S. Remigii concessum fuit semiduplex ad libitum. Nonne convenit assignare diem aliam istis Sanctis, puta 3 Octobris, ut possit fieri de S. Remigio? et in hoc casu, nonne satius esset ut in Cathedrali propter occursum diei infra octavam S. Wenceslai fieret die prima Octobris commemoratio tantum S. Remigii in Officio de infra octavam, protrahendo illud Sanctorum Cosmae et Damiani ad diem 3, ne multiplicentur dies proprii respective ad particulares Ecclesias? (2)

7. Usus viget in Polonia dicendi vel potius cantandi quotidie per totum Adventum Missam *Rorate* de B. M. V., et quidem solemniter. Quaeritur: an ista in Missa dicendus sit semper Hymnus *Gloria in excelsis* et etiam *Credo*, quando Missa diei currentis illud exigat?

8. In Ecclesiis minoribus, in quibus nonnisi unica Missa haberi potest, quaeritur:

(1) E. Dub. 4 (2) E. Dub. 7.

utrum Sacerdos possit celebrare Missam *Rorate*, maxime in Dominicis et Festis celebribus, puta S. Andreae, Conceptionis B. M. V., S. Thomae etc.?

9. An Decreta prohibentia dicere *Credo* in Missis Patronorum minus principalium sustineantur, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta, quinimo in Missalibus post Evangelium in istis Missis notatus sit *Credo?*

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, censuit respondendum:

Ad 1. « Usus celebrandi quamplura Festa sub ritu duplicis maioris, ex eo quia sunt celebria in populo Cracoviensi, sustineri non potest ».

Ad 2. « Festa per annum duplicia, quae solemniter celebrantur a Choro et in populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum (ceteris paribus) possunt habere integras Vesperas ad sensum Rubricae XI Breviarii Romani num. 2 ».

Ad 3. « Non dedecet assignari Festis etiam semiduplicibus, a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis, dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrente Festo non impeditos, qui dies habeantur et sint in posterum sedes fixa talium translatorum ».

Ad 4. « Cum aliquod Festum iam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus ut cetera alia Festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur; ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur ».

Ad 5. « Affirmative, cum approbatione tamen Rmi Episcopi loci Ordinarii circa electionem diei ».

Ad 6. « Festum Sanctorum Cosmae et Damiani iam alias a propria die perpetuo amotum celebrari deinceps poterit tam in Cathedrali quam in Dioecesi Cracoviensi die 3 Octobris; die autem prima agatur in Dioecesi de S. Remigio ad libitum, de quo in Cathedrali haberi poterit commemoratio tamquam de simplici in Officio de quarta die infra octavam S. Wenceslai inibi tantum occurrente ».

Ad 7. « Tolerari potest Missa votiva cantata B. M. V. toto tempore Adventus, exceptis solemnioribus Festivitatibus, dummodo canatur sine *Gloria* (praeter quam in Sabbatis et infra octavam eiusdem B. M.) et sine *Credo*, non omissa Missa Conventuali ».

Ad 8. « In Ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur Missa, non potest omitti illa occurrentis Festi de praecepto, ut cantetur votiva ».

Ad 9. « Exequenda sunt Decreta in una Licien. 15 Septembris 1691, et in Curien. ad 5 sub die 19 Iunii 1700, quibus vetitum est dicere *Credo* in Missis Patronorum minus principalium, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta; et a Missalibus, ubi contrarium notatur, verbum *Credo* expungatur ».

Et ita declaravit. Die 22 Augusti 1744.

2379. RIPANA. (4164)

Exorta inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ripanae ex una, et Confraternitatem SSmi Sacramenti sive S. Ioannis eiusdem Civitatis partibus ex altera, controversia super praecedentia ab Officialibus eiusdem Confraternitatis praetensa in Processione fieri solita cum Imagine seu statua Bmae Virginis Lauretanae; illaque ad S. R. C. delata, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Accorambonus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. In quo loco asserti Officiales maiores Confraternitatis S. Ioannis Ripanae Civitatis in Processione fieri solità cum Sacra Imagine B. M. V. coronatae incedere debeant, sive interveniente sive non interveniente Episcopo?

2. An dicta Sacra Imago deferenda sit sub baldachino? et quatenus affirmative,

3. An liceat illam deferri per Confratres sacco vel potius per Sacerdotes seu Clericos superpelliceo indutos?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita, rescribendum censuit:

Ad 1. « Officiales debere incedere a latere Statuae ».

Ad 2. « Sacram Imaginem non esse deferendam sub baldachino ».

Ad 3. « Licere deferri dictam Sacram Imaginem per Confratres sacco indutos ».

Et ita declaravit ac decrevit. Die 22 Augusti 1744.

2380. IPPOREGIEN. (4167)

Ioannes Perotti Cantor Canonicus Ecclesiae Cathedralis Ipporegien. penes S. R. C. enixe supplicavit pro declaratione sequentis dubii:

An prima die mensis impedita duplici aut semiduplici, cum ex praescripto Ru-

bricarum Officium defunctorum et Missa Conventualis de Requiem non sint celebranda, Officium et Missa huiusmodi differenda sint ad aliam diem non impeditam?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Magistris Caeremoniarum, censuit rescribendum: « Affirmative, iuxta Rubricas ». Et ita declaravit. Die 27 Martii 1745.

2381. ASTEN. (4168)

In causa Asten. vertente inter Rmum Episcopum Asten. et Beneficiatos Ecclesiae Cathedralis super obsequiis per dictos Beneficiatos praestandis dicto Rmo Episcopo Pontificalia exercenti aut Pontificalibus assistenti, proposito in S. R. C. sub die 27 Martii 1745, referente Emo et Rmo D. Card. Tanario, infrascripto dubio:

An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Asten. pluvialibus aliisque sacris paramentis induti, Pontificalibus functionibus inservientes, genuflectere teneantur Altari et Episcopo Pontificalia exercenti aut Pontificalibus assistenti, quoties transeunt ante Altare et Episcopum, sive ad idem accedunt vel recedunt? S. R. C., partibus scriptis et voce informantibus auditis, rescripsit: « Affirmative; iuxta formam praescriptam in Caeremoniali Episcoporum ».

Reproposita deinde causa ab eodem Emo Ponente, ad instantiam dictorum Beneficiatorum adversus praefatam resolutionem petentium novam audientiam;

S. eadem R. C. rescribendum censuit: « Nihil de nova audientia ». Et ita decrevit. Die 15 Maii 1745.

2382. ASTEN. (4169)

Renuentibus Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis Asten. Episcopo Pontificalia, et respective Dignitatibus et Canonicis ecclesiasticas functiones exercentibus assistere, habitoque per eosdem recursu ad hanc S. R. C., Emus et Rmus Dom. Card. Tanarius Ponens infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Asten. in functionibus Pontificalibus solemnioribus, quando scilicet Episcopus celebrat Missam Pontificalem vel ad Vesperas Officium facit aut intervenit solemnibus Processionibus, et signanter illis SSmi Corporis Christi et Assumptionis B. M. V., teneantur assistere Canonico Cantori et exercere munus Choristarum?

2. An ipsi Beneficiati in aliis functionibus Pontificalibus minus solemnibus, quando nempe Episcopus assistit Missis et Vesperis solemnibus a Dignitate vel Canonico celebratis, assistere teneantur eidem Canonico Cantori, et exercere praedictum munus Choristarum, Diaconi ac Subiaconi?

3. An iidem Beneficiati assistere teneantur dicto Canonico Cantori et explere idem munus Choristarum, Diaconi ac Subdiaconi, tam in dictis Processionibus quam in Missis solemnibus, Episcopo absente, a Canonico vel Dignitate celebratis; nec non etiam in omnibus et singulis Missis Conventualibus ceterisque aliis quae a Canonicis, etiam extra Ecclesiam Cathedralem, solemniter celebrantur?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative in omnibus ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Maii 1745.

2383. LUCANA. (4170)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucanae humillime apud S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentis dubii, nempe:

An sit laudandus Parochus qui Feria VI in Parasceve, dum defert SSmum Sacramentum ad domum sui parochiani infirmi, pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos Psalmos, sed in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri,* et ingressus Ecclesiam statim reponit sacram Pyxidem et dimittit populum absque benedictione?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Non est reprobandus Parochus, qui defert SSmum Viaticum infirmo Feria VI in Parasceve, dummodo private et submissa, quinimo submississima, voce recitet Psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat ℣. *Gloria Patri etc.;* quia in tali circumstantia actio talis nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiae huius diei: et considerandum est, quod deferri debet cum Stola albi coloris, in qua Feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus: ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, populum absque benedictione dimittat Feria VI in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi ». Et ita declaravit. Die 15 Maii 1745.

2384. ORDINIS (4171)
DISCALCEATORUM SS. TRINITATIS
PROVINCIAE S. IOACHIM
IN REGNO POLONIAE.

Cum P. Provincialis S. Ioachim in Regno Poloniae Ordinis Discalceatorum SSmae Trinitatis exposuerit, quod in Conventibus dictae Provinciae perpetuo occurrant eodem die plura Sanctorum Festa, de quibus omnibus fieri non potest eodem die; et cum in praefato Regno Poloniae magna sit libertas in iis transferendis, quia alii illa transferunt tamquam non perpetuo impedita; ad evitandas confusiones et conscientiae scrupulos sedandos, humiliter a S. R. C. supplicavit ipse sequentia dubia benigne declarari:

1. Quis debeat diem assignare tamquam propriam Festis illis, quae perpetuo impedita manent, ratione alterius Festi occurrentis?

2. An possit assignari dies quae sit infra octavam privilegiatam, puta infra octavas Patronorum, quae plures sunt in Regno Poloniae? (1)

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quando plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicuius seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria Festi respective translati ».

Ad 2. « Huiusmodi Festa posse stabiliri infra illas octavas quae huiusmodi Festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata; ut est octava Corporis Christi quae admittit duplicia currentia, non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas octavas quae huiusmodi Festa occurrentia excludunt, iuxta regulas praescriptas in Rubricis Breviarii Tit. VIII, num. 3 ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 15 Maii 1745.

2385. PORTUGALLIEN. (4172)

Porrecto in S. R. C. supplici Libello ex parte Fr. Iosephi Mariae Episcopi Portugalliensis pro declaratione dubii, nempe:

An licuisset et liceret in casu Episcopo Portugalliensi observari facere caeremoniam candelae accensae in Confirmatione conferenda, utpote ab Ecclesia receptam, Fidei protestativam et meritoriam?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Licuisse et licere in casu ». Et ita declaravit. Die 15 Maii 1745.

2386. GRAVINEN. (4174)
PRAEEMINENTIARUM.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Gravinen. ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis super nonnullis iuribus praeeminentialibus, tam in Choro quam in functionibus ecclesiasticis extra Cathedralem peragendis, iisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Lercarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Vicarius Generalis interveniens Choro, praesente Episcopo, sit thurificandus eique pax praebenda ante vel post Dignitates et Canonicos habitu Chorali indutos?

2. An et in quo loco stare debeat Sedes Vicarii?

3. An dicta Sedes sit ornanda strato et pulvinari?

4. An Vicarius in functionibus ecclesiasticis peragendis extra Cathedralem sedere debeat separatim a circulo Canonicorum, et in quo loco?

Et S. R. C., utraque parte scriptis et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praedicti Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; dummodo Canonici non sint paramentis sacris induti, et exceptis illis qui assistentiam praestant Episcopo, etiam chorali habitu induti ».

Ad 2. « In loco solito a cornu Evangelii ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « In loco digniori a capite circuli Canonicorum, dummodo Canonici paramentis sacris non sint induti ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 3 Iulii 1745.

2387. AQUEN. (4175)

Unus ex Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis, a Rmo Episcopo Aquensi praepositus ad praebendum quotannis Clero

(1) E. Dub. 3.

eiusdem Dioecesis Ordinem Divini Officii recitandi, S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentis dubii, nempe: (1)

Cum anticipatur Officium Dominicae cuiuspiam post Epiphaniam ad Sabbatum vel Feriam V praecedentem, Lectiones primi Nocturni suntne de Dominica anticipata; an Feriae occurrentis? suntne tunc dicenda plura Initia? Item si anno, quo quinque tantum sunt Dominicae post Epiphaniam, hebdomada ante Septuagesimam habeat singulis diebus Officia novem Lectionum, Sabbatoque occurrat Festum primae classis, Homilia Dominicae IV debetne ipso Sabbato legi an Feria VI, vel eo anno penitus omitti? Si Festum aliquod primae vel secundae classis incidat in Feriam III vel IV Rogationum, in Ecclesiis non Cathedralibus aut Collegiatis in quibus unica Missa cantatur, debetne in ea fieri commemoratio praedictae Feriae?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Quando fit anticipatio Officii Dominicae leguntur Lectiones de illa Dominica anticipata, et dicenda sunt plura Initia, ut in hoc clara videtur Rubrica Breviarii. In duplicibus primae classis semper fit commemoratio Dominicae occurrentis, et de ea etiam legitur Homilia, quae non omittitur etiam in Sabbato impedito Officio primae classis, si occurrat anticipari Officium Dominicae. Temporibus Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Feriae secundae Rogationum semper fieri debet commemoratio, etiam occurrente Festo duplici primae classis. De Feria III et IV Rogationum servetur Rubrica particularis in Missali ». Et ita declaravit. Die 4 Septembris 1745.

2388. PERNAMBUCEN. (4176)

Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis SSmi Salvatoris Pernambucen. Dioecesis in Brasilia exposuerunt, quod cum Capitulum praefatum quinque tantum Dignitatibus novemque Canonicis praebendatis ac quatuor aliis Semicanonicis constet, nullamque aliam habeat Ordinum distinctionem, aliquoties inter ipsos dubia aliqua orta sunt circa ritum observandum in Missis Pontificalibus aliisque functionibus ecclesiasticis in praefata Ecclesia celebrandis; quae cum ab ipsis probe iudicari nequeant, ideo, ne erronee sed rite procedant, a S. R. C. humillime supplicarunt infrascripta dubia declarari, nempe:

1. An universa Dioecesis teneatur ad celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava Festo Transfigurationis Domini Ecclesiae Cathedralis Titularis?

2. An Canonici Assistentes Episcopo in Missa Pontificali debeant induere albam, eo quod dictum Capitulum adhuc utatur superpelliceis rotundis, et non rochetto neque cotta, super quam innuit Caeremoniale Episcoporum induere Amictum et Dalmaticam?

3. An quinam ex Capitulo esse debeant Diaconi assistentes, ac Diaconus et Subdiaconus in Missa Pontificali?

4. An, nulla habita a Vicario Generali consuetudine sedendi in Choro, possit Episcopus cogere Canonicos ad dandam primam Sedem supra Dignitates omnes Vicario Generali?

5. An Capitulum possit bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. diebus simplicibus et ferialibus; eo quod tenues sint dictae praebendae et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi?

6. An Clerici Saeculares Choro non addicti possint recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, si sint eiusdem Ordinis Tertiarii?

7. An Clerici Saeculares Professi in militari Ordine D. N. I. C. possint recitare de Sanctis, de quibus recitant eiusdem Ordinis Claustrales?

8. An de Titulari Ecclesiae Cathedralis debeat fieri commemoratio in Suffragiis Sanctorum per totam Dioecesim, vel ab illis tantum qui addicti sint Ecclesiae Titulari?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Canonici assistentes Episcopo, non Albam, sed rochettum vel cottam, quoquo modo vel forma ad regionis morem compacta illa sit et consuta, induere debent una cum Amictu subtus Dalmaticam, vel aliud Chori peculiare insigne ».

Ad 3. « Quando praebendae non sunt distinctae, duo Diaconi assistentes apud solium Episcopo erunt primae duae Dignitates immediate sequentes post primam; si autem inter Praebendatos Canonicos perpetua non autem accidentalis esset Ordinum

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 7, 8 et 9.

distinctio in Presbyterales et Diaconales, pro munere assistentiae assumuntur primi duo Canonici ex Ordine Diaconali. Diaconus vero Evangelii et Subdiaconus pro Epistola in Missa Pontificali inservientes, quando tale onus inter omnes per vices, vel alias, iuxta Ecclesiae consuetudinem non sit, erunt alii duo digniores, sive Canonici sive Dignitates fuerint, qui sequuntur in ordine post assistentes Canonicos in Solio; item ac supra dictum est, si nulla intercedat Ordinum vel Praebendarum distinctio ».

Ad 4. « Cum nullus pro Vicario Generali determinatus sit locus, sed illum diversum obtineat, iuxta diversarum consuetudines Ecclesiarum; idcirco scribendum Episcopo, ut de sua respondeat Ecclesiae praxi ».

Ad 5. « Officium parvum B. M. V. diebus simplicibus et ferialibus in casu tuto potest omitti ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. « Ut ad proximum; cum clausula, dummodo non sint Choro adstricti ».

Ad 8. « De Titulari Ecclesiae Cathedralis in genere, commemoratio inter Suffragia solummodo habenda est per illos, qui sunt de gremio Ecclesiae ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 4 Septembris 1745.

2389. SANCTI SEVERI. (4178)

Delatis ad S. R. C. a Canonicis Cathedralis Ecclesiae S. Severi controversiis, super usu explicandi cappam magnam usque ad talos, tam in adoratione S. Crucis Feria VI maioris Hebdomadae, quam in Processionibus poenitentiae et in associatione cadaverum defunctorum Episcoporum et Concapitularium, a Promotore Fiscali illius Curiae episcopalis excitatis, Emus et Rmus D. Card. Tanarius infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An liceat Capitulo Ecclesiae Cathedralis S. Severi in adoratione S. Crucis, quae peragitur in Hebdomada maiori, incedere cappis extensis usque ad talos? et quatenus affirmative,

2. An eidem Capitulo liceat modo supradicto incedere in Processionibus poenitentiae et in associatione cadaverum Concapitularium et Episcopi Ordinarii?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Et ita declaravit. Die 4 Septembris 1745.

2390. VARSAVIEN. (4181)

Capitulum insignis Regiae Ecclesiae Varsaviensis apud S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium dubiorum, nempe: (1)

1. Cum in quibusdam Ecclesiis quaedam Festa simplicia sint perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri possit, quaeritur: Num loci Ordinarius possit assignare aliam diem illis Festis impeditis; et utrum consuetudo antiqua et immemorabilis dicendi Officium de aliquo Sancto sufficiat ad licite continuandum et recitandum dictum Officium?

2. Cum inter cetera Officia Patronorum Regni Sueciae a S. R. C. approbata et extensa ad Regnum Poloniae reperiatur Festum Reliquiarum Dominica proxima post Festum S. Matthaei celebrandum, et Dioeceses Regni Poloniae varie celebrent illud: aliae enim praedictum Festum, impeditum a Festo altioris vel aequalis ritus in Dominica praefata occurrente, illo anno omittant: aliae vero transferant illud in primam diem non impeditam: denique in Dioecesibus Cracovien. et Posnanien. iam a tribus annis nihil fiat de praefato Festo Reliquiarum; ideo, ad uniformitatem Dioecesium supplicatur humillime declarari: An debeat praedictum Officium recitari, etsi impeditum sit a Festo altioris ritus occurrente in praefata Dominica, vel potius transferri ad primam diem non impeditam?

3. Cum praescriptum sit dicendum esse Officium de Dedicatione in ipso die consecrationis a Clero illius Ecclesiae quae consecratur, dubium est: Utrum Episcopus consecrans, etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem Officium de Dedicatione?

4. Cum in insigni Regia Ecclesia Varsaviensi quotidie cantetur in Cappella Crucifixi Missa votiva de SSma Trinitate cum expositione SSmi in Pyxide, ac in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare seu legere Missas votivas vel de die etiam ante SSmum expositum in Pyxide; quaeritur num in his Missis debeat fieri commemoratio de SSmo? item in dicta Cappella Crucifixi, durante expositione Sanctissimi in

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 7 et 13.

Pyxide; et an, permittente Rubrica, possint in Ecclesia vel aliis Cappellis celebrari Missae de Requiem? item transeundo circa SSmum expositum in Pyxide, an uno vel utroque genu ante illud genuflectendum sit?

5. Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi publice in maiori Altari, et praeter Missam solemnem dicantur etiam Missae privatae ad idem Altare maius et ad alia Altaria minora; an, durante expositione SSmi, debeat fieri commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento?

6. Anne exposito SSmo Sacramento in Altari maiori. dum in Vesperis ad *Magnificat* idem Altare maius incensatur, debeant etiam incensari alia Altaria? incongruum enim videtur relinquere in Altari expositum SSmum; item anne, thurificato Altari maiore ubi est Sanctissimum, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris in quo est reconditum SSmum in Ciborio?

7. Utrum transeuntes ante expositam Reliquiam SSmae Crucis, debeant genu usque ad terram flectere, vel sufficiat semigenuflexio, uti solet fieri coram Episcopo? et num eadem genuflexio facienda sit ante praedictam Reliquiam SSmae Crucis, quae, licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo Altari; aut etiam quando exposita est sed non apparet, quia pars, quae respicit populum, habet figuram Christi Crucifixi?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam partem, Negative; quoad secundam vero, Affirmative, dummodo immemorabile respiciat Festum in Romano Martyrologio descriptum; sin minus, Negative ».

Ad 2. « Officium Reliquiarum, quod celebratur prima Dominica post Festum S. Matthaei, si talis Dominica fuerit Festo altioris ritus impedita, poterit in primam diem non impeditam iuxta Rubricas transferri ».

Ad 3. « Negative, quoad praeceptum; poterit tamen, si velit, ex congruentia ».

Ad 4. « Commemoratio de SSmo Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando eius expositio fiat ex publica causa: Missae de Requiem extra Altare, ubi est expositum SSmum Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa: genuflexiones vero utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiam quando in Pyxide, patenter, sit expositum ».

Ad 5. « Poterit fieri commemoratio de SSmo Sacramento durante expositione, dummodo sit pro causa publica ».

Ad 6. « Non esse thure adolenda alia Altaria, licet alibi Sanctissimum Sacramentum asservetur ».

Ad 7. « Si loco principe Reliquia SSmae Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent; sola vero capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia ».

Et ita decrevit. Die 7 Maii 1746.

2391. ARIMINEN. (4182)

Cum orta fuerit controversia inter Capitulum Collegiatae Ecclesiae SSmi Rosarii Terrae S. Archangeli Dioecesis Ariminen. ex una, atque Cappellanos Confraternitatum SSmi Suffragii et SSmae Crucis eiusdem Terrae partibus ex altera, super delatione Stolae ab iisdem Cappellanis praetensa in generalibus Processionibus aliisque omnibus functionibus, quae ab eadem Collegiata Ecclesia, toto incedente Capitulo, fieri consueverant; illa nunc ad S. R. C. delata, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Tanarius infrascriptum dubium inter partes concordatum decidendum proposuit, nempe:

An, et in quibus functionibus ac Processionibus, Cappellani Confraternitatum SSmi Rosarii et SSmae Crucis possint deferre Stolam?

Et S. C. R., audita prius informatione Episcopi ac visis iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Non licere, nisi in propria Ecclesia ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 3 Septembris 1746.

2392. MASSAE ET POPULONIAE. (4183)

Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Massae et Populoniae exposuit apud S. R. C., quod in praefata Civitate et Dioecesi, iuxta Decretum s. m. Benedicti Papae XIII sub die 24 Septembris 1726, ab omnibus qui tenentur ad Horas Canonicas recitatur die 16 Iulii Officium et Missa respective celebratur B. M. V. de Monte Carmelo: in Ecclesia vero eiusdem Tituli, non tamen Regularium neque Curata, Clero carente, visitationi Episcopi subiecta, licet in temporalibus ad instar laicarum Confraternitatum administrata, solemnizatur huiusmodi Festum Dominica infra octavam, et plures Sacerdotes invitantur ad celebrandum ibi Missam; quare orator praedictus humil-

lime supplicavit pro declaratione sequentis dubii cum altero subiecto; nempe:

1. An Dominica infra octavam B. M. V. de Monte Carmelo, Sacerdotes qui accedunt ad dictam Ecclesiam debeant in ea, prout praetendit Cappellanus mercenarius eiusdem Ecclesiae, celebrare Missam B. M. V. de Monte Carmelo cum commemoratione et Evangelio Dominicae in fine? et idem Cappellanus possit celebrare eiusmodi Missam solemnem, prout singulis annis celebrat, absque ulla commemoratione?

2. An in exequiis defunctorum Sacerdotum, praesente corpore, Subdiaconus se sistere debeat ad caput defuncti Sacerdotis vel ad pedes?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, censuit rescribendum:

Ad 1. « In Dominica infra octavam Missae privatae nequeunt dici de Festo, sed dici debent de Dominica cum commemoratione octavae, iuxta Rubricas; constito tamen de concursu populi, permittitur unica tantum Missa solemnis de octava cum *Gloria* et *Credo,* absque ulla commemoratione ».

Ad 2. « Servetur Rituale Romanum; et in Exequiis defuncti Sacerdotis, praesente corpore, locetur Crux ad caput defuncti inter feretrum et Altare ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 3 Septembris 1746.

2393. MEXICANA (4184) IN INDIIS OCCIDENTALIBUS.

Expositum fuit a Patribus Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Mexicanae in Indiis occidentalibus, eorum Congregationem ibi fuisse auctoritate ordinaria erectam, et postea a s. m. Innocentio XII confirmata cum omnibus et singulis privilegiis ad instar Congregationis S. Mariae in Vallicella de Urbe, ut ex Brevi exhibito sub die 24 Decembris 1697. Cum autem in Ecclesia dictorum Patrum plures tumulari iusserint et iubeant, Parochi in associandis ad eamdem Ecclesiam cadaveribus, parentalia et quidquid aliud in exequiis fieri solet, in ea peragere voluerunt; quare ut Patres praedicti pluries a recipiendis defunctis se abstinuerunt et abstinent; et quando ita se expedire non poterant, intrante Parocho eorum Ecclesiam semper protestati fuerunt iurisdictionem ad se, non ad illum spectare. Mox vero, ad evitanda scandala quae ex hoc oriri possunt, demisse penes S. R. C. supplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur: Quibus competat, Parochis ne an Patribus in eorum Ecclesia exequias persolvere?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « Quando Ecclesia tumulans est a parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam, non Parochus, sed aliquis Sacerdos eiusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus cotta et Stola, vel etiam pluviali nigri coloris, prosequatur Officium a Rituali Romano praescriptum; et sic servandum esse in Ecclesia praedictorum Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii in Civitate Mexicana, sine tamen praeiudicio iurium Parochis competentium, ut possint, si velint, illa experiri in hac S. C. ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 3 Septembris 1746.

2394. VEGLEN. (4186)

In Causa Veglen. super praetenso titulo *Insignis* et thurificatione inter Capitulum Cathedralis ex una, atque Abbates Curatos et Canonicos Ecclesiarum Sanctorum Audoeni, Matthaei et Nicolai eiusdem Civitatis partibus ex altera, exortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Cardinalis Cavalchinus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit:

1. An Collegiatae Ecclesiae SS. Audoeni, Matthaei et Nicolai sint seu denominari possint *Insignes?*

2. An dictarum Ecclesiarum Abbates in thurificatione, pace et praeintonandis antiphonis praeferendi sint Canonicis Cathedralis Ecclesiae paratis, sive assistentibus Episcopo solemniter celebranti?

3. An earumdem Ecclesiarum Abbates et Canonici in solemnibus Ecclesiae functionibus thurificationem a Diacono et pacem a Subdiacono sumere debeant, seu potius sit servanda transactio?

4. An ipsi Canonici Collegiatarum Ecclesiarum thurificandi sint duplici ductu immediate post Canonicos Cathedralis Ecclesiae?

S. R. C., visis iuribus hinc inde deductis, et utraque parte scriptis et voce informante audita, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Servetur transactio ».

Ad 4. « Negative; et amplius in omnibus ».

Item in eadem causa super ingressu Processionis, proposito per eumdem Emum et Rmum Dom. Card. Ponentem infrascripto dubio inter partes concordato, nempe:

An, non interessente Rmo Episcopo, liceat R. D. Archipresbytero, Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Veglen., occasione solemnis et generalis Processionis SSmi Corporis Christi, ingredi Ecclesias Collegiatas Sanctorum Audoeni, Matthaei et Nicolai eiusdem Civitatis, ac in eis benedicere populum?

S. eadem R. C., partibus scriptis et voce informantibus auditis, rescribendum censuit: « Affirmative; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 17 Decembris 1746.

2395. LICIEN. (4187)
FUNERUM.

Habito a Ioanne Barba Oppidi Caballini Dioecesis Licien. ad S. R. C. recursu adversus Archipresbyterum et Sacerdotes parochialis Ecclesiae eiusdem Oppidi, qui, vigore assertae immemorabilis consuetudinis, quando cadavera Sacerdotum processionaliter ad Ecclesiam parochialem tumulantem deferunt, transeundo per tres Ecclesias seu Cappellas intra illius ambitum sitas, sistunt ante earum ianuas, ibique nonnullas preces, nempe *Libera me Domine etc.* cum consueta Oratione in suffragium animae defuncti Presbyteri persolvunt; ad tollendum huiusmodi abusum, infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo Dom. Card. Gavalchino Ponente inter partes concordatum, declarandum propositum fuit:

An cadavera Sacerdotum defunctorum Oppidi Caballini recto tramite ducenda sint ad Ecclesiam tumulantem, vel potius liceat illa prius transferre per omnes cappellas dicti Oppidi, et in eis decantare preces ut in casu?

S. R. C., audita prius informatione Episcopi, ac visis iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Servetur solitum; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 17 Decembris 1746.

2396. VENETA. (4190)

Cum Plebanus et Clerus Collegiatae Ecclesiae Matricis S. Mariae Tubenicorum Civitatis Venetiarum exposuerint, quod Officium Sanctissimi Redemptoris a Sacra Rituum Congregatione concessum sub ritu duplici secundae classis cum octava universae illius Reipublicae Dominio pro Dominica tertia Iulii cuiuslibet anni, a Clero dictae Ecclesiae eadem die ob occurrentiam Festi illius Dedicationis minime recitari possit; nunc nomine dicti Plebani et Cleri apud S. R. C. demisse supplicatum fuit, ut pro ipsis Officium SSmi Redemptoris in posterum in Feriam secundam post dictam Dominicam tertiam tamquam in diem propriam reponi valeat.

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « In casu, de quo agitur, reponatur Officium SSmi Redemptoris in Feria secunda post Dominicam tertiam Iulii illud celebrando sub ritu duplici secundae classis sine commemoratione octavae Dedicationis, de qua reliquis diebus fiat Officium cum commemoratione SSmi Redemptoris, cuius octava desinat cum simplici commemoratione in die octava Dedicationis Ecclesiae ». Et ita declaravit. Die 22 Aprilis 1747.

2397. AVENIONEN. (4193)

In causa functionum et praeeminentiarum vertente inter Rmum Archiepiscopum Avenionen. eiusdem Civitatis ex una, et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Tanara Ponens infrascripta dubia coram se concordata decidenda proposuit, nempe:

1. An Archiepiscopo, sive solemniter ac pontificaliter celebranti in die octava Corporis Christi in Ecclesia Collegiata S. Agricolae, sive alia qualibet Pontificalia exercenti, tum in eadem Ecclesia tum quoque in aliis quibuscumque Civitatis Avenionen., debeatur assistentia a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis; vel potius a Dignitatibus et Canonicis earumdem Ecclesiarum?

2. An eidem Archiepiscopo liceat sacras generales Ordinationes extra Cathedralem Ecclesiam peragere? et quatenus affirmative,

3. An Dignitates et Canonici eiusdem Cathedralis et Metropolitanae Ecclesiae teneantur, etiam inviti, dicto Archiepiscopo alibi Ordinationes celebranti assistere et deservire?

Et S. R. C., visis iuribus ex parte praefati Capituli Ecclesiae Metropolitanae deductis, nec non scriptis ac voce illius Procu-

ratore audito, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Provisum in antecedenti ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 16 Septembris 1747.

2398. VEGLEN. (4194)

Renuentibus Abbatibus et Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum SS. Audoeni, Matthaei et Nicolai Civitatis Veglen. Feria V maioris Hebdomadae Episcopo sacra Olea solemniter benedicenti assistere, vel duodecim Presbyteros qui tali Officio fungantur, in suum locum subrogare; atque Promotore Fiscali Curiae Episcopalis reclamante alterutrum, iuxta formam Decreti ab Episcopo Veglensi anno 1740 editi, a praedictis Abbatibus et Canonicis esse praestandum, causa ad S. R. C. delata fuit, cui Emus et Rmus D. Card. Cavalchinus Ponens, ut liti finis imponeretur, infrascripta dubia decidenda proposuit, nempe:

1. An Abbates et Canonici Collegiatarum SS. Audoeni, Matthaei et Nicolai non mittentes duodecim Presbyteros paratos ad normam Decreti Rmi Episcopi anno 1740, pro assistentia et servitio praestando benedictioni sacrorum Oleorum Feria V maioris Hebdomadae, teneantur interesse et inservire per se ipsos, et sub qua poena in casu renitentiae? et quatenus affirmative,

2. An dicti Abbates et Canonici, etiam non inventis Presbyteris qui velint interesse et inservire dictae sacrorum Oleorum benedictioni, teneantur interesse et inservire per se ipsos?

Et S. R. C., visis iuribus ex parte Promotoris Fiscalis deductis ac eius Procuratore scripto et voce audito, cum alia pars non comparuerit, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative ad utrumque; sub poena arbitrio Episcopi ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 16 Septembris 1747.

2399. BITUNTINA. (4195)

Inter sex Dignitates Capituli Cathedralis Ecclesiae Bituntinae, quarum cuique statuta est certa dies pro functionibus ecclesiasticis peragendis, Sacerdoti Francisco Scivittaro Caeremoniarum Magistro quintae Dignitati incumbit onus quotannis, absente Episcopo, celebrandi Vesperas in die octava SSmi Corporis Christi. Cum autem, Vesperis expletis, ad Processionem peragendam gestet SSmum Eucharistiae Sacramentum usque ad ianuam Ecclesiae illudque Archidiacono primae Dignitati pluviali induto consignet ad dictam Processionem per ambitus Paroeciae explendam, visa est ea methodus a dispositione Caeremonialis Episcoporum aberrare; propterea in S. R. C. ad instantiam eiusdem Magistri Caeremoniarum, ceteris Dignitatibus minime comparentibus, infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo D. Card. Lercario Ponente concordatum, declarandum propositum fuit:

An Processio, quae fit in Ecclesia Cathedrali Bituntina in die octava Corporis Christi post Vesperas, incipi et terminari debeat ab ipso Celebrante; vel potius idem Celebrans, post delationem SSmi Sacramenti usque ad ianuam dictae Ecclesiae, teneatur illud tradere Archidiacono seu alteri Dignitati, quae inibi sacris vestibus induta reperitur, ad effectum processionaliter illud per Civitatem ducendi?

Et S. R. C., audita prius informatione Episcopi, ac Procuratore praefati Magistri Caeremoniarum voce et scriptis informante, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita decrevit ac declaravit. Die 4 Maii 1748.

2400. CREMONEN. (4196)

In Causa Cremonen. iurium parochialium inter Marchionem Antonium Mariam Pallavicini de Clavellis Patronum Ecclesiae *del Dosi* et Praepositum Ecclesiae parochialis Terrae Ciconioli, Ponente Emo et Rmo Domino Cardinali de Gentilibus, in S. R. C. infrascripta dubia proposita fuerunt, nempe:

1. An in Festo Titulari seu in aliis Festivitatibus in Ecclesia, de qua agitur, ad libitum asserti Patroni seu Cappellani per quemcumque Sacerdotem Missae decantari valeant, etiam invito Parocho?

2. An Parochus ad interessendum in huiusmodi Missis per eumdem assertum Patronum seu Cappellanum debeat invitari?

3. An in eodem Festo Titulari aliisque diebus etiam non festivis extra tempus Paschale possint quilibet Confessarii, per assertum Ecclesiae Patronum vel per Cappellanum selecti ex illis approbatis ab Ordinario, Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae ibi administrare, tam eidem Patrono eiusque familiaribus, quam aliis; vel po-

tius id fieri debeat ex permissu et licentia Parochi ad libitum deneganda?

4. An invito asserto Patrono seu Cappellano Ecclesiae liceat Parocho Missam ibi celebrare aliasque functiones parochiales sive simpliciter sacerdotales peragere?

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Card. de Gentilibus, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative, quoad administrationem Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia; et quoad Sacramentum Poenitentiae, servetur forma approbationis Episcopi ».

Ad 4. « Negative, nisi in casibus necessitatis ».

Die 20 Iulii 1748.

Petitaque per Praepositum et obtenta nova audientia, SSmus D. N. ad preces Episcopi Cremonensis supplicantis ne ex huius Causae resolutione praeiudicium inferatur usibus et consuetudinibus suae Dioecesis ac Constitutionibus synodalibus, attentis Causae meritis et rationibus hinc inde deductis, in audientia diei 17 Aprilis 1749 decrevit ac definivit resolutiones S. R. C. confirmandas, et respective reformandas ac moderandas esse modo qui sequitur:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative quoad administrationem Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia, ac in celebratione Missarum tantum; et quoad Sacramentum Poenitentiae, servata forma approbationis Ordinarii ».

Ad 4. « Affirmative, in functionibus parochialibus tantum; sed, praevia participatione facienda Cappellano, ut decentius cum ea, qua convenit, concordia omnia peragantur ».

« Declaravitque Sanctitas Sua praesentes Resolutiones et Decreta, tamquam innixa peculiaribus rationibus et circumstantiis, nullum praeiudicium inferre debere iuribus parochorum Dioecesis quoad alia Oratoria et Ecclesias intra fines Parochiarum existentes, et signanter usibus, consuetudinibus et Constitutionibus synodalibus, quas voluit in suo robore permanere ».

Et ita silentium imponens huic controversiae, Decreta suprascripta servari voluit ac registrari in Actis Sacrae Rituum Congregationis.

2401. ELBOREN. (4199)

Rector et Presbyteri Ecclesiae parochialis S. Bartholomaei loci de Villa Vicosa Dioecesis Elboren. apud S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus ad satisfaciendum peculiari eorum devotioni, quam habent erga animas in Purgatorio existentes, eisdem facultatem celebrandi in praefata Ecclesia parochiali Missam cantatam de Requiem singulis Feriis secundis benigne impertiri dignaretur;

Et S. R. C.: « Gratiam petitam oratoribus, exceptis tamen Festis primae et secundae classis vel duplicis maioris, Festis de praecepto et octavis aliisque diebus privilegiatis, concedendam esse censuit; non omissa tamen Missa de Festo duplici occurrente ». Die 11 Ianuarii 1749.

2402. LISBONEN. (4200)

Nonnulli Parochi Ecclesiarum parochialium minorum et filialium Civitatis et Dioecesis Lisbonen. apud S. R. C. humillime supplicarunt pro declaratione sequentis dubii, videlicet:

Utrum in Ecclesiis minoribus parochialibus et filialibus, in quibus non invenitur sufficiens Ministrorum numerus et ornamentorum copia, ut valeat in propria die seu Dominica infra octavam Festum SSmi Corporis Christi cum debita solemnitate Processio celebrari, possit haec fieri in quacumque Dominica post octavam eiusdem Festi cum Missa de tempore occurrenti, et commemoratione SSmi?

Et S. R. C., audito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Ubi Processio SSmi Sacramenti in eius Festo die vel per octavam, ea qua decet solemni pompa, nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique Ecclesiae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua, celebrata Missa cum commemoratione SSmi Sacramenti, iuxta Rubricarum praescriptam normam, solemnis illius Processio peragi possit ». Et ita declaravit. Die 8 Maii 1749.

2403. PATAVINA. (4203)

Cum ex parte Magistri Caeremoniarum Congregationis S. Philippi Nerii Patavinae Civitatis, apud S. R. C. propositum fuerit dubium,

An Instructio pro Oratione quadraginta horarum Romae, iussu felic. record. Clementis XI primum edita, etiam extra Urbem servari possit et debeat?

S. R. C. respondit: « Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare; laudan-

dos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit ». Die 12 Iulii 1749.

2404. IAURINEN. (4205)

Cum Episcopo Iaurinen. in Hungaria nonnulla occurrerint dubia circa sacros Ritus et Rubricas, apud S. R. C. humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur infrascripta dubia :

1. An Presbyteri ordinandi ab initio vel solum a *Suscipe Sancte Pater etc.* debeant inchoare Missam cum celebrante et ordinante Episcopo?

2. An Presbyteri ordinandi debeant legere Missam stantes vel genuflexi?

3. An Presbyteri ordinandi debeant facere omnes illas actiones quas Episcopus ordinans in Missa facit, scilicet: Cruces manu super Oblata peragere, genuflectere et omnia illa, quae Episcopus agit, agere?

4. Idem quaeritur de Episcopo consecrando. (1)

5. An Episcopi, non habentes facultatem specialem concedendi licentiam celebrandi Missam in Oratoriis privatis et Cappellis pro secularibus et aliis, possint licentiam dictam petentibus concedere?

6. Cum in Rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: Adulti seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui, quaeritur: An sufficiat si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi?

7. An Confirmandos tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo Te signo Crucis etc.*, praeter nomen suum baptismale, possit nomen alius Sancti sibi imponi curare?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburini Ponentis, censuit rescribendum :

Ad 1. « Teneri solum a *Suscipe Sancte Pater* ».

Ad 2. « Negative, ad primam ; Affirmative, ad secundam partem ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Servandum esse Pontificale Romanum ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Sufficere ».

Ad 7. « Posse ».

Et ita declaravit. Die 20 Septembris 1749.

(1) E. Dub. 5 et 6.

2405. MELITEN. (4206)

Inter Sacerdotes Ioannem et Andream fratres de Cashà ex una, et Iosephum Vella Parochum Oppidi Pinti Dioecesis Meliten. ex altera partibus, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Cavalchini Ponens infrascripta dubia inter partes concordata decidenda proposuit, nempe:

1. An liceat fratribus de Cashà in Ecclesia de asserta eorum fundatione sub titulo S. Francisci de Paula intra limites Ecclesiae parochialis Oppidi Pinti celebrare Novemdiale (vel per tredecim dies) Sancti Titularis aliorumque Sanctorum, eaque occasione sive per se ipsos sive per Sacerdotes sibi benevisos, ab Ordinario tamen approbatos, habere concionem ad populum interessentem, illique cum Reliquiis aut sacris Imaginibus benedicere, absque consensu Parochi dictae Civitatis?

2. An, recurrente Festo S. Titularis aliisque festivis diebus, liceat eisdem fratribus sive per se sive per alios, ut supra, celebrare Officia et Missas solemnes ; ac distribuere populo Sacramentum Eucharistiae independenter a Parocho?

3. An in praedicta Ecclesia liceat retinere fixas Sedes confessionales ad effectum per idoneos Sacerdotes excipiendi Confessiones fidelium, invito Parocho?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit :

Ad 1. « Affirmative, in omnibus; salvo iure Episcopi ».

Ad 2. « Affirmative, ut supra; et quoad distributionem Sacramenti Eucharistiae, in Missarum celebratione tantum ».

Ad 3. « Negative, nisi de licentia Episcopi ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 20 Septembris 1749.

2406. SENOGALLIEN. (4207)
PRAEEMINENTIARUM.

Super iure deferendi Stolam, tam in associatione cadaverum quam in publicis Processionibus, aliisque praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus in Ecclesia Collegiata S. Petri Terrae Corinalci Dioecesis Senogallien. peragendis, inter Capitulum et Ca-

nonicos dictae Ecclesiae Collegiatae atque Iosephum Pandolfi Curatum Mansionarium eiusdem Ecclesiae, ortis controversiis illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Cavalchini Ponens infrascripta dubia declaranda proposuit, nempe :

1. An in associatione cadaverum, absente Archipresbytero, delatio Stolae competat Archidiacono seu alteri Dignitati aut Canonico Ecclesiae Collegiatae S. Petri Terrae Corinaldi; vel potius Parocho Mansionario seniori?

2. An Missa cantata, praesente cadavere, celebrari debeat a Curatis Mansionariis; vel potius a Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae?

3. An in publicis Processionibus, in quibus non defertur pluviale, sed functiones absolvuntur cum illo, absente Archipresbytero, Stola deferri debeat a Canonicis; vel potius a Curato Mansionario seniore?

4. An, absente Archipresbytero, celebratio Missae Feria V in Coena Domini et ministratio SSmae Eucharistiae, facienda in eadem die parochianis, spectet ad Curatum Mansionarium seniorem; vel potius ad Dignitates et Canonicos eiusdem Ecclesiae Collegiatae?

5. An et cui, absente Archipresbytero, competat benedictio Fontis Baptismalis et administratio Baptismatis in die Sabbati Sancti?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 4. « Negative, ad primam partem; Affirmative ad secundam, cum assistentia Mansionarii pro distribuendis schedulis ».

Ad 5. « Competere Dignitati seu Canonico celebranti ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 29 Novembris 1749.

2407. PISAUREN. (4208)

Orta inter Episcopum Pisauren. et Capitulum Ecclesiae Cathedralis eiusdem Civitatis controversia, de obligatione Canonicorum inserviendi eidem Episcopo in Missa privata, occasione quarumdam functionum, eaque ad S. R. C. delata, infrascripta dubia inter partes concordata fuerunt et pro decisione proposita:

1. An, in functionibus pontificalibus peragendis ab Episcopo extra Ecclesiam Cathedralem, teneantur Canonici eiusdem Ecclesiae inservire cum habitu chorali Episcopo in privato Missae Sacrificio, quod praecedere vel subsequi debet easdem functiones?

2. An tempore visitationis per Dioecesim teneantur Canonici convisitatores inservire cum eodem habitu eidem Episcopo in privato Missae Sacrificio?

3. An Episcopus ad eumdem effectum cogere possit eosdem Canonicos ad sibi inserviendum in dicta celebratione Missarum? et quatenus negative,

4. An volentes Canonici ultro inservire praedicto modo eidem Episcopo prohiberi possint ab aliis Canonicis id detrectantibus?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, ac visis iuribus hinc inde deductis; ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Prosperi Columna de Sciarra Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. 2. et 3. « Negative ».

Ad 4. « Affirmative; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 18 Iulii 1750.

2408. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI. (4209)

Proposito in S. R. C. nomine Instructoris Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci infrascripto dubio, videlicet: An Festum simplex perpetuo impeditum ad aliam diem transferendum sit?

S. eadem R. C., re mature discussa, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Tamburini S. R. C. Praefecti, rescribendum censuit: « Si Festum simplex perpetuo impediatur ob occurrentiam duplicis primae classis, non esse ad aliam diem transferendum iuxta Rubricas ». Die 18 Iulii 1750.

2409. NULLIUS SUBLACEN. (4211)

Cum Emus et Rmus D. Card. Ioannes Baptista Spinula, Abbas Commendatarius Ecclesiae Sublacen., a S. R. C. expostulaverit: An Clerus universus dictae suae Ecclesiae teneatur quotannis die 4 Decembris celebrare diem Festum Dedicationis Ecclesiae Abbatialis S. Scholasticae sub ritu duplici primae classis cum octava?

S. eadem R. C., referente Emo et Rmo D. Cardinali Millino Ponente, respondit: « Teneri universum Clerum ad normam Ru-

bricarum, et quidem sub ritu duplici primae classis, in Civitate cum octava, in Dioecesi vero sine octava; Regulares autem sub ritu duplici secundae classis, sed sine octava ». Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 19 Septembris 1750.

2410. ORDINIS (4212)
MINORUM OBSERVANTIUM
PROVINCIAE GRANATENSIS.

Cum Fr. Iosephus Laurentius Vicarius Provincialis Provinciae Granatensis Ordinis Minorum Observantium S. Francisci humiliter exposuerit fuisse recenter a S. R. C. concessa quaedam Officia Sanctorum, alia Urbis et Orbis, alia pro aliquibus Regnis, Ditionibus Statibusque particularibus recitanda, tum a Secularibus tum a Regularibus qui ad Horas canonicas tenentur: ex quibus cum pene quadraginta Officia quotannis perpetuo supersint quin ulli dies non impediti remaneant; nunc eamdem S. R. C. reverenter supplicavit, ut benigne deveniret ad singularem designationem, admissionem seu exclusionem praedictorum Officiorum, prout magis convenire iudicaverit;

Et S. R. C. respondit: Detur Decretum iam ab anno 1738 die 6 Septembris editum, tenoris sequentis: Ordinis Minorum S. Francisci: Ex parte P. V. Commissarii Generalis Ordinis Minorum Observantium S. Francisci apud S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit: An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem?

Et S. eadem R. C., inhaerendo alteri resolutioni in similibus editae, rescribendum censuit: « Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos; sed, quoties toto anni decursu de illis celebrare non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos eos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, cum nona Lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius ». Atque ita S. R. C. satis provisum decrevit. Die 19 Septembris 1750.

2411. CREMONEN. (4213)

Priorissa et Moniales S. Iosephi Civitatis Cremonae Ordinis S. Augustini, subiectae Ordinario, a S. R. C. humiliter supplicarunt infrascriptum dubium declarari, scilicet: An Moniales quae militant sub Regula S. Augustini, loci Ordinario subiectae, uti valeant Breviario Augustiniano?

Et S. R. C. respondit: « Affirmative; et detur Decretum in una Ordinis Eremitarum S. Augustini, sub die 27 Ianuarii 1680 ». Et ita declaravit. Die 12 Decembris 1750.

Decretum, de quo est sermo, est ut sequitur:

Cum pro parte R. P. Dominici Valvassoni Mediolanen., Generalis totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, supplicatum sit pro declaratione: An Moniales, quae militant sub Regula S. Augustini, et licet subiectae Ordinariis locorum, vivunt sub eorum Religiosorum cura, possint uti Breviario Augustiniano (quod solum differt a Romano ex eo quia ibi sunt apposita et adiuncta nonnulla alia Officia SS. eiusdem Ordinis), sicut eodem Breviario utuntur aliae Moniales quae sunt sub gubernio Religiosorum Augustinianorum? Et S. R. C., respondit: « Affirmative ».

2412. CASALEN. (4215)

Cum ab antiquo et immemorabili tempore Canonici Ecclesiae Cathedralis diebus Dominicis aliisque Festis infra annum occurrentibus, quando a musicis Vesperae decantantur, consueverint eo tempore in Choro bini et bini Vesperas et Completorium recitare; nunc exortum est dubium: An per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo? Quare pro declaratione Episcopus Casalen. et Canonici praedicti ad S. R. C. recursum habuerunt.

Et S. eadem R. C., iis omnibus mature perpensis quae in hanc rem deducta sunt, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburini Ponentis, rescripsit: « Canonicos non satisfacere obligationi Chori, recitando modo praedicto Completorium, tempore quo a musicis Vesperae decantantur ». Die 3 Aprilis 1751.

2413. BAREN. (4216)
IURIUM PAROCHIALIUM.

Exortis controversiis super iuribus parochialibus inter Felicem de Iulianis Archipresbyterum Oppidi Pali Dioecesis Baren. ex una, et Patres Ordinis Praedicatorum partibus ex altera, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Cardinalis Cavalchinus Ponens infrascripta dubia, a se concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An liceat Patribus Ordinis Praedicatorum Terrae Pali deferre Stolam in Pro-

cessione SSmi Rosarii, absque licentia Parochi?

2. An iisdem Patribus liceat in Processione, quae fit in octava Corporis Christi intra limites Ecclesiae parochialis, solemnem benedictionem impertiri cum SSmo Sacramento, absque licentia Parochi?

Et S. R. C., visis iuribus Felicis de Iulianis Archipresbyteri praefati Oppidi, cum adversa pars minime comparuerit, ac illius Procuratore scriptis et voce audito, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative in omnibus ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 26 Iunii 1751.

2414. VENETIARUM (4219)
MONACHORUM ARMENORUM.

Cum ad notitiam SSmi Domini Nostri pervenerit Religiosos Armenos Ordinis S. Antonii Venetiis degentes, in privata Missae celebratione, contra proprios ritus ab Apostolica Sede approbatos, Oblationem panis et vini consecrandi non ante Introitum sed post Symbolum explere; et istud non in omnibus sed in aliquibus Missis, more Latinorum, recitare; Sacramentum statim post Consecrationem elevare, nec cum illo ad populum benedicendum amplius se convertere; et insuper ultra proprii Calendarii Festivitates plura Sanctorum Officia ab Ecclesia Latina fieri solita propria auctoritate introduxisse; SSmus, cui valde cordi est ut Orientales Ecclesiae mores et ritus ab Apostolica Sede approbatos exacte custodiant: « Praefatas innovationes, et si quae aliae apud eos vigeant contra proprios ritus, expresse vetat ac prohibet; eisque mandat, ut circa sacras caeremonias in Missa, divini Officii recitationem ac Festivitates Sanctorum celebrandas, a propriis Rubricis et Calendario non recedant. Ex speciali tamen gratia eis concedendum esse duxit, ut in eadem Civitate Venetiarum degentes, de Festivitatibus Domini Nostri ac Sanctorum, quae in Ecclesia Latina cum abstinentia ab operibus servilibus celebrantur, nec non S. Benedicti Abbatis et S. Thomae Aquinatis, Officia cum Missis secundum praedictos ritus recitare possint et valeant ». Et hoc Decretum eius nomine Sanctitas Sua a S. R. C. publicari mandavit. Die 22 Iulii 1751.

2415. SENOGALLIEN. (4221)

Orta controversia inter Philippum Natali Archipresbyterum Collegiatae Ecclesiae S. Augustinae Terrae Mondulphi et Magistratum eiusdem loci Dioecesis Senogallien. super nonnullis ritibus servandis in recipiendo candelas die Purificationis, sacros cineres et palmas, illaque ad S. R. C. delata, infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo D. Cardinale Tanario Ponente concordatum, decidendum propositum fuit, nempe:

An Magistratus Terrae Mondulphi teneatur genuflectere ante Archipresbyterum celebrantem, occasione distributionis candelarum, cinerum et palmarum; vel potius teneatur tantum inclinare caput absque genuflexione?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 4 Septembris 1751.

2416. IMOLEN. (4222)

Cum in S. R. C. pro causa vertente inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Imolae et Venerabilem Confraternitatem S. Mariae Terrae Fuxiniani eiusdem Dioecesis, per Emum et Rmum D. Card. Guadagni Ponentem propositum fuerit dubium: An Ordinarius, concedendo licentiam exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum, possit ab libitum conditionem apponere requirendi consensum Parochi?

S. R. C., auditis partibus, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ». Die 4 Septembris 1751.

2417. ORDINIS (4223)
CARMELITARUM EXCALCEATORUM
PROVINCIAE POLONIAE.

Cum Fratri Iosepho a B. V. M. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas: apud S. R. C. humillime supplicavit, quatenus ipsa benigne resolvere dignaretur infrascripta dubia:

1. Cum Regulares teneantur recitare Officium de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici secundae classis; utrum tantum intra Civitatem constituti, ubi adest talis Ecclesia Cathedralis, an etiam per totam Dioecesim?

2. Cum in omnibus Dioecesibus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis assignata sit dies Dominica in perpetuum, et

in eadem Dominica recitetur quotannis; utrum occurrente aliquando apud Regulares, in illa Dominica alio Festo altioris ritus vel dignitatis, debeat praedictum Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ab ipsis Regularibus transferri in aliam diem non impeditam, etiam ultra duas hebdomadas; an omitti? insuper: Utrum cedere debeat praedictum Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Officio solemniori alicuius Religionis occurrenti eadem die Dominica sub eodem ritu?

3. Dum fit expositio solemnis SSmi Sacramenti in Dominicis privilegiatis, qualisnam adhiberi debeat color in Missis celebrandis de Dominica ad Altare maius ubi manet expositum SSmum Sacramentum; an albus, competens solemnitati ratione expositionis SSmi Sacramenti, vel violaceus? (1)

4. Utrum, occurrente aliquando Festo altioris ritus in Dominica secunda post Pascha, in qua, ex indulto S. R. C., recitatur in Polonia Officium affixum huic Dominicae SSmi Sepulchri, debeat praedictum Officium SSmi Sepulchri transferri in aliam diem non impeditam; an omitti?

5. In Regno Poloniae cum maxima solemnitate et concursu populi cantatur ab immemorabili tempore in Adventu Domini singulis diebus Missa: *Rorate*, votiva de B. M. V.; quaeritur autem: Num haec Missa censenda sit solemnis ratione concursus populi, et pro re gravi instituta a Synodo Provinciali Regni Poloniae 1628 a SSmo D. N. Paulo V adprobato?

6. Utrum ex praescripto fundatorum et institutione eorumdem possit dici Missa de Assumptione, Purificatione et Conceptione B. M. V. in Sabbatis vel aliis feriis per annum, non impeditis Festo duplici?

7. In Ecclesiis Regularium in quibus non est consuetudo cantandi quotidie Missam Conventualem, in Missa solemni, quae sola canitur pro re gravi vel ob occursum Festi solemnis in aliam diem transferendi; quaeritur: An debeat addi collecta Officii currentis, nempe Festi, Dominicae vel Feriae maioris?

8. Quaenam dicenda sit Missa in die obitus vel depositionis alicuius defuncti Sacerdotis; prima, quae est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.*; an illa, quae est secundo loco posita, quae est in die obitus seu depositionis in communi cum Oratione: *Deus qui inter Apstolicos Sacerdotes;* et insuper quaenam dicenda sit Missa in exequiis solemnibus post sepulturam cadaveris?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad 1. « Regulares degentes in Civitate tenentur ad Officium Dedicationis Cathedralis; degentes vero extra Civitatem non tenentur, neque ad recitationem Officii in die festo ».

Ad 2. « Quoad primam eiusdem dubii partem, Officium esse transferendum ad primam diem non impeditam; Quoad secundam, servetur Rubrica X Breviarii Romani de Concurrentia Festorum ».

Ad 3. « In Altari ubi est publice expositum SSmum Sacramentum, si celebretur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo seu Officio convenientibus ».

Ad 4. « Officium S. Sepulchri, si occurrat cum Festo altioris ritus, non erit ad aliam Dominicam transferendum, sed prorsus omittendum ».

Ad 5. « Missa: *Rorate*, etsi solemniter decantetur in Adventu, non est tamen recensenda inter Missas votivas pro re gravi vel pro publica causa; sed haberi dumtaxat poterit, ut mera populi devotio ».

Ad 6. « Non sunt violandae Rubricae imperitorum laicorum causa; et ideo petentibus Missam votivam de Assumptione etc. fiet satis, celebrando unam ex Missis votivis B. M. V. iuxta temporis occurrentiam ».

Ad 7. « In Missis votivis solemnibus, quae celebrentur pro re gravi vel ob occursum Festi solemnis in aliam diem transferendi, etsi unica tantum cantatur Missa, unica tantum Oratio dicenda est ».

Ad 8. « Una vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris vel in anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur ».

Et ita declaravit. Die 29 Ianuarii 1752.

2418. URBINATEN. (4224)

Ad removendos nonnullos abusus in Ecclesia Metropolitana Urbinaten. circa usum Pontificalium aliarumve praerogativarum exercitium, quas Dignitates et Canonici ultra Pontificii Brevis s. m. Benedicti XIII limitationem sibi indebite arrogabant; hodiernus

(1) E. Dub. 4, 8, 10, 11, 12 et 13.

Rm̃us Archiepiscopus per S. R. C. iudicium sequentia dubia inter partes concordata, per Emum et Rmum D. Cardinalem Prosperum Columnam de Sciarra, decidenda proposuit, nempe :

1. An Dignitates et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint annulo, Cruce pectorali cum gemmis, caligis et sandaliis, chirothecis praesertim auro ornatis etc. ?

2. An eaedem Dignitates et Canonici pontificaliter celebrantes uti queant faldistorio ? et quatenus negative, quomodo sedere debeant ?

3. An faldistorium debeat esse coopertum holoserico coloris currentis seu simplici panno ?

4. An uti valeant palmatoria in pontificalibus, et in Missis lectis seu privatis?

5. An liceat eisdem in Missa Pontificali populum salutare dicendo: *Pax vobis;* loco dicendi : *Dominus vobiscum?*

6. An post Missas, Vesperas aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, possint ipsi solemnem dare benedictionem dicendo: *Sit nomen Domini benedictum etc.;* vel potius simplicem benedictionem tantum post Missam dicendo : *Benedicat vos Omnipotens Deus,* cum unico vel cum trino signo Crucis?

7. An Dignitates et Canonici, Missis aut Vesperis Pontificalibus celebratis, benedicendo populum cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento, dare possint trinam benedictionem; vel unicam tantum dare debeant?

8. An eaedem Dignitates et Canonici, induti mitra aliisque paramentis ad instar Abbatum, etiamsi Missas aut Vesperas in Pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam benedictionem?

9. An possint pontificaliter celebrare Missas in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi?

10. An in vestitionibus et velationibus Monialium factis de commissione Archiepiscopi, uti possint mitra ?

11. An in Metropolitana Ecclesia uti possint mitra et pontificaliter celebrare in Missis defunctorum ?

12. An in Insignibus et Armis suae familiae appositis vel apponendis in paramentis sacris, aliisque rebus Ecclesiam concernentibus, loco mitrae, vel una cum ipsa pileum apponere valeant?

13. An dictae Dignitates et Canonici in Processionibus SSm̃i Corporis Christi incedere possint, capite mitra cooperto?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Em̃i Ponentis, rescribendum censuit :

Ad 1. « Affirmative; iuxta modum » et modus est : « quod in Missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma et Cruce pectorali sine gemmis; et amplius ».

Ad 2. « Negative; et sedere debeant in scamno cooperto tapete vel panno, currentis coloris ; et amplius ».

Ad 3. « Provisum in secundo; et amplius ».

Ad 4. « Negative; et amplius ».

Ad 5. « Negative; et amplius ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam, cum unico signo; et amplius ».

Ad 7. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et amplius ».

Ad 8. « Negative ; et amplius ».

Ad 9. « Negative; et amplius ».

Ad 10. « Negative ; et amplius ».

Ad 11. « Negative ; et amplius ».

Ad 12. « Negative, nisi pro mitra tantum; et amplius ».

Ad 13. « Negative; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 29 Ianuarii 1752.

2419. BAREN. (4225)

IURIUM PAROCHIALIUM.

Exortis controversiis super iuribus parochialibus inter Felicem de Iulianis Archipresbyterum Oppidi Pali Dioecesis Baren. ex una, et Patres Ordinis Praedicatorum partibus ex altera, illisque ad S. R. C. delatis; Em̃us et Rm̃us D. Cardinalis Cavalchini Ponens infrascripta dubia, a se concordata, decidenda proposuit, nempe etc.

(*Vide dubia et resolutiones sub die 26 Iunii 1751, n.* **2413**).

Verum cum Patres Ordinis Praedicatorum praedicti Oppidi super iisdem propositis et resolutis dubiis, novam audientiam expetiverint atque obtinuerint; inter partes concordatum et in S. C. propositum fuit sequens dubium :

An sit standum vel recedendum a Decisis tam super primo, quam super secundo dubio ?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Em̃i Ponentis, rescribendum censuit :

Quoad primum: « Praevio recessu a decisis, Affirmative ».

Ad 2. « Posse, de licentia Archiepiscopi ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 22 Aprilis 1752.

2420. CASALEN. (4226)

Inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Casalen. ex una, atque Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris de Platea eiusdem Civitatis ex altera partibus, exortis nonnullis dubiis et controversiis super iure et modo sedendi occasione Synodi aliisque praeeminentiis ab iisdem praetensis in functionibus ecclesiasticis, eisque ad S. R. C. delatis; infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Cardinali Sacripante Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An et quando Praepositus atque Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Platea intervenire possint Congregationibus habendis ante Synodi celebrationem?

2. An dictus Praepositus, interveniendo Congregationibus antesynodalibus, praecedere possit Canonicos Cathedralis?

3. An et in quo habitu possint incedere Dignitates et Canonici dictae Collegiatae in Synodo?

4. An et ubi occasione Synodi sedere debeant Canonici Cathedralis et Canonici Collegiatae?

5. An Canonici Ecclesiae Cathedralis in Synodo possint uti Sedibus cum brachiis; vel potius uti debeant scamnis a pavimento elevatis per unicum gradum aliquo panno coopertis; et an possint etiam Canonici Collegiatae uti iisdem scamnis, absque tamen dicto gradu, bene vero aliquo panno coopertis?

6. An praedictis scamnis tam Canonici Cathedralis quam Canonici Collegiatae debeant uti in Rogationibus, dum a Canonicis Cathedralis canitur Missa in Ecclesiis Collegiatae vel Regularium, et ubinam utriusque Ecclesiae Canonici sedere debeant, quando Presbyterium non est capax? et an potius sit servandum assertum solitum?

7. An, convenienti simul utroque Capitulo in Missis Rogationum, osculum pacis et thurificatio danda sit Canonicis et Dignitatibus etiam Collegiatae; vel potius sit servandum assertum solitum?

8. An et a quo dictum osculum et thurificatio danda sit Dignitatibus et Canonicis Collegiatae?

9. An Magister Caeremoniarum dictae Collegiatae gestare possit habitum violaceum cum ferula, et associare Canonicos eiusdem Collegiatae in Processionibus in quibus non interveniunt Canonici Cathedralis?

10. An Episcopo Pontificalia celebranti in Ecclesia dictae Collegiatae praestanda sit assistentia a Canonicis Cathedralis, vel potius a Canonicis eiusdem Collegiatae?

11. An et a quibus Canonicis praestanda sit assistentia Episcopo celebranti Missam privatam, vel alias privatas functiones exercenti in dicta Collegiata?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis matureque perpensis ac consideratis, ad relationem praefati Emi et Rmi D. Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, arbitrio Episcopi; et amplius ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Incedere debere in habitu chorali; et amplius ».

Ad 4. « Servetur solitum ».

Ad 5. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; ad tertiam, Affirmative; et quoad panni colorem, arbitrio Episcopi; et amplius ».

Ad 6. « Sedere debere in scamnis, et in reliquis servetur solitum; et amplius ».

Ad 7. « Affirmative ad primam partem; Negative, ad secundam; et amplius ».

Ad 8. « Dilata, et exquiratur votum Magistrorum Caeremoniarum ».

Ad 9. « Negative; et amplius ».

Ad 10. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et amplius ».

Ad 11. « Posse praestari assistentiam a Canonicis utriusque Capituli non renuentibus ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Iulii 1752.

2421. NOVARIEN. (4228)

Ad componenda dissidia orta inter Confraternitatem Sanctissimae Trinitatis et Societatem Augustissimi Corporis Domini Terrae Vespolatis Dioecesis Novarien., occasione Processionum SSmi Sacramenti, Emus et Rmus D. Cardinalis Sacripante Ponens infrascripta dubia a S. R. C. declaranda proposuit, nempe:

1. An, non solum in Corporis Domini solemnitatibus sed etiam in quibuscumque Processionibus in quibus SSma defertur Eu-

charistia, ius praecedendi sit Societati SSmi Corporis Christi?

2. An eidem Societati liceat extra Ecclesiam Processionem ducere, quae intra eam fit singulis tertiis Dominicis cuiuslibet mensis aliisque Festis principalioribus?

Et S. eadem R. C., praevia relatione Rmi Episcopi, ac visis iuribus ex parte eiusdem Confraternitatis eiusdem Corporis Domini deductis, illiusque procuratore scriptis et voce informante audito, inhaerendo aliis Decretis in similibus emanatis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « In quibuscumque Processionibus in quibus defertur SS. Eucharistia, praecedentiam deberi Confraternitati SS. Sacramenti ».

Ad 2. « Arbitrio Episcopi ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 26 Augusti 1752.

2422. BRACHAREN. (4230)

Ludovicus Antonius de Sousa Batelho Civitatis Bracharen. apud S. R. C. exposuit se nuper obtinuisse Maioratum institutum a nonnullis piis Ecclesiasticis cum certis oneribus, et signanter quod primus illius possessor erigi faceret Cappellam sub invocatione B. M. V. de Pietate in Oppido nuncupato de *Macelleiros* Dioecesis Bracharen., ac in ea tam ipse quam eius Successores celebrari facerent omnibus diebus Festivis eiusdem B. M. V. Missam unam pro suffragio dictorum Fundatorum, eodemque modo aliam Missam in quatuor solemnioribus Festivitatibus infra annum occurrentibus; nunc vero comperisse ob incuriam primi et aliorum successorum in dicto Maioratu neglectam fuisse Cappellae erectionem, et non impleta onera eidem adnexa; quapropter, cum eam fundari curaverit, sibi superesse dubium sequens, quod humiliter a S. R. C. solvendum proposuit, videlicet:

Anne onus a fundatoribus dicti Maioratus adiectum celebrari faciendi in praefata Cappella Missam unam omnibus diebus Festivis Deiparae Virginis, intelligendum sit pro diebus Festivis tantum de praecepto; vel etiam pro aliis simplicibus, in quibus commemoratio in honorem Deiparae Virginis intra annum fieri consuevit?

S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Cavalchini Ponentis, respondit: « Missas esse celebrandas omnibus diebus, in quibus fit Officium Bmae Virginis sub ritu dupl. mai. vel altioris ritus, sive in Ecclesia Universali sive in Dioecesi ». Die 9 Decembris 1752.

2423. CASALEN. (4232)

Inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Casalen. ex una, atque Praepositum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Maioris de Platea eiusdem Civitatis partibus ex altera, exortis nonnullis dubiis et controversiis super iure et modo sedendi occasione Synodi aliisque praeeminentiis ab iisdem praetensis in functionibus ecclesiasticis, eisque ad S. R. C. delatis; infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Cardinali Sacripante Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe etc.

(*Vide dubia et resolutiones sub die 15 Iulii 1752, n.* **2420**).

Deducta pariter in eadem S. R. C. novissima controversia, quae Ecclesiae Cathedralis Casalen. Capitulum eiusdemque Canonicos summopere exagitat circa resolutionem octavi dubii iam propositi: An scilicet, et a quo dictum osculum et thurificatio danda sit Dignitatibus et Canonicis Collegiatae? cui eadem S. C. rescripserat: « Dilata, et exquiratur votum Magistrorum Caeremoniarum »; nunc vero hoc voto requisito, auditisque iterum partium Procuratoribus scripto et voce informantibus,

S. eadem R. C., ad relationem eiusdem Emi et Rmi D. Cardinalis Sacripante, ut supra, Ponentis, rescribendum censuit: « Thurificationem faciendam esse per Acolythum unico ductu cum inclinatione capitis, antea et post, singulis Canonicis; et pacis osculum dandum esse per eumdem Ministrum. In reliquis ad eumdem Emum Ponentem cum facultatibus capiendi provisiones sibi benevisas ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 14 Aprilis 1753.

2424. CONIMBRICEN. (4233)

Cum Rmus Episcopus Conimbricen. apud S. R. C. exposuerit plures in sua Cathedrali vigere usus contra praescriptum Sacrarum Rubricarum et Caeremonialis Episcoporum, pro quorum observantia Capitulum, Dignitates et Canonici dictae Cathedralis antiquam consuetudinem adducebant; cumque ad S. C. suam relationem ipse transmiserit; Emus et Rmus D. Card. Tamburinus S. R. C. Praefectus et Causae Ponens infrascripta dubia coram se inter partes concordata proposuit:

1. An, attentis circumstantiis, toleranda sit asserta consuetudo cantandi unicam Mis-

sam, aliamque legendi iis diebus quibus a Rubrica duae praecipiuntur Missae?

2. An in Missa Conventuali cani semper debeant *Gloria, Credo*, totum Graduale, Offertorium, Praefatio et *Pater Noster?*

3. An servari possit asserta antiqua consuetudo, qua diebus non festivis in Missa Conventuali non assistit Magister Caeremoniarum nec adhibetur incensum?

4. An servari possit asserta consuetudo pulsandi Organum tempore Quadragesimae, Adventus et Vigiliarum in Missis votivis B. M. V., quae singulis Sabbatis solemniter celebrantur et in eiusdem Litaniis quae post Vesperas cantantur?

5. An Canonici possint ac teneantur Feria IV Cinerum, transferre Processionem quamdam et aliquas commemorationes pro defunctis, ad quas ex legato tenentur, ut Expositionem quadraginta horarum facere possint; vel melius sit dictam Expositionem in aliam diem transferre ut praedictis functionibus mentem testatoris adimpleant?

6. An in elevatione SSmi Sacramenti in Missis solemnibus cani possit *Tantum ergo etc.*, vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria?

7. An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missae, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit?

8. An Hebdomadarius in Choro intonare possit initium Horae sequentis, priusquam Sacerdos Evangelium S. Ioannis terminaverit?

9. Utrum servari possit asserta consuetudo, ut Feria IV Cinerum Canonicus turnarius, impedito vel nolente Episcopo, cinerum benedictionem peragat et Missam cantet?

10. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus palmarum et candelarum (functionem non peragente Episcopo) Crucem portet Cappellanus per turnum paratus?

11. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus Litaniarum earumdem Cantores incedant pluvialibus induti?

12. An in Ecclesiis, quas Processio Litaniarum per vias ingreditur, fieri possint commemorationes pro defunctis in adimplementum legatorum a personis in eisdem Ecclesiis sepultis relictorum?

13. An servari possit asserta consuetudo, ut duo medii Canonici seu Tertianarii Tunicella et Dalmatica induti in Processione Corporis Christi thuribula deferant et Sanctissimum Sacramentum incensent?

14. Utrum asserta consuetudo, ut quatuor Canonici vel medii Canonici pluvialibus induti quaedam argentea insignia sine palmis et candelis prae manibus gestent in Processionibus palmarum et candelarum, licite retineri possit?

Et S. R. C., re mature discussa, perpensisque tam Rmi Episcopi quam Capituli et Canonicorum iuribus per eorum Procuratores voce et scripto expositis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, reservato iure probandi antiquam consuetudinem; et amplius ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum; et amplius ».

Ad 3. « Affirmative, quoad Magistrum Caeremoniarum; Negative, quoad thurificationem; et amplius ».

Ad 4. « Affirmative; et amplius ».

Ad 5. « Negative, quoad primam partem; et Affirmative, quoad secundam, nempe Expositionem SSmi Sacramenti esse transferendam in aliam diem commodiorem, arbitrio Episcopi; et amplius ».

Ad 6. « Affirmative; et amplius ».

Ad 7. « Negative et amplius ».

Ad 8. « Negative; et amplius ».

Ad 9. « Affirmative; et amplius ».

Ad 10. « Affirmative; et amplius ».

Ad 11. « Affirmative; et amplius ».

Ad 12. « Affirmative ».

Ad 13. « Affirmative; et amplius ».

Ad 14. « Affirmative; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 14 Aprilis 1753.

2425. CASALEN. (4235)

Ortis nonnullis controversiis inter Rmum Episcopum Casalen. eiusque Promotorem Fiscalem atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis circa observantiam Caeremonialis et Ritualis Romani, iisque ad S. R. C. iudicium delatis; concordata fuerunt, coram Emo et Rmo Domino Cardinali Tamburino eiusdem S. C. Praefecto et Causae Ponente, sequentia dubia, videlicet:

1. An et quando prima Dignitas seu dignior ex Canonicis teneantur sustinere librum Episcopo cantanti in Missis et Vesperis pontificalibus; vel potius sit servanda asserta consuetudo?

2. An eadem prima Dignitas seu dignior ex Canonicis teneatur assistentiam

praestare Episcopo in omnibus pontificalibus functionibus?

3. An Diacono Evangelium cantante, Subdiaconus teneatur sustinere librum Evangeliorum sive ante pectus sive in Lectorile existentem; vel potius servanda sit asserta consuetudo vigens in Ecclesia Casalen.?

4. An Episcopus Missam Pontificalem celebraturus, teneatur intonare Tertiam et in fine cantare Orationem?

5. An dum recitatur Tertia, et Episcopus se praeparat ac sacra paramenta sumit ad Missam Pontificalem, Capitulum teneatur stare capite detecto, et idem servandum sit in Vesperis Pontificalibus; vel potius utroque casu sit servanda asserta consuetudo?

6. An Canonici teneantur facere circulum Episcopo assumenti vel dimittenti paramenta in Sacristia; et ubinam hoc casu collocanda sit Sedes Episcopalis?

7. An et qua hora facienda sit lotio pedum per Episcopum; et an ipsi functioni assistere teneantur omnes Canonici capitulariter; vel potius in minori numero? (1)

8. An sit servanda asserta consuetudo adhibendi in Sabbato Sancto parvum cereum pro Praeconio ad maiorem commoditatem Celebrantis, aliumque maiorem alias benedictum accendendi in Dominica Resurrectionis ac toto tempore Paschali; vel potius pro omnibus his functionibus adhibendus sit unus et idem cereus in toto vel saltem in parte in singulis annis renovandus et benedicendus?

9. An pectorale seu formale sit ornamentum adhibendum privative ab Episcopo; vel illo uti possint prima aliaeque Dignitates et Canonici solemniter celebrantes, iuxta assertam consuetudinem dictae Ecclesiae?

10. An Canonici et Dignitates sacrum Officium peragentes, praesertim cum pluviali, vel antiphonam intonantes, uti possint pileolo iuxta assertam consuetudinem; vel potius teneantur haec peragere, capite prorsus detecto?

11. An Praepositus seu prima Dignitas teneatur diebus Dominicis, dum cantat Missam loco Episcopi, aspergere Chorum, prout faciunt ceteri Canonici; vel potius sit servanda asserta consuetudo?

12. An Capitulo et Canonicis, in Presbyterio assistentibus Episcopo Missam aliasque pontificales functiones celebranti, liceat habere sedilia in Presbyterio collocata cum parvulis scamnis aliquo panno coopertis, ut super iis genuflectant, iuxta assertam consuetudinem hactenus servatam; vel potius genuflectere teneantur super plano Presbyterii tapete cooperto?

13. An dum Episcopus in Missa Pontificali, signanter dum recitat Psalmum: *Iudica me Deus etc.*, et in aliis functionibus stat vel permanet genuflexus, ipsius Caudatarius debeat dimittere caudam cappae aut vestis Episcopalis, ut Assistens ceterique Canonici transire valeant ante ipsum Caudatarium?

14. An, in casu discrepantiae quoad intelligentiam et observantiam Caeremonialis Episcoporum et quoad alias functiones, liceat Episcopo procedere, iuxta resolutionem Congregationis particularis?

15. An omnes Canonici in Choro praesentes Feria VI in Parasceve teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris maioris?

16. An etiam ad id teneantur Canonici mala corporis valetudine laborantes?

17. An et qua poena puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem?

18. An sustineatur edictum Episcopi mandans Canonicis cantum Completorii diebus in eo praescriptis; vel potius liceat recitare modo chorali; vel cani facere a musicis Cappellae Capitularis?

19. An omnes Horae Canonicae sint cantandae singulis Dominicis, Festis aliisque diebus quibus Officium sub ritu duplici celebratur?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi et Rmi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem et ad formam Caeremonialis Episcoporum; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad 6. « Servetur Caeremoniale; et Episcopi Sedes ita collocetur, ut ipse respiciat Canonicos ».

Ad 7. « Lotio pedum facienda est hora congrua determinanda ab Episcopo et in loco solito, assistentibus omnibus Canonicis ».

Ad 8. « Servetur solitum ».

(1) E. Dub. 8 et 12.

Ad 9. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 10. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 11. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 12. « Servetur solitum ».

Ad 13. « Affirmative ».

Ad 14. « Negative; et recurratur in casibus particularibus ad S. R. C. ».

Ad 15. « Affirmative ».

Ad 16. « Negative; praevia licentia Episcopi ».

Ad 17. « Punctandi erunt tamquam absentes a Choro ».

Ad 18. « Negative, ad primam partem, exceptis solemnioribus Festis in Quadragesima occurrentibus; ad secundam, Affirmative; et ad tertiam, Negative ».

Ad 19. « Servetur solitum; et amplius in omnibus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 15 Septembris 1753.

2426. BARCINONEN. (4236)

Cum hodiernus Parochus B. Mariae nuncupatae de Pinu Civitatis Barcinonen. exposuerit quod ipse die Purificationis B. M. V. renuit descendere a suppedaneo, ut acciperet candelam a digniori Cleri, ad quod, ut asserebant Presbyteri Beneficiati residentes in eadem Parochiali, ascendere debebat dignior candelam portaturus; humiliter ipse supplicavit, ut S. R. C. declarare dignaretur: An iuxta Rituale bene se gesserit?

Et S. eadem R. C., ad relationem Secretarii, rescripsit: « Servetur Caeremoniale lib. 2, c. 17, § 2; nempe ut dignior de Clero accedat ad celebrantem, stantem in suppedaneo, eique candelam porrigat ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 22 Decembris 1753.

2427. WILNEN. (4237)

Porrectis per Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Wilnen. in Lithuania penes S. R. C. humillimis precibus pro declaratione sequentium dubiorum, nempe: (1)

1. An, obitus die impedito, possit cantari Missa de occurrenti Festo vel Feria privilegiata, applicando fructus Sacrificii defunctorum animabus?

2. Cum multae fundatae sint Missae votivae quotidianae in cantu, nempe: in Cappella SSmi Nominis Mariae, Missa votiva de Assumptione B. M. V.; in Cappella Immaculatae Conceptionis, Missa votiva de Immaculata Conceptione; in Cappella Assumptionis, Missa votiva de B. M. de tempore; et certis diebus de S. Casimiro Confessore, in Cappella ubi requiescit eius corpus: quaeritur: An et quae Missae sint celebrandae?

3. Quando per Rubricas Missalis vel per Decreta S. C., infra octavas Nativitatis et Epiphaniae, Feria IV Cinerum, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, infra octavas Pentecostes et SSmi Corporis Christi prohibentur Missae votivae privatae; quaeritur: An etiam hae votivae in cantu prohibentur?

4. Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui Missae de Festo et an haec in cantu?

5. An Missis lectis loco cantatarum satisfieri possit fundationi?

6. Num saltem Missae cantatae de Festo diebus solemnibus possint substitui loco votivarum; reliquis vero diebus infra praedictas octavas et aliis diebus supramemoratis cantari possint Missae votivae?

7. An, quando iuxta Rubricas Missalis in Feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, Rogationum ac Vigiliarum praescribuntur duae Missae cantatae in Cathedralibus et Collegiatis, una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam; tunc in dicta Cathedrali Wilnen. propter insufficientiam temporis, ratione multarum votivarum cantantarum ex fundatione, possit una ex his duabus substitui lecta pro cantata, et quae; potius nempe de Festo post Tertiam, an post Nonam de Feria?

8. An securius una ex dictis votivis legi possit, ut ambae Conventuales de Sancto et de Feria, per Rubricas praescriptae, decantentur?

9. An in Dominicis infra octavam, sive privilegiatam sive non privilegiatam, praeter Missam Conventualem, quae cantatur de Dominica per Hebdomadarium, debeat etiam alia Missa cantari de die infra octavam? Item an in Dominicis per annum, in quibus fit de aliquo Festo cum commemoratione Dominicae, praeter Missam Conventualem de Festo celebrandam per Hebdomadarium, debeat etiam alia Missa cantari de Dominica per Vicarios eiusdem Cathedralis?

(1) E. Dub. 1, 2, 4, 14 et 15.

10. An quando absolvitur Missa lecta coram SS. Sacramento exposito, attamen velato, aut coram SSmo Sacramento in Pyxide exposito: debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur coram SSmo Sacramento publice exposito, et non velato?

Et S. R. C., habita prius Rmi Episcopi informatione, auditoque super praefatis dubiis voto unius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Tanari Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Pro Missis ex fundatione aut ex alia quacumque causa in cantu celebrandis, sive de Assumptione sive de Conceptione B. M. V., extra eius festos dies vel octavas earumdem Solemnitatum, assumi nequit propria Festivitatis; sed substituenda est una ex quinque votivis Missis B. M. V., quae habentur in Missali Romano iuxta congruentiam temporis; pro Missa autem votiva S. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba natalitia vel festivitatis in aliis congruentibus, scilicet commemorationis vel memoriae ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative, ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis ».

Ad 8. « Quoad Missam votivam lectam, cantatae substituendam, iam provisum in responsione ad 5 ».

Ad 9. « Negative, scilicet in Dominicis infra octavas vel aliis a Festo duplici impeditis unicam tantummodo cantandam esse Missam: in Dominicis quidem infra octavas, Missam de Dominica cum commemoratione octavae; in aliis vero Dominicis non privilegiatis et in quibus fit de occurrenti Festo duplici, Missam de Festo cum commemoratione Dominicae et eiusdem Evangelio in fine ».

Ad 10. « Affirmative ».

Et ita declaravit. Die 22 Decembris 1753.

2428. ASTEN. (4238)

Exorta inter Patres S. Augustini Congregationis Longobardiae ac P. Rectorem Ecclesiae parochialis S. Mariae de Populo Oppidi Clarasci Dioecesis Asten. ex una, atque Praepositum S. Petri et Parochos Seculares Sanctorum Martini et Gregorii eiusdem Oppidi ex altera partibus, controversia circa Processiones et functiones ecclesiasticas peragendas, illaque ad S. R. C. delata, infrascripta dubia coram Emo et Rmo D. Card. Columna de Sciarra Ponente concordata decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An Rector Regularis Ecclesiae parochialis S. Mariae de Populo Oppidi Clarasci, occasione generalium Processionum aliarumque publicarum functionum, incedere debeat collegialiter ultimo loco in eodem ordine ac linea Parochorum Secularium; vel potius debeat incedere solus et seorsim a Parochis Secularibus?

2. An dicto Rectori Regulari ac Plebano Ecclesiae parochialis S. Gregorii dicti Oppidi competat usus Stolae in supradictis ecclesiasticis functionibus ac generalibus supplicationibus?

3. An, occasione earumdem supplicationum generalium publicarumque functionum ecclesiasticarum, deficientibus omnibus Parochis Secularibus ac Praeposito, ius peragendi functiones competat eidem Rectori Regulari; vel potius vicecurato sive substituto Praepositi?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi et Rmi D. Card. Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem iuxta modum; Negative, ad secundam. Modus est, ut quatuor Parochi incedant bini et Parochus Regularis ad sinistrum latus Plebani, quando omnes conveniunt; si vero tres tantum intererunt Parochi, comprehenso Parocho Regulari, tunc omnes incedant eodem ordine et linea, dummodo Parochus Regularis occupet ultimum locum; et amplius ».

Ad 2. « Affirmative, quatenus deferatur ab omnibus aliis Parochis; et amplius ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 16 Februarii 1754.

2429. CAMERINEN. (4240)
PRAEEMINENTIARUM.

Ortis nonnullis controversiis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae Terrae Mathelicae Dioecesis Camerinensis atque Nicolaum Fraschetti Parochum seu Abbatem Ecclesiae S. Antonii eiusdem Terrae, super Matricitate praedictae Ecclesiae Sanctae Mariae aliisque prae-

eminentiis, iisque ad S. R. C. iudicium delatis, concordata fuerunt coram Emo atque Rmo D. Card. Tanara Ponente sequentia dubia:

1. An constet de attentatis commissis a Parocho nuncupato Priore seu Abbate S. Antonii, et quomodo sint purganda?

2. An constet de Matricitate insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae?

3. An Parochus Ecclesiae parochialis S. Antonii una cum eius Cappellano Curato sit cogendus accedere ad publicas et generales Processiones, quae fiunt a Capitulo insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae cum superpelliceo et Stola tantum; seu potius cum habitu Protonotarii Apostolici?

4. An in eisdem Processionibus generalibus Parochus S. Antonii cum suo Cappellano Curato incedere debeat sub unica Cruce Ecclesiae Collegiatae; vel potius constituere possit corpus distinctum cum dicto Cappellano Curato atque Presbyteris et Clericis suae Ecclesiae parochialis et suam elevare Crucem? et quatenus affirmative quoad primam partem,

5. An et qui locus Parocho S. Antonii eiusque Cappellano Curato sit assignandus in publicis Processionibus in executionem resolutionum?

6. An, non interveniente Capitulo, in associandis funeribus parochianorum Ecclesiae Collegiatae ad Ecclesiam S. Antonii, istius Parochus Stolam induere et Crucem elevare possit ac praecedentiam habere super Parochum Collegiatae, etiam intra limites Parochiae eiusdem Collegiatae; vel potius intra limites tantum ipsius Parochiae S.. Antonii?

7. An, non interveniente Capitulo, in associandis funeribus parochianorum Ecclesiae S. Antonii ad Ecclesiam Collegiatam, istius Parochus Stolam induere et Crucem elevare possit ac praecedentiam habere super Parochum S. Antonii, etiam intra limites ipsius Parochiae S. Antonii; vel potius intra limites tantum Parochiae eiusdem Collegiatae?

8. An Canonici non invitati accedere possint ad funera, tam lucrandi stipendii causa, quam non lucrandi?

9. An familia de Loris sit sub Parochia Collegiatae; vel potius Ecclesiae S. Antonii?

10. An Parocho Ecclesiae S. Antonii debeatur quarta funeris deposita post obitum Michaelis Angeli Lori?

11. An signum delationis SSmi Viatici ad infirmos Parochiae S. Antonii privative spectet ad Ecclesiam S. Mariae; seu dari etiam possit ab Ecclesia parochiali S. Antonii?

12. An signum pro indictione ieiunii privative spectet ad Ecclesiam S. Mariae; vel dari etiam possit ab Ecclesia parochiali S. Antonii?

13. An sint circumscribenda dicta signa, pendente lite, data a Parocho Sancti Antonii?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Constare de Maioritate; non autem de Matricitate ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam. »

Ad 5. « Debere incedere ante omnes de Capitulo et Clero Collegiatae ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 8. « Negative ».

Ad 9. « Non spectare ad S. R. C. ».

Ad 10. « Non spectare ad S. R. C. ».

Ad 11. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 12. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 13. « Provisum in primo; et amplius in omnibus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 16 Februarii 1754.

2430. RHEMEN. (4241)

Abbatissa Monasterii S. Petri Civitatis Rhemensis Ordinis S. Benedicti humillime apud S. R. C. proposuit dubium resolvendum circa modum recitandi Officium Inventionis SSmae Crucis, quando, occurrente aliquo Festo ritu duplici primae classis, non potest celebrari nisi post Pentecosten.

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Tamburini eiusdem S. C. Praefecti, respondit:

« In Officio omittitur *Alleluia*, nisi ubi reperitur in Festo Exaltationis ».

« In Hymno *Vexilla*, dicitur: *In hac triumphi gloria* ».

« In Matutino Antiphonae ut in Festo Exaltationis, exceptis prima primi et prima

pariter secundi Nocturni, quae dicuntur ut in Festo Inventionis ».

« In secundis Vesperis Antiphona ad Magnificat: *Crucem Sanctam etc.* ».

« In Missa Introitus et Communio sine *Alleluia*, et Graduale ut in Missa Exaltationis ».

Et ita declaravit. Die 16 Februarii 1754.

2431. AMERINA. (4243)

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Amerinae ex una, atque Archipresbyterum et Canonicum Curatum Ecclesiae Collegiatae Terrae Luniani ex altera partibus, super iure et modo interessendi in dicta Ecclesia Cathedrali primis Vesperis Festivitatis S. Firminae Patronae principalis eiusdem Civitatis et Dioecesis; illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Card. Millinus Ponens infrascripta dubia a se concordata decidenda proposuit, nempe:

1. An Archipresbyter et Canonicus Curatus Ecclesiae Collegiatae B. Mariae Terrae Luniani teneantur interesse primis Vesperis in Ecclesia Cathedrali Ameriae in Vigilia S. Firminae? et quatenus affirmative,

2. An eidem Archipresbytero et Canonico Curato, occasione huius interessentiae, liceat deferre almutiam?

3. An et qui locus assignandus sit in Choro Cathedralis dicto Archipresbytero et Canonico Curato; et quomodo sint ipsi thurificandi in primis Vesperis?

Et S. R. C., utraque parte scripto atque voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Servetur solitum; et amplius in omnibus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Maii 1754.

2432. PENNEN. (4246)

Ad dirimendas nonnullas obortas controversias inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis et Vicarium Generalem atque Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Civitatis Pennen., ab Emo atque Rmo D. Card. Tamburini Ponente in S. R. C. infrascripta duo dubia inter partes concordata proposita fuerunt, nempe:

1. An liceat Vicario tempore sacrarum functionum, tam praesente quam absente Episcopo, uti Sede cum dorso segregata a Capitulo in Ecclesia Cathedrali, ac etiam occasione installationis novorum Canonicorum?

2. An liceat Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis in Vigiliis SSmi Corporis Christi, SSmae Conceptionis, Sacrarum Rogationum, Sanctorum Maximi et Blasii Protectorum Civitatis ac SSmae Trinitatis, anticipare horam pro recitatione Matutini de sero post Vesperas, ac campanas respective ad huiusmodi effectum pulsare, absque licentia Episcopi?

Et S. R. C., utraque parte scripto atque voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 13 Iulii 1754.

2433. NEAPOLITANA (4248)
FUNCTIONUM.

Inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Neapolis ex una, atque Beneficiatos Hebdomadarios nuncupatos eiusdem Ecclesiae ex altera partibus, exortis nonnullis controversiis super observantia omnium et singulorum quae praescribuntur Beneficiatis Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis; eisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Card. Sacripante Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An Beneficiati sive Hebdomadarii nuncupati Ecclesiae Metropolitanae Neapolis teneantur in functionibus ecclesiasticis servare omnia et singula, quae praescribuntur Beneficiatis Ecclesiarum Cathedralium a Caeremoniali Episcoporum aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis?

2. An dicti Hebdomadarii in die Purificationis et in Dominica Palmarum teneantur accipere candelas et palmas respective a Canonico celebrante genuflexi, atque ipsius manus deosculare; vel potius stantes et inclinati tantum sine manus deosculatione?

3. An Hebdomadarii in die Cinerum teneantur recipere cineres genuflexi; vel potius stantes et inclinati tantum?

Et S. R. C., visis iuribus Canonicorum eorumque Procuratore tantum voce ac scripto informante audito, cum adversa pars pro sola dilatione comparuerit, ad relatio-

nem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et ad Emum Ponentem iuxta mentem ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et ad Emum Ponentem iuxta mentem ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 22 Decembris 1753.

Verum, cum per Beneficiatos Hebdomadarios nuncupatos super iisdem propositis atque resolutis dubiis coram Emo Ponente nova audientia expetita fuerit, eaque obtenta cum clausula: « Non retardata tamen executione Decretorum Curiae archiepiscopalis Neapolis, iuxta mentem S. C. »; propositum fuit in S. R. C. sequens dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Et S. eadem R. C., Procuratore Canonicorum tantum voce et scripto informante audito, cum adversa pars iterum pro sola dilatione institerit, ad relationem eiusdem Emi et Rmi D. Card. Sacripantis Ponentis, censuit rescribendum: « In decisis; et ad Emum Archiepiscopum, qui incumbat executioni Decretorum S. C., utendo iuris et facti remediis ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Septembris 1754.

2434. ARIMINEN. (4250)

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Luciae Oppidi Sabiniani Dioecesis Ariminen. ex una, atque Magistratum dicti Oppidi ex altera partibus, super iure retinendi scamnum extra Presbyterium, occasione audiendi conciones et aliarum functionum in dicta Ecclesia peragendarum, illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dnus Card. Tamburinus eiusdem S. C. Praefectus et Causae Ponens infrascripta dubia a se concordata decidenda proposuit, nempe:

1. An Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Luciae retinere possint proprium scamnum extra Chorum seu Presbyterium, interveniente Magistratu Sabiniani pro audiendis concionibus aliisque functionibus in eadem Ecclesia? et quatenus affirmative,

2. An Magistratus retinere possit scamnum in principio navis dictae Ecclesiae Collegiatae; vel potius in eodem loco collocandum sit scamnum Canonicorum?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; et quoad collocationem scamnorum, arbitrio et prudentiae Episcopi ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 12 Aprilis 1755.

2435. LISBONEN. (4251)

Cum P. Abbas Generalis Ordinis S. Hieronymi Congregationis Lusitanae humillimas preces SSmo Dno Nostro Benedicto PP. XIV porrexit

1. Ut Abbas Generalis pro tempore eiusdem Congregationis recipere valeat benedictionem a quolibet ex Episcopis Lusitanis;

2. Ut impertita simul eidem Abbati facultate benedicendi alios Abbates qui antea Abbatis Generalis munus obierint, possint in posterum dicti Abbatis Generalis successores benedictionem ab eorum praedecessoribus recipere.

Et S. R. C., ad quam praefatas preces Sanctitas Sua remiserat, ad relationem Emi atque Rmi Domini Cardinalis Galli Ponentis, rescripsit:

Ad 1. « Consulendum SSmo pro concessione indulti Abbati Generali sumendi benedictionem, servata in omnibus Bulla Benedicti XIII ».

Ad 2. « Negative, si SSmo Domino Nostro placuerit ».

Die 12 Aprilis 1755.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis eidem SSmo Dno Nostro relatione, « Sanctitas Sua votum S. C. benigne approbavit et mandavit expediri Breve ad formam dicti voti ». Die 23 eiusdem mensis et anni.

2436. LUCANA. (4252)

Cum Rmo Episcopo Lucano nonnulla occurrerint dubia circa sacros Ritus, humillime apud S. R. C. supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur:

1. An ferenda sit immemorabilis vel certe antiqua consuetudo Parochorum benedicentium sacrum Fontem de mane, aut in Vesperis dierum Festorum Paschatis et Pentecostes aliorumque Festorum, iuxta praescriptum Ritualis Romani; ubi agitur de benedictione Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur?

2. An Parochis, quibus in die Sabbati Sancti imminet onus adeundi Ecclesiam Matricem, ut functioni Fontis intersint et aquam benedictam atque Olea sacra recipiant, possint aut teneantur idem onus in alium Sacerdotem ab iis deputandum aut delegandum remittere; adeo ut qui habent Fontem Baptismalem illum benedicant, aut saltem Sacrum faciant pro commoditate et devotione suorum parochianorum; et in casu, cum quo numero ministrorum?

3. An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice benedicta; cui privatim et separatim, non in ipso actu benedictionis Baptismalis, infusa fuerint Olea sacra?

4. An Parochi (in alienas Ecclesias convenientes aut non convenientes) possint, attenta consuetudine immemorabili aut saltem antiqua, Sacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu aut sine cantu in propria Ecclesia, praetermissis benedictionibus Ignis, Cerei, Prophetiis aliisque ritibus ipsa die praescriptis; vel non obstante eadem consuetudine, idem Sacrum omittere teneantur? Et quatenus negative quoad secundam partem, sub qua poena statuenda contra Parochos aliosque Sacerdotes transgressores?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi D. Card. Tamburini S. R. C. Praefecti et Causae Ponentis, censuit rescribendum:

Ad 1. « Parochos habentes facultatem benedicendi Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Paschatis aut Pentecostes dumtaxat, et non aliis diebus, illum de mane benedicere debere; qui vero hanc facultatem non habent, ab eius benedictione se abstinere teneri ».

Ad 2. « Parochis licere alium Sacerdotem delegare qui benedictioni Fontis Baptismalis in Ecclesia Matrice pro iis assistat; vel etiam die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Missae celebrationem in propria Ecclesia committere. Qui vero facultatem obtinent Fontem benedicendi quatuor saltem Clericos in ministerio habebunt ».

Ad 3. « Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea iam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem Olea sacra recipere non poterunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt ».

Ad 4. « Missae in Sabbato Sancto celebrandae Ignis ac Cerei benedictio praecedere, et ante Missam Prophetiae omitti non debent; Archiepiscopus autem Parochos ad Ignis et Cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit ».

Et ita declaravit. Die 12 Aprilis 1755.

2437. TERLITIEN. (4253)

Exorta inter Stephanum Rutiliani primum Cantorem Ecclesiae Cathedralis Terlitien. ex una, atque Nicolaum Scandilio Primicerium eiusdem Ecclesiae Cathedralis ex altera partibus, controversia, circa celebrationem Missarum solemnium aliasque functiones ecclesiasticas peragendas, illaque ad S. R. C. delata, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Card. S. Caesarei Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An celebratio Missarum aliarumque functionum pontificalium, absque Episcopo, ex quocumque impedimento Archidiaconi primae Dignitatis et Archipresbyteri secundae Dignitatis, spectent ad Primicerium tertiam Dignitatem dictae Ecclesiae Cathedralis privative in quacumque Hebdomada; seu potius ad primum Cantorem quartam Dignitatem in eius Hebdomada tantum?

2. An celebratio Missarum solemnium, non pontificalium, aliarumque functionum in solemnitatibus minoribus non pontificalibus, spectent ad eumdem Primicerium privative in quacumque Hebdomada; seu potius ad dictum primum Cantorem in propria Hebdomada tantum?

3. An praeeminentiae thuris, palmae, aquae lustralis, pacis, candelae, cineris aliaeque similes, spectent pariter privative ad dictum Primicerium in quacumque Hebdomada?

4. An praeintonatio in antiphonis, Psalmis, Canticis aliisque similibus quae fiunt in Choro, excepto Celebrante, spectet privative ad eumdem Primicerium, currente Hebdomada in eius parte Chori?

5. An praeintonatio in Processionibus aliisque functionibus, tam laetitiae quam funeris, quae fieri contingunt extra Chorum, spectet ad dictum Primicerium privative in quacumque Hebdomada?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi et Rmi D. Card. Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Quoad receptionem palmarum, candelae et cinerum, Affirmative, nempe ad Primicerium ; in reliquis, servetur ordo Chori ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Aprilis 1755.

Verum, cum praedictus Nicolaus Scandilio editis resolutionibus supra propositis dubiis minime acquieverit, expetita et obtenta coram eodem Emo Ponente nova audientia,

S. eadem R. C., Procuratore tantum Stephani Rutiliani scripto et voce iterum informante audito, visisque iuribus ab eodem pariter deductis, cum altera pars minime comparuerit, ad relationem eiusdem Emi et Rmi D. Card. S. Caesarei Ponentis, rescribendum censuit : « In decisis ; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 14 Iunii 1755.

2438. ANGELOPOLITANA. (4256)

Cum Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Angelopolitanae in Indiis Occidentalibus apud S. R. C. humiliter exposuerint, tam in eadem Cathedrali quam in tota Dioecesi, adamussim observata fuisse Decreta eiusdem S. C., nempe quod Officia Sanctorum, quae in fine anni supererunt, non sunt transferenda ad annum sequentem, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis consideranda sunt tamquam simplicia, faciendo eorum commemorationem, cum nona Lectione composita ex omnibus Lectionibus propriis secundi Nocturni (ii proprias habuerint) ad modum unius; nunc vero quemdam Religiosum Matritensem in Calendario typis dato inter cetera notavisse quod principium anni in hoc casu a die illius Festi, non a mense Ianuario computandum sit; ideo ad tollendum quodcumque dubium penes S. R. C. enixe supplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur, quod intelligendum sit de anno communi qui incipit mense Ianuario, et non aliter.

Et S. R. C., ad relationem Secretarii, damnata Religiosi Matritensis vana interpretatione, Capitulo et Canonicis praefatae Ecclesiae Metropolitanae respondendum censuit : « Decreta esse intelligenda de anno vulgari et communi, qui a Calendis incipit Ianuarii ». Et ita declaravit. Die 30 Augusti 1755.

2439. VARMIEN. (4259)

Cum Rmo Episcopo Varmiensi nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas, apud S.R.C. enixe supplicavit ut ea benigne resolvere dignaretur. Dubia sunt sequentia :

1. Cum adsint Decreta, aliquoties repetita, quod in Missa de Beatis, id est nondum Canonizatis, *Credo* dici non debeat, dubitatur : an in Festis B. Ioannis Cantii, B. Ioannis a Ducla, B. Ladislai a Genlow et B. Cunegundis Virginis, quorum Officium auctoritate Sedis Apostolicae, tamquam de Patronis Regni principalibus, ritu duplici primae classis in Polonia recitatur, *Credo* in Missa dicendum sit?

2. An occurrente Festo S. Hyacinthi Confessoris Ordinis Praedicatorum, Regni Poloniae Patroni principalis, quod ex concessione S.R.C. sub die 25 Septembris 1723 emanata, ritu duplici primae classis cum octava, Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. in Polonia celebratur; in eiusdem S. Confessoris Officio Hymni ad Horas terminari debeant : *Iesu, tibi sit gloria etc.* et an in Missa debeat dici *Praefatio de B. M. V.*, quamvis, iuxta Rubricam generalem Breviarii et Missalis Romani, in Festo ritus duplicis primae classis nulla de die infra octavam fiat commemoratio?

3. Quando Officium infra octavam Festi S. Ioachim Patris B. M. V., quod in Polonia ex indulto S. R. C. sub die 28 Ianuarii 1751 dato, ad ritum duplicis primae classis cum octava elevatum est atque ad Dominicam secundam post octavam Festi Assumptionis eiusdem B. M. translatum, occurrat cum diebus infra octavam Festi Nativitatis B. M. V., ut saepissime contingit, faciendumne est Officium de die infra octavam S. Ioachim, an vero de die infra octavam Nativitatis? Ratio dubitandi est, quod etsi Festum primae classis praecedat aliud secundae classis, octava tamen B. M. V. indicta est pro universali Ecclesia, atque in Polonia magna est devotio fidelium erga Deiparam Virginem.

4. Ecclesia Collegiata loci Guttenstadt Dioecesis Varmiensis sub titulo SSmi Salvatoris et omnium Sanctorum dedicata fuit, quin potior titulus nempe SS. Salvatoris illic nullam Festivitatem habuerit; Episcopus ordinavit, ut Festum Transfigurationis Domini, quod in Octavario Romano per Bartholomaeum Gavantum concinnato, et a S. R. C., die 19 Februarii 1622 approbato, et Venetiis typis Balleonianis anno 1733 impresso, Salvatoris appellatione venit, dignitatem tituli

Ecclesiae habeat, ac Officium de eadem Transfiguratione Domini ritu duplici primae classis cum octava deinceps recitetur. Hisce positis, in statu quidem Veneto Dominica 3 Iulii sub ritu duplici secundae classis recitatur Officium sub nomine Sanctissimi Redemptoris, quod certe Salvatoris synonimum est, sed in Polonia praecitati Officii usus non obtinuit; S. R. C. dignabitur declarare: An haec ordinatio sit observanda? Nulla quidem ex parte Capituli et Cleri praefatae Ecclesiae est oppositio; Episcopus tamen desiderat ut omnia auctoritate Sedis Apostolicae fiant.

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, loco Emi et Rmi D. Card. Guadagni Ponentis, censuit rescribendum:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Recitandum esse Officium de die infra octavam S. Ioachim ».

Ad 4. « Servandum esse Decretum eiusdem Rmi Episcopi ».

Et ita declaravit. Die 29 Novembris 1755.

2440. ORDINIS (4260) MINORUM EXCALCEATORUM S. FRANCISCI PROVINCIAE S. DIDACI HISPALEN.

P. Provincialis Ordinis Minorum Excalceatorum S. Francisci Provinciae S. Didaci Hispalen. apud S. R. C. exposuit prohiberi quidem suis Religiosis a quibusdam peculiaribus constitutionibus usum pluvialis in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi; cum tamen leges huiusmodi adversentur Decretis istius S. C., humillime eidem supplicavit, ut praecipere dignaretur ab omnibus suis Religiosis praefatae Provinciae eadem Decreta S. R. C. esse observanda.

Et S. eadem R. C., ad relationem Secretarii respondit: « Detur Decretum alias in hoc dubio emanatum, sub die 22 Ianuarii 1701, in responsione ad dubium 5, in una Congregationis Montis Coronae. Quod Decretum etiam a Religiosis Excalceatis S. Francisci dictae Provinciae S. Didaci servari mandavit ». Die 13 Maii 1756.

2441. S. SEVERI (4262) PRAEEMINENTIARUM.

Exortis inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis S. Severi ex una, atque Archipresbyteros et alios de Clero Ecclesiarum parochialium Sanctorum Severini, Nicolai et Ioannis Baptistae dictae Civitatis ex altera partibus, controversiis, super Processionibus, funeribus aliisque praeeminentiis in functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Card. S. Caesarei Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An in Processionibus Rogationum, quibus intersunt Capitulum Cathedralis, nec non Archipresbyteri et alii de Clero Ecclesiarum parochialium Sanctorum Severini, Nicolai et Ioannis Baptistae, usus pluvialis aliorumque sacrorum indumentorum, et praecedentia respective, pertineant ad Capitulum Cathedralis; vel potius ad Archipresbyteros dictarum Ecclesiarum parochialium, et ad ceteros qui illis assistunt respective?

2. An Missae Conventuales cum assistentia Capituli Cathedralis et totius Cleri, occasione dictarum Processionum, in dictis Ecclesiis parochialibus, celebrari debeant ab earumdem Ecclesiarum Archipresbyteris; vel potius a Dignitate vel Canonico Hebdomadario Capituli Cathedralis?

3. An, intervenientibus Archipresbyteris aliisque de Clero dictarum trium Ecclesiarum parochialium, pro quacumque functione in Choro Cathedralis, sedere iidem debeant in stallo Abbatum Beneficiatorum Capituli; vel potius in alio scamno inferiori?

4. An praedicti Archipresbyteri aliique de Clero dictarum Ecclesiarum parochialium, ut supra, inservientes sint thurificandi duplici ductu ad instar Abbatum Beneficiatorum ipsius Cathedralis; vel potius cum uno tantum ductu?

5. An iisdem Archipresbyteris et Clero associantibus una cum Capitulo Cathedralis cadaver defuncti in propria Parochia, tumulandum in Ecclesia Cathedrali, dicti Archipresbyteri deferre valeant Stolam, tam intra quam extra limites propriae Paroeciae et in eadem Ecclesia Cathedrali, praesentibus Episcopo vel Capitulo; vel potius Stola uti debeant tantum intra fines cuiusque respectivae Paroeciae?

6. An in Processionibus generalibus et obligatoriis aliisque ex communi causa indicendis, si interesset Capitulum, Archipresbyteri deferre possint Stolam; vel potius eadem Stola uti debeant in Processionibus tantum, in quibus Capitulum paratum incedit?

7. An ad Archipresbyterum, secundam Dignitatem, Curatum Ecclesiae Cathedralis spectet administrare Viaticum et Extremam Unctionem Dignitatibus et Canonicis atque

Abbatibus Beneficiatis Capituli domicilium habentibus in Parochiis dictarum Ecclesiarum; vel potius pertineat ad Parochum domicilii?

8. An eidem Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis, associante Capitulo, licitum sit independenter a Parocho domicilii in quo Capitularis decedit, illius cadaver asportare ad Ecclesiam Cathedralem?

9. An Archipresbyteris Ecclesiarum parochialium pariter licitum sit independenter ab Archipresbytero Cathedralis cadaver alicuius participantis, decedentis intra fines Ecclesiae Cathedralis, asportare ad respectivam Ecclesiam receptitiam?

10. An decedente aliquo ex Presbyteris participantibus dictarum trium Ecclesiarum receptitiarum intra fines Paroeciae Ecclesiae Cathedralis, absque electione sepulturae, privative tumulandus sit in Ecclesia Cathedrali, solutis iuribus parochialibus Archipresbytero dictae Ecclesiae Cathedralis; vel potius tumulandus sit in eius respectiva Ecclesia receptitia, solutis iisdem iuribus?

11. An decedente aliquo ex Capitulo Cathedralis intra fines dictarum Ecclesiarum parochialium tumulandus sit in eadem Ecclesia parochiali, ubi decedit, solutis iuribus parochialibus Parocho domicilii; vel potius tumulandus sit in Ecclesia Cathedrali, absque ullo onere dictae praetensae solutionis?

12. An, occasione electionis sepulturae factae ab aliquo ex dictis participantibus in eorum respective Ecclesiis receptitiis, teneatur Capitulum Cathedralis intervenire gratis ad cadaveris associationem; et e converso, decedente aliquo ex Canonicis Ecclesiae Cathedralis, teneantur pariter dicti Archipresbyteri et Presbyteri participantes intervenire gratis ad eiusdem cadaveris associationem?

13. An, praesente Capitulo Cathedralis, eidem spectet privative praeintonatio in Officio aliisque functionibus, etiam praesente cadavere, in dictis Ecclesiis receptitiis explendis?

14. An, post expletas functiones ecclesiasticas et funera in dictis Ecclesiis parochialibus assistente Capitulo Cathedralis, Archipresbyteri aliique de Clero teneantur associare idem Capitulum usque ad ianuas praefatarum Ecclesiarum?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem, post Abbates Beneficiatos; Negative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 5. « Affirmative, ad primam partem, dummodo Officium in Ecclesia Cathedrali non peragant super cadaver; Negative, ad secundam ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 8. « Negative ».

Ad 9. « Negative ».

Ad 10. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 11. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam, solutis iuribus parochialibus Parocho domicilii ».

Ad 12. « Negative in omnibus ».

Ad 13. « Negative ».

Ad 14. « Affirmative ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 13 Maii 1756.

Adversus tamen istam resolutionem ex parte Archipresbyterorum et Cleri Ecclesiarum parochialium dictae Civitatis, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore, reproposita per eumdem Emum et Rmum D. Card. S. Caesarei Ponentem huiusmodi controversia super praefatis dubiis;

S. R. C., scripto et voce utraque parte hinc inde informante audita et ex noviter deductis, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 18 Decembris 1756.

2442. BAHIEN. IN BRASILIA. (4264)

Moniales Monasteriorum Civitatis Bahiensis in Brasilia apud S. R. C. humillime exquisiverunt: An sequens formula absolutionis, nempe: *Auctoritate vobis concessa et mihi commissa ego vos absolvo sic plenarie, et illi statui innocentiae restituo, quomodo Sanctitas Domini Nostri Papae faceret, si ipse in confessione peccata vestra auscultaret; et eadem auctoritate Apostolica vobis benedictionem Papalem impertior, in nomine Patris, et Filii etc.*, quam adhibere solent earum Cappellani in administranda oratricibus Sacra Communione, licita sit; an potius in-

digeat reformatione, aut peculiari indulto Apostolico, pro quo etiam supplicabant?

S. R. C., ad relationem Secretarii, decrevit: « Praedictam formulam non licere ». Et ita servari mandavit. Die 18 Decembris 1756.

2443. MONTIS ALTI. (4268)

Cum Promotor Fiscalis Curiae episcopalis Civitatis Montis Alti in Piceno apud S. R. C. exposuerit Priores et Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum eiusdem Dioecesis putare se non teneri genuflectere, tam ante Altare maius quam ante Episcopum, dum hic ad Ecclesiam se confert visitaturus aliasque functiones peracturus; ideoque supplicaverit, ut demandare dignaretur, quatenus praedicti Priores et Canonici observare deberent tam Caeremoniale Episcoporum quam Decreta eiusdem S. C. alias edita;

S. R. C., ad relationem Secretarii respondit: « Dari Decreta alias emanata in similibus casibus, videlicet: Meliten. sub diebus 21 Ianuarii et 20 Maii 1741; et relata Decreta in casu praesenti omnino servari mandavit ». Die 26 Martii 1757.

2444. ORDINIS (4269)
CARMELITARUM REGNI POLONIAE.

Propositis in S. R. C. per P. Magistrum Constantinum Strzalkowschi Ordinis Carmelitarum Regni Poloniae sequentibus dubiis, videlicet:

1. Quum Officium S. Stanislai Martyris Episcopi Cracoviensis, Patroni principalis Regni Poloniae, quod a Clero Seculari et aliis in Polonia recitatur sub ritu duplicis maioris primae classis, a Patribus autem Carmelitis, propter aliquod dubium seu scrupulum, recitetur tantum sub ritu duplicis minoris primae classis, quaeritur utrum iidem Patres Carmelitae in Polonia idem Officium S. Stanislai teneantur recitare sub ritu duplicis maioris primae classis, (qui ritus aequivalet et correspondet ritui duplicis primae classis iuxta Rubricas Breviarii Romani) nec ne? Idem dubium est de S. Casimiro.

2. Utrum Officium proprium de eodem S. Stanislao cum suis Antiphonis, Lectionibus, Responsoriis etc., quod recitatur a Clero Seculari et aliis, etiam a Patribus Carmelitis in Polonia recitari debeat idem Officium proprium?

3. Utrum Festum S. Ioachim cum suo Officio, quod per Decretum SSmi Domini Nostri Papae Benedicti XIV felicissime regnantis ex Dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. translatum est ad Dominicam post octavam Assumptionis eiusdem B. M. V. in Regno Poloniae (et ab omnibus hoc Decretum observatur in Polonia), etiam Patres Carmelitae teneantur ad illud observandum propter conformitatem cum aliis?

S. R. C., ad relationem Secretarii, rescribendum censuit:

Ad 1. « Teneri ad ritum duplicis maioris primae classis ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Ut ad proximum ».

Et ita declaravit. Die 26 Martii 1757.

2445. CAIETANA. (4270)

Exortis inter Capitulum et Mansionarios Ecclesiae Cathedralis Civitatis Caietanae ex una, et Parochos dictae Civitatis ex altera partibus, controversiis super praecedentia, tam in Choro quam in Processionibus aliisque functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Card. Paulutio Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe:

1. An praecedentia tam in Choro Cathedralis Civitatis Caietae, quam in publicis Processionibus, quae fiunt sub unica Cathedralis Cruce, etiam pro funeribus, debeatur Mansionariis intervenientibus cum Capitulo; seu potius Parochis dictae Civitatis?

2. An liceat Parochis intervenientibus in dicto Choro deferre Stolam?

3. An, interveniente Capitulo dictae Cathedralis ad funus, Parochus defuncti ceterique de Clero, tam Seculari quam Regulari, sicut etiam Confraternitates, teneantur convenire hora statuta ad dictam Ecclesiam Cathedralem, ut inde ordinate procedant ad domum dicti defuncti?

4. An Parochi ceterique de Clero, tam Seculari quam Regulari, teneantur incedere sub unica Cathedralis Cruce in Processionibus funebribus?

5. An in funere defuncti alterius Parochiae, interveniente Capitulo, liceat primae Dignitati Cathedralis et, ea absente, alteri de Capitulo in ordine digniori, incedere cum pluviali et Stola nigri coloris?

6. An in tumulatione cadaveris, tam Canonici quam alterius, in dicta Ecclesia Cathedrali, debeatur Parocho defuncti quarta funeralis?

7. An candela a Rituali praescripta, ac aliae candelae quae occasione collationis Ba-

ptismatis a parentibus baptizandorum sponte offeruntur et accensae retinentur sive in Altari sive in parva mensa nuncupata *la Credenza,* sive famulorum manibus, debeantur Ecclesiae Cathedrali; vel potius Parocho ipsius baptizandi, tam si conferatur Baptismus in Ecclesia Cathedrali quam in quocumque alio loco?

8. An Parochi dictae Civitatis Caietae teneantur quolibet anno tradere Archidiacono dictae Cathedralis notulam baptizatorum sub poenis in Decretis S. Congregationis Visitationis Episcoporum Caietae contentis?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « In Choro, servetur solitum; in reliquis, praecedentiam deberi Mansionariis; et amplius ».

Ad 2. « Negative; et amplius ».

Ad 3. « Affirmative; et amplius ».

Ad 4. « Affirmative; et amplius ».

Ad 5. « Affirmative; et amplius ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et ad mentem: et mens est, quod Episcopus non concedat facultatem baptizandi extra Cathedralem, nisi casu necessitatis ».

Ad 8. « Affirmative; et amplius ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 16 Iulii 1757.

2446. REGNI POLONIAE. (4272)

Andreas Mlodziclowski Canonicus Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis nomine totius Regni Poloniae apud S. R. C. exposuit Clero praefati Regni alias concessam fuisse facultatem transferendi Festa nonnullorum Sanctorum ad Dominicas infra eorum octavas, ob maiorem populi concursum; cum autem, ut saepe solet, aliquod ex dictis Festis incidat in die Dominica, quemadmodum hoc anno Festum S. Stanislai, orator humillime supplicat pro declaratione: An hoc casu Festa Sanctorum incidentia in diebus Dominicis celebrari debeant in iisdem diebus propriis assignatis pro Ecclesia universali; sive transferri ad Dominicas respective sequentes?

Et S. R. C., ad relationem Secretarii, respondit: « Festa praedicta celebranda esse in diebus propriis, non autem in Dominicis sequentibus, in casu de quo agitur ». Et ita declaravit. Die 16 Iulii 1757.

2447. WRATISLAVIEN. (4273)

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Ferroni Ponente in S. R. C. infrascriptis dubiis ab Episcopo Suffraganeo atque Praeposito Ecclesiae Cathedralis Wratislavien. propositis, videlicet:

1. An Episcopo Suffraganeo Wratislaviensi in omnibus et singulis functionibus atque actibus, tam intra quam extra Ecclesiam Cathedralem peragendis, competat praecedentia supra Praepositum eiusdem Ecclesiae?

2. An eidem Episcopo Suffraganeo, etiam in Dignitate Cathedrali non constituto, competat incensatio terno ductu?

S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, approbante Benedicto Papa XIV, respondit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta Decretum in Leodien. sub die 1 Decembris 1657 ».

Ad 2. « Deberi Episcopo Suffraganeo incensationem terno ductu, absente Episcopo ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 10 Decembris 1757.

Postea, die 13 Augusti 1763, ad preces Rmi Episcopi Tiberiadis, Suffraganei dictae Civitatis, relatas SSmo Domino Nostro Clementi Papae XIII per me infrascriptum Secretarium: « Sanctitas Sua mandavit publicari praedictum Decretum ».

2448. PISAUREN. (4274)

Ad dirimendos abusus exortos in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Oppidi S. Angeli Dioecesis Pisauren. occasione immittendi in possessionem novos Canonicos praefatae Ecclesiae Collegiatae per Subdelegatum, sive Apostolicum sive Episcopalem, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Card. Sacripante Ponente concordata, proposita fuerunt, nempe:

1. An et in quo habitu incedere debeat Delegatus Sedis Apostolicae seu Episcopi occasione tradendi possessionem novo Canonico seu Dignitati?

2. An post assignatum stallum in Choro, seu locum in Capitulo, dicto novo Canonico vel Dignitati, intervenire possit in Choro ad gratiarum actionem fieri solitam cum cantu *Te Deum etc.?* et quatenus affirmative,

3. An et in quo loco sedere debeat?

Et S. R. C., audita prius Episcopi informatione visisque iuribus Capituli eiusque Procuratore scripto et voce informante au-

dito, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Incedere debere in habitu talari vel insignibus propriae dignitati convenientibus ».

Ad 2. « Negative, nisi sit de gremio Capituli ».

Ad 3. « Provisum in secundo ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 25 Februarii 1758.

2449. URBIS ET ORBIS. (4275)

SSmus Dominus Noster Clemens PP. XIII, inter multiplices Apostolatus sui curas, Sacrorum Rituum amplitudinem prae oculis habere non praetermittens, pia meditatione perpendit quod, quamvis compertum sit Festis quibusvis diebus Ecclesiam iugi cultu Sacrosanctae et individuae Trinitatis solemnia colere, quum Deum ipsum, qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus rerum omnium opifex, et ad quem omnia referenda sunt, in Festis quoque Deiparae et aliorum Sanctorum venerari et glorificari profiteatur; maxime tamen deceat Dominica die, quo Deus ipse lucem condidit, quo Iesus Christus a mortuis resurrexit, quo sedens ad dexteram Patris Paracletum Spiritum Sanctum misit de Coelis, quo proinde ineffabile et incomprehensibile Trinitatis Mysterium manifestum factum est nobis, quemadmodum in divino Officio tum ad Primam recitando Symbolum *Quicumque,* tum plerumque in ultimo tertii Nocturni Responsorio, Augustissimae Triadis fit commemoratio; idem et in Missae Sacrificio peragi, atque in ea potissimum parte qua contestamur dignum et iustum esse Deo gratias agere eumque collaudare, benedicere et praedicare; idcirco ad maiorem splendidioremque tanti Mysterii gloriam, ut fideles quoque, qui die Dominica Missae interesse debent, latius atque apertius Sacrosancti eiusdem Mysterii praeconia audientes, debitum et ipsi servitutis obsequium supremae impendant Maiestati, statuit atque decernit: « Quod singulis Dominicis diebus totius anni, quibus Praefationes propriae per Rubricas non sunt adsignatae, incipiendo a Dominica SS. Trinitatis currentis anni 1759, Sacerdotes omnes utriusque Cleri, Secularis nempe atque Regularis, Praefationem de SS. Trinitate, quae iam inde a vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in Missa recitare teneantur ».

Et ita inviolabiliter observari mandavit. Die 3 Ianuarii 1759.

2450. BRIXINEN. (4276)

Cum in nova constructione Ecclesiae Cathedralis Brixinen. Imagines et Tituli Altarium antiquitus consecratorum translati fuerint de uno loco ad alium, non amota tamen a primaevo loco mensa iam consecrata, quaesitum fuit a Capitulo et Canonicis illius Ecclesiae: An Altaria, a quibus alio translati fuerint Tituli et Imagines, remanente tamen mensa consecrata, nova indigerent consecratione?

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, respondit: « Eadem Altaria non indigere nova consecratione, cum Altaria non Sanctis sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur ».

Et ita declaravit atque decrevit. Die 7 Iulii 1759.

2451. MACERATEN. (4280)

Inter Caietanum Foglietti Praepositum Ecclesiae Collegiatae SS. Salvatoris Civitatis Maceratae ex una, atque nonnullos Canonicos eiusdem Ecclesiae partibus ex altera, exorta controversia super praetensa assistentia in celebratione Missarum solemnium, illaque ad S. R. C. delata, Emus et Rmus D. Card. Paulutius Ponens infrascriptum dubium decidendum proposuit, nempe:

An Praeposito, Missam solemnem celebranti, debeatur assistentia Canonicorum in munere Diaconi et Subdiaconi?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi D. Card. Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Iulii 1759.

2452. NULLIUS ATISSAE. (4281)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae praepositurali Nullius Atissae ac hodiernum Priorem et Patres Carmelitas dictae Terrae, super usu praetenso genuflexorii cum pulvinaribus parati a moderno Praeposito, exortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus D. Card. Paulutius Ponens infrascriptum dubium decidendum proposuit, nempe:

An sit reponendum genuflexorium cum pulvinaribus extra Presbyterium in medio Ecclesiae?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Po-

nentis, rescribendum censuit: « Negative; et ad mentem: et mens est, quod quando Praepositus accedit ad Ecclesiam, in habitu proprio et praevio nuncio, exhibeatur pulvinar eidem Praeposito ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 4 Septembris 1756.

Verum, cum Promotor Fiscalis dictae Terrae super eodem proposito et resoluto dubio novam audientiam expetiverit, atque obtinuerit, in S. R. C. propositum fuit sequens dubium: An sit standum vel recedendum a decisis?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « In decisis; et amplius ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Iulii 1759.

2453. MANTUANA. (4284)

Cum Ecclesia parochialis Villae Gabianae Dioecesis Mantuae, iam sub Titulo S. Mariae nuncupatae a Nemore, olim extructa atque a temporis diuturnitate penitus labefactata, fuerit demolita; ac demum novum Templum a fundamentis excitatum ac solemni ritu Deo in memoriam SS. Nominis Bmae Mariae Virginis dedicatum fuerit; Rector et populus eiusdem Ecclesiae parochialis a S. R. C. petierunt declarari:

An in posterum instituendum esset Festum veteris Tituli S. Mariae de Nemore, vel SS. Nominis Mariae, cui nova Ecclesia fuit dicata?

Et S. R. C., audita prius Rmi Episcopi informatione, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Marci Antonii Columnae Ponentis, rescripsit: « Celebrandum esse Festum SS. Nominis B. M. V. die Dominica infra octavam Nativitatis eiusdem B. M. V. ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 29 Martii 1760 ».

2454. PACTEN. (4285)

Canonici Ecclesiae Cathedralis Pacten. a S. R. C. postularunt declarari: An ab ipsis debeatur assistentia Rmo eorum Episcopo Pacten. pueros plebemque docenti Christianam Doctrinam?

Et S. R. C., audita prius eiusdem Rmi Episcopi informatione, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Columnae de Sciarra Ponentis, rescripsit: « In casu de quo agitur, assistentiam non deberi ». Die 29 Martii 1760.

2455. ADIACEN. (4287)

Rmo Episcopo Adiacen. postulante: An liceat Canonicis suae Cathedralis circulum circa ipsum solemniter celebrantem, pileolo in capite retento, conficere, dum *Gloria* canitur et *Credo*, consuetudini cuidam innixis?

S. R. C., ad relationem Secretarii, censuit: « Iuxta sensum Caeremonialis Episcoporum Canonicos teneri ad discooperiendum caput in circulis praedictis, non obstante quacumque consuetudine ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 17 Maii 1760.

2456. URBIS (4289)
BASILICAE LATERANENSIS.

Exortis nonnullis controversiis super iure supplendi vices Beneficiatorum in Patriarchali Basilica Lateranensi, tam in servitio Altaris quam in functionibus Chori, inter Clericos Beneficiatos praedictae Basilicae ex una, atque Cappellanos eiusdem ex altera partibus, eisque ad S. R. C. delatis, infrascriptum dubium coram Emo et Rmo D. Card. Tamburino eidem Congregationi Praefecto et Ponente concordatum, decidendum propositum fuit, nempe:

An et quibus competat supplere vices Beneficiatorum in Basilica Lateranensi, tam in servitio Altaris quam in functionibus Chori?

Et S. R. C., audita utraque parte scripto et voce informante visisque iuribus hinc inde deductis matureque perpensis ac consideratis, ad relationem Emi et Rmi Card. Ponentis, rescribendum censuit: « Competere Clericis Beneficiatis; et amplius ». Et ita decrevit. Die 7 Iulii 1753.

Adversus vero istam resolutionem, ex parte eorumdem Cappellanorum expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore, reproposita per eumdem Emum et Rmum D. Card. Tamburinum Ponentem eiusmodi controversia super novo dubio, videlicet: An sit standum vel recedendum a decisis die 7 Iulii 1753?

S. R. C., scripto pariter et voce utraque parte hinc inde informante iterum audita, et ex noviter deductis, rescripsit: « In decisis, salva praeintonatione antiphonarum; et amplius ». Et ita decrevit. Die 17 Maii 1760.

2457. CALAGURITANA (4290)
ET CALCEATEN.

Indulta a S. R. C. Rmo Episcopo Calaguritano et Calceaten. facultate subdelegandi eius Vicarios Generales, Dignitates, Canonicos, Parochos aliosque Sacerdotes pro benedictione sacrae supellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur; dubitatum fuit ab eodem Rmo Episcopo: An illi, quibus dicta facultas delegata fuit, benedicere possent imagines Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis aliorumque Sanctorum, Tabernaculum in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, Pyxidem et generaliter omne illud in quo sacra unctio non adhibetur? Propterea idem Rmus Episcopus iterum S. R. C. rogavit, quatenus, ad omnem scrupulum amovendum, declarare dignaretur:

An in indulto iam sibi concesso comprehenderetur facultas subdelegandi ad sacrarum Imaginum, aliarumque praedictarum rerum benedictionem? Sin minus, nova facultas ad hunc effectum sibi necessaria concederetur.

Et S. R. C., ad relationem Secretarii, eidem Rmo Episcopo: « Per viam novae declarationis indulsit eamdem facultatem subdelegandi ad benedictionem omnium quorumcumque ad divinum cultum spectantium, in quibus sacra unctio non adhibetur ». Et ita declaravit. Die 17 Maii 1760.

2458. OVETEN. (4292)

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Decanum et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Ovetensis ex una, atque Dignitates eiusdem Ecclesiae Cathedralis ex altera partibus, super iure praestandi servitium Altari in officio Diaconi et Subdiaconi, ac modo apud S. R. C. delatas, Emus et Rmus Dom. Card. Ferronus Ponens infrascripta dubia decidenda proposuit, nempe:

1. An Archidiaconi, non habentes temporalem praebendam adnexam, teneantur exercere officium diaconale in Missis Conventualibus, alternando cum Canonicis, a quocumque Missa celebretur?

2. An Archidiaconi et Dignitates, adnexam habentes temporalem praebendam, teneantur in iisdem Missis Conventualibus subire officia diaconale et subdiaconale in duplici turno cum Canonicis, ratione nimirum Dignitatis et Praebendae?

3. An Archidiaconi, Dignitates et Canononici, pro exercitio dictorum officiorum, assumere teneantur qualitates ad id ab Ecclesiae statuto praescriptas; et sub quibus poenis in casu?

Et S. R. C., habita prius Rmi Episcopi informatione, visisque iuribus Decani et Capituli dictae Ecclesiae Cathedralis, et adversa parte, etiamsi solemniter citata, intra terminum in citatione praefixum minime comparente; ac proinde illius Procuratore tantum voce et scripto informante audito, ad relationem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative; sub poenis contentis in Concilio provinciali Compostellano anni 1565 ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 9 Augusti 1760.

2459. VENUSINA. (4293)

Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Civitatis Venusinae a S. R. C. sequens dubium supplicarunt declarari, videlicet:

An Missa Conventualis, attenta immemorabili consuetudine, cani possit post Nonam, non obstantibus Rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus?

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Negative; et quoad horas celebrandi Missas Conventuales de Sanctis et de Feria, servandas esse Rubricas Missalis ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 9 Augusti 1760.

2460. ARETINA. (4298)

Cum Antonius Barboni Oppidi *Poppi* nuncupati Dioecesis Aretinae in ultimo, quo decessit, testamento Cappellam fundaverit sub titulo SSmi Nominis B. M. V. nuncupatae *del Morbo* eiusdem Oppidi: adiecto onere, ut quotannis, praeter Festum eiusdem SSmi Nominis, recolerentur etiam in perpetuum in eadem Cappella ceterae festivitates B. Virginis, quae in Calendario descriptae reperiuntur, cum celebratione unius Missae Solemnis aliarumque sex Missarum et Officii; exequutor testamentarius praedicti Antonii ad admovendam omnem ambiguitatem in adimplemento praedictorum onerum, Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit, ut declarare dignaretur: An onus, a dicto Fundatore adiectum, celebrare faciendi in Festis B. M. V. in praefata Cappella Missam Solemnem cum aliis sex Missis lectis et Officio, intelligendum sit pro septem Festis principalibus eiusdem B. M. V.; an etiam

pro aliis minoribus, in quibus commemoratio in honorem Deiparae Virginis infra annum fieri consuevit?

Et S. R. C., audita prius Rmi Episcopi informatione, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Episcopi Sabinensis Albani Ponentis, declaravit: « Missas esse celebrandas ad formam testamenti omnibus diebus, in quibus fit Officium B. Mariae Virginis sub ritu dupl. mai. vel altioris ritus, tam in Ecclesia universali quam in Calendario Dioecesis ». Die 13 Septembris 1760.

2461. AQUEN. (4299)

Propositis per Archiepiscopum Aquensem in S. R. C. nonnullis dubiis circa Rubricas; scilicet: (1)

1. Si mulier sit vidua et iam benedictionem acceperit debetne omitti Missa pro Sponso et Sponsa, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post Orationem Dominicam et *Benedicamus Domino*?

2. In Missa de Vigilia Nativitatis Domini in qua post Collectam legitur *et dicitur haec Oratio tantum:* excludunturne Orationes a Superiore praeceptae, puta pro pace, pro aeris serenitate etc.?

3. Cum praeceptum sit ut in Missa Festorum primae et secundae classis coram SSmo Sacramento cantata, commemoratio eiusdem SSmi Sacramenti fiat sub unica conclusione, estne intelligendum de Festis etiam in die Dominica occurrentibus? Tunc scilicet commemoratio SSmi Sacramenti cuinam Orationi est coniungenda?

4. In Officiis Translationis Almae Domus Lauretanae et Expectationis Partus, octava benedictio estne: *Cuius festum colimus, ipsa Virgo virginum etc.*, an vero *Divinum auxilium etc.*?

5. Item in Praefatione Missae Expectationis, dicendumne est: *Et te in expectatione Partus B. Mariae Virg. collaudare etc.* Pariterque in Missa Rosarii dicendumne: *Et te in solemnitate Rosarii etc.*

6. Cum primum accipitur nuntium de obitu alicuius in loco dissito, potest in die duplici cantari Missa de Requiem. Verum, si contingat Sabbato post meridiem accipi nuntium, poteritne tunc Feria II sequenti cantari Missa de Requiem, etsi Officium sit duplex non festivum?

7. Tandem, dicendo Missam privatam de die occurrente, satisfitne cuilibet obligationi Missae sive fundatae, sive a fidelibus petitae, oblato manuali stipendio, sive ipsa pro defunctis, sive in honorem alicuius Sancti petita fuerit, modo Sacerdos non expresse promiserit se illam de tali Sancto aut in paramentis nigris celebraturum? Id quidem ab Alexandro VII definitum fuit pro diebus duplicibus; at in diebus semiduplicibus et feriatis estne licitum et satisfitne debito? Suffragatur persuasio et praxis nonnullorum Sacerdotum; et nisi hoc liceret, vix umquam Missa conveniret cum Officio in praedictis diebus non duplicibus: quae enim postulantur a privatis fidelibus, plerumque petuntur pro defunctis aut in honorem alicuius Sancti. Praeterea sic citius defunctis subvenitur, idque videtur exigere commoditas et securitas Sacerdotis. In re tanti momenti et quotidianae occurrentiae, quaeritur quid praestandum sit?

S. R. C., auditis scripto et voce suffragiis duorum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac re diligenter perpensa, respondendum censuit:

Ad 1. « Si mulier est vidua, ut in casu, non solum debet omitti benedictio Nuptiarum, sed etiam Missa propria pro Sponso et Sponsa ».

Ad 2. « In Missa Vigiliae Nativitatis Domini debent omitti Orationes a Superiore praeceptae puta pro pace, pro aeris serenitate etc. ».

Ad 3. « Quando Missa cantatur coram SSmo Sacramento in Festis primae et secundae classis occurrentibus in Dominica, commemoratio Sanctissimi Sacramenti coniungenda est commemorationi Dominicae ».

Ad 4. « In Officiis Translationis Almae Domus Lauretanae et Expectationis Partus, octava benedictio debet esse: *Cuius Festum colimus, ipsa Virgo virginum etc.*, quia vere Festum fit B. M. V. ».

Ad 5. « In Praefatione Missae Expectationis Partus dicendum est: *Et te in expectatione Beatae Mariae semper Virginis,* et in Festo Rosarii dicendum est: *Et te in solemnitate Beatae Mariae semper Virginis,* omissis verbis: *Partus* et *Rosarii* ».

Ad 6. « Si Sabbato post meridiem accipiatur nuntium de obitu alicuius in loco dissito, poterit feria secunda sequenti cantari Missa de Requiem, etsi Officium sit duplex non festivum ».

Ad 7. « Diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, Sa-

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 7, 10, 11 et 12.

cerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri ».

Et ita statuit atque decrevit. Die 3 Martii 1761.

2462. BRICTINORIEN. (4305)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis ex una, atque Magistratum Brictinoriensem ex altera partibus, exortis nonnullis controversiis super observantia Caeremonialis Episcoporum in aliquibus functionibus pontificalibus, eisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia coram Emo et Rmo Domino Cardinali Ioanne Francisco Albani Ponente concordata, decidenda in Congregatione diei 29 Martii anni 1760 proposita fuerunt, nempe:

1. An Magistratus Brictinoriensis accedens ad lotionem manuum Episcopi pontificaliter parati, debeat in actu stare; vel potius genuflectere et manere genuflexus?

2. An idem Magistratus, eundo et redeundo, debeat genuflectere ante Altare et ante Crucem?

3. An in benedictionibus solemnibus Episcopi debeat stare, uti Canonici; vel genuflectere?

4. An possit adhibere pulvinaria cum strato in scamno, more Episcoporum?

5. An possit habere scamnum in Presbyterio Ecclesiae S. Dominici Patrum Ordinis Praedicatorum?

At, petente Procuratore Magistratus dilationem, nulla a S. R. C. data fuit responsio suprascriptis dubiis, iussumque dumtaxat per modum provisionis servari solitum. Proposita deinde in S. C. per Emum et Rmum Dom. Cardinalem Ponentem, sub die 17 Maii eiusdem anni 1760, cum novo dubio a Magistratu praedicto excitato, nempe: An sit concedenda remissoria, in casu etc.? cum ob suffragiorum paritatem super eiusmodi remissoriali in suspenso etiam stetisset decisio totius controversiae, rescriptum fuit: « Iterum proponatur et interim servetur solitum, iuxta ultimos status ».

Deductis igitur suprascriptis quinque dubiis in altera S. R. C. habita sub die 13 Septembris eiusdem anni 1760 neglectisque omnino atque negatis remissorialibus, necnon utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis matureque perpensis ac consideratis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescriptum fuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, quoad pulvinaria lanea tantum ».

Ad 5. « Negative ».

Petita tandem et obtenta a Magistratu praedicto nova audientia, denuoque per eumdem Emum Ponentem repropositis iisdem dubiis;

S. R. C. respondendum censuit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 21 Iulii 1761.

2463. SALAMANTINA. (4307)

Cum ex parte Decani et Capituli Ecclesiae Cathedralis Salamantinae SS. Domino nostro Clementi PP. XIII humillime expositum fuerit non raro evenire posse, ut eadem Ecclesia Cathedralis aut alia ipsi unita, quae Universitati adhaerent, ob frequentes scholarum eiusdem Universitatis rixas, polluantur; et Episcopatu vacante vel Episcopo absente aut impedito, nulloque Episcopo Salamanticae commorante, neque ob Dioecesium distantiam aliquo viciniore, nisi post longum temporis intervallum, accedente, nonnumquam Sacrificia et ecclesiastica munia in iisdem Ecclesiis diu interrupta remaneant magno scholasticorum detrimento; eapropter illi SS. Domino Nostro enixe supplicarunt, quatenus elargiri dignaretur facultatem ut, tali casu occurrente, una ex Dignitatibus eiusdem Cathedralis cum aqua a proprio vel viciniori Episcopo benedicta possit illas reconciliare.

Hinc Sanctitas Sua benigne concessit: « Ut, vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus Salamanticae vel in viciniis commoretur, Vicarius Capitularis ad benedictionem Ecclesiae pollutae, dummodo utatur aqua a viciniore Episcopo benedicta, possit procedere: Episcopo vero causa aegritudinis vel absentiae a sua Dioecesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente vel accedente et Vicario Generali sacerdotali charactere non insignito, prima Dignitas eiusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in scriptis et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta, in casu necessitatis, eamdem benedictionem possit peragere ». Quae omnia eadem Sanctitas Sua, pro casu de quo agitur tantum valitura at-

que in exemplum non adductura, indulsit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die 12 Decembris 1761.

2464. CAPUTAQUEN. (4308)

Exposuit apud S. R. C. Archipresbyter loci dicti *Novi* Caputaquen. Dioecesis consuetudinem inolevisse in sua Ecclesia in actu benedicendi populum cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento, ut populus vel Ministri Altaris canerent versiculum Psalmi 68: *Benedicat nos Deus, Deus noster etc.* Hanc vero consuetudinem adversari creditur opinionibus Expositorum sacrorum rituum, qui docent non licere in actu benedictionis praedictae partem Hymni *Pange lingua etc.* quae incipit *Genitori etc.* canere, et ex paritate etiam rationis versiculum praedictum excludere videntur. Quare ipse petit ut Sacra Congregatio declarare dignetur: An consuetudo praedicta uti abusus eliminari debeat?

Et S. R. C., audito voto unius ex Magistris Caeremoniarum factaque per me Secretarium relatione, respondendum censuit: « In benedicendo populum cum SSm̃o Sacramento, Celebrans nihil dicere, Cantores et Musici nihil quoque canere interim debent; non obstante quacumque contraria consuetudine, quae est contra praescriptum Ritualis Romani et Caeremonialis Episcoporum ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 9 Februarii 1762.

2465. VENETA. (4309)

Quoad indultum celebrare faciendi in Ecclesia parochiali S. Margaritae Venetiarum Feria V in Coena Domini plures Missas lectas ante conventualem etc. S. R. C. respondit: « Servetur Ritus Ecclesiae universalis ». Die 20 Martii 1762.

2466. AQUINATEN. (4310)

Inter Promotorem fiscalem Curiae Episcopalis Civitatis Aquini et Alexandrum Magnum Capozzella, exorta controversia super iure sedendi in maiori stallo posito in medio Chori Ecclesiae Cathedralis, eaque ad S. R. C. delata, infrascriptum dubium, coram Celsitudine Regia Em̃i et Rm̃i D. Card. Ducis Eboracensis Ponente concordatum, decidendum propositum fuit, nempe: An competat Archipresbytero Cathedralis Ecclesiae Aquinaten. ius sedendi in maiori stallo posito in medio Chori dictae Ecclesiae?

Et S. R. C., audita utraque parte scripto et voce informante visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefatae Celsitudinis Regiae Em̃i Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita decrevit et servari mandavit. Die 8 Iunii 1762.

2467. URBIS (4311)
BASILICAE VATICANAE.

Porrectis in S. R. C. precibus ex parte Celsitudinis Regiae Em̃i et Rm̃i Dom. Cardinalis Ducis Eboracen. Archipresbyteri Vaticanae Basilicae pro definitione dubiorum sequentium, respicientium ministerium Acolythi Basilicae in Pontificalibus, seu per eumdem Em̃um Archipresbyterum seu per Episcopum ab eo delegatum peragendis, remissaque instantia ad Em̃um et Rm̃um D. Cardinalem Galli Ponentem seu Relatorem, proposita fuerunt sequentia dubia, videlicet:

1. An Acolythus Beneficiatus seu Clericus Beneficiatus Basilicae Vaticanae sustinens librum Cardinali Archipresbytero, dum hic sedens legit praeparationem ad Missam solemnem, teneatur genuflectere, prout Cardinali celebranti placuerit, eiusve commoditas postulaverit?

2. An idem modus sustinendi librum ad commodum Celebrantis, servari debeat ab eodem Acolytho in omnibus aliis sacris actionibus, in quibus Cardinalis Archipresbyter sedens legit aliquid vel cantat?

3. An idem modus sustinendi librum in omnibus supradictis actionibus debeat ad commodum Celebrantis pariter servari ab eodem Acolytho, quotiescumque Episcopus Canonicus eiusdem Basilicae vel quicumque alter Episcopus de mandato Cardinalis Archipresbyteri exercet munia Pontificalia in dicta Basilica?

S. R. C., visis iuribus ex parte dictae Celsitudinis Regiae Emin. productis, atque votis pro veritate a duobus ex Magistris Apostolicarum Caeremoniarum, nec ulla de petita ab Acolythis dilatione in praesenti iudicio habita ratione, et parte unica informante, censuit rescribendum: « Affirmative in omnibus ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 9 Februarii 1762.

Verum iidem Beneficiati et Clerici Beneficiati resolutioni minime acquiescentes, nemine citato, adversus eam sub die 7 Aprilis proxime praeteriti in actis emiserunt protestationem; hanc autem facto verbo cum SS. Domino Nostro Clemente Papa XIII, eius R. P. D. Auditor per suum decretum de medio sustulit, ac terminum trium mensium ad effectum adeundi S. R. C. ipsis Be-

neficiatis et Clericis Beneficiatis praefixit, quo elapso perpetuum iisdem eorumque successoribus silentium imposuit.

Deductis propterea modo per dictos Beneficiatos et Clericos Beneficiatos suis iuribus, utraque parte informante tam scripto quam voce, reassumptoque praedictorum dubiorum maturo examine, ad relationem pariter praelaudati Emi et Rmi Dom. Cardinalis Galli Ponentis proposito dubio: An sit standum vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., unanimi omnium Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium suffragantium consensu, respondit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit atque in praedicta Vaticana Basilica servari mandavit. Die 28 Augusti 1762.

2468. IMOLEN. (4314)

Delata quondam ad S. R. C. controversia inter Presbyteros consortiales communitatis Archipresbyteralis Ecclesiae S. Pauli Terrae Massae Longobardorum Dioecesis Imolae ex una, atque Fratres Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo in dicta Terra degentes ex altera partibus, super dubio: An dicti Fratres in diebus Rogationum, in quibus supplicationes peraguntur, et praesertim in earum Feria III, accedere tenerentur ad dictam Ecclesiam Archipresbyteralem, a qua Processio ducitur, vel potius ex dispensatione iisdem Fratribus ab Archipresbytero proprio marte concessa, liceret, vel iisdem Processionibus non interesse, vel easdem Processiones expectare ac excipere in Ecclesia eorum propria, in ea praesertim Rogationum Feria in qua Statio in ipsa eorum Ecclesia haberi solet; eamdem controversiam penitus diremisse videbatur litis renunciatio una cum declaratione iudicialiter facta a Priore Conventus, nomine tam suo quam omnium aliorum Fratrum dicti Conventus, accedendi in praefatis Feriis Rogationum, ac praesertim Feria III, ad Ecclesiam Archipresbyteralem ad effectum interveniendi publicis Processionibus. Nihilo tamen minus ulterius postulantibus dictis Presbyteris declarari: An liceat Archipresbytero propria auctoritate dispensare Regulares ab accessu ad dictam Ecclesiam archipresbyteralem occasione publicarum supplicationum?

S. R. C., habita prius Rev. Episcopi informatione, et re mature ac serio discussa, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Ferroni dictae S. C. Praefecti et Ponentis, censuit rescribendum: « Non potuisse Archipresbyterum dispensare, inconsulto Episcopo ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 11 Decembris 1762.

2469. AMERINA. (4315)

Exortis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Amerinae ex una, atque Parochos S. Luciae, S. Mariae de Portu et S. Mariae ad Ulmum dictae Civitatis ex altera partibus, controversiis super iuribus parochialibus aliisque praeeminentiis in functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. R. C. delatis; infrascripta dubia, coram Emo et Rmo Dom. Card. Ferroni dictae S. C. Praefecto et Causae Ponente concordata, decidenda proposita fuerunt, nempe: (1)

1. An omnibus Parochis, vel potius Parocho tumulanti tantum, absente Capitulo, competat usus Stolae, occasione qua funus ducitur ad dictam Cathedralem vel ad aliam Ecclesiam, in transitu per Parochiam Prioris dictae Cathedralis, et in eadem Cathedrali?

2. An, interveniente Capitulo, funebris functio conficienda sit ab altero ex Canonicis dicti Capituli; vel potius a Parocho defuncti? et quatenus a Canonico,

3. An dicto Canonico funebrem functionem conficiente, induto pluviali et Stola, Stola etiam deferri possit a supradictis Parochis, vel a Parocho defuncti?

4. An iidem Parochi teneantur publicare Matrimonia, et decimas exigere in dicta Cathedrali, vel potius illa publicare possint, et decimas exigere in propriis Ecclesiis?

5. An iidem Parochi teneantur tempore Paschali Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae ministrare propriis ovibus in dicta Cathedrali?

6. An iidem Parochi teneantur incedere in Processione SSmi Corporis Christi, aliisque Processionibus, quatenus interveniant vestibus sacris induti prout alii Sacerdotes; vel potius possint incedere cum cotta et Stola, et in quo loco?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Usum Stolae competere Parocho tumulanti tantum ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; iuxta solitum ».

(1) E. Dub. 1 et 5.

Ad 3. « Negative, quoad omnes; iuxta solitum ».

Ad 4. « Publicationem Matrimoniorum faciendam esse tam in propria Ecclesia, quam in Cathedrali, ad formam Constitutionis synodalis anni 1566; exactionem vero decimarum in nulla Ecclesia faciendam esse, sed in alio loco ab Episcopo designando ».

Ad 5. « Quoad Sacramentum Poenitentiae, Negative; quoad Communionem Paschalem, posse in propria Ecclesia, dum Parochus celebrat ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, iuxta solitum ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Maii 1763.

2470. FIRMANA (4316)
FUNERUM.

Ad dirimendas nonnullas controversias exortas inter Sacerdotes Iulium, aliosque Fratres de Tosinis Oppidi Petritoli Dioecesis Firmanae ex una, atque Parochos dicti Oppidi ex altera partibus, super associatione cadaverum ad Ecclesiam Regularium, nec non super emolumentis Parochis debitis, et nunc ad S. R. C. iudicium delatas; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Caprara Ponens infrascripta dubia, coram se concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An Parochi teneantur associare cadavera tumulanda in Ecclesia Regularium usque ad Crucem; vel potius usque ad ianuam Ecclesiae, ibique dare ultimum vale? et quatenus affirmative ad secundam partem,

2. An Regulares, quatenus ad associationem non fuerint invitati, teneantur expectare et recipere cadavera in ianua eorum Ecclesiae?

3. An liceat haeredibus defunctorum asportare cadavera e propriis domibus ad Ecclesiam parochialem per modum depositi, antequam illa processionaliter deferantur ad Ecclesiam Regularium, et Parochi teneantur recipere? et quatenus affirmative,

4. An et quale emolumentum debeatur Parochis ratione eiusdem depositi?

5. An Parochis ceterisque Ecclesiasticis associantibus cadavera ad Ecclesias Regularium liceat exigere pro dicta associatione maiorem eleemosynam et emolumentum; vel potius solitum, occasione associationis faciendae ad Ecclesiam?

6. An ceteri Ecclesiastici et Confratres associantes cadavera, teneantur introire Ecclesiam Regularium, ibique solitas sacras preces una cum Regularibus canere et totum Officium absolvere?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative, in omnibus; petita tamen, quamvis non obtenta, licentia Parochi ».

Ad 4. « Deberi Parocho intortitia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit ».

Ad 5. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 6. « In casu, de quo agitur, serventur Constitutiones synodales ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 7 Maii 1763.

2471. DERTUSEN. (4317)

Postquam Rmus Episcopus Dertusensis penes S. R. C. exposuit plures in sua Cathedrali reperiri abusus, quos Capitulum, Dignitates et Canonici servare contendebant contra praescriptum et dispositionem Caeremonialis Episcoporum et Decretorum huius S. C.; idem Episcopus, parens mandatis eiusdem S. C. per literas particulares sibi commissis sub die 11 Septembris 1761, praefixo termino omnibus interesse habentibus ad comparendum coram eadem S. C. et deducendum iura sua, propriam relationem transmisit. Deinde Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ferroni Praefectus et Causae Ponens infrascripta dubia, coram se inter partes concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An Dignitates omnes et Canonici (exceptis Canonicis Celebrante, Diacono et Subdiacono) teneantur associare Episcopum cappa indutum ad Ecclesiam dum pedester accedit divinis Officiis interfuturus, a suo cubiculo ad Sedem usque episcopalem in Choro; eumque, omnibus Horis Canonicis absolutis vel nulla incepta, recedentem illuc reducere?

2. An omnes Dignitates et Canonici, ut supra, eidem Episcopo curru vel portatili sella ad Ecclesiam venienti, teneantur extra portam Cathedralis occurrere, et usque ad suam Sedem in Choro associare; ipsumque pariformiter ab Ecclesia discedentem ad eamdem Cathedralis ianuam deducere?

3. An omnes vel quot Dignitates et Ca-

nonici teneantur associare Episcopum accedentem ad Ecclesiam, vel ab illa recedentem, aliqua Hora Canonica incepta vel nondum absoluta; et a quo et ad quem locum?

4. An Feria V in Coena Domini aliisque diebus, quibus Episcopus pontificaliter celebrat, debeant non solum tres Dignitates et Canonici, qui eidem iuxta morem assistunt, sed omnes pariter Dignitates et Canonici ad eius cubiculum se conferre, ut eum ad Ecclesiam, ut supra, deducant; eumdemque suam domum redeuntem associare?

5. An Episcopus pontificaliter celebranti debeat habere baldachinum supra suam Sedem episcopalem? et an eadem Sedes collocari debeat in cornu Evangelii vel in cornu Epistolae?

6. An Episcopo pontificaliter celebranti praeparari debeat genuflexorium, ut suis loco et tempore genuflectat; vel potius idem Episcopus debeat esse semper contentus solo pulvino?

7. An, Episcopo pontificaliter celebrante, debeat super Altare poni septimum candelabrum; et cuius sumptibus?

8. An Feria V in Coena Domini Episcopus, iuxta morem Ecclesiae Dertusensis, Canonicorum pedes lavans, debeat habere assistentiam duarum Dignitatum; et aliam pariter Dignitatem quae munus Diaconi et Canonicum qui munus Subdiaconi subeat?

9. An Episcopum in Cathedrali Confirmationis Sacramentum vel Ordines collaturum debeant saltem duo Dignitates seu Canonici in habitu chorali ad ianuam Ecclesiae excipere, aspersorium porrigere, eique Confirmationem vel Ordines conferenti assistere?

10. An et quot Dignitates atque Canonici debeant Episcopo assistere, cum Missam pontificalem celebrat vel alia Officia pontificalia exercet in aliqua Ecclesia parochiali vel conventuali Civitatis?

11. An et quot Dignitates atque Canonici debeant Episcopo assistere, quando hic publice divinis Officiis interest in aliqua Ecclesia parochiali vel conventuali Civitatis? (1)

12. An Gubernatori et Decurionibus Civitatis Dertusensis locum habentibus in Presbyterio, dum cantatur Missa solemnis, fieri debeat reverentia a Canonico celebrante, Diacono et Subdiacono, ante initium et post finem Missae, tam praesente quam absente Episcopo?

(1) E. Dub. 12.

13. An et quibus poenis possit Episcopus compellere Dignitates et Canonicos ad praestandum obsequia, quae, iuxta S. C. decisiones, sibi debita describuntur?

Et S. eadem R. C., re mature discussa, perpensisque tam Rm̃i Episcopi quam Capituli, Dignitatum et Canonicorum iuribus, per eorum procuratores voce et scripto expositis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad utramque partem ».

Ad 2. « Affirmative, usque ad locum ubi Episcopus induit cappam ».

Ad 3. « Quoad numerum, quatuor; quoad locum, provisum in superioribus ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative, quoad primam partem; quoad secundam, Sedem episcopalem locandam esse e regione Altaris vel in cornu Evangelii, iuxta Caeremoniale ».

Ad 6. « Deberi faldistorium, iuxta Caeremoniale ».

Ad 7. « Affirmative, ad primam partem; et ad secundam, eorum sumptibus qui ad ceteras Missae pontificalis expensas tenentur ».

Ad 8. « Affirmative, ad formam Caeremonialis ».

Ad 9. « Affirmative in omnibus ».

Ad 10. et 11. « Affirmative, ad utrumque dubium; ita tamen, quoad numerum, ut Ecclesia Cathedralis debito non fraudetur Officio ».

Ad 12. « Negative in omnibus ».

Ad 13. « Affirmative, iuris remediis; et amplius in omnibus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 6 Augusti 1763.

2472. NULLIUS FARFEN. (4318)

Exortis controversiis inter Patres Minores Conventuales Oppidi Tophiae Nullius Farfen. ex una, atque Archipresbyterum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae eiusdem Oppidi ex altera partibus, super celebratione Festi solemnis, cum praecedentibus novemdialibus supplicationibus, Conceptionis B. M. V. Immaculatae, iisque delatis S. R. C.; proposita fuerunt infrascripta dubia inter partes concordata coram Em̃o et Rm̃o D. Card. Marco Antonio Columna Ponente, nempe:

1. An liceat celebrare Festum solemne cum praecedentibus novemdialibus supplicationibus Immaculatae Conceptionis B. M. V.

in Ecclesia Collegiata Terrae Tophiae; quod Festum una cum novemdialibus celebratur in Ecclesia S. Alexandri Patrum Minorum Conventualium eiusdem loci?

2. An constet de attentatis, et quomodo sint purganda?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Quoad Festum solemne in Ecclesia Collegiata, Negative; quoad preces novemdiales iuxta mentem, nempe, pro concordia arbitrio Emi Ponentis. Hic autem eodem arbitrio utens declaravit: Preces novemdiales praemittendas Festivitati Conceptionis B. M. V. Immaculatae peragi licere in Ecclesia Collegiata per Archipresbyterum et Canonicos de mane, sive horis matutinis; in Ecclesia vero S. Alexandri esse celebrandas per Patres Minores Conventuales de sero, sive horis vespertinis ».

Ad 2. « Iuxta mentem declarandam ab Emo Ponente, qui declaravit: Iam patefactam mentem S. C. Procuratori Capituli, et provisum ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 6 Augusti 1763.

2473. FESULANA. (4320)

Cum Rmo Episcopo Fesulano nonnulla occurrerint dubia circa Missam celebrandam ab Episcopo Ordinationem habente diebus a iure praestitutis, ex parte eiusdem Rmi Episcopi apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus ea benigne declarare dignaretur sequentia dubia, videlicet:

1. An Decretum editum a S. R. C. sub die 21 Martii 1744 in Bergomen. ad 2, in quo statuitur ab Episcopo Ordinationem habente diebus a iure praestitutis celebrandam esse Missam de Feria, valeat et intelligi debeat, etiamsi Missa privatim et sine cantu ab Episcopo Ordines conferente dictis diebus celebretur?

2. An ubi viget consuetudo celebrandi Missam de Sancto occurrente, non autem de Feria, dum Episcopus praedictis diebus privatim sacras habet Ordinationes, quae ratione dierum a iure praescriptorum generales vocantur, consuetudo illa toleranda sit; vel potius abolenda?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Columnae Almae Urbis Vicarii Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit. Die 11 Februarii 1764.

2474. TOLETANA. (4322)

Ex parte Magistri Caeremoniarum Regiae Cappellae Villae Matriti Dioecesis Toletanae apud S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione sequentis dubii, videlicet:

An in Missis solemnibus, quae celebrantur in Altari quo publicae venerationi est expositum SSmum Sacramentum, Subdiaconus sustinens Patenam debeat genuflectere quando Celebrans post Offertorium genuflexus thurificat SSmum Sacramentum, sicut genuflectit in actu Consecrationis et Elevationis? (1)

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Albani Episcopi Sabinen. Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita declaravit. Die 11 Februarii 1764.

2475. VICARIATUS ANGLIAE. (4325)

Porrectis per Carolum Walmesley Episcopum Ramatensem Vicarium Apostolicum in Anglia, ad praesens Coadiutorem Laurentii York Episcopi Nisibensis, humillimis precibus, quibus supplicatum fuit quatenus eidem Episcopo Ramatensi indulgeri placeret, ut functiones, quae ab Episcopo fieri solent Feria V maioris Hebdomadae in benedictione Chrismatis, perficere ipse valeat in Feria II vel alio die conveniente eiusdem Hebdomadae; eo quod nec ipse sine gravissimo incommodo praedicta Feria V a sua residentia abesse possit, nec sufficientem numerum Sacerdotum illa die ad praedictum effectum simul convocare. « Sanctitas sua, dummodo vera sint exposita, gratiam petitae dispensationis indulsit ». Die 9 Martii 1765.

2476. BONONIEN. (4326)

Pro parte Abbatissae et Monialium Monasterii S. Margaritae Civitatis Bononiae apud S. R. C. expositum fuit ex undecim Sanctimonialibus eiusdem Monasterii, quae modo solemniter velari postulant, altera ne parvulo quidem temporis spatio e propria cella discedere posse, prohibente gravi qua

(1) E. Dub. 2.

laborat chronica infirmitate; duas vero ex iisdem alias talibus corporis incommodis habitualiter esse obnoxias, ut pro suarum virium insufficientia merito timeri possit, ne aliquo corripiantur deliquio, et impares sint absolvendae longiori et laboriosae solemnitati, qualis profecto est Monialium velatio seu consecratio facienda in Ecclesia exteriori. Quare ne tres praedictae Moniales spirituali, quam summopere exoptant, consolatione priventur; supradictae oratrices eidem S. C. devote supplicarunt, ut non solum quoad tres Moniales infirmas, verum etiam quoad ceteras enunciatas Sanctimoniales velandas, pro hac vice tantum dispensare dignaretur super observatione Pontificalis Romani, earumque solemnis velatio fieri possit ad fenestellam vestitionum: quo vero ad supradictam Monialem actu et habitu infirmam atque impotentem accedendi ad consecrationem, annuendo permittere ut inter Missarum Solemnia a duabus Monialibus velum benedictum ad eamdem deferatur.

Et S. R. C., habita prius Emi et Rmi Domini Archiepiscopi informatione et voto, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Praefecti et Ponentis, attentis peculiaribus facti circumstantiis, benigne rescripsit: « Pro gratia; arbitrio et iuxta votum Emi Ordinarii ». Die 11 Maii 1765.

2477. TOLETANA. (4328)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae archiepiscopalis Toletanae ex una, et Ven. Societatem SSmi Crucifixi iniuriarum nuncupatam eiusque Confratres, erectam in Ecclesia S. Aemiliani Suffraganeae Ecclesiae Parochialis Sanctorum Iusti et Pastoris eiusdem Civitatis ex altera partibus, exorta controversia super continuatione Processionis peragi solitae Feria VI maioris Hebdomadae, illaque ad S. R. C. delata, infrascriptum dubium coram Emo et Rmo Dom. Cardinali Albani Episcopo Sabinensi Ponente concordatum, decidendum propositum fuit: An, et quomodo sit continuanda Processio, de qua agitur; vel potius obstet ordinatio Rmi Archiepiscopi?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Maii 1765.

2478. MONTIS POLITIANI (4329) IURIS PRAECEDENTIAE.

Ad dirimendas nonnullas controversias exortas inter Cappellanos Ecclesiae Cathedralis Montis Politiani ex una, atque Sacerdotes inservientes Ecclesiae S. Blasii extra moenia Civitatis ex altera partibus, super associatione cadaverum ad Ecclesiam praefatam S. Blasii, quoniam illae de communi partium consensu, Rmo Episcopo quoque approbante, ad S. R. C. delatae sunt, Emus et Rmus Dominus Cardinalis S. Angeli Ponens infrascriptum dubium proposuit, nempe: An occasione associandi corpus defuncti alicuius, qui fuerit de cura et populo Ecclesiae Cathedralis Politianae ad Ecclesiam S. Blasii positam intra fines Ecclesiae parochialis S. Bartholomaei de Castello Dioecesis Politianae, cum ad associationem invitati fuerint tum Cappellani Ecclesiae Cathedralis absque interventu Capituli, tum Presbyteri inservientes dictae Ecclesiae S. Blasii, debeatur praecedentia Cappellanis praefatae Cathedralis; vel potius Presbyteris inservientibus Ecclesiae S. Blasii tamquam Clero Ecclesiae tumulantis?

Et S. R. C., habita prius eiusdem Rmi Episcopi informatione, ad relationem praefati Emi et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et ad mentem Emi Ponentis. Mens autem est, quod Episcopus prohibeat Cappellanis Ecclesiae Cathedralis, ne, cum in publicis supplicationibus sive defunctorum associationibus procedunt absque interessentia illius Capituli, almutiam super brachiis deferant; indecens enim est quod ipsi Cappellani, qui cum Capitulo dumtaxat unum corpus faciunt, ab eodem corpore disiuncti, iis etiam utantur insignibus, quae non membris sed toti corpori conveniunt ». Et ita decrevit et servari mandavit. Die 20 Iulii 1765.

2479. VENETA. (4332)

Quoad continuationem celebrationis Missarum in Altari nobilis Familiae Renier in Ecclesia S. Mariae de Horto nuncupatae, sub quo humata reperiuntur cadavera suorum maiorum etc. « SSmus, confirmando Decreto Congregationis Sacrorum Rituum de non celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio in Altari sub quo sepulta existunt cadavera defunctorum, mandavit Missas non esse celebrandas in Altari, de quo in precibus, donec sint sub eo eiusque *pradella* cada-

vera, quae exhumari debebunt iuxta mentem Decreti, quod alias ad similes preces edidit Pontifex Benedictus XIV: his oretenus explicatis R. P. D. Secretario eiusdem Congregationis, concessit ut interim, si Missae ex aliqua obligatione in eodem celebrari deberent, celebrentur in alio Altari ». Die 7 Iulii 1766.

2480. MELITEN. (4333)

Electa nuper a Clero Saeculari et Regulari ac populo Terrae Radicinae Dioecesis Meliten. B. M. V., sub titulo *della Montagna delle grazie* vulgo nuncupata in Patronam principalem dictae Terrae; modo ex parte eorumdem pro confirmatione praefatae electionis apud S. R. C. humillime supplicatum fuit:

Et S. eadem R. Congregatio, attento quod huiusmodi electio, servatis servandis, et iuxta praescriptum in Decreto s. m. Urbani Papae VIII sub die 23 Martii 1630 edito, legitime facta fuerit, accedente etiam Rev. Episcopi assensu, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Ferroni Praefecti Ponentis: « Eamdem electionem benigne approbavit et confirmavit, cum clausula tamen quod deleatur titulus vulgo *della Montagna delle grazie;* praedictaeque B. M. semper Virginis, sic in Patronam principalem electae, Festivitati praerogativas omnes Sanctorum Protectorum principalium Festis competentes attribuit atque concessit ». Die 12 Iulii 1766.

2481. THERMULARUM. (4334)
ASSISTENTIAE.

Exortis nonnullis controversiis inter Rmum Episcopum Thermularum, eiusque Promotorem Fiscalem ex una, atque Antonium de Antonolo Canonicum Poenitentiarium et Carolum Crisma pariter Canonicum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ex altera partibus, super assistentia praestanda Episcopo solemniter celebranti, iisque ad S. R. Congregationis iudicium delatis, concordata fuerunt, coram Emo et Rmo Domino Cardinali Albani Episcopo Sabinen. Ponente, sequentia dubia, nempe:

1. An et qui ex Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Thermularum teneantur in officio Diaconorum assistentiam praestare Episcopo solemniter celebranti seu Divinis cum cappa interessenti?

2. An et quando Canonicus Poenitentiarius eiusdem Ecclesiae sit immunis a praestanda dicta assistentia Episcopo?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Assistentiam spectare ad Diaconos; iuxta Caeremoniale ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 21 Iunii 1776.

Adversus istam resolutionem ex parte Rev. Episcopi, sive eius Promotoris Fiscalis, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore reproposita per eumdem Emum Dominum Cardinalem Ponentem huiusmodi controversia super novo dubio, videlicet: An sit standum, vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., scripto pariter et voce utraque parte hinc inde informante iterum audita, respondit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Iulii 1766.

2482. CARTHAGINIEN. (4336)

Cum Parochis Oppidi Lorcae Dioecesis Cathaginiensis nonnulla occurrerint dubia circa Officium et Missas defunctorum celebrandas diebus etiam impeditis, nec non circa modum incedendi in Processionibus aliisque sacris functionibus, ex parte eorumdem apud S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus ea benigne declarare dignaretur:

1. An diebus non festivis de praecepto, in quibus tamen recitatur Officium duplex secundae classis, et diebus infra octavas privilegiatas, celebrari possit Officium mortuorum cum Missa diei currentis, ad implenda legata quae non sunt Anniversaria quaeque a testatoribus relicta sunt sine praefixione dierum?

2. An diebus III, VII et XXX a depositione defuncti, in quibus occurrit Officium duplex per annum, non tamen festivis de praecepto, celebrari possint Officium et Missa defunctorum? et an praedicti dies numerari debeant a die obitus vel a die depositionis?

3. An sustineri possit consuetudo, ut in Processionibus aliisque sacris functionibus, in quibus Celebrans est indutus pluviali et eius Ministri sunt induti Dalmatica et Tunicella, dicti Ministri seu Diaconus et Subdiaconus incedant in medio Processionis unus post alium ante Celebrantem, ad latera vero Celebrantis adsistant duo Canonici sive Parochi, induti superpelliceo; vel

potius ipsimet Ministri incedere debeant unus ad dexteram et alter ad sinistram Celebrantis?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Galli Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative; sed Missae cantatae de Requiem a defunctis relictae sine praefixione dierum debent celebrari diebus a Rubrica permissis ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; dummodo sermo sit de Missa cantata; ad secundam partem, praedictos dies III, VII et XXX posse numerari a die obitus sive a die sepulturae, iuxta diversam Ecclesiae consuetudinem ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit. Die 23 Augusti 1766.

2483. LAURETANA. (4338)

Exortis nonnullis controversiis inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae sub titulo S. Mariae Virginis Terrae Montis Cassiani ex una, et Communitatem seu Magistratum dictae Terrae ex altera partibus, super quibusdam praeeminentiis eidem Magistratui functionibus ecclesiasticis in habitu interessenti a dicto Capitulo praestandis, aliisque dissidentiis in Processionibus ab eodem Capitulo in aliquibus festivitatibus Sanctorum peragi solitis; iisque ad S. R. Congregationis iudicium delatis, concordata fuerunt coram Emo et Rmo D. Cardinali Ganganelli Ponente, sequentia dubia:

1. An Capitulum Ecclesiae insignis Collegiatae Terrae Montis Cassiani postquam Magistratus eidem significaverit se interventurum in habitu et forma ad sacras functiones, teneatur denunciare eidem Magistratui imminentem celebrationem dictae sacrae functionis? et quatenus affirmative,

2. An dictum Capitulum teneatur, per Sacerdotem cotta indutum, advenienti Magistratui occurrere ad ianuam maiorem Ecclesiae ut eum aqua benedicta aspergat?

3. An eidem Magistratui Solemniis interessenti, teneatur Dignitas seu Sacerdos celebrans nec non Diaconus et Subdiaconus eidem celebranti assistentes, toties quoties ad Altare accedunt vel ab eo recedunt, reverentiam et salutationem per capitis inclinationem peragere?

4. An Magistratus praedictus Solemniis interessens in distributionibus candelarum, cinerum, palmarum et SS. Eucharistiae Sacramenti, immediate post Capitulum sit praeferendus ceteris Sacerdotibus et Clericis, qui non sunt de Capitulo?

5. An sint dandae benedictiones populo cum Reliquiis Sanctorum S. Iosephi, S. Cassiani, SS. Crucis et S. Emygdii in fine singularum Processionum fieri solitarum cum dictis Reliquiis a Capitulo?

6. An Processiones cum Reliquia SS. Crucis, vel pro recolenda Translatione almae Domus Lauretanae sint ducendae etiam extra moenia Montis Cassiani, iuxta antiquum stylum; vel potius sint ducendae iuxta posteriorem breviorem ambitum?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Sacerdos cotta indutus advenientem Magistratum aqua benedicta aspergat ».

Ad 3. « In primo accessu ad Altare et ultimo recessu ab eodem, tantum ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Servetur solitum ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et amplius ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 16 Decembris 1766.

2484. ORDINIS (4345)
MINORUM S. FRANCISCI
CAPUCCINORUM.

Cum S. R. C. ad instantiam Patrum Conventualium approbaverit Rubricam, qua praecipitur recitatio Symboli in Festis Translationis S. Francisci de Assisio et S. Bonaventurae Ecclesiae Doctoris, Fr. Erhardus Padkarspurgensis Procurator Generalis Capuccinorum humillime supplicavit, quatenus declarare dignaretur: An universus etiam Ordo Capuccinorum, qui praefata Festa sub eodem titulo, ritu et solemnitate celebrat, sub eadem Rubrica comprehendatur?

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Domino Cardinali Ganganelli Ponente, rescribendum censuit: « Servandam esse etiam a Patribus Capuccinis Rubricam ad instar Patrum Conventualium ». Die 27 Augusti 1768.

2485. MECHOACANA. (4347)

Relatis in S. R. C. habita sub infrascripta die per Emum et Rmum Dominum Car-

dinalem S. Angeli humillimis precibus Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii erectae in villa S. Michaelis Mechoacanae Dioecesis in America seu nova Hispania SSmo Domino Nostro Clementi Papae XIII porrectis, et a Sanctitate Sua eidem S. R. C. remissis, quibus, occasione supplicationum, quae ordinarie infra annum, vel extraordinarie, aliqua urgente causa, in eadem Villa peraguntur, declarari petierunt sequentia tria infrascripta dubia, nempe :

1. An dicti Patres teneantur intervenire sacris supplicationibus, quae fiunt ordinarie infra annum, vel extraordinarie, aliqua urgente causa?

2. An, casu quo teneantur intervenire vel invitati sponte interveniant pro populi aedificatione, incedere debeant veste nigra et capite aperto; vel potius cum superpelliceo et bireto?

3. An si interveniunt praedictis supplicationibus debeant praecedere Regularibus; vel potius eis praecedentiam concedere?

Et S. R. C., audita relatione Emi et Rmi Domini Cardinalis S. Angeli Ponentis, cui haec eadem ipsa dubia examinanda commiserat, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 21 Ianuarii 1769.

2486. DERTUSEN. (4350)

Ex parte Capituli, Canonicorum universique Cleri, Senatus et populi Civitatis Dertusen. apud S. R. C. expositum fuit, quod cum flumen Iber Dertusam praeterfluens nimis intumescit, et omnis generis fructibus et bonis detrimenta minitatur, ab immemorabili tempore per ipsos servatum fuisse morem ad praedicti fluminis ripam processionaliter accedere, afferendo Reliquiam S. Candidae eiusdem Civitatis Patronae argenteae urnae ipsius S. Imaginem referenti inclusam, eamque, universo spectante populo, in Iberi fluminis aquam intingere, hac spe ut Deus Opt. Max. Sanctae Candidae intercessione intumescentem flumen intra ripam cohibere dignaretur. At vero cum hisce novissimis temporibus graviter dubitatum fuerit: An legitimus sit et decens praenarrati ritus et caeremoniae usus, vel potius indecens et superstitiosus, eo magis quia synodali Constitutione huiusmodi ritus omnino prohibeantur: eapropter huic S. R. C. universus Clerus et populus Dertusensis humillime supplicavit, ut declarare dignaretur: Utrum praefatus ritus hactenus servatus ab iisdem in supplicationibus fieri solitis ad arcendas Iberi fluminis irruptiones, in posterum uti licitus et ab omni superstitione vacuus retineri possit; an vero tamquam irrationabilis, indecens et superstitioni proximus aboleri penitus debeat?

Et S. R. C., iis omnibus quae super expositis perpendenda erant mature perpensis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Albani Episcopi Sabinen. Ponentis, rescribendum censuit: « Servetur Constitutio synodalis ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1769.

2487. TURRITANA. (4351)

Relatis per Emum et Rmum Dominum Cardinalem a Lanceis in S. R. C. humillimis precibus Rmi Archiepiscopi Turritani, pro declaratione infrascriptorum dubiorum circa reformationem Calendarii suae Civitatis et Dioecesis, enixe supplicantis, nempe:

1. An abroganda sint Officia Martyrum Turritanorum baptizatorum?

2. An concedendum sit Officium de Communi plurimorum Martyrum semel in anno recitandum die ab Ordinario designanda in honorem Sanctorum Martyrum Turritanorum? (1)

3. An Festum S. Iacobi Apostoli a ritu duplici primae classis cum octava reducendum sit ad ritum secundae classis sine octava, prout inscribitur in Breviario Romano die 25 Iulii? et an abrogandum etiam sit Festum Translationis eiusdem Apostoli, quod celebratur die 30 Decembris?

Et S. R. C., audito prius super praefatis dubiis voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Pro gratia iuxta votum ».

Ad 3. « Affirmative, quoad utramque partem ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1769.

2488. GORITIEN. (4352)

Remissa ab Emo et Rmo Domino Cardinali Pro-Datario ad S. R. C. pro voto in-

(1) E. Dub. 3.

stantia Francisci Xaverii de Taufferer Abbatis et Archidiaconi Monasterii Litticensis Ordinis Cisterciensis in Dioecesi Goritiae, qua humillime supplicabat, quatenus ille indulgere dignaretur eidem Abbati suisque successoribus nonnulla privilegia, praeter contenta in Decreto s. m. Alexandri PP. VII, sub die 27 Septembris 1659, circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum edito;

S. R. C., habito prius Rm̃i Archiepiscopi Goritien. assensu, auditoque etiam voto duorum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Boschi, rescribendum censuit: « Consulendum SSm̃o pro concessione indulti, iuxta modum ab eodem Em̃o Ponente explicandum: videlicet, ut liceat Abbati eiusque successoribus, praeter consuetos tres dies in Decreto Alexandrino praescriptos singulis annis, tribus aliis vicibus in Ecclesiis sibi subiectis pontificaliter celebrare, nec non aliis duabus vicibus in Ecclesiis sibi non subiectis; quatenus tamen ab Episcopo loci Ordinario, non autem a Praelato inferiori rogati fuerint; item ut pontificalia signa adhibere queant in pastoralibus visitationibus Ecclesiarum sibi subiectarum, nimirum ad absolutionem pro defunctis et ad visitationem SSm̃i Sacramenti dumtaxat, nec non in Processionibus pro causa publica infra ambitum et districtum Ecclesiarum sibi subiectarum solemniter habendis, in conferenda clericali Tonsura et quatuor minoribus Ordinibus subiectis sibi Monachis, in Consecratione Altarium portatilium, Patenarum et Calicum, aliisque benedictionibus in quibus sacra olea sunt adhibenda; ac denique ut, pro usu Ecclesiarum sibi subiectarum tantummodo, liceat eis benedicere sacra indumenta et suppellectilia, Cruces, Imagines, Vasa sacra et Campanas, nec non consecrare Calices, Patenas et Altaria tantum portatilia, dummodo tamen, quotiescumque iuxta Pontificale Romanum sacra unctio adhibenda est, fiat cum Oleis et Chrismate ab aliquo Catholico Antistite benedictis seu confectis. In reliquis serventur Decreta; si SSm̃o Domino Nostro visum fuerit ». Die 11 Augusti 1770.

Factaque deinde per me infrascriptum Secretarium de praedictis eidem SSm̃o Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus; et mandavit expediri per Bullam. Die 18 eiusdem Mensis Augusti et Anni 1770.

2489. CONCHEN. (4353)

Licet alias a S. R. C. declaratum fuerit, et signanter sub die 27 Septembris 1608, omnes de Clero etiam Canonicos Eucharistiam sumere debere de manu Celebrantis Feria V in Coena Domini; tamen modernus Episcopus Conchensis certior factus, quod in Ecclesiis suae Dioecesis haec dispositio de Communione sumenda Feria V in Coena Domini non observabatur, quodque privatae etiam Missae ea die celebrabantur; praecepit omni Clero sui Episcopatus, ut in posterum tam sanctas leges et mandata adimplerent. Verum, quamvis dispositum fuerit a Capitulo, ut in Ecclesia Cathedrali Missae privatae eo die non celebrarentur, quod quidem anno praeterito fuit observatum, respectu tamen Communionis in Missa Conventuali faciendae, varia fuit capitularium opinio; putantes enim nonnulli hoc esse mandatum novum eiusdem Episcopi, huic acquiescere minime voluerunt. Itaque ad maiorem tam Episcopi quam totius Capituli Ecclesiae Cathedralis securitatem apud S. R. C. supplicatum fuit, ut declarare dignaretur: An Dignitates, Canonici, Portionarii ceterique Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Conchensis teneantur Sacram Eucharistiam accipere de manu Celebrantis in Missa Conventuali Feriae V in Coena Domini, sicuti faciunt ceteri de Clero in suis Parochiis, quin in posterum liceat privata Missae Sacrificia celebrare?

Et S. R. C. rescribendum censuit: « Servetur Decretum iam emanatum in una Civitaten. sub die 27 Septembris 1608 ». Et ita in Ecclesia Conchensi servandum esse mandavit. Die 22 Decembris 1770.

Decretum in Civitaten. superius citatum est ut sequitur:

Pro parte Episcopi Civitaten. a S. R. C. quaesitum fuit: An omnes Dignitates Canonici, Portionarii et alii Sacerdotes Ecclesiae Cathedralis Feria V in Coena Domini debeant se abstinere a celebratione Missae et sacram Communionem sumere de manu Episcopi vel alterius Celebrantis, prout ordinatur in Caeremoniali Episcoporum et prout in dicta Ecclesia servabatur; licet postea per consuetudinem, seu potius desuetudinem, consueverint singuli Presbyteri, Dignitates, Canonici et Mansionarii per se ipsos dicta die Missas celebrare.

Et S. R. C. respondit: « Servandam esse regulam praescriptam in Caeremoniali, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis

est: ut scilicet Feria V in Coena Domini in memoriam quod D. N. I. C. manu sua propria omnes Apostolos communicavit, omnes Presbyteri, tam Dignitates quam Canonici et Mansionarii, Communionem sumant de manu Episcopi vel alterius Celebrantis, prout etiam antiquitus in dicta Ecclesia Civitaten. servabatur ». Et ita censuit ac declaravit.

2490. PADERBORNEN. (4354)
PRAECEDENTIAE.

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Paderbornensis, Capitulum Ecclesiae Cathedralis et Clerum eiusdem Civitatis ex una, atque P. Abbatem et Monachos S. Benedicti Monasterii de Abdingoff ex altera partibus, super iure praecedendi in publicis Processionibus; illis modo ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Andreas Corsini Ponens infrascripta dubia, inter partes concordata, decidenda proposuit:

1. An Abbati et Monachis Monasterii Abdingoffensis debeatur futuris temporibus praecedentia in Processione S. Liborii supra Capitulum Ecclesiae Cathedralis et universum Clerum Secularem Paderbornensem, tam praesente quam absente Episcopo?

2. An Abbas et Monachi praedicti intervenire debeant aliis publicis Processionibus tam ordinariis quam extraordinariis? et quatenus affirmative,

3. An etiam in dictis Processionibus debeatur Abbati et Monachis praecedentia supra Capitulum Cathedralis Ecclesiae et universum Clerum Secularem, tam praesente quam absente Episcopo?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante prius audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi et Rmi Domini Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 7 Aprilis 1770.

Adversus tamen istam resolutionem ex parte P. Abbatis et Monachorum dicti Monasterii, expetita et obtenta nova audientia, et huius vigore reproposita per eumdem Emum et Rmum Dominum Cardinalem Ponentem huiusmodi controversia super novo dubio, videlicet: An sit standum, vel recedendum a Decisis?

S. eadem R. C., scripto pariter et voce utraque parte hinc inde informante iterum audita, et ex noviter deductis, rescripsit: « In decisis; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 22 Decembris 1770.

2491. MELITEN. (4356)

Inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Meliten. ex una, et Petrum Antonium de Amico Inguanes Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ex altera partibus, exorta controversia super loco quo dictus Archidiaconus, Pontificalibus assistens, debeat sumere sacra paramenta iisque sese induere: illaque ad S. R. C. delata, infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo Dom. Cardinali Boschi concordatum, decidendum propositum fuit, nempe:

An Archidiaconus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Meliten., assistens tamquam Presbyter Episcopo in Pontificalibus, valeat se induere et exuere sacris paramentis super Solio in loco proprii scamni; vel potius descendere debeat ad immediatum gradum?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 17 Augusti 1771.

2492. ORDINIS (4357)
EREMITARUM EXCALCEATORUM
S. AUGUSTINI
PROVINCIAE MEDIOLANEN.

Director Calendarii Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum Provinciae Mediolanensis apud S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentis dubii, videlicet: (1)

In Missa Officii commemorationis omnium Sanctorum, quorum Reliquiae in propriis Ecclesiis asservantur, aliquibus Congregationibus concessi, quaeritur, quo colore uti debeat albone vel rubeo?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Alexandri Albani Ponentis, respondendum censuit:

(1) E. Dub. 1, 2 et 3.

« Adhibendum esse colorem rubeum ». Et ita declaravit. Die 17 Augusti 1771.

2493. MELITEN. (4359)
GENUFLEXIONIS.

Ad dirimendas nonnullas obortas controversias inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Melitensis et Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum S. Pauli Oppidi Vallettae ac S. Helenae Imperatricis, super genuflexione facienda Episcopo, quoad Canonicos praedictos, Emus et Rmus Dom. Card. Boschi Ponens infrascripta dubia inter partes concordata, decidenda proposuit, nempe:

1. An in functionibus aliisque casibus, in quibus Episcopus privatim adstat et pontificaliter non indutus, Dignitates et Canonici insignis Ecclesiae Collegiatae S. Pauli ante ipsum transeuntes debeant eidem genuflectere; vel tantum caput et humeros profunde inclinare?

2. An Dignitates et Canonici Collegiatae S. Helenae Imperatricis in functionibus ecclesiasticis, quoties transeunt ante Episcopum, debeant genuflectere; vel tantum caput et humeros profunde inclinare?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Providebitur in casibus particularibus ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 16 Maii 1772.

Mox autem Capitulum et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Pauli et Promotor Fiscalis Curiae episcopalis infrascripta dubia, Ponente supralaudato Emo Boschi, apud S. R. C. decidenda proposuerunt, nempe:

1. An occasione Processionis, quae fieri solet in die Festo S. Gregorii, praedicti Canonici transeuntes ante Episcopum debeant eidem genuflectere?

2. An suspensio ab Episcopo indicta sustineatur in casu?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: Ad 1 et 2. « Negative; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 16 Maii 1772.

Postmodum Capitulum et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Helenae Imperatricis et Promotor Fiscalis Curiae episcopalis, eodem Emo Boschi Ponente, dubium infrascriptum decidendum a S. R. C. proposuerunt, nempe:

An occasione Processionis, quae fieri solet in die Festo S. Gregorii, Dignitates et Canonici praedicti transeuntes ante Episcopum debeant eidem Episcopo genuflectere?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative; et amplius ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 16 Maii 1772.

2494. ORDINIS (4361)
CARMELITARUM EXCALCEATORUM
PROVINCIAE POLONIAE.

Cum P. Ioanni Iosepho a B. M. V. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Regni Poloniae nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas, apud S. R. C. humillime supplicatum fuit quatenus benigne ea resolvere dignaretur; videlicet:

1. Cum ob occurrentiam Officiorum Patronorum Regni Poloniae ex indulto concessorum contingat assignari dies propria Officiis perpetuo translatis; quaeritur: An debeant moveri ex suis locis propriis, assignatis in Calendario Ordinis, Officia illa, quibus assignati sunt dies proprii, et iuxta antiquitatem assignandae sint aliae dies; vel potius, relicto Calendario Ordinis, assignari debeant post illos aliae dies Officiis perpetuo translatis, iuxta Calendarium particulare Provinciae?

2. Ecclesia Cathedralis Cracoviensis ab antiquo erat sub titulo S. Wenceslai Martyris, nunc manet sub titulo S. Stanislai Episcopi et Martyris. Huius autem Festum maxima cum celebritate et totius populi concursu veneratur, et Officium sub ritu dupl. primae classis etiam a Regularibus recitatur: Officium vero S. Wenceslai Martyris sub ritu dupl. 1. classis in Cathedrali Ecclesia dicitur, sine tamen celebritate quoad populum. Hinc quaeritur: An Regularibus sufficiat recitare Officium S. Stanislai sub ritu dupl. 1. classis uti Patroni principalis et titularis Ecclesiae Cathedralis, et Officium S. Wenceslai sub ritu dupl. min. ut Patroni minus principalis?

3. Cum ex indulto concessum sit semel in mense Officium SSmi Nominis Mariae et singulis Sabbatis Officium de Conceptione B. M. V., quaeritur: An Missa celebrari de-

beat de Festo SSmi Nominis Mariae et similiter de Conceptione; vel potius sumenda sit de quinque votivis assignatis pro diversitate temporis? (1)

4. Cum in Festis duplicibus primae classis non possit cantari Missa solemnis votiva, etiam ad invocandum Spiritum Sanctum pro felici successu Comitiorum generalium vel Capituli; quaeritur: An tunc addi possit Collecta de Spiritu Sancto sub unica conclusione?

5. Cum in aliquibus Dioecesibus Regni Poloniae et Ducatus Lithuaniae ex indulto Apostolico transferantur Festa quoad populum in Dominicas, mensibus Iulio, Augusto et Septembri; quaeritur: An de praedictis Festivitatibus cantari possit ad populum de dictis Festis Missa solemnis?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam, loco Emi et Rmi Cardinalis Albani Episcopi Portuensis Ponentis, censuit rescribendum:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam; mutato tamen Graduali in Adventu, et addito Tractu a Septuagesima usque ad totam Quadragesimam ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative, non omissa Missa Conventuali de Festo occurrente ».

Et ita declaravit. Die 27 Martii 1773.

2495. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA. (4364)

Cum alias ad preces P. Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Torregiani, indulserit, ut in omnibus Ecclesiis dicti Ordinis singulis Sabbatis per annum, exceptis privilegiatis ac Festis duplicibus primae et secundae classis, celebrari posset Missa votiva de Conceptione B. M. V., non omissa tamen Missa Conventuali cum cantu de Festo vel Feria occurrente; nuper idem Pater Minister Generalis humillime supplicavit pro declaratione sequentis dubii: An per supradictum indultum inducta fuerit obligatio Missam Conventualem canendi, etiam in iis Ecclesiis ubi dicta obligatio non adest?

Et S. R. C., referente eodem Emo Domino Cardinali Torregiani, benigne rescripsit: « Gratiam concessam nullam inducere obligationem cantandi Missam Conventualem, ubi ea obligatio non sit nec esse debeat, iuxta Constitutiones Apostolicas ». Die 19 Iunii 1773.

2496. CONCHEN. (4367)

Cum Presbyter Thomas Saix Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Conchensis in Hispaniis apud S. R. C. humillime exposuerit, per totam Dioecesim Conchensem Festum S. Eliae Prophetae cum Officio et Missa sub ritu duplici, die 6 Martii a Rmo Ordinario designata, quotannis celebrari; haec vero dies aliquando occurrat cum Sabbato quatuor Temporum post Dominicam primam Quadragesimae, et Evangelium praedicti Festi sit unum cum Evangelio Feriae currentis, nempe: *Assumpsit Iesus etc.* de Transfiguratione; eidem S. C. humillime supplicavit, quatenus declarare dignaretur sequens infrascriptum dubium, videlicet: An in tali occurrentia tres Lectiones III Nocturni dicendae sint de Festo sine IX Lectione Feriae, vel dicenda sit IX lectio Feriae, non obstante quod idem sit Evangelium sed Homilia distincta; vel tres Lectiones dicendae sint de Feria, ut accidit in Festo Expectationis Partus B. M. V. die 18 Decembris, quando occurrit in Feria IV quatuor Temporum; vel demum sit sumendum pro S. Elia aliud Evangelium de aliquo Communi, et tunc quale Commune illi respondeat?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem infrascripti Secretarii, loco Emi et Rmi D. Card. Albani Episcopi Portuensis Ponentis, rescribendum censuit: « Quando sexta dies Martii cadat in Sabbatum quatuor Temporum vernalium una cum Officio S. Eliae, non est in fine Missae legendum Evangelium Feriae, quod idem est ac Evangelium Festi; sed in Laudibus sicuti et in Missa habebitur eius commemoratio cum sua antiphona, versiculo et Oratione, omissa quidem eius Homilia pro IX Lectione ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 4 Septembris 1773.

(1) E Dub. 4, 5, 6, 8, 9, 10, 12 et 13.

2497. FESULANA. (4369)

Cum Directori Calendarii Rmi Episcopi Fesulani occurrerit dubium in eiusdem Calendarii constructione, apud S. R. C. humillime supplicavit, quatenus declarare dignaretur: Quinam color sit adhibendus in Officio et Missa S. Eliae Prophetae?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit: « Adhibendum esse colorem album ». Et ita declaravit. Die 11 Decembris 1773.

2498. MAZARIEN. (4370)

Ex parte Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Collegiatae S. Petri Drepani Dioecesis Mazarien. apud S. R. C. supplicatum fuit pro declaratione sequentium dubiorum:

1. An simplex Clericus, qui obtinuit Canonicatum in eadem Ecclesia Collegiata cui adnexus est titulus Thesaurarii, et proinde pro tertia dignitate in praedicta Ecclesia habetur, praecedere debeat tam in Choro quam in Processionibus aliis Canonicis Presbyteratus Ordine insignitis, et locum suae Dignitati proprium obtinere ac servare?

2. An diebus, quibus prima Dignitas solemniter Officium peragit, absente a Choro secunda Dignitate, possit praedictus Canonicus tantummodo Clericus, uti tertia Dignitas, benedictionem ad IX Lectionem impertiri?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Abstineat ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Decembris 1773.

2499. URBIS ET ORBIS. (4372)

Ad aures Sacrae Rituum Congregationis delatum est, in nonnullis Monialium publicis Ecclesiis, tum extra, tum quandoque intra almam hanc Urbem existentibus, sensim irrepsisse abusum, ut SSmo Eucharistiae Sacramento in earumdem Monialium Ecclesiis fidelium venerationi exposito, antequam illius fiat depositio et confluenti populo cum illo benedictionem Sacerdos de more concedat, idem Sacerdos primum ac separatim benedicat Monialibus in interiori earumdem Choro sive Oratorio post Altare vel alibi genuflexis; et deinde populo in publica Ecclesia adstanti.

S. eadem R. C., referente me infrascripto Secretario loco Celsitudinis Regiae Emi et Rmi Dom. Card. Ducis Eboracensis Ponentis: « Ad hanc reprehensibilem et a sacris ritibus atque Ecclesiae praxi deviam consuetudinem radicitus convellendam, praesenti Generali Decreto districte prohibet illam in posterum observari, etiamsi diuturno et immemorabili tempore atque usu convaluerit; ac praecipit, ut Sacerdos sacram illam exercens functionem in quibusvis Ecclesiis Monialium ubique locorum erectis, cuiusvis sint Ordinis et Instituti (omissa speciali ac separata Monialium benedictione) unicam tantum cum eodem SSmo Sacramento benedictionem interessenti populo impertiatur ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 11 Decembris 1773.

Factaque deinde per me Secretarium de praedictis SSmo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua praefatum Sacrae Congregationis Generale Decretum confirmavit, et ubique exequutioni dandum esse praecepit. Die 18 eiusdem Mensis Decembris et Anni 1773.

2500. DERTONEN. (4373)
PRAECEDENTIAE.

Ad definiendas nonnullas controversias exortas inter Congregationem seu unionem Presbyterorum Secularium sub invocatione Sanctorum Ioannis et Pauli Oppidi Novarum Dioecesis Dertonensis ex una, atque Regulares praefati Oppidi ex altera partibus, super iure praecedendi in associatione cadaverum, illis nunc ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus Dom. Card. Boschi Ponens infrascriptum dubium decidendum proposuit, nempe: An Congregationi seu unioni Presbyterorum Secularium sub invocatione Sanctorum Ioannis et Pauli Oppidi Novarum in associatione cadaverum aliisque functionibus ecclesiasticis competat praecedentia supra Regulares?

Et S. R. C., habita prius Rmi Episcopi informatione, ac visis iuribus Congregationis seu unionis Presbyterorum Secularium, auditoque eius Procuratore voce et scripto informante, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative, iuxta Decretum in Imolen. 13 Augusti 1719 ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Martii 1774.

2501. CONCHEN. (4374)

Cum in Calendario Dioecesis Conchensis pro anno 1773 edito adnotatum fuisset

coetum Parochorum et Beneficiatorum non posse sese conformare in recitatione Officiorum illorum Sanctorum, etiam alienigenarum, quorum Corpora aut notabiles Reliquiae in dicta Cathedrali asservantur: idem Parochorum et Beneficiatorum coetus penes S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentis dubii, videlicet: An coetui Parochorum et Beneficiatorum Parochiarum Civitatis Conchensis liceat continuare in recitatione Officiorum de Sanctis, etiam alienigenis, quorum Corpora seu notabiles Reliquiae in Cathedrali asservantur, in casu de quo agitur?

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Card. Boschi Ponentis, re mature discussa, respondendum censuit: « Affirmative ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 15 Martii 1774.

2502. ELVEN. (4375)

Ad humillimas preces Confratrum Confraternitatis, vulgo *Irmandade* animarum Purgatorii, erectae in Ecclesia S. Laurentii Civitatis Elven., quibus supplicatum fuit apud S. R. C., ut Feria secunda immediate sequenti Dominicam infra octavam Omnium Sanctorum, in qua iidem Confratres quotannis Officium defunctorum pro animabus Purgatorii solemniter recitare consuescunt, facultas iisdem facta sit celebrari faciendi in eadem Ecclesia Missam solemnem de Requiem, etiam si praedicta dies Festo duplici sit impedita;

S. R. C., habita prius Rmi Dom. Episcopi informatione, ad relationem Emi et Rmi Card. Corsini Ponentis, rescribendum censuit: « Pro gratia celebrandi unicam Missam solemnem, servatis Rubricis quoad alias Missas ». Die 15 Martii 1774.

2503. URBIS (4378)
SEU MINORUM OBSERVANTIAE
S. FRANCISCI.

Cum Patri Vicario Chori Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Conventus Aracoelitani Urbis nonnulla occurrerint dubia circa Rubricas super Officiorum et Missarum celebratione, apud S. R. C. humillime ipse supplicavit, quatenus ea benigne declarare dignaretur: (1)

1. An, dum per solam commemorationem anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam in Sabbato ante Septuagesimam, qua occurrat Festum novem Lectionum, non habens Lectiones primi Nocturni proprias vel de communi assignatas, legi debeant illae de Sabbato occurrente; vel potius, istis omissis vel praecedenter lectis, si sint de Initio alicuius Epistolae, legendum sit Epistolae Divi Pauli Initium assignatum illi Dominicae, cuius Officium per commemorationem anticipatur?

2. An, occurrente Festo Confessoris non Pontificis infra octavam alterius Festi pariter Confessoris non Pontificis, pro commemoratione octavae in Laudibus, desumenda sit Antiphona ex secundis; vel potius ex primis Vesperis?

3. An Missa votiva de Conceptione B. M. V., quae ex indulto S. R. C. in singulis Sabbatis per annum, exceptis privilegiatis et impeditis Festo dupl. primae et secundae classis, canitur in omnibus Ecclesiis nostri Ordinis Seraphici, cani possit cum *Credo* et unica Oratione; vel cani debeat sine *Credo* et cum secunda Oratione de Officio currenti atque tertia de Spiritu Sancto, nisi occurrat simplex aut alia commemoratio; vel demum cum secunda Oratione de Spiritu Sancto et tertia *Ecclesiae* vel pro Papa, ubi de Officio occurrente cantata aut saltem lecta fuerit Missa Conventualis?

4. An ex sensu Rubricae positae in Breviario in Festo S. Marci et in Feria secunda, tertia et quarta post Dominicam quintam Paschae, recte inferatur quod Litaniae Sanctorum de praecepto recitandae in eodem Festo S. Marci et in triduo Rogationum anticipari possint, atque recitari post Matutinum et Laudes die antecedenti, ab iis qui Processioni sequentis diei non interveniunt?

5. An, attentis Apostolicis et S. R. C. Decretis, liceat Sacerdoti celebrare Missam privatam Feria V in Coena Domini, sive etiam solemnem in illa Ecclesia ubi non reponitur nec asservatur SSmum Sacramentum in aliquo Altari vel alio loco decenti, vulgo dicto *il Sepolcro?*

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Torregiani Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Legendas esse Lectiones de Dominica anticipata, dummodo in eodem Sabbato non occurrat Initium alterius Epistolae Sancti Pauli ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 12, 13, 14 et 18.

Ad 3. « Negative ad primam partem; Affirmative, quoad secundam; et quoad tertiam, serventur Rubricae ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Non licere, et Sacerdos se abstineat ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 28 Martii 1775.

2504. ORDINIS (4379)
MINORUM OBSERVANTIUM
S. FRANCISCI
PROVINCIAE MINORIS POLONIAE.

Porrecto penes S. R. C., nomine Fr. Augustini Motuski Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Provinciae Minoris Poloniae Ministri Provincialis, supplici libello pro resolutione sequentis dubii, nempe:

An Diaconus, in Ordine tantum Diaconatus constitutus, extra casum necessitatis possit distribuere fidelibus Communionem?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris super dicto dubio ab eodem exarato, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Marefuschi Ponentis, rescribendum censuit: « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 25 Februarii 1777.

2505. BITECTEN. (4381)

Rmus hodiernus Episcopus Bitectensis penes S. R. C. humiliter exposuit, quod iuxta Caeremonialis Episcoporum dispositionem et Decretum eiusdem S. C., Canonici Ecclesiarum Cathedralium die Festo SS. Corporis Christi, celebrante Episcopo, Processionemque peragente vel non, tenentur sacris vestibus indui. At cum nonnulli Canonici, quibus, absente vel impedito Episcopo, easdem functiones peragendi munus incumbit, choralibus tantum vestibus per consuetudinem inductam uti posse praetendunt; idem Rmus Episcopus ad dirimendas huiusmodi controversias eidem S. C. pro decisione recursum habuit.

Et S. R. C., referente infrascripto Secretario, rescribendum censuit: « Servetur Decretum iam die 27 Martii 1628, in una Caietana editum ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Iulii 1777.

2506. VASIONEN. (4383)
PRAEEMINENTIARUM.

Exortis inter Archidiaconum, Praepositum, Sacristam et Praecentorem Ecclesiae Cathedralis Vasionensis atque Canonicos dictae Ecclesiae Cathedralis controversiis, super praeeminentiis et iuribus, quae sunt in praedicta Ecclesia pro Sacris Divinisque peragendis, nec non ecclesiasticis muneribus obeundis; illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta dubia, coram Emo et Rmo D. Cardinali Marefusco Ponente concordata, proposita fuerunt, nempe:

1. An, et in quibus Festivitatibus ac ecclesiasticis functionibus assumi debeant nobiliora sacra Celebrantium indumenta et Altaris respective pretiosiora ornamenta?

2. An, et quo numero candelae apponendae sint in Altari, et quae respective candelae accendi debeant, dum divina Officia et Missae solemnes celebrantur tam in Festivitatibus primae et secundae classis, quam in diebus Dominicis et aliis Festis?

3. An in Festivitatibus primae classis assumere liceat quatuor pluvialia, et respective in Festivitatibus secundae classis duo, dum Officia divina solemniter celebrantur?

4. An liceat Archidiacono, Praeposito, Sacristae et Praecentori solemniter celebrantibus meliora assumere pluvialia, quam in solemnitatibus celebrari solitis a Canonicis? (1)

5. An liceat Canonicis celebrare solemniter divina Officia in Festivitatibus secundae classis?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Indumenta sacra nobiliora Celebrantium et Altaris pretiosiora ornamenta esse assumenda in Festivitatibus primae classis et functionibus solemnioribus ad normam Caeremonialis, exclusis tamen a solemnioribus diebus expositione Sanctissimi occasione Orationis Quadraginta Horarum et octava Sanctissimi Corporis Christi ».

Ad 2. « Respondendum, iuxta votum Episcopi ».

Ad 3. « Licere, servata proportione in Festis secundae classis, ad normam Caeremonialis; et quoad executionem, arbitrio et prudentiae Episcopi, attentis peculiaribus circumstantiis ».

(1) E. Dub. 5.

Ad 4. « Provisum in tertio ».

Ad 5. « Servetur distributio Festorum, iuxta statuta Ecclesiae; in reliquis provisum in tertio ».

Et ita Emi Patres unanimi suffragio censuerunt, declararunt et servari mandarunt. Die 12 Iulii 1777.

2507. VASIONEN. (4384)
PRAEEMINENTIARUM.

Super exequutione resolutionum datarum sub die 12 Iulii 1777, inter Dignitates seu Personatus et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Vasionen., Ponente Emo et Rmo Dom. Card. Marefusco S. R. C. Praefecto responsum fuit: « Ad mentem »; et mens est: « ut exequantur resolutiones, iuxta instructionem dandam ab Emo Praefecto, audito aliquo ex Magistris Caeremoniarum, et transmittendam ad Episcopum pro omnimoda executione, etiam quoad praetensam exclusionem Canonicorum ab assistentia propria Ministrorum cum paramentis seu pluvialibus; et amplius ». Die 3 Iulii 1779.

Pro exequutione quidem huius rescripti rogatus fuit alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, qui suum votum confecit. Partes tamen non acquieverunt, sed novam audientiam postularunt in Congregatione ordinaria, in qua remissum fuit negotium Emo et Rmo Dom. Card. Praefecto qui una cum R. P. D. Promotore Fidei, auditis partibus, rem componeret; veluti patet ex sequentibus resolutionibus ad Episcopum transmittendis.

Primum, quod propositum fuerat dubium, versabatur circa Festivitates atque Functiones in quibus assumi debent nobiliora sacra Celebrantium indumenta, et Altaris respective pretiosiora ornamenta: id fieri oportere edixerat S. C. in Festivitatibus primae classis et Functionibus solemnioribus, ad normam Caeremonialis etc. Sed ne in posterum ulla supersit dissidii occasio, iuxta eiusdem S. C. mentem duximus declarandum, utraque consentiente parte: *Solemnioribus Festivitatibus ad hunc effectum adnumerari Nativitatem S. Ioannis Baptistae, Festos dies qui Paschatem et Pentecosten subsequuntur; solemnioribus vero functionibus Missam Feriae V in Coena Domini; item Missam et Vesperas, tam Sabbati Sancti quam alterius qui Pentecosten praecedit.* Hoc tamen habito discrimine, quod in solemnioribus Festivitatibus, indumenta et ornamenta aeque pretiosa assumantur; in praefatis vero functionibus etiam minus pretiosa assumi possint, quoties in Cathedrali Vasionensi sacra suppellectilia magis vel minus pretiosa non desint. Inter solemniores vero Festivitates non est recensenda illa, qua memoria recolitur S. Ceciliae Virginis et Martyris.

Nihil occurrit addendum vel declarandum quoad alterum dubium de numero candelabrorum, cui satis provide consultum fuit. Idcirco S. C. respondit: Iuxta votum Rmi Episcopi, quod inviolabiliter servandum est; partes autem erunt solicitudinis et vigilantiae tuae sedulo prospicere, ne quid fiat, quod a recto ordine absit et scandalum pariat.

Rescripserat S. C. dubio, quod tertio loco propositum fuerat, licere, attentis peculiaribus Ecclesiae circumstantiis, quatuor assumere pluvialia in Festivitatibus primae classis, duo in aliis secundae classis, observata proportione ad normam Caeremonialis. Quum autem proportio haec omnino servanda sit, decernimus et declaramus iuxta dispositionem Caeremonialis (quatenus Cathedralis Vasionensis sufficienti numero Ministrorum instructa sit et sacra indumenta habeat unius eiusdemque coloris, prout Rubricae exigunt, in diversitate Festorum) quatuor a Ministris assumenda esse pluvialia in Festis solemnioribus, scilicet Natali D.N.I.C., Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, nec non in Festis Corporis Christi, S. Ioseph Sponsi B. M. V., Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, S. Titularis Ecclesiae, S. Patroni Civitatis et Ecclesiae Dedicationis: duo vero pluvialia adhibenda esse in aliis Festis immediate sequentibus diem Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes; item in Festis Circumcisionis Domini, Purificationis et Nativitatis B. M. V., SS. Trinitatis et S. Ioannis Baptistae: tandem in Dominicis aliisque Festis unum tantum pluviale erit adhibendum a Celebrante, aut Dignitas sit aut Canonicus aut Hebdomadarius. Ita decernimus et declaramus, ut ea servetur proportio, quam requirit Caeremoniale Episcoporum; quae sane proportio tenenda est, nullo habito discrimine inter celebrantium personas, cum eadem numero pluvialia, eadem pretiosa aut pretiosiora indumenta assumenda sint, prout exigunt Festi dies qui recurrunt, sive cum Dignitas sive cum Canonicus, iuxta Ecclesiae Vasionensis ordinem, consuetudinem atque statuta, sacra

peragere debeat. Qua declaratione etiam quarto dubio satis superque provisum est.

Et quamvis clara sit resolutio relate ad aliud quod superest dubium, ita ut omnino servanda sint Decreta quae prodierunt; maioris tamen claritatis ergo, iuxta S. C. mentem, decernimus in distributione Festorum servanda esse statuta Vasionensis Ecclesiae, habita ratione consuetudinis, quae usque modo obtinuit, ita ut a consuetudine ratio explicandi hac in parte statuta petenda sit.

Tandem quoad quaestionem alteram, cuius ne mentio quidem fiebat, cum primum quinque dubia fuerunt concordata, et in S. C. proposita: num scilicet Festa quae iuxta Rubricas transferenda sunt, debeant cum eadem solemnitate celebrari, quae in statutis praescriptisque diebus fuisset adhibita; consuetudinem pariter, quae hactenus servata fuit, in posterum tenendam esse declaramus.

Hae sunt resolutiones et declarationes iuxta S. C. mentem inviolabiliter servandae. Reliquum modo est, ut Amplitudinem Tuam cui easdem exequendas committimus, moneamus, ut in spiritu lenitatis, quemadmodum Episcopum decet, Dignitates atque Canonicos ad concordiam et pacem vocare studeas, et ad omnimodam exequutionem Decretorum S. C. iuxta praefatas explanationes adhorteris atque compellas, prout Te in Domino facturum confidimus. Diu felix et incolumis vivas.

2508. CIVITATIS CASTELLANAE. (4386) PRAEEMINENTIARUM.

Relata in S. R. C. per Emum et Rmum Dom. Card. Corsini Episcopum Sabinensem Ponentem causa Civitatis Castellanae Praeeminentiarum inter Ioannem Antonium Rossetti Archipresbyterum Ecclesiae S. Andreae Terrae Vallerani ex una, et Victorem Parchiaroni Parochum Ecclesiae S. Victoris ac Hieronymum Ianni Sacristam Ecclesiae Beatae Mariae Virginis *del Ruscello* eiusdem Terrae ex altera partibus, infrascipta dubia, inter easdem partes concordata, idem Eminentissimus Dominus Cardinalis Ponens decidenda proposuit, nempe:

1. An, et de qua matricitate constet Ven. Ecclesiae sub titulo S. Andreae Vallerani?

2. An illius Parocho seu Archipresbytero ius competat faciendi Processiones, tam de praecepto quam votivas, in honorem Sanctorum, quorum celebratur Festum in dicta Terra Vallerani?

3. An consimiliter eidem Parocho S. Andreae competat ius praeeminentiarum in omnibus functionibus, tam publicis quam privatis, super Clerum et Sacerdotes dictae Terrae?

4. An liceat eidem ingredi alteram Ecclesiam parochialem S. Victoris et alias quascumque, sitas extra districtum suae Paroeciae, cum Stola et Cruce elevata?

5. An pariter eidem Parocho liceat, tam in associatione cadaverum quam etiam in aliis functionibus, ingredi cum Stola et Cruce elevata Ven. Ecclesiam B. M. V. *del Ruscello* eiusdem Terrae?

6. An dicto Parocho S. Andreae et Clero sint assignanda alia signa praeeminentialia, et signanter receptio cum honore facienda a Presbyteris eidem Ecclesiae B. Virginis *del Ruscello* inservientibus, primi accubitus in Choro, celebratio divinorum Officiorum ac etiam Missae canendae pro defunctis, occasione asportationis cadaverum?

7. An constet de attentatis, et quomodo sint purganda?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem Emi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Constare de matricitate impropria tantum; et amplius ».

Ad 2. « Quoad Processiones generales et alias, in quibus convenit totus Clerus, Affirmative; iuxta solitum: quoad vero Processionem Corporis Christi, servetur transactio. In reliquis Processionibus particularibus Ecclesiae S. Victoris, Negative; et amplius ».

Ad 3. « Affirmative, in illis functionibus quibus intervenit totus Clerus; et amplius ».

Ad 4. « Affirmative, in Processionibus atque functionibus publicis, duci et celebrari solitis cum interventu totius Cleri; in reliquis, Negative; et amplius ».

Ad 5. « Provisum in antecedenti; et amplius ».

Ad 6. « Quoad receptionem in Processionibus publicis, de quibus supra, servetur Caeremoniale; in reliquis, Negative ».

Ad 7. « Affirmative, per viam nullitatis ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 27 Ianuarii 1778.

2509. COMPOSTELLANA. (4387)

Cum Sacerdotibus Secularibus Portionariis nuncupatis Collegii S. Spiritus Civitatis Compostellae nonnulla occurrerint du-

bia; humillime penes S. R. C. supplicarunt, quatenus ea benigne decernere dignaretur:

1. An, ubi prima Dominica singulorum mensium, in qua facienda est solemnis expositio SSmi Sacramenti, fuerit privilegiata primae vel secundae classis, cantanda sit Missa de SS. Sacramento; vel potius de Dominica privilegiata primae vel secundae classis cum oratione sub unica conclusione de SSmo Sacramento? et quatenus negative ad primam partem,

2. Quaeritur quibus vestibus et paramentis uti debeant Ministri Sacri?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, ad infrascripti Secretarii relationem, loco Emi et Rmi Dom. Cardinalis Calini Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Et ita declaravit. Die 27 Ianuarii 1778.

2510. ASSISIEN. (4388)

In Ecclesia Archipresbyterali Terrae Bectonensis Dioecesis Assisien. religiose colitur quaedam Imago S. Annae Matris B. M. V., cuius Icon non exiguae magnitudinis inhaeret Altari erecto in angulo illius Ecclesiae, ad sacras inibi functiones peragendas nimis incommodo; propterea modernus Archipresbyter dictae Ecclesiae, cupiens non modo suae sed totius populi devotioni obsequi, apud S. R. C. humillime supplicavit pro facultate erigendi in medio eiusdem Ecclesiae Altare ligneum cum ara lapidea, ibique praefatam Iconem aptandi, et Sacrum inibi faciendi per quoscumque Sacerdotes, tam in die Festo eiusdem S. Annae quam per praecedens novemdiale aliisque temporum circumstantiis, ad auxilium dictae Sanctae publice implorandum, etiam per triduum aliquod celebrandum.

Et S. R. C., habita prius Rmi Episcopi informatione, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Boschi Ponentis, rescribendum censuit: « Arbitrio Ordinarii, pro diebus et occasionibus ab eo indicatis dumtaxat; dummodo, perpensis omnibus, absit periculum cuiuscumque scandali aut irreverentiae; alias collocari mandet in Altari maiori sive alio stabili eiusdem Ecclesiae ». Die 23 Maii 1778.

2511. BONONIEN. (4389)

Exortis controversiis super praecedentia in Processione SS. Corporis Christi, quae fieri solet in Civitate Bononiae infra octavam eiusdem, inter Clerum Secularem dictae Civitatis ex una, et Monachos Cassinenses S. Proculi praedictae Civitatis ex altera partibus, illisque ad S. R. C. delatis; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Archintus Ponens infrascriptum dubium decidendum proposuit: An, et cui competat praecedentia in casu?

Et S. R. C., habita prius Emi et Rmi Domini Cardinalis Archiepiscopi informatione, auditoque Cleri Secularis Procuratore, eiusque iuribus scripto et voce tantum visis, cum pars altera non comparuerit, ad relationem praefati Eminentissimi Ponentis, rescribendum censuit: « Praecedentiam competere Clero Seculari ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 23 Maii 1778.

2512. ASCULANA. (4390)

Exortis inter Parochos Seculares Civitatis Asculi ex una, et Monasterium seu P. Vicarium S. Angeli Magni Congregationis Olivetanae dictae Civitatis ex altera partibus, controversiis super delatione Caputii in functionibus ecclesiasticis peragendis, illisque ad S. R. C. delatis; infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo D. Card. Marefusco Ponente concordatum, decidendum propositum fuit:

An liceat Parocho Ven. Monasterii S. Angeli Magni Congregationis Olivetanae Asculi deferre in ecclesiasticis suae Paroeciae vel aliis functionibus, super amictu vulgo *Cotta*, signum nuncupatum *Cappuccio*?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Ponentis, respondendum censuit: « Negative; et amplius ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1778.

2513. NUCERIAE PAGANORUM. (4392)

Cum in Ecclesia Collegiata S. Ioannis Baptistae Terrae Angriae Dioecesis Nuceriae Paganorum inducta fuerit consuetudo, qua prima Feria II cuiuslibet mensis, in suffragium defunctorum confratrum et sororum Congregationis sub titulo S. Caietani erectae, celebratur funus, cui additur expositio SSmi Sacramenti, coram quo ante suppedaneum Altaris erigitur tumulus mortuorum, accensis luminibus circumdatus; ac durante interim dicta Augustissimi Sacramenti expositione, a Canonicis in Choro Officium defunctorum cantatur, pulsantur campanae ad moestitiam

excitandam; absolutis deinde Laudibus in Choro, statim in praedicta Cappella, exposito pariter SSm̃o Sacramento, canitur Missa propria illius diei in paramentis albis; eaque absoluta, Celebrans dat populo solemnem SSm̃i Sacramenti benedictionem; Ioannes Adinolfi memoratae Ecclesiae Canonicus penes S. R. C. humillime supplicavit, ut dignaretur resolvere: An talis consuetudo sustineri possit?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato et typis evulgato, ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit: « Assertam consuetudinem, tamquam Rubricis et Ecclesiae ritibus contrariam, sustineri non posse; mandavitque, ut Episcopus eamdem omnino aboleri curet ». Et ita declaravit. Die 27 Martii 1779.

2514. ORDINIS MINORUM (4393) OBSERVANTIUM REFORMATORUM S. FRANCISCI.

Cum Patri Bonifacio a Brixia Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Reformatorum Directori Calendarii dicti sui universi Ordinis nonnulla occurrerint dubia in Calendarii constructione; apud S. R. C. idem supplicavit, ut sequentia dubia benigne resolvere dignaretur, nempe: (1)

1. An Sacerdos cantaturus Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, indutus Stola et pluviali, accedere debeat ad Superiorem gestantem habitum quotidianum, eique naviculam ministrare pro impositione incensi et genuflexus ab eo benedictionem petere pro annuntianda eadem Nativitate; vel potius idem Sacerdos imponere debeat incensum et annuntiare praefatam Nativitatem eiusdem Domini Nostri Iesu Christi absque ulla petitione benedictionis?

2. Cum aliquando transfertur Patrocinium B. M. V. ad diem 17 vel 19 Decembris, quo casu concurrit in primis aut secundis Vesperis cum Officio Expectationis Partus eiusdem B. M. V.; quaeritur: Quomodo in his casibus disponendae sint Vesperae?

3. Cum in pluribus locis, Hebdomada quinta Novembris, ob multitudinem Officiorum habentium Lectiones primi Nocturni proprias vel de Communi, saepe non remanent dies pro recitandis omnibus Initiis Prophetarum minorum, quamvis tria Initia uno die recitentur; quaeritur: An in casu omittenda sint Initia, quae locum habere non possunt; vel dicenda sint in Officio duplici maiori vel minori, habente Lectiones primi Nocturni proprias vel de Communi?

4. An Sacerdos pergens ad celebrandum et Calicem manu sinistra portans possit ad ianuam Sacristiae accipere aquam benedictam, eaque se signare?

5. An quando Rubricae mandant ut dicantur duo Missae Conventuales, nempe de Officio post Tertiam et de Feria post Nonam; Regulares, qui ad Missam de Feria non tenentur, possint eamdem celebrare privatim et sine assistentia Choristarum; vel potius necesse sit assistentia Communitatis Religiosorum ut Missa Conventualis dici possit?

6. An Praelati Regulares, etiam locales, possint ordinare Collectam dicendam in Missa a subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi?

7. An, quando in gratiarum actionem cantatur hymnus *Te Deum* coram SSm̃o Sacramento publice exposito, Clerus tam ad Altare quam in Choro debeat manere genuflexus; vel potius stare?

8. An commemoratio Sancti simplicis occurrentis in duplici secundae classis omitti debeat in Missa Conventuali non cantata, sed lecta a Communitate Religiosa?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Archinto Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti ».

Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 4. « Si commode fieri potest, se signet; sin minus, se abstineat ».

Ad 5. « Laudandos interessentes, sed non cogendos ».

Ad 6. « Non posse sine licentia Episcopi ».

Ad 7. « Standum esse ».

Ad 8. « Affirmative ».

Die 27 Martii 1779.

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 19 et 20.

2515. ORDINIS MINORUM (4395)
S. FRANCISCI
PROVINCIAE CONCEPTIONIS B. M. V.
IN REGNO LUSITANO.

Ex parte Directoris Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Conceptionis B. M. V. in Regno Lusitano apud S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione sequentium dubiorum, videlicet: (1)

1. An commemoratio SSmi Sacramenti ob eius expositionem in duplici primae vel secundae classis debeat uniri cum Oratione Missae sub unica conclusione, quando insimul concurrunt aliae commemorationes de praecepto aut de Feria maiore?

2. An Regulares, tam Celebrans quam Assistentes, in celebrandis Matutinis solemnibus possint uti pluviali a principio Officii?

3. An in Oratione et versiculis B. Francisci possit addi a Franciscanis: Beati Patris nostri?

4. An in adoratione Crucis Feria Sexta in Parasceve debeant Praelati Regulares, pontificalibus non utentes, praecedere suo subdito Celebranti; vel Celebrans primo loco adorationem peragere?

5. An thuriferario et acolythis minoribus permittenda sit sedes in Missa solemni, quando celebrans sedet cum Ministris? et quatenus affirmative: An tolerari possit illos sedere in gradibus Presbyterii?

6. An in Dominicis Quadragesimalibus et Paschalibus debeat recitari Praefatio de tempore respectivo, vel Praefatio Trinitatis?

7. An Diaconus et Subdiaconus, quando Celebrans facit reverentiam Cruci in Sacristia, debeant genuflectere; sicuti in Altari genuflectunt quando Celebrans Crucem salutat transeundo ante illam, et in accessu et recessu?

8. An in Missa Conventuali, absque Diacono et Subdiacono cantata, adsistentibus tantum thuriferario et ceroferariis, et praesente Clero seu Communitate, adhiberi possit thus tam in principio Missae quam in Evangelio et Offertorio?

9. An in Missa Solemni Clerus in Choro, quod exstat in loco superiori et ab Altari remoto, debeat incensari a thuriferario, postquam Diaconus Subdiaconum thurificavit?

10. An in impositione thuris debeant proferri verba *ab illo benedicaris,* quando imponitur incensum in thuribulo, ut videtur insinuari in Rubrica generali; vel dum efformatur signum Crucis, ut in Rubrica particulari, in qua Crucis effigies invenitur inserta in verbo *bene✠dicaris;* veluti etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi Crux manu describitur illo in verbo, ubi Crucis schema stat depictum?

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Boschi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Uniendam esse in fine aliarum commemorationum de praecepto ».

Ad 2. et 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « In Missa solemni, quando Celebrans et Ministri sacri sedent, possunt etiam in gradibus Presbyterii sedere acolythi, et etiam thuriferarius, quando non gerit vicem Caeremoniarii ».

Ad 6. « In Dominicis Quadragesimalibus et Paschalibus debet recitari Praefatio de tempore, non vero de SSma Trinitate ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Negative ».

Ad 9. « Si Chorus exstat intra ambitum et aream Ecclesiae, Affirmative; sin autem in loco, ad quem accedi nequeant, nisi exeundo ab Ecclesia, Negative ».

Ad 10. « Serventur Rubricae Generales Missalis Romani de Ritu servando in celebratione Missae Tit. IV. n. 4, et Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 23. § 1 et 2 ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 18 Decembris 1779.

2516. ORDINIS (4396)
S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS VALLISOLETANAE
IN HISPANIIS.

Porrecto penes S. R. C., nomine hodierni P. Generalis Ordinis S. Benedicti Congregationis Vallisoletanae in Hispaniis, supplici libello, quaeritur resolutio sequentis dubii:

An Ecclesiarum praefatae Congregationis certo non consecratarum, vel de quarum Consecratione dubitatur, Officium Dedicationis earum, ab immemorabili recitari et

(1) E Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 14 et 24.

celebrari consuetum, continuari possit? et quatenus negative, supplicatur pro gratia; ne fiat notabilis alteratio in celebratione divinorum Officiorum.

Et S. R. C., ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit: « Quoad Ecclesias certo non consecratas, Negative; et ad mentem »; mens autem est: « ut, quatenus constet de Consecratione Ecclesiae Monasterii primarii Congregationis Vallisoletanae, Officium de illius Dedicatione recitari possit in aliis Ecclesiis eiusdem Congregationis quae non habent seu habere nequeunt diem assignatam pro Officio propriae Dedicationis; quoad Ecclesias vero de quarum Consecratione dubitatur, stante asserta immemorabili consuetudine, nihil innovandum ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 22 Aprilis 1780.

2517. ORDINIS (4397)

S. PAULI PRIMI EREMITAE CONGREGATIONIS MONTIS OSSAE IN LUSITANIA.

Proposita fuerunt in S. R. C. ad instantiam P. Rectoris Generalis supradictae Congregationis infrascripta dubia, scilicet:

1. An licite continuari possit recitatio Officii et celebratio Missae Dedicationis Ecclesiarum praedictae Congregationis Montis Ossae in prima die Septembris per Capitulum Generale assignata? et quatenus negative,

2. An locus sit novae concessioni eiusdem Officii et Missae pro dicta die prima Septembris?

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Domino Cardinali Boschi Ponente, ac re mature perpensa, respondit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Pro gratia: quatenus constet de Consecratione saltem Ecclesiae Monasterii primarii totius Congregationis ».

Die 22 Aprilis 1780.

2518. FIRMANA (4399)

Porrectis in S. R. C. per Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Civitatis Firmanae humillimis precibus pro declaratione sequentis dubii:

An consuetudo exponendi Feria VI in Parasceve Sacratissimam Spinam Domini Nostri Iesu Christi, ante Missam Praesanctificatorum et consummationem SSmi Sacramenti, sit retinenda; vel potius eadem Sacra Reliquia sit proponenda venerationi fidelium, post peractam dictam Missam et consummatum SSmum Sacramentum?

Et S. R. C., habita prius Rmi Archiepiscopi informatione, auditoque prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Marefuschi Ponentis et Praefecti, rescribendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Et ita declaravit et servari mandavit. Die 29 Iulii 1780.

2519. MECHLINIEN. (4400)

Cum Emo et Rmo Dom. Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi nonnulla occurrerint dubia circa sacros ritus servandos in Consecrationibus Ecclesiarum, enixe S. R. C. rogavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur; videlicet:

1. An ieiunium in Pontificali Romano praescriptum iis a quibus consecratur Ecclesia, sit strictae obligationis; vel potius tantum de consilio?

2. An sit locale tantum, an personale; vel potius locale et personale simul?

3. An, si Ecclesia consecretur die feriali, Festum observandum sit in populo tali die, cum obligatione in huiusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi Sacrum?

4. An in loco consecrandae Ecclesiae Officium de Communi Dedicationis Ecclesiae sit celebrandum a primis Vesperis die praecedenti recitandis inclusive; vel potius dumtaxat inchoandum, finita Consecratione, scilicet in Vesperis subsequentibus?

5. An eo casu de Feria vel de Festo occurrente Vesperae, Matutinum ac aliae Horae praecedentes Consecrationem Ecclesiae recitandae sint?

6. An Pastor aut alius Sacerdos ruri, deficientibus aliis Ecclesiis, in ipsa Ecclesia consecranda summo mane celebrans pro populi commoditate die Consecrationis peragendae, Missam de Consecratione Ecclesiae celebrare valeat et teneatur? (1)

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinti Ponentis, rescribendum censuit:

(1) E. Dub. 7.

Ad 1. « Ieiunium in Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante, et pro iis tantum qui petunt sibi Ecclesiam consecrari ; idemque ieiunium indicendum esse die praecedente Consecrationi ad formam Rubricae Pontificalis ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 5. « Vesperas, Matutinum, Laudes et Horas, Consecrationem praecedentes, recitandas esse de Feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario ».

Ad 6. « Negative: Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiae, sed de Feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 29 Iulii 1780.

2520. ARETINA. (4404)

Porrecto in S. R. C., nomine Archipresbyteri Ecclesiae Collegiatae loci Traiani Dioecesis Aretinae, supplici libello pro resolutione sequentium dubiorum :

1. An in nocte Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi liceat cuicumque Sacerdoti ante auroram celebrare Missam privatam, absque indulto Sedis Apostolicae? et quatenus negative,

2. An contraria praxis ubi introduci vellet, vel iam esset introducta, declaranda sit abusus, et directe opposita legibus Ecclesiae ; ita ut per Episcopum sit abscindenda?

S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Vicecomitis, rescribendum censuit :

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Contrariam consuetudinem declarandam esse abusum et Episcopus curet ut abscindatur ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 18 Septembris 1781.

2521. ARETINA. (4406)

Cum Episcopus Aretinus exposuerit apud S. R. C. in sua Dioecesi adesse consuetudinem immemorabilem, occasione solemnium Processionum, celebrandi Missam hoc ritu, idest :

Accedit Sacerdos celebraturus ad Altare, dum Processio regreditur ad Ecclesiam, et procedit usque ad Offertorium, ut in Missa privata ; sistit vero usque adeo omnes de Choro ad proprium stallum pervenerint. Tunc accedunt ad Altare Diaconus et Subdiaconus, ut in Missa solemni; incensantur Oblata et Clerus more solito, dein canitur Praefatio. Post Consecrationem et Elevationem Calicis Diaconus et Subdiaconus omnesque de Clero recedunt; et Celebrans, ut in Missa privata, prosequitur ; propositum est infrascriptum dubium : An ista consuetudo immemorabilis sustinenda sit?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris typis evulgato, rescribendum censuit: « Negative in omnibus; consuetudinem non sustineri, et Episcopus curet quam primum eam abscindi ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 19 Februarii 1782.

2522. CIVITATIS CASTELLANAE (4407) PRAEEMINENTIARUM.

Habita inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae matricis S. Andreae Terrae Vallerani, et Rev. Dñum Victorem Parchiaroni Curatum Ven. Ecclesiae S. Victoris atque Rev. Dñum Hieronymum Ianni Sacristam alterius Ven. Ecclesiae B. M. V. de *Ruscellò* dictae Terrae Vallerani, controversia super dubiis:

1. An sit locus observationi concordiae anni 1754 initae inter Archipresbyterum S. Andreae et Curatum S. Victoris super Processione Corporis Christi ; vel potius Capitulo insignis Collegiatae et parochialis Ecclesiae competat privative ius faciendi dictam Processionem, tam in dicto die Festo quam in eius octava? et quatenus affirmative ad secundam partem,

2. An dicto Capitulo competat ius faciendi expositionem SSmi Sacramenti, cum interessentia Confraternitatis huius nominis et subministratione cerae ab ea facienda, quolibet die infra octavam supradicti Festi Corporis Christi?

3. An sit locus observationi alterius concordiae anno 1731 initae inter easdem partes super alternata celebratione ecclesiasticarum functionum infra annum?

4. An Capitulo insignis Collegiatae et parochialis S. Andreae competat privative ius faciendi Processionem SS. Sacramenti tertia Dominica cuiuslibet mensis? et quatenus affirmative,

5. An Confraternitas SS. Sacramenti teneatur interesse dictae Processioni cum baldachino et intortitiis pro Clero?

6. An exercitium bonae mortis fieri solitum Dominicis diebus ex instituto Confraternitatis Agonizantium erecta in dicta Collegiata Ecclesia S. Andreae, ibidem privative peragi debeat?

7. An Curatus et Coadiutor S. Victoris debeant abstinere a celebratione seu cantu choralium Officiorum et Missae Conventualis? et quatenus negative,

8. An dicto Curato et Coadiutori sint assignandae horae distinctae ab horario dictae Ecclesiae Collegiatae?

9. An totus Clerus Terrae Vallerani, et signanter supradictus Curatus et Coadiutor S. Victoris, atque Cappellani Ecclesiae B.M.V. de *Ruscello,* cogendi sint ad interessendum omnibus Processionibus publicis, quae privative fiunt ab Archipresbytero et Capitulo Ecclesiae Collegiatae?

10. An post Archipresbyterum spectent privative ad Praepositum, iisque absentibus vel impeditis, ad Canonicos dictae Collegiatae, omnia iura praeeminentialia, tum in Processionibus tum in aliis publicis functionibus, quae privative fiunt a dicto Archipresbytero et Capitulo?

11. An in Processionibus, quibus interveniunt Capitulum Collegiatae, Curatus et Coadiutor S. Victoris, nec non Sacrista et Cappellani B. M. V. de *Ruscello,* debeant omnes incedere, et in quo loco, et an sub Cruce Capituli?

12. An, et qui locus sit assignandus in aliis functionibus praedicto Curato, Sacristae et Cappellanis?

13. An immediate post Processiones, quae ducuntur ad Ecclesiam S. Victoris, tam die festo S. Antonii Patavini, quam die 5 Septembris, celebranda sit, et a quo, Missa solemnis?

14. An diebus festis Sanctorum et votivis celebrari solitis in Ecclesia S. Victoris, quibus intervenit Archipresbyter et Capitulum S. Andreae ad celebrandum divina Officia choralia et Missam solemnem, liceat Curato dictae Ecclesiae S. Victoris aliam Missam solemnem et alia Officia choralia, ante vel post interventum praedicti Capituli, celebrare? (1)

15. An, electa a fideli quodam Paroeciae S. Victoris sepultura in Ecclesia Collegiata, et recusante illius Curato levare atque associare cadaver, liceat Capitulo levare et deferre illud ad propriam Ecclesiam?

16. An Dignitatibus vel, iis impeditis, Canonicis, Missas et Vesperas solemniter ubicumque extra propriam Ecclesiam celebrantibus, competat ius habendi assistentes in officio Diaconi et Subdiaconi de gremio Capituli?

17. An Curato S. Victoris Terrae Vallerani liceat ducere Processiones particulares etiam extra portam Ecclesiae?

18. An Archipresbytero S. Andreae Terrae Vallerani liceat ducere Processiones particulares eiusdem Ecclesiae, extra ambitum suae Parochiae?

19. An concio, quadragesimalis vel tempore Adventus, tam diebus ferialis quam festivis, privative fieri debeat in dicta Ecclesia Collegiata?

A Sacra Rituum Congregatione responsum fuit, ut sequitur:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; quoad diem Festum tantum ».

Ad 2. « Affirmative, quoad expositionem SSmi Sacramenti, non tamen privative; et quoad Confraternitatem, utatur iure suo coram iudice competenti ».

Ad 3. « Negative; et Ecclesiam S. Victoris reintegrandam esse in primaeva iura ».

Ad 4. « Negative, et ad mentem » et mens est: « Processionem Dominicae III cuiusque mensis non spectare privative ad Ecclesiam S. Andreae, sed Ordinarium normam statuere, iuxta quam ab una vel ab alia Ecclesia Processio peragatur ».

Ad 5. « Utantur iure suo coram iudice competenti ».

Ad 6. 7 et 8. « Negative ».

Ad 9. « Affirmative; quoad Processiones publicas et generales tantum ».

Ad 10. « Affirmative; quoad functiones spectantes ad Archipresbyterum, tamquam primam Dignitatem ».

Ad 11. « Affirmative in omnibus, ante Capitulum et Clerum, ac sub ipsius Cruce ».

Ad 12. « Provisum in antecedenti ».

Ad 13. « Celebrandam esse per digniorem de Capitulo ».

Ad 14. « Negative ».

Ad 15. « Perquisito, expectato per congruum tempus et renuente Parocho: Affirmative ».

Ad 16. « Affirmative, quando totum Capitulum convenire debet ».

Ad 17. « Affirmative, dummodo sit intra ambitum Paroeciae et de licentia Ordinarii ».

Ad 18. « Negative ».

(1) E. Dub. 15. 17. 18 et 25.

Ad 19. « Ad Emum Ponentem, iuxta mentem » et mens est: « ut Ordinarius, utrisque Ecclesiis et earum iuribus inspectis, locum vel loca designet ubi concio per Quadragesimam vel Adventum sit habenda ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 10 Septembris 1782.

2523. SENOGALLIEN. (4412)

Proposito in S. R. C. a Fratribus Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Terrae Montis Novi Dioecesis Senogalliensis ex una, et ab Abbate Francisco Festarini Parocho Ecclesiae S. Mariae de Platea dictae Terrae ex altera partibus, infrascripto dubio coram Emo et Rmo Domino Cardinali Archinto Praefecto et Ponente concordato:

An, in funeribus explendis in Ecclesia PP. Minorum Conventualium S. Francisci Montis Novi, in digniori loco consistere debeat Crux Ecclesiae tumulantis; vel potius Crux Ecclesiae Abbatialis et Parochialis?

S. R. C., utraque parte scripto et voce informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem eiusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 2 Augusti 1783.

2524. LUSITANA. (4414)

Ex parte Antonii de Padua Correa Canonici Canonicorum Secularium S. Ioannis Evangelistae in Lusitania apud S. R. C. supplicatum fuit pro declaratione sequentium dubiorum:

1. Num in Ecclesiis Choro adstrictis, diebus illis in quibus Officium aut Nocturnum defunctorum recitatur in Festo duplici maiori vel minori vel semiduplici, praeter Missam de Requiem, debeat necne Missa alia celebrari de Officio illius diei?

2. In die Commemorationis omnium defunctorum, cum pro uno tantum Missa applicetur, quaeritur: An dici debeat Missa propria diei, an vero Missa communis sub ritu semiduplici?

3. Utrum in Ecclesiis Regni Lusitani, ubi Feria quinta Ascensionis Domini Nona cantatur solemnis post meridiem usque ad primam horam, absque Officii interpolatione, debeat Cereus Paschalis extingui statim post Evangelium Missae solemnis; aut vero conservari usque ad finem Nonae, et tunc extingui, finita antiphona praedictae horae?

4. An Feria V in Coena Domini, dum solemnis Missa cantatur, Crux cooperta esse debeat velo albo, ratione solemnitatis diei; vel potius violaceo propter Passionis tempus?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Vicecomitis Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; quia Missa Conventualis de Officio currenti omitti non potest ».

Ad 2. « Cum Lusitani gaudeant privilegio tres Missas celebrandi in die Commemorationis omnium defunctorum, qualemcumque trium a Benedicto XIV ipsis praescriptarum possunt dicere, licet pro uno tantum Missa applicetur ».

Ad 3. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam; quia Rubrica Missalis adamussim servari debet ».

Ad 4. « Albi coloris debet esse velum Crucis Altaris, in quo Missa celebratur; violacei vero Crucis Processionis et Altaris lotionis ».

Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 20 Decembris 1783.

2525. AMERINA. (4418)

Porrectis penes S. R. C., per Canonicos Collegiatae Ecclesiae Assumptionis B. M. V. Oppidi Luniani Dioecesis Amerinae, humillimis precibus pro declaratione sequentium dubiorum:

1. An, extra casum necessitatis, possit permitti a Superioribus ut Canonicus constitutus in minoribus Ordinibus cantet Epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo? et quatenus negative,

2. An pro eo supplere debeat qui immediate illi praecedit; et illo legitime impedito, an debeant supplere alii Canonici subsequentes, sive in Diaconali sive in Subdiaconali Ordine sint constituti, iuxta ordinem antianitatis?

S. eadem R. C., habita prius Rmi Episcopi informatione, auditoque etiam unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinti S. R. C. Praefecti et Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative; et Episcopus curet abscindere consuetudinem, tam in Cathedrali quam in Collegiata: videlicet extra casum absolutae et praecisae necessitatis, non posse a Superiore permitti, ut Clericus in minoribus pro Subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus sine manipulo: et pro huiusmodi effectu per Episcopum

abscindendam esse consuetudinem tam in Cathedrali, ubi Clerico etiam extra casum necessitatis permittitur se parare pro Subdiacono sine manipulo; quam in Collegiata, in qua induci vellet, ut Canonicus Clericus ministret pro Subdiacono sine manipulo, existentibus aliis Canonicis Diaconis et Presbyteris, ad quos de iure spectat supplere vices Canonici Clerici in Officio Subdiaconi ».

Ad 2. « Dilata; et ad mentem » et mens est: « quod ab eo Canonico huiusmodi officium praestetur, ad quem spectat (per Constitutiones et consuetudines capitulares dictae Ecclesiae respicientes servitium Chori) supplere vices Canonici ultimi, qui absens forte sit vel infirmus vel quovis alio modo legitime impeditus. Istius siquidem servitii ordo adamussim retinendus est constantissime ad praescriptum ab ecclesiasticis legibus, atque a notissimis Decretis huiusmodi S. R. C.; ad quam, si quando aliquid vel novae difficultatis vel controversiae emerserit, semper patebit aditus ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 18 Decembris 1784.

2526. SALUTIARUM. (4419)

Cum R̃mo Episcopo Salutiarum nonnulla occurrerint dubia, humillime apud S. R. C. ipse supplicavit, quatenus ea benigne decernere dignaretur:

1. An Canonicus deferens SS̃mum Sacramentum in Processione, quae fieri solet cum magno concursu populi qualibet tertia Dominica cuiuslibet mensis, debeat incedere indutus pluviali; vel sufficiat simplex Stola supra cappam?

2. An Episcopo dictam Processionem peragente et deferente SS̃mum Sacramentum pluviali induto, duo ex Dignitatibus, vel illis deficientibus, duo ex senioribus Capituli debeant eidem assistere, simul hinc inde procedendo induti Dalmaticis? Et quatenus affirmative,

3. Utrum ad id cogi possint, si renuant?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Em̃i et R̃mi Domini Cardinalis Boschi Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta modum; videlicet, Episcopo SS̃mum Sacramentum processionaliter deferenti assistere debere duos Canonicos Dalmaticis indutos ».

Ad 3. « Affirmative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 18 Decembris 1784.

2527. SETINA. (4420)

Inter Franciscum Cima Canonicum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Setinae anteriorem in possessione Canonicatus, et Angelum Tirletti eiusdem Ecclesiae Cathedralis Canonicum anteriorem in Ordine Sacerdotali, posteriorem vero in possessione Canonicatus, orta controversia super iure praecedendi in Choro, aliisque functionibus ecclesiasticis, illaque ad Sac. Rit. Congregationem delata; infrascriptum dubium, coram Em̃o et R̃mo Domino Cardinali Archinto Praefecto et Ponente concordatum, propositum fuit, nempe:

An Canonicus Tirletti, in assumptione Canonicatus posterior, in Presbyteratus vero Ordine anterior, locum digniorem cedere debeat Canonico Cima antea inter Canonicos cooptato, licet in Ordine Presbyteratus posteriori?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto et voce informante, expensisque iuribus hinc inde deductis, ad relationem Em̃i et R̃mi Domini Cardinalis Archinti Ponentis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 30 Aprilis 1785.

2528. PORTUGALLIEN. (4421)

Relatis in S. R. C., per Em̃um et R̃mum Dominum Cardinalem Boschi Ponentem, ad instantiam Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Portugalliensis, infrascriptis dubiis, nempe:

1. An recipienda sit in praxi doctrina cuiusdam anonymi Auctoris asserentis, quod, ad deponendum SS̃mum Sacramentum a suo eminentiori Throno, parari debeant in Sacristia Sacerdotes tres, unus scilicet amictu, alba, Stola et pluviali; alii vero duo assistentes pluvialibus tantum super cottas: quorum dignior assistens deponat Ostensorium (notetur) quin utatur Stola, quia (ait ipse Auctor) est pluviali indutus?

2. An retineri debeat ut duo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi in solemnissima Processione Corporis Christi et Feria V in Coena Domini parentur amictu et Dalmatica? Ratio est dubitandi, quia Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 23, § 12; et cap. 33, § 20, non meminit stolarum?

3. Quomodo celebranda sit dies anniversaria Consecrationis Episcopi, si occurrat

in Festo duplici minori? Ratio est dubitandi, quia duplex minus non est de solemnioribus memoratis in Decreto S. R. C. in Lycien. ad 2, sub die 4 Aprilis 1705, nec de feriatis iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 35.

4. An incongruum sit quod, ad augendam fidelium devotionem, publice exponatur in Nocte Nativitatis Domini SSmum Sacramentum, eo quod prohibitum est ipsa nocte fideles communicari, ex Decreto S. R. C. in una Pisauren. sub die 20 Aprilis 1641.

5. Cum S. R. C. sub die 6 Decembris 1653 in una Fanen. decrevit, quod Missa de Dominica cuiuslibet mensis, seu Festo duplici, cum fit particularis Processio cum SSmo Sacramento, dici debeat cum commemoratione eiusdem; quaeritur: Anne, si Processio absoluta fuerit et Sanctissimum reconditum, antequam cantetur Missa Conventualis, debeat fieri in dicta Conventuali eadem commemoratio?

6. Utrum tolerari possit ut in Collegiata, cum in Choro adsunt Beneficiati Sacerdotes, unus in Minoribus constitutus impleat onus suae hebdomadae in decantandis tantummodo Horis canonicis, vertendo versum *Dominus vobiscum* in alterum *Domine exaudi orationem meam?*

Eadem S.R. Congregatio, sub infrascripta die habita, audito prius voto unius ex Magistris Caeremoniarum Apostolicarum typis cuso, reque mature perpensa, rescripsit, ut infra, videlicet:

Ad 1. « Negative; et ad mentem iuxta votum Magistri Caeremoniarum: nempe vel duos assistentes sumere debere Dalmaticam et Tunicellam, vel alium Sacerdotem cum cotta et Stola ponere et deponere debere Ostensorium cum Sanctissimo Sacramento ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum, nempe: In die Consecrationis Episcopi, occurrente Officio duplici, Officium recitandum esse de dicto duplici; in Missis privatis faciendam post alias, si occurrant, commemorationem consecrationis cum Collecta: *Deus omnium fidelium etc.;* post Nonam celebrandam Missam solemnem pro electione vel consecratione Episcopi cum *Gloria, Credo* et Praefatione Communi ».

Ad 4. « Non probari, utpote extra communem Ecclesiarum consuetudinem ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

Atque ita servari mandavit. Die 17 Septembris 1785.

2529. ORDINIS (4427) MINORUM REFORMATORUM S. FRANCISCI PROVINCIAE S. MARIAE DE ARRABIDA IN LUSITANIA.

Porrectis a P. Ministro Provinciali et Patribus Definitoribus Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum S. Mariae de Arrabida in Lusitania apud S. R. C. humillimis precibus pro concessione infrascriptorum indultorum, nempe:

1. Provincia Arrabidensis ducentis ab hinc annis initium habuit supra Montana Arrabidae, ubi adest Conventus sub titulo B. Mariae Virginis de Arrabida, cuius titulo memorata Provincia a suo exordio condecoratur. Populus, tum Lusitanus tum externus, magnam devotionem profitetur erga eamdem B. M. V. Attamen usque nunc Festum B. M. V. non celebratur ut titulare praefatae Provinciae, quod est contra Decreta et Rubricam. Quapropter ut impleatur praeceptum de recitando Officio titularis Provinciae, iuxta Rubricas Breviarii Seraphici tit. VII de Oct. num. 76, 77, 78; et etiam ut satisfiat devotioni populorum, petitur ut in tota Provincia recitetur imposterum de Beata Maria Virgine titulari eiusdem Provinciae Officium, prout in Festo ad Nives 5 Augusti assigneturque praefata dies 5 Augusti pro Festo B. M. V. de Arrabida Titularis Provinciae; Lectiones vero secundi Nocturni desumantur ex Festo Nativitatis eiusdem B. M. V. die 8 Septembris, mutato *Nativitatem* in *Festivitatem,* sicut in Festo S. Mariae Angelorum ex Decreto S. R. C.

2. In Conventibus Dominae nostrae *da Boaviage,* Dominae nostrae a Pietate *em Caprarica,* et *em Salvatierra;* Dominae nostrae de Iesu *em val de figueira,* quasi ex eodem tempore non recitatur usque nunc Officium de suis titularibus: ideo humillime petitur ut imposterum recitetur in memoratis Conventibus de titularibus eorum, nempe in primo Conventu celebretur B. M. V. *da Boaviage* sub die secunda Februarii cum Officio proprio eiusdem diei secundae: in hac quippe die ad praefatum Coenobium concurrit magna populi multitudo devotionis causa erga B. M. V. *da Boaviage* iam ex fundatione dicti Coenobii: in tribus aliis Conventibus recitetur Officium de suis respectivis titularibus in Feria secunda post Dominicam in Albis cum eodem Officio Gau-

diorum B. M. V., de quibus in ipsa Feria fit in toto Regno Lusitano, salvo semper Decreto S. R. C. de omissione Festi Gaudiorum, quando in ipsum diem transfertur Festum Annuntiationis B. M. V.

3. In omnibus Conventibus praefatae Provinciae, exceptis Coenobiis cuius titulus est S. Petri Alcantarensis, recitatur Officium de eodem S. Petro sub ritu secundae classis. Idem S. Petrus fuit coadiutor fundationis eiusdem Provinciae, in illa vixit per multos annos fuitque Praesul; idcirco postulatur ut imposterum recitetur pro tota Provincia de eodem S. Petro Alcantarensi sub ritu primae classis cum octava. (1)

Et S. R. C., audita prius sententia P. Ministri Generalis Ordinis, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali Boschi, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. « Nihil innovari; et Festum Assumptionis B. M. V. habendum esse pro titulari Provinciae, eiusque conventuum qui titulo gaudent eiusdem B. M. V., absque adiuncta denominatione alicuius Mysterii, de quo Festum speciale celebratur ».

Ad 3. « Negative ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 10 Martii 1787.

2530. URBIS. (4428)

Proposito ab Emo et Rmo Dom. Card. Corsini Episcopo Sabinen. Ponente in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, instante Collegio Parochorum Urbis, infrascripto dubio:

Anne in Festis solemnioribus anni aut occasione particularis Iubilaei aut Indulgentiae, quibus temporibus a Parochis maximo apparatu et pompa defertur SSmum Eucharistiae Sacramentum infirmis, omnes Ecclesiae sive Secularium sive Regularium sive Monialium, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, teneantur ac debeant solemniter pulsare campanas dum SSmum Sacramentum, tam in eundo quam in redeundo, transit ante portas maiores et laterales earumdem Ecclesiarum, vel etiam quando transit ante ianuam domus, conventus, monasterii, aedis parochialis et capitularis, quae respectivis Ecclesiis sit adnexa?

S. R. C., audita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris rescribendum censuit: « Affirmative; et Decretum typis imprimatur ». Et ita servari mandavit. Die 10 Martii 1787.

2531. URBIS ET ORBIS. (4429)

Annuam illius diei memoriam, quo Sancto Ioanni Baptistae Praecursori Domini propter iustitiam caput abscissum est, nonnisi ritu duplici minori colere hactenus consuevit Ecclesia; quippe quae Natalem eius singulari privilegio praeter illum D. N. I. C. ac Bmae Virginis Deiparae quotannis solemniter agens, eum diem eius cultui praecipuum dedicavit. Cum autem Emi Patres S. R. praepositi animadvertissent, secundaria Sanctorum Apostolorum Festa, uti commemorationes utriusque Cathedrae Romanae et Antiochenae, ac Vinculorum S. Petri Principis Apostolorum, nec non Conversionis Sancti Pauli Doctoris Gentium ac Martyrii Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae ritu duplici maiori ab universa Ecclesia celebrari; pari etiam ritu anniversarium diem gloriosi obitus Sancti illius, quo ex Christi testimonio *inter natos mulierum non surrexit maior*, decorandum esse unanimes censuerunt.

Itaque S. R. C., proponente Emo et Rmo Domino Cardinali Corsinio Episcopo Sabinensi, hoc generali Decreto statuit: « Festum Decollationis S. Ioannis Baptistae, quod die 29 Augusti ab universa Ecclesia ritu duplici minori agitur, in posterum celebrandum esse ritu duplici maiori ». Atque ita decrevit ac servari mandavit. Die 10 Martii 1787.

Quibus deinde ab infrascripto Secretario relatis SSmo Domino Nostro Pio Papae VI, Sanctitas Sua suprascriptum Sacrae Congregationis Decretum confirmavit et ubique exequutioni mandandum esse praecepit. Die 14 Martii 1787.

2532. ASCULANA. (4434)

Exortis controversiis inter Promotorem Fiscalem Curiae episcopalis Civitatis Asculi ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ex altera partibus, super Missis privatis, tam intra quam extra Ecclesiam Cathedralem, nec non super aliis sacris functionibus extra Cathedralem; infrascripta dubia, coram Emo et Rmo Domino Cardinali Boschi Ponente concordata, ad S. R. C. iudicium delata sunt:

1. An liceat Canonicis in Missis privatis, tam intra quam extra Cathedralem, uti

(1) E. Dub. 4 et 5.

opera inservientis Missae tam pro delatione Calicis ad Altare et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missali, indicando Orationes, aperiendo et porrigendo Patenam cum Hostia, tergendo Calicem eumque postea cum velo instruendo etc. ?

2. An liceat Canonicis in sacris functionibus celebrandis in Ecclesiis extra Cathedralem uti pulvinari ad genuflectendum? (1)

Et S. R. C., Procuratore Promotoris Fiscalis Curiae episcopalis informante, respondit: « Negative, ad utrumque ». Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 27 Maii 1788.

2533. GADICEN. seu GADITANA. (4435)

Rm̃us hodiernus Episcopus Civitatis Gaditanae enixe apud S. R. C. supplicavit, ut infrascriptis dubiis, quid servandum esset decernere dignaretur, nempe:

1. An Feria VI in Parasceve, Episcopo non celebraturo, procedendo ad Crucis adorationem et osculum, Canonici assistentes debeant ipsum comitari usque ad initium tapetis ibique sistere, donec solus ad Crucis adorationem osculumque procedat; vel potius, tum in genuflexionibus tum etiam in ipso osculi actu, eumdem associare teneantur ibique expectare quousque idem Crucis adorationem et osculum compleverit?

2. An Episcopus, absoluta adoratione et osculo, debeat ibidem permanere donec a Canonicis assistentibus par Cruci obsequium exhibitum fuerit; vel potius immediate Canonici assistentes debeant Episcopum ad Cathedram pontificalem associare, ac deinde idem officium adorationis Crucis et osculi cum aliis Canonicis in ordine suo complere teneantur?

3. An Canonici assistentes valeant se induere et exuere sacris paramentis super Solio in loco proprii scamni; vel potius, interim aliis Canonicis eorum munere fungentibus, descendere debeant de Solio ad propria stalla canonicalia, ibique sacras vestes assumere et post completum Officium deponere?

Et S. R. C., audita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarata typisque vulgata, ac referente Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Corsinio Episcopo Sabinensi Ponente, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 3. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 24 Septembris 1788.

2534. MELITEN. (4436)

Exorta controversia inter Rm̃um Episcopum Meliten. ex una, atque Capitulum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Pauli Civitatis Vallettae ex altera partibus, de honoribus Episcopo deferendis in ecclesiasticis functionibus, infrascriptum dubium, coram Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Antonio ab Auria Ponente concordatum, ad S. R. C., iudicium delatum est; scilicet:

An Dignitates et Canonici insignis Collegiatae S. Pauli in omnibus indistincte functionibus ecclesiasticis debeant, ut alii de Clero, genuflectere Episcopo, etsi non pontificalibus vestibus sed cappa dumtaxat aut mozzetta induto; vel potius caput tantummodo et humeros eidem profunde inclinare?

Et S. R. C., utraque parte informante et eodem Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Antonio ab Auria referente, respondit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Die 24 Septembris 1788.

Iterum proposita causa, referente eodem Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Antonio ab Auria Ponente, sub infrascripto dubio: An sit standum vel recedendum a decisis in Congregatione 24 Septembris 1788?

S. eadem R. C., utraque parte informante, respondit: « In decisis; et amplius ». Die 28 Iulii 1789.

2535. CANARIEN. (4437)

Cum in Insula Canariensi occasione alicuius publicae calamitatis Imago quaedam Bm̃ae Deiparae a Pinu dicta, e Templo in Oppido *Ferror* vulgo nuncupato, in quo apparuisse fertur, ad Cathedralem Ecclesiam supplicationis causa transferri soleat; Rm̃us Episcopus penes S. R. C. supplicavit, ut, ad tollendas controversias inter capitulares eiusdem Cathedralis exortas, definiret: Utrum eadem Imago in iis circumstantiis thurificanda sit triplici aut duplici ductu?

Et S. R. C., audita etiam sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente Em̃o et Rm̃o Dom. Card. Archinti Praefecto, rescribendum censuit:

(1) E. Dub. 3, 4, 5, 6 et 7.

« Thurificandam esse duplici ductu tantum ». Die 28 Iulii 1789.

2536. URBIS (4438)
S. IOANNIS IN AYNO.

Sacra Rituum Congregatio ad humillimas preces Sacerdotis Gabrielis Mariae Gasparri moderni Rectoris Ecclesiae parochialis S. Ioannis in Ayno de Urbe, audita prius sententia Emi et Rmi Domini Cardinalis Urbis Vicarii, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinti Praefecti, declaravit: « Non licuisse neque in posterum licere Camerario et Confratribus piae Societatis sub titulo S. Annae Matris B. M. V. in eadem Parochiali coadunatae, quacumque veste indutis, etiam de consensu Parochi, assistere Vesperis et Missae solemni intra Presbyterium in Festivitate eiusdem S. Annae, ibique thurificationem aliosque obsequii actus excipere ». Et ita declaravit et omnino servari mandavit. Die 28 Iulii 1789.

2537. MELITEN. (4439)
PRAEEMINENTIARUM.

Dubia, quae proposita fuerunt ex parte Rmi Capituli et Rmorum Dominorum Dignitatum et Canonicorum insignis Ecclesiae Collegiatae S. Pauli Civitatis Vallettae in Sacra Rituum Congregatione particulari, habita die 19 Maii 1786, cum respectivis resolutionibus eiusdem Sacrae Congregationis, haec sunt, videlicet:

1. An Dignitates et Canonici Cathedralis Civitatis Notabilis, qui invitati ab Episcopo se conferunt ad Ecclesiam Collegiatam Civitatis Vallettae, occasione Festivitatis Naufragii S. Pauli, aut alterius cuiusque solemnitatis et ecclesiasticae functionis, intervenire debeant collegialiter; vel potius uti singuli?

2. An iisdem ius competat incedendi processionaliter a dicta Collegiata ad Oratorium Caritatis pro associando Episcopo; vel potius ius huiusmodi competat Capitulo Collegiatae, ita ut illi a dicto Oratorio tantum una cum Episcopo pergere debeant ad Ecclesiam Collegiatam, et ab eadem Ecclesia reducere Episcopum ad Oratorium?

3. An, et quae assistentia a praedictis Dignitatibus et Canonicis Cathedralis sit praestanda Episcopo, aut pontificaliter celebranti, aut praesentiam tantum praestanti?

4. An Episcopo, seu Dignitatibus et Canonicis Cathedralis ab eo invitatis, ius competat ducendi ad Collegiatam Cappellanos, Mansionarios aliosque Clericos nec non Seminaristas Cathedralis, invito Capitulo eiusdem Collegiatae?

5. An Cantor Cathedralis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatis ad Collegiatam se confert, valeat virgam gestare qua utitur in Cathedrali?

6. An eadem virga uti valeat Cantor Collegiatae, praesentibus Canonicis Cathedralis?

7. An, et quae functiones sint ab eo peragendae quique illi assignandus locus, tam in associatione Episcopi quam in Processionibus?

8. An, et a quo occupandum sit stallum aliis magis elevatum in Choro existens, quo alias utitur Episcopus, quando accedit ad Collegiatam?

9. An, et a quo sit praestandum thus et osculum Evangelii Episcopo solemniis simpliciter assistenti, nec non eiusdem peragenda thurificatio?

10. An Canonicis Collegiatae ius competat in Processione utendi in casu clava capitulari?

11. An, et quo ordine incedere debeat in dicta Processione Clavicularius aut Cathedralis aut Collegiatae?

12. An in dictis Processionibus Dignitates et Canonici Collegiatae iisdem uti valeant cereis, quibus utuntur Dignitates et Canonici Cathedralis?

13. An, et ubi incedere debeat in Processionibus praedictis Acolythus cum pluviali baculum deferens episcopalem?

14. An Dignitates et Canonici Cathedralis, occasione praedictarum functionum, uti valeant mitra necnon Planetis ac respective pluvialibus, tam in Choro quam in Processionibus? et quatenus affirmative quoad Planetas et pluviales,

15. An iisdem uti valeant Dignitates et Canonici Collegiatae?

Dubia, quae proposita fuerunt ex parte Rmorum Dominorum Canonicorum Ven. Ecclesiae Cathedralis Civitatis Notabilis, pariter cum respectivis resolutionibus, sunt sequentia, videlicet:

16. An sit servanda et exequenda transactio in casu? et quatenus negative,

17. An Capitulo Collegiatae S. Pauli, praesentibus Dignitatibus et Canonicis Capituli Cathedralis in die Festivitatis Naufragii S. Pauli, competat ius utendi cappa magna cum pellibus *armellinis*?

18. An praedictis Dignitatibus et Cano-

nicis Cathedralis competat ius elevandi propriam Crucem in Processione peragenda in eadem Festivitate; vel potius incedere debeant sub Cruce Capituli Collegiatae?

19. An, quomodo et a quo sit facienda thurificatio tam Dignitatibus et Canonicis Capituli Cathedralis, quam Capitulo Collegiatae, in eadem Festivitate?

20. An, quomodo et a quo sit accipiendum et communicandum osculum pacis?

21. An Dignitatibus et Canonicis Capituli Cathedralis in Processione praecedere possit proprius Scutifer seu Clavicularius?

22. An praedictis Dignitatibus et Canonicis invitatis ab Episcopo competat ius accedendi ad Ecclesiam S. Pauli et assistendi, quacumque alia occasione et die, qua placuerit Episcopo peragere ibi Pontificalia vel assistere?

23. An iisdem Dignitatibus et Canonicis assistentibus, ut supra, tam in dicta die Festivitatis S. Pauli quam in quacumque alia die, liceat uti ornatu strati viridis damasceni? et quatenus affirmative: An Capitulo Collegiatae tunc liceat uti ornatu panni lanei coloris praedicti?

24. Quomodo et quo ordine incedere debeant Canonici Collegiatae in associatione Episcopi ab Oratorio Caritatis ad Ecclesiam Collegiatam et a ianua Ecclesiae ad Chorum?

Sacra eadem Congregatio, sub die 19 Maii 1786, respondit:

Ad 1. « Dignitates et Canonicos intervenire debere collegialiter in obsequium Episcopi, et ad effectus expressos in resolutionibus Sacrae Rituum Congregationis sub die 21 Ianuarii 1741, et in subsequentibus exprimendos ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative, ad formam resolutionum anni 1741, et iuxta methodum in Caeremoniali Episcoporum praescriptam ».

Ad 4. « Ad Episcopum iuxta mentem », et mens est: « Non denegari Episcopo ius ducendi secum personas sibi benevisas, tamquam de suo honorifico comitatu, sed non expedire ut, praeter Dignitates et Canonicos Cathedralis, alios adducat ad hoc ut sacris functionibus Ecclesiae Collegiatae formiter interveniant et assistant ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. « Ad Cantorem Ecclesiae Collegiatae spectare functiones chorales muneris sui proprias, locum autem in associatione Episcopi et in Processionibus assignandum esse ad formam Caeremonialis ».

Ad 8. « A nullo alio occupandum esse, sed vacuum relinqui ».

Ad 9. « Omnia praestanda esse ad formam Caeremonialis; et resolutionis superioris dubii sub numero tertio ».

Ad 10. « Negative, in casu; et iuxta mentem ». Mens autem S. R. C. haec fuit: « Si placeat Capitulo Collegiatae Ministrum aliquem deputare, qui tenens baculum quomodocumque ornatum turbas submoveat, Ministrum huiusmodi tantum universae Processioni praeire posse ».

Ad 11. « Negative, ad omnia ».

Ad 12. « Affirmative ».

Ad 13. « Affirmative, et ad formam Caeremonialis ».

Ad 14. « Affirmative, in omnibus ».

Ad 15. « Affirmative ».

Ad 16. « Negative ».

Ad 17. « Negative; et ad mentem » quae fuit: « Attento quod Dignitates et Canonici Cathedralis Melitensis, post erectionem Collegiatae Divi Pauli et post resolutiones anno 1741 emanatas, novis et maioribus insignibus, quibus a reliquo Clero et a Canonicis dictae Collegiatae distinguuntur, ab Apostolica Sede decorati fuerunt: et quamvis iidem in tractatibus coram Episcopo habitis anno 1781 suum praebuerunt consensum, ut, convenientibus ipsis in Ecclesiam Collegiatam, occasione solemnitatis Naufragii Divi Pauli, eiusdem Collegiatae Canonici cappas magnas cum pellibus *armellinis* deferre valerent; horum tamen nomine, si placuerit, supplicandum SSmo, ut ad huiusmodi effectum in hac parte derogare dignetur Literis Apostolicis super eorum Collegiatae erectione a Clemente XII editis ».

Ad 18. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 19. « Affirmative in omnibus, ad formam Caeremonialis et resolutionis anni 1741 ».

Ad 20. « Affirmative, ut ad proxime superius ».

Ad 21. « Provisum in numero undecimo ».

Ad 22. « Affirmative; et ad mentem » et mens est: « Non expedire Dignitates et Canonicos Cathedralis ab Episcopo invitari, ut, praeter solemnem diem memoriae Naufragii S. Pauli dicatam, aliis occasionibus et diebus in Ecclesiam Collegiatam Civitatis Vallettae conveniant, ibique collegialiter sacris functionibus adstent, qui Episcopo

pontificaliter celebranti vel simpliciter assistenti, ministrent aut respective assistentiam praestent ».

Ad 23. « Servetur in omnibus resolutio anni 1741 ».

Ad 24. « Servetur ordo praescriptus in Caeremoniali Episcoporum, firma remanente praecedentia et loco digniore prope Episcopum Dignitatibus et Canonicis Cathedralis ad formam resolutionis anni 1741 ».

Mox autem, repropositis iisdem dubiis, prodiit ab eadem Sacra Congregatione responsum:

Ad 1. 2. et 3. « In decisis; et amplius ».

Ad 4. « In decisis; etiam quoad mentem; et amplius ».

Ad 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. et 16. « In decisis; et amplius ».

Ad 17. « Locum esse arbitrio pro aperitione oris, adversus Breve Clementis XII, in hac parte tantum et ad effectum de quo agitur; adeoque, praevio recessu a decisis, Affirmative; et amplius ».

Ad 18. 19. 20. et 21. « In decisis; et amplius ».

Ad 22. « In decisis, etiam quoad mentem; et amplius ».

Ad 23. « In decisis; ita ut liceat Dignitatibus et Canonicis Cathedralis uti ornatu strati viridis damasceni, et liceat Capitulo Collegiatae uti panno laneo eiusdem coloris ».

Ad 24. « In decisis; et amplius ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 28 Iulii 1789.

2538. CONIMBRICEN. (4440)

Canonici Regulares S. Augustini Congregationis Conimbricen. a S. R. C. enixe rogarunt, ut in dubiis infrascriptis quid servandum sit decernere dignaretur:

1. Cum a s. m. Benedicto XIV Pont. Max. ad preces Visitatoris Apostolici Congregationis S. Crucis Conimbricen. iisdem Canonicis Regularibus concessum fuerit Officium S. Gabrielis Archangeli recitandum in una Dominica post Pascha usque ad Adventum, arbitrio eiusdem Visitatoris assignanda et eligenda; ipse vero Visitator nullam certam Dominicam elegerit, sed incertam pro Festorum singulis annis in Dominicas occurrentium varietate; quaeritur: Utrum a S. R. C. aliqua determinata Dominica eidem Festo assignanda sit; an potius Canonici Regulares, retento ritu sibi concesso, debeant se conformare universo Regno Lusitaniae in recitatione Officii praedicti die 18 Martii, iuxta concessionem factam a s. m. Benedicto XIV?

2. Cum ex Apostolica concessione recitetur in eadem Congregatione Canonicorum Regularium Lusitaniae Officium Festi commemorationis B. Mariae de Columna in prima Dominica mensis Iunii non impedita Festo altioris ritus; quaeritur modo: An, impedita prima Dominica, secunda possit haberi et reputari tamquam prima non impedita ad dictum Officium recitandum, et hoc de aliis etiam Dominicis usque ad finem mensis?

Et S. R. C., audita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris typis vulgata, ac referente Emo et Rmo Dom. Card. Salviati, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; iuxta votum Magistri Caeremoniarum ».

Ad 2. « Affirmative, quatenus constet de concessione eiusdem Officii ». Et ita declaravit et servari mandavit. Die 29 Maii 1790.

2539. SIGNINA. (4441)

Exorta controversia inter Patres Minores Observantes Reformatos Ordinis S. Francisci, Ecclesiae S. Mariae de Iesu Montis Fortini Dioecesis Signinae ex una, atque Capitulum et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Crucis et Mariae Laetitiarum dictae Terrae ex altera partibus, super quadam pompa seu Processione quotannis fieri solita; infrascriptum dubium, coram Emo et Rmo Domino Cardinali Salviati Ponente seu Relatore concordatum, ad S. R. C. iudicium delatum est, nempe: Anne in supplicatione diei Festi Nativitatis Deiparae in Terra Montisfortini sit servandus interventus Cleri Secularis seu Capituli?

Et S. R. C., utraque parte informante ac eodem Emo et Rmo Domino Cardinali Salviati referente, respondit: « Affirmative; et ad Emum Ponentem, iuxta mentem; et amplius » et mens est: « Ut Episcopus provideat, ne scandala oriantur: mutet etiam, si opus fuerit, arbitrio suo horam Processionis ». Die 29 Maii 1790.

2540. BARCINONEN. (4442)

Rmus Episcopus Barcinonen. a S. R. C. enixe rogavit, ut, in infrascriptis dubiis quid servandum sit decernere dignaretur, nempe: (1)

(1) E. Dub. 1, 5 et 6.

1. An Clerus Ecclesiae parochialis S. Iacobi Apostoli ac ceterarum parochialium Civitatis Barcinonen., qui in diebus S. Marci et Rogationum Processioni Litaniarum Ecclesiae Cathedralis non intersunt, (quia dictis diebus non fit in ea Processio generalis, sed particularis cum assistentia Cleri Cathedralis et Senatus Civitatis) debeant facere Processionem particularem; an vero satisfaciant praescripto Rubricarum recitando Litanias publice in Choro immediate post Laudes Officii diei?

2. An si Festum Patrocinii S. Ioseph extra tempus Paschale transferri contingat, deficientes antiphonae Nocturnorum suppleri debeant de Communi; vel potius, omissis assignatis pro tempore Paschali, debeant omnes assumi ex alio Festo 19 Martii?

3. Cum ex Apostolica concessione in omnibus Dominiis Hispaniarum Regi subiectis celebretur ritu dupl. mai. Festum Patrocinii B. M. V. in aliqua Dominica Novembris ab Ordinario loci designanda, quae in Dioecesi Barcinonensi et aliis est Dominica secunda eiusdem mensis; quaeritur: Utrum si in eadem Dominica occurrat dies octava S. Severi Episcopi et Martyris Patroni principalis, recitandum sit Officium Patrocinii B. M. V. cum commemoratione octavae; an potius Officium de octava, translato vel omisso pro anno illo Officio Patrocinii?

Et S. R. C., exquisita sententia R. P. D. Dini Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti, ac referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Salviati, respondit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; Officium vero Patrocinii non omittendum, sed transferendum in primam diem non impeditam, iuxta Rubricas ».

Et ita declaravit ac servari mandavit. Die 11 Septembris 1790.

2541. FIRMANA. (4443)

Proposito dubio pro Priore Conventus S. Augustini Terrae Montis Georgii Dioecesis Firmanae: An benedictio Papalis impertiri possit bis in die?

S. R. C. Respondit: « Negative ». Die 11 Septembris 1790.

2542. ORDINIS (4447)
MINORUM REFORMATORUM
S. FRANCISCI
PROVINCIAE S. ANTONII BAHIEN.
IN BRASILIA.

Cum S. R. C., die 20 Iunii 1744, Patribus Ordinis Reformatorum S. Francisci Provinciae Bahien. in Brasilia benigne indulserit, ut in eorum Ecclesiis celebrari posset Missa solemnis festiva cum cantu de Immaculata Conceptione B. M. V. singulis Sabbatis non impeditis Festo duplici primae vel secundae classis, Vigiliis vel octavis privilegiatis; iidem Religiosi penes S. R. C. humillime supplicarunt, ut infrascripta dubia definire dignaretur, nempe:

1. An in tali Missa votiva solemni tres Orationes dici debeant; vel una tantum cum *Credo*?

2. An in Sabbatis, in quibus occurrit B. M. V. quaevis Festivitas, aut infra octavam eiusdem, celebrari debeat Missa eiusdem Festivitatis, votiva vel non votiva? an vero semper Missa ut in Brevi assignatur?

Et S. R. C., audita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente Emo et Rmo Dom. Card. Antonio ab Auria, rescripsit:

« Iuxta votum Magistri caeremoniarum », nempe:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem, iuxta modum; scilicet: in Feriis, simplicibus et semiduplicibus tres dicendas esse Orationes; in duplicibus duas, semperque cum *Gloria*, ratione Sabbati: ad secundam vero partem, Negative ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; nempe: celebrandam Missam Festivitatis, aut de die infra octavam, tamquam non votivam, si de eadem octava recitetur Officium; si vero recitetur Officium alterius Festi, celebrandam esse pariter Missam de die infra octavam, sed more votivo; Negative, ad secundam partem ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 26 Ianuarii 1793.

2543. URBINATEN. (4449)

Quum in Civitate Urbinatensi vigeat consuetudo ut Confessarii Asceteriorum Monialium, postquam easdem communicaverint, per cancellos cum sacra Pyxide, in qua asservatur SSmum Sacramentum, eisdem benedicant; iidem Confessarii penes S. R. C.

enixe supplicarunt, ut, pro infrascripto dubio, quid servandum sit decernere dignaretur, nempe: An consuetudo dandi benedictionem cum Sacra Pyxide Sanctimonialibus, ritu superius expresso, sit sustinenda?

Et S. R. C., exquisita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, audito etiam Rmo Archiepiscopo, nec non referente Emo et Rmo Dom. Card. Salviati, rescripsit: « Negative in omnibus ». Die 26 Ianuarii 1793.

2544. ASCULANA. (4450)

Exorta controversia inter Archidiaconum Philippum Merli Praefectum Choro Cathedralis Asculanae et Magistratum eiusdem Civitatis, super nonnullis reverentiis seu capitis inclinationibus fieri solitis coram SSmo Sacramento publicae venerationi exposito, cum Rmus Vicarius Capitularis provisionale Decretum interposuerit, eiusque revocationem Archidiaconus a S. R. C. petierit;

S. eadem R. C., Magistratu dilationem frustra postulante, ac referente Emo et Rmo Dom. Card. Borgia, rescribendum censuit: « Nemini deberi reverentiam; et amplius ». Die 31 Augusti 1793.

2545. CAESENATEN. (4451)

Exorta controversia, inter Sacerdotem Ioannem Galeffi Cappellanum Societatis S. Mariae de Populo Terrae Gattei Dioecesis Caesenaten. et Sacerdotem Petrum Coelestinum Galli, de loco et praecedentia in publicis ecclesiasticis functionibus, eaque delata ad Sacram Rituum Congregationem;

S. eadem R. C., utraque parte informante, ad infrascriptum dubium per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Antonium ab Auria Relatorem propositum die 26 Ianuarii labentis anni, scilicet: An Cappellanus S. Mariae de Populo Terrae Gattei invitari, et respective inservire debeat tertio loco in sacris publicis functionibus, ita ut sit danda manutentio in casu? respondit: « Negative ».

Cum iterum in hodierna Congregatione de eadem causa actum sit sub dubio: An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. eadem R. C., utraque parte informante, ac referente Emo et Rmo Domino Card. Salviati, loco praefati Emi et Rmi Domini Card. Antonii ab Auria ab Urbe absentis, rescriptum edidit: « In decisis; et amplius ». Die 31 Augusti 1793.

2546. FAVENTINA. (4452)

Quum pro Communitate Balneacaballi nec non Societate S. Annae, vulgo *dei battuti neri*, contra Patres Conventuales infrascriptum dubium discutiendum et iudicandum a S. R. C. propositum sit; scilicet: An in Processionibus B. M. V., quae fiunt ab Ecclesia Patrum Minorum Conventualium, interveniente Capitulo Ecclesiae matricis cum eius Magistro Caeremoniarum, liceat ipsis Patribus Minoribus Conventualibus superpelliceo indutis vagari, sub praetextu dirigendi Processionem aut deferendi S. Imaginem; vel potius teneantur illi sub propriae Religionis vexillo incedere?

S. eadem R. C., referente Emo et Rmo Dom. Card. Archinto Praefecto, rescribendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et amplius ». Die 31 Augusti 1793.

2547. RAVENNATEN. (4454)

Quum a Rev. Dom. Archidiacono Ecclesiae Metropolitanae Andrea Pignotti et a Promotore Fiscali Curiae archiepiscopalis Ravennae apud S. R. C. sequens dubium discutiendum propositum fuerit, nempe: An Archidiaconus sit in possessione ducendi secum ad latus proprium Cappellanum in publicis supplicationibus, quae fiunt sive cum interventu sive sine interventu Archiepiscopi, ita ut sit danda manutentio in casu?

Et S. R. C., Ponente Emo et Rmo Dom. Card. Archinto Praefecto, rescripsit: « Negative in omnibus; et amplius ». Die 31 Augusti 1793.

2548. SENOGALLIEN. (4458)

Cum exorta fuerit controversia inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Senogallien. ex una, atque Mansionarios eiusdem Ecclesiae ex altera partibus, circa onera eorumdem Mansionariorum et ministerium seu assistentiam ab iisdem praestandam Canonicis in officio Diaconi et Subdiaconi; infrascripta dubia ad iudicium S. R. C. delata sunt, nempe:

1. An teneantur Mansionarii in diebus ferialibus celebrare seu canere Missam Conventualem?

2. An teneantur Mansionarii praestare ministerium Diaconi et Subdiaconi Canonico ubique celebranti? et quatenus affirmative,

3. An cogi possint Mansionarii ad praestandum ministerium Canonico celebranti

eique porrigere sacras vestes, dum eas induit in Sacrario Canonicorum?

4. An in quacumque benedictione Canonici celebrantis teneatur Diaconus Mansionarius dicere: *Benedicite, Rme Pater?*

5. An et quomodo Mansionarii in Missis et Vesperis sint thurificandi?

Et S. R. C., die 26 Ianuarii superioris anni 1793, referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Archinto Praefecto, nec non audita utraque parte, respondit:

Ad 1. « Iterum proponatur ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Provisum in secundo ».

Ad 4. « Negative; et amplius ».

Ad 5. « Thurificandos unico ductu; et amplius ».

Instaurato deinde iudicio quoad tria tantum dubia, iisque in haec verba propositis, nempe:

1. An teneantur Mansionarii in diebus ferialibus celebrare, seu canere Missam Conventualem?

2. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum?

3. An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium?

S. eadem R. C., utraque parte iterum audita, ad relationem eiusdem Emi et Rmi Domini Cardinalis Archinto Praefecti, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « In decisis; et amplius ».

Ad 3. « In decisis; et amplius ».

Die 18 Februarii 1794.

2549. CERVIEN. (4460)

Exorta controversia inter Confratres Societatis nuncupatae de Consortio erectae in Ecclesia Collegiata Terrae Massae Fiscaiae atque Parochum eiusdem Ecclesiae, de iure Cappellani eiusdem Societatis deferendi Stolam in ecclesiasticis functionibus, in quibus cum eadem Societate tamquam Cappellanus incedit; eaque ad S. R. C. delata;

S. eadem R. C., auditis rationibus utriusque partis et relatione Vicarii Capitularis, nec non referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Borgia, declaravit: « Licere Cappellano Societatis *de consortio* deferre Stolam in omnibus functionibus solitis et ad ipsam Societatem specialiter spectantibus, etiam in transitu per Ecclesiam; quo vero ad associationem cadaverum, teneri ipsum Cappellanum incedere cum Societate, adhibita Stola extra Ecclesiam tantum ». Die 23 Augusti 1794.

2550. CONIMBRICEN. (4464)

Moniales Ordinis S. Francisci Asceterii titulo SSmi Sacramenti Oppidi vulgo dicti de *Laurizal* Dioecesis Conimbricen., affirmantes ex speciali Sedis Apostolicae privilegio in earum Asceterio et Ecclesia recitari Officium ritu dupl. mai. Missamque celebrari de SSmo Sacramento in omnibus Feriis V, Festo duplici 1 vel 2 classis non impeditis, a S. R. C. declarationem infrascriptorum dubiorum precibus humillimis postularunt:

1. An in Missa, quae celebratur in Ecclesia ipsarum Monialium de SSmo Sacramento omnibus Feriis V, Festo 1 vel 2 classis non impeditis, *Credo* dici debeat?

2. An in eadem Missa dici possit Sequentia: *Lauda Sion etc.?*

3. An Cappellani, qui in Ecclesia praedicta quotidie Missam celebrant, possint Officium Monialium recitare?

Et S. R. C., perpensa prius unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia typis etiam vulgata, ac referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Borgia, ad tria proposita dubia rescribendum censuit: « Negative ». Et ita declaravit atque servari mandavit. Die 21 Martii 1795.

2551. RIPANA. (4467)

Proposita in S. R. C. Ordinaria habita die 29 Augusti anni proxime praeteriti ab Emo et Rmo Domino Cardinali Rinuccini controversia exorta inter Sacerdotem Dominicum Recco Archipresbyterum Ecclesiae Cathedralis Ripanae ex una, atque Sacerdotem Michaelem Angelum Tanursi Canonicum Theologum eiusdem Cathedralis ex altera partibus, circa tempus habendae lectionis sacrae Scripturae in eadem Ecclesia Cathedrali, ac disputato infrascripto dubio, videlicet:

An liceat Canonico Theologo explicare populo sacram Scripturam in diebus Festis inter Missarum solemnia, et praecise post Evangelium?

S. eadem R. C., audito prius Rmo Episcopo Ripano, perpensisque iuribus Archipresbyteri, Canonico Theologo vadimonium deserente, respondit: « Negative ». Hodie vero iterum ab eodem Relatore proposito eodem dubio, audito pariter uno Archipresbytero, respondit: « In decisis; et amplius ». Die 30 Aprilis 1796.

2552. BRACHAREN. (4469)

Cum Magister Caeremoniarum Ecclesiae titulo B. M. V. Olivae Vivamanentis, Dioecesis Bracharen., supplex fuerit ad S. R. C., ut infrascripta dubia declarare dignaretur, scilicet : (1)

1. An Chorus, dum recitat Horas Canonicas ante SSmum Sacramentum velo coopertum in loco eminenti, sedere et tegere caput cum bireto valeat; vel stare debeat nudo capite, quasi illud esset sine velo?

2. An prima Dignitas dictae Collegiatae, cum adhuc non est Sacerdos, in benedictione candelarum et palmarum ministrare debeat Sacerdoti celebranti candelam et palmam; vel potius similes actiones ad secundam Dignitatem Sacerdotem, praesente in Choro supradicta prima Dignitate, pertinere debeant?

3. An Canonicus Sacerdos Feria V in Coena Domini ad Communionem generalem super almutiam Stolam a collo pendentem habere debeat; vel solum super cottam?

4. An in Dominica infra octavam Corporis Christi, aut alia designata per annum, in quibus recitatur Officium ritus dupl. et solet fieri Processio SSmi Sacramenti per diversas Parochias et Ecclesias Civitatis, ut in Festo Corporis Christi, cum concursu populi eiusdem Parochiae, debeat Missa celebrari pro re gravi de SSmo Sacramento post Nonam; vel potius dici de Dominica aut Festo cum commemoratione SSmi Sacramenti?

Et S. R. C., exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris eaque typis etiam vulgata, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali Antonio ab Auria Ponente, rescripsit: In omnibus iuxta sententiam Magistri Caeremoniarum, cuius libellum tradi oratoribus pro norma mandavit. Eius autem sententiae haec est summa:

Ad 1. « Poterit Clerus sedere, tecto etiam capite cum bireto; sed laudandus esset, si sederet detecto capite ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 3. « Servandam esse locorum consuetudinem ».

Ad 4. « Missa dici debet de Dominica aut Festo occurrente cum commemoratione SSmi Sacramenti ».

(1) E. Dub. 1 et 2.

Et ita servari declaravit. Die 10 Septembris 1796.

2553. PANORMITANA. (4470)

Cum Clero Civitatis et Dioecesis Panormitanae a S. Sede Apostolica concessa fuerit octava privilegiata Solemnitatis SSmi Corporis Christi, ita ut in singulis diebus octavae, etiam impeditis Officio duplici, facultas sit recitandi Officium cum Missa de eadem Solemnitate, exceptis duplicibus 1 et 2 classis; orta est dubitatio Sacerdoti Petro Sanctori Directori Calendarii Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii eiusdem Civitatis : An in huiusmodi exceptione comprehendantur duplicia 1 et 2 classis tantum occurrentia, vel etiam translata? Quapropter supplex institit apud S. R. C. ut dubium huiusmodi declarare dignaretur.

Et S. R. C., referente Emo et Rmo D. Card. Livizzani, exquisita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris eaque perpensa, rescribendum censuit : « In exceptione comprehendi etiam translata ». Et ita declaravit. Die 10 Septembris 1796.

2554. NUCERINA. (4475)

Cum Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Petri Apostoli Oppidi Saxiferrati Nucerinae Dioecesis constet Archipresbytero ac decem Canonicis, inter quos tres numerantur a pia foemina Ioanna Gabrielli instituti, cum onere ut, Archipresbytero solemniter celebrante, fungi debeant officio Diaconi et Subdiaconi in defectum aliorum legitimum impedimentum habentium; et modo exorta sit controversia inter praefatum Archipresbyterum et Canonicos omnes circa eamdem assistentiam: existimante Archipresbytero quod sibi solemniter celebranti, tam in Ecclesia Collegiata quam in aliis Ecclesiis Oppidi ea assistentia debeatur a quibuslibet ex dictis Canonicis per turnum; et e contra iisdem Canonicis eam intra et extra propriam Ecclesiam praestare detrectantibus; habito nunc recursu ab eodem Archipresbytero ad hanc S. R. C., ut de iure, in hac parte sibi competente declarationem emitteret :

S. R. C., audito Vicario Capitulari, Sede Episcopali tunc vacante, qui praedefuncti Episcopi sententiam exposuit, atque Emo et Rmo D. Cardinali Rinuccini referente,

decrevit, ut infra, videlicet: « Canonicos teneri suam praestare assistentiam Archipresbytero in officio Diaconi et Subdiaconi, dum solemniter celebrat in Collegiata tantum: Canonicos vero pii operis Gabrielli teneri solummodo ad formam institutionis ». Die 20 Maii 1801.

2555. PARMEN. (4476)

Cum Director Calendarii Dioecesis Parmen. supplex fuerit ad S. R. C., ut infrascriptum dubium declarare dignaretur, scilicet: An Dominica infra octavam Solemnitatis Corporis Christi, in iis locis in quibus dicta octava respuit omnia Festa, praeterquam primae classis, gaudeat privilegio octavae, excludendi scilicet IX Lectionem de Festo simplici in ea occurrente?

Et S. R. C., exquisita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris eaque typis evulgata, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali de Somalia Urbis Vicario et S. R. C. Praefecto, rescripsit: « Affirmative ». Die 16 Septembris 1801.

2556. TARRACINEN. (4483)

Ponente Emo et Rmo Card. de Somalia Praefecto, sequentia dubia discutienda et definienda proposita sunt, inter Capitulum et Canonicos Ecclesiae matricis S. Mariae Sermonetae Dioecesis Tarracinen. ex una, atque Abbatem Curatum ac Beneficiatos S. Michaelis Archangeli ex altera partibus, concordata; videlicet:

1. An in Processionibus, in quibus intersunt tam Parochus et Beneficiati S. Michaelis Archangeli, quam Archipresbyter et Canonici Ecclesiae S. Mariae matricis, praecedere simultanee debeant duo Cruces utriusque Ecclesiae, et post eas simultanee etiam utriusque Capitulares? et quatenus negative: An Parochus et Beneficiati S. Michaelis Archangeli incedere priores debeant post propriam Crucem, quatenus incedere nolint post unicam Crucem matricis ipsius, ita ut huius Archipresbyter et Canonici velut digniores incedant postremi?

2. An in prima Rogationum Processione, quae aeque ac secunda et tertia, egreditur ab Ecclesia matrice, et in qua eius Archipresbyter Stola amictus Preces, egrediendo, praecinit et agris deinde benedicit, debeant Preces eaedem ab ipso Archipresbytero absolvi in Ecclesia Beneficiata S. Michaelis Archangeli, in qua dicta Processio confici solet; vel potius ab eodem Archipresbytero deponenda sit Stola in actu ingressus ad Ecclesiam eamdem, ad hoc ut Parochus S. Michaelis Archangeli ipsas absolvat Preces et sacrae huic functioni finem imponat?

3. An in secunda dictarum Rogationum Processione, quae aeque ac prior et tertia, egreditur ab Ecclesia matrice, et cuius Archipresbyter Preces pariter, egrediendo, praecinit agrisque benedicit, debeant ab eo absolvi in Ecclesia S. Nicolai; vel potius, deposita ab ipso Stola, continuandae in ea absolvendaeque sint et finis sacrae functioni imponendus ab aliquo ex Patribus Conventualibus, et in eorum defectu, a Parocho dictae Beneficiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli?

Et S. R. C. respondit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 3. « Ut ad proximum ».

Die 27 Martii 1802.

Iterum vero proposita causa in Congregatione Ordinaria sub die 11 Septembris 1802, super dubio: An sit standum vel recedendum a decisis sub die 27 Martii proxime praeteriti tam quoad primum quam quoad secundum et tertium dubium in casu?

S. R. C. respondit: « Quoad primum servetur solitum, iuxta modum; dummodo duae Cruces procedant una post aliam pariterque duo Cleri: quoad cetera dubia: In decisis ».

Tertio tandem reintegrata quaestione sub dubio: An sit standum vel recedendum a decisis sub diebus 27 Martii et 11 Septembris 1802? in casu etc.?

Sacra Rituum Congregatio respondit: « In secundo loco decisis; et amplius ». Die 22 Ianuarii 1803.

2557. BRUGNATEN. (4485)

Circa delationem SSmi Sacramenti in Machina nuncupata: *Cassa illuminata*, occasione solemnis Processionis in Festo SSmi Corporis Christi; instante Capitulo et Clero Collegiatae S. Mariae Maioris de Nazareth Civitatis Sisestri Dioecesis Brugnaten., ac Ponente Emo Saluzzo S. R. C. respondit: « Negative, ad mentem. Mens est: ut scribatur Episcopo Brugnaten., qui auctoritate Sacrae Congregationis iubeat, ne executioni mandetur Rescriptum S. C. sub die 10 Iulii 1802 favore loci *Fossalupara* eiusdem

Dioecesis Brugnaten., nisi adsit antiqua consuetudo ». Die 14 Maii 1803.

EPISTOLA
AD EPISCOPUM BRUGNATEN.

Rme Domine, uti Frater. Proposita in S. R. C. ab Emo et Rmo Domino Cardinali Saluzzo Ponente instantia Capituli et Cleri Ecclesiae Collegiatae et Parochialis titulo S. Mariae Maioris de Nazareth Oppidi Sisestri istius Dioecesis, pro facultate deferendi SSmum Eucharistiae Sacramentum in Machina vulgo nuncupata: *Cassa illuminata*, in Processione SSmi Corporis Christi; eadem S. R. C., mature perpenso huiusmodi apparatu et ob oculos habens eiusdem S. C. decretum alias, die scilicet 2 Iunii 1618 in Syracusana Modicae datum, quo statuitur: « Servandam esse dispositionem Libri Caeremonialis, ut scilicet SSmum Sacramentum a Celebrante propriis manibus deferatur »: duxit non expedire petitam facultatem concedere; imo volens praedicti Decreti dispositioni se conformare, fuit in sensu Amplitudini Tuae scribendum ut auctoritate ipsius S. C. iubeas (si pacate, ut praescribitur fieri posse praevideas) ne exequutioni mandetur recens suum gratiosum Decretum die 10 Iulii superioris anni latum favore loci *Fossalupara* istiusmet Dioecesis, quo concedebatur praefata delatio SSmi Sacramenti in Machina, nisi in eodem loco vigeat antiqua consuetudo. Et diu felix et incolumis vivas. Amplitudinis Tuae. Romae 14 Maii 1803.

2558. FLORENTINA. (4490)

Epistola data fuit ad Antistitem Florentinum, quia Patres Emi in Congregatione Ordinaria coacta eadem die 13 Martii ad dubium: An recte se gesserint Capitulum et Canonici insignis Regiae Collegiatae S. Laurentii Urbis Florentiae, exponendo publicae venerationi SSmum Sacramentum pro anima Ludovici Regis defuncti, cum esset Ecclesia pannis nigris ornata, excepto Presbyterio, et remoto castro doloris et palliis nigris ab unoquoque Altari? responderunt. « Scribatur Archiepiscopo ad mentem ».

Perillustris et Rme Domine uti Frater. Cum Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii istius Civitatis Florentinae in expiationem animae augustae memoriae praedefuncti Ludovici Etruriae Regis et in significationem maeroris de eius orbitate, pias preces publicas fundere voluerit coram SSma Eucharistia fidelium adorationi exposita super Ara principe eiusdem Ecclesiae Collegiatae, dum ipsius Ecclesiae parietes, biduo ante expletis exequiis pro eodem Rege iussu Serenissimae Reginae viduae peractis, adhuc funereo apparatu vestiebantur, excepta ea parte circa dictum Altare, quae Residentia nuncupatur, albo colore distincta; et amoto lugubri feretro nec non palliis nigri coloris ex singulis minoribus Aris, detractisque pariter velis nigris Cruce alba signatis contegentibus Sanctorum Imagines supra ipsas minores Aras collocatas: non autem fuerit par omnium opinio de hac sacra Eucharistiae expositione: contendentibus nonnullis contra ecclesiasticas sanctiones, et signanter contra S. R. C. Decreta peccatum fuisse; et cum ad cognoscendum utrum recte se gesserit praefatum Capitulum eo in casu et quid imposterum in similibus agere liceat, nunc recursus habitus sit per Canonicum Dominicum Morani, alterum ex duobus Camerariis ipsius Collegiatae, nomine etiam Prioris Canonicorum ad S. R. C.;

Eadem S. R. C., perpenso voto unius ex Sacrarum Caeremoniarum Apostolicarum Magistris typis etiam evulgato, ac referente me infrascripto SSmi Dni Nostri Pii VII Pont. Max. in Urbe Vicario Sacraeque ipsi Congregationi Praefecto; Amplitudini Tuae in hanc sententiam rescribendum esse censuit: Siquidem in proposita facti specie praecipua pars Cappellae, in qua manebat SSmum Sacramentum festivis velis ornata fuerit, nihil in huiusmodi facto esse reprehendendum, imo neque necessariam fuisse remotionem palliorum nigri coloris a minoribus Aris; praeterea S. C. non improbare, quod eodem modo iusta persolvantur ad plures etiam dies vel pro omnibus fidelibus defunctis vel pro defunctis alicuius Congregationis tam Ecclesiasticorum, quam Laicorum; valde tamen improbare consuetudinem in istam Florentinam Civitatem invectam, ut ex fide dignis testimoniis compertum est, SSmum Eucharistiae Sacramentum publice exponendi occasione exequiarum privatae alicuius personae, sive eae peragantur in die obitus vel depositionis, sive in Anniversariis aut aliis quibuslibet diebus. Hanc enim consuetudinem S. C. declarat abusum, et ad eam tollendam curas omnes, ac exploratum erga Sacrorum Rituum decorem Amplitudinis Tuae studium, ex oblata occasione excitare non omittit. Haec sunt, quae supplicantibus Canonicis patefieri poterunt. Interim Amplitudini Tuae diuturnam exopto felicitatem.

Romae 13 Martii 1804.

2559. CAMERINEN. (4496)

Delata ad S. R. C. ex parte Domini Alexandri Mariae Licoè Sacerdotis ex Clericis Regularibus Minoribus et Confessarii Monialium Asceterii S. Iacobi Terrae S. Genesii Camerinen. Dioecesis, controversia, inter eum exorta et Capitulum seu nonnullos Canonicos Ecclesiae Collegiatae dictae Terrae, circa ius agendi exequias super cadaveribus Monialium ipsius Asceterii: Num scilicet competat Confessario Monialium, an vero praefato Capitulo?

S. eadem R. C., attenta relatione totius quaestionis facta a Rmo Archiepiscopo Camerinen., qui audivit tam Capitulum quam Moniales, ac proponente dubium Emo et Rmo Domino Card. Gazzoli Relatore, decrevit: « Celebrationem exequiarum spectare ad Confessarium pro tempore ». Die 16 Martii 1805.

2560. ORIOLEN. (4498)

Cum multae circumferantur interpretationes circa usum privilegii, quod a Sacra Congregatione Concilii Sacerdotibus caecutientibus concedi assolet, pro celebratione scilicet Missae Votivae de B. M. V. omnibus diebus, in quibus occurrat Festum ritus dupl.; Sacerdos Balthassar Gargia, cui ex munere quod sustinet Praefecti sacris caeremoniis in Ecclesia Cathedrali Oriolen., quaestiones ea de re offeruntur, ut eas enodare valeat, sequentia dubia attulit ad S. R. C., humiliter ab eadem illorum declarationem petens. Dubia autem sunt huiusmodi, videlicet:

1. An Sacerdos caecutiens, ex indulto Apostolico celebrare valens Missam Votivam B. M. V., teneatur in eiusdem celebratione indui paramentis coloris praecise albi?

2. An debeat in eadem Missa privata recitare Orationem Officii illius diei et Spiritus Sancti, et omittere *Gloria in excelsis Deo* et *Credo,* iuxta Rubricas?

3. An talis Sacerdos, cum devenerit ad omnimodam caecitatem, possit licite perseverare in celebratione Missae?

4. An conditiones appositae in huiusmodi privilegiis sint merae ritualitatis et styli; vel obligatoriae in conscientia?

Et S. R. C., perpensa prius unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scripto exarata et typis etiam evulgata, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali Antonio de Auria Ponente, rescripsit ut infra, nempe:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative, quoad obligationem legendi Orationem Officii currentis; in reliquis, Affirmative ».

Ad 3. « Negative, donec novum impetretur a S. C. Concilii indultum ».

Ad 4. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit et decrevit. Die 16 Martii 1805.

2561. TIFERNATEN. (4499)

Cum Sacerdos Ioannes Baptista Berni, recenter Archipresbyteratu Ecclesiae Parochialis titulo Sanctorum Cosmae et Damiani loci, vulgo nuncupati *Canoscio,* Dioecesis Tifernaten., potitus, antiquam consuetudinem in eadem Ecclesia invenerit Sacrosanctam Eucharistiam impertiendi fidelibus in Sabbato Sancto pro satisfactione etiam Paschalis praecepti, et anceps haeserit num eadem consuetudo servanda foret, vel utpote abusiva removenda; ut omnem anxietatem deponeret, supplex fuit apud S. R. C. pro declaratione sequentis dubii, videlicet: An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia Sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sacrae Communionis praeceptum Paschale adimpleatur?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, qui scripto suam sententiam protulit, nec non referente Emo et Rmo D. Card. Crivelli Ponente, respondit: « Affirmative in utroque ». Die 22 Martii 1806.

2562. TOLETANA. (4503)

Cum Sacerdoti Emmanueli Dominquez Ordinis Clericorum Minorum, utpote Magistro Caeremoniarum in Ecclesia sui Ordinis Spiritui Sancto dicata in regali Villa Matriti Toletanae Dioecesis, sequens occurrerit de sacris Caeremoniis dubium, pro illius declaratione humillimas porrexit preces penes S. R. C. Dubium autem est sequens, videlicet:

In Spiritus Sancti Ecclesia ex antiqua fundatione quotannis sacrum decemdiale celebratur a die Ascensionis Domini usque ad Vigiliam Pentecostes inclusive. Vesperae solemniter celebrantur cum expositione SSmi Sacramenti et concione ad populum, qua finita et postea devote recitatis precibus ipsius decemdialis, fit SSmi Sacramenti repositio solemnis, omnibus Religiosis superpelliceo indutis et cum candelis accensis

concurrentibus. Dubium ergo est, circa quod varii varia opinantur, de colore adhibendo in paramentis sacris pro tali repositione: nam quidam volunt colorem album, alii correspondentem Officio diei, sed alii existimant utendum esse colore conformi seu petito a Festo Pentecostes, in cuius honorem solemne decemdiale celebratur: et ita ab antiquo tempore consuetum est in dicta Ecclesia. Ad tollendam in posterum varietatem opinandi, enixe supplicatur apud EE. VV., quatenus declarare dignentur: quonam determinato colore uti debeat in paramentis sacris pro repositione facienda? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, audita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto tradita et typis etiam cusa, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Crivelli, loco Emi et Rmi D. Cardinalis Galleffi Ponentis ab Urbe absentis, respondit, ut infra; videlicet: « Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altare et assistat tum concioni tum precibus, repositionem faciendam esse cum paramentis coloris respondentis Officio diei et velo humerali coloris albi; quatenus vero recedat, et repositio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio Vesperarum, utendum esse paramentis coloris albi ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 20 Septembris 1806.

2563. SENOGALLIEN. (4504)

Delata ad S. R. C. per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Crivelli, loco Emi et Rmi Domini Cardinalis Galleffi Ponentis absentis, Causa Senogallien. praeeminentiarum inter Capitulum S. Mariae ex una, atque Sacerdotem Antonium Caprini Plebanum S. Petri *Belvederi* Senogallien. Dioecesis ex altera partibus, infrascripta dubia inter easdem partes concordata, supramemoratus Emus Crivelli decidenda proposuit, scilicet:

1. An Collegiata *Belvederi* praecedere debeat Ecclesiae parochiali eiusdem loci?

2. An et quae functiones spectent ad Collegiatam, et quae ad Parochum?

Et S. R. C., utraque parte scripto et voce informante prius audita visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Licere Collegiatae exercitium functionum consuetarum, dummodo non turbetur exercitium functionum propriarum Paroeciae Sancti Petri ».

Et ita declaravit et servari mandavit. Die 20 Septembris 1806.

2564. TOLETANA. (4505)

Exhibito penes S. R. C. per Fr. Vincentium Blanca Magistrum Caeremoniarum Regalis Monasterii Excurialensis et, ut asserit, Magistrum etiam generalem Caeremoniarum totius Regni Hispaniae supplici libello pro resolutione infrascriptorum dubiorum, nempe:

1. An translatio hoc anno facta Officii sacrarum Reliquiarum, quod in Toletana Ecclesia celebratur die 19 Ianuarii sub ritu dupl. secundae classis cum octava, in Dominicam III post Epiphaniam, sit sequenda vel toleranda? et quatenus negative: An obligationi Divini Officii satisfactum sit recitando tam in Dominica III praedicta de Festo Reliquiarum et non de Dominica, quam aliis diebus de Festis consequenter translatis?

2. In Ecclesia Regalis Monasterii S. Laurentii Excurialensis adest in Altari maiore Tabernaculum ex lapide pretioso, in quo continetur alia capsula eximior, in qua asservatur SSmum Sacramentum, sed cum in pariete post Tabernaculum sit una fenestra, quae illuminat duo Tabernacula praedicta, et ista habeant ante et retro fenestellas cum cristallo, adeo ut ex qualibet parte Ecclesiae perspiciatur clare et distincte Vas in quo est inclusum SSmum Sacramentum. Ast cum hoc videatur inconveniens, quaeritur: Utrum praedictum Vas debeat permanere, ut dictum est supra; vel debeat cooperiri aliquo velo ut non perspiciatur?

3. In praedicta Ecclesia S. Laurentii consuescunt omnes Monachi atque etiam Collegiales seculares Seminarii eiusdem Monasterii audire sacras conciones sedendo in gradibus Altaris Maioris, terga vertendo SSmo Sacramento, sive sit vel non sit expositum: et cum hoc videatur maxime indecorum, idcirco quaeritur: An haec consuetudo sive corruptela debeat tolerari? (2)

S. R. C., audita sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris typis etiam evulgata, ac referente Emo et Rmo Domino Card. Saluzzo Ponente, in hanc formulam rescripsit, nempe:

Ad 1. « Negative; et ad mentem (mens est circa secundam dubii partem, quod sci-

(1) E. Dub. 2. — (2) E. Dub. 4.

licet eiusdem solutio non pertinet ad Sacram Rituum Congregationem) ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; atque ita obtegendum esse Tabernaculum, ut Vas in quo SSm̃um Eucharistiae Sacramentum asservatur a circumstantibus nullo modo videri possit ».

Ad 3. « Negative ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 20 Septembris 1806.

2565. VERONEN. (4511)

Cum in Asceterio Monialium Ordinis S. Francisci adnexo Ecclesiae Sanctae Mariae nuncupatae *delle Vergini dette della Madonna,* Civitatis Veronae commorentur hodie Moniales Monasterii SSm̃i Redemptoris ex Ordine Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini, separatae tamen in omnibus a praedictis Monialibus Ordinis S. Francisci, excepta Ecclesia quae est communis, ita ut ab utrisque Monialibus servetur propria Regula et recitetur Officium iuxta proprium Calendarium; visum est Monialibus Lateranensibus, quod ab earum Cappellano quotidie celebranda sit ea Missa, ad quam audiendam ipsae conveniunt, quae conformis sit Officio in earum Calendario assignato; quod cum denegetur a Monialibus S. Francisci, in huiusmodi opinionum discrepantia, ad firmandum quid fieri opus sit, Moniales Lateranenses recursum habuerunt ad Sacram Rituum Congregationem.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarata typisque tradita, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Cardinalis Erskine Ponentis, rescribendum censuit: « Posse Cappellanum Monialium Lateranensium SSm̃i Redemptoris in casu, de quo agitur, Missas legere secundum Calendarium earumdem Monialium, exceptis diebus Dedicationis et Titularis Ecclesiae ». Et ita declaravit. Die 20 Martii 1809.

2566. URBIS (4514)
ET STATUS ECCLESIASTICI.

Cum Sanctissimus Dom. Noster Pius VII Pontifex Maximus validissimum B. M. V. auxilium expertum fuerit in multis tribulationibus, aerumnis, angustiis, quas in diutina quinque et ultra annorum captivitate passus est; Eius intercessioni tribuens felicem suum reditum in Urbem Sanctam, a qua fuerat nefarie avulsus; accito Rm̃o Cardinali Iulio Maria de Somalia Episcopo Tusculano, Suo in Urbe Vicario Generali et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato Sibi et populo fideli in auxilium venit, peculiare Festum in eiusdem honorem instituatur peragendum die 24 Maii in aevum memoranda, felici Ipsius ad Petri Sedem signata regressu; et aemulatus Decessorem Suum S. Pium huius nominis V, qui ob insignem victoriam anno MDLXXI a Christiana Classe contra Turcas ad Echinadas insulas Dei Genitricis ope relatam, Litaniis Lauretanis alterum elogium inseri iussit AUXILIUM CHRISTIANORUM; ita et Ipse hoc titulo decorare novum hoc Festum constituit cum Officio et Missa ab eodem Rm̃o Cardinali Praefecto, a R. P. Andrea Cavalli Promotore Fidei et a me infrascripto S. R. C. Assessore revisis, cum in Urbe tum in toto Ecclesiastico Statu recitanda et respective celebranda sub ritu dupl. mai. ab omnibus tam Secularibus quam Regularibus qui ad Horas Canonicas tenentur.

Et hoc Decretum in Acta Congregationis Sacrorum Rituum reponi ac publici iuris fieri mandavit. Die 15 Septembris 1815.

2567. NULLIUS (4516)
BALNEARIAE.

Clerus Balneariae Dioecesis Nullius, in ulteriori Calabria, humiliter sibi declarari a Sacra Rituum Congregatione expostulavit sequentia dubia, videlicet:

1. An diruta et solo aequata Ecclesia Matrice dedicata eiusdem Oppidi, teneatur Clerus quotannis ad Officii celebrationem de dicta Dedicatione cum octava, quamvis in alio situ dein Matrix Ecclesia constructa fuit, cui Clerus inservit?

2. An Curati duarum Villarum Solani et Pellegrinae nuncupatarum, Dioecesis Balneariae, teneantur ad octavae celebrationem de dicta Dedicatione, an ad solam diei celebritatem? Ratio dubitationis ex eo procedit, quod ex antiqua consuetudine tota parva Dioecesis Balneariae existimatur una quasi Parochia, cum nec in Oppido Balneariae, nec in Villis eidem subiectis sint veri Parochi; nam cura animarum exercetur per Oeconomos Curatos amovibiles, a Vicario Capitulari Balneariae deputatos, qui nec etiam est Parochus, sed Loci Ordinarius. Harum Villarum una distat a Balneariae Oppido per duo milliaria circiter, al-

tera per tres circiter. Actuales Curati Balnearienses saepe sunt aliarum Dioecesium inibi residentes ad curam animarum exercendam. Tenentur etiam hi exteri ad dictam octavam? (1)

Et S. R. C., exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris typis evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Antonii ab Auria causae Relatoris, respondit: Iuxta votum videlicet:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Die 15 Septembris 1815.

2568. DECRETUM. (4518)

Ea est iudicii sanctitas, cum de Viris virtute commendatis honoribus Coelitum donandis apud Apostolicam Sedem quaestio instituitur, ut quae possint ad tantam rem tuto conficiendam, atque ad quemlibet vel tenuissimum scrupulum propulsandum expedire, ea omnia a Romanis Pontificibus sapientissime inventa atque statuta fuerint. Huc spectant quae iussu s. m. Urbani PP. VIII a Concistorialis Aulae Advocatis habentur in publicis Concistoriis Orationes, quibus de vita et gestis alicuius Servi Dei diserte refertur, ut ipsius nomen in Beatorum vel Sanctorum Fastis adscribatur. Quae quidem, ut recte ac pro summi negotii gravitate fiant, Institutio quaedam ab eodem Pontifice fuit sancita die XXVIII Ianuarii anno MDCXXXI, qua et Secretarii Sacrae Rituum Congregationis partes, et Concistorialium Advocatorum officium in id genus Orationibus distincte perspicueque praefiniuntur. Cavetur quippe, ut causarum electio ad ipsum Secretarium spectet, qui adnotabit in schedula a se subscribenda nomen Servi Dei unicuique Advocato per turnum assignandi; tum, ut eidem per octo saltem ante propositionem dies eadem Oratio tradatur emendanda, atque accommodanda, si quid adversus ipsius Institutionis praescripta ibidem deprehenderetur. Argumenta insuper, de quibus disserere fas sit, designantur, ne quid temere vel minus opportune apteque proponatur. Quae quidem omnia s. m. Benedictus XIV luculenter tradit in praeclaro suo Opere de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum lib. 1, cap. 35. Verum cum in praesens, quod ferme ex varietate ac perturbatione temporum contigit, ab accurata huiusmodi Institutionum executione declinari coeperit, Sanctissimus Dominus Noster Pius VII Pontif. Max., pro eo quo praestat zelo in ecclesiastica disciplina tuenda suorumque Praedecessorum Decretis vindicandis, decrevit ut praedicta Urbani VIII Institutio, exceptis septimo et octavo capite, quibus de honorarii tribuendi ratione ac de commissione ab Advocato proponente tenenda agebatur, plene et integre in posterum servetur; ac nemini liceat adversus ipsius dispositionem operari. Quod Decretum Sanctitas Sua mihi infrascripto Secretario mandavit in acta Sacrae Rituum Congregationis referre, ut ab iis ad quos spectat inviolabiliter observetur. Die 30 Aprilis 1816.

2569. URBIS (4519)

PIAE UNIONIS S. PAULI APOSTOLI.

Supplicantibus Sacerdotibus Piae Unionis Romae institutae sub invocatione S. Pauli Apostoli indultum fuit per organum Sacrae Rituum Congregationis ut ad reddendum Augustissimae Trinitati gratias pro donis et privilegiis collatis Bmae Virgini Mariae, in altera ex Ecclesiis eiusdem Virginis titulo decorata singulis diebus unum Sacrum fieret de SSma Trinitate, cum limitationibus ac conditionibus contentis in Decreto die 15 Aprilis currentis anni 1815, cuius tenor est: « Devotis exercitiis ac pietatis operibus, quibus indesinenter in spiritualem animarum profectum incumbunt Sacerdotes adscripti Piae Unioni sub protectione S. Pauli Apostoli in Urbe institutae, alterum adnumeratur excitandi fideles ad reddendum Augustissimae Trinitati gratias pro donis et privilegiis collatis Bmae Virgini Mariae; quamobrem ab iisdem Piae Unionis Sodalibus statutum fuit, ut in altera ex Urbis Ecclesiis in honorem eiusdem B. M. V. Deo dicatis, unum Sacrum singulis diebus fieret de SSma Trinitate, additis quibusdam precibus, expleta Missa, a Sacerdote priusquam ab Altari discedat cum adstante populo recitandis. Sed quoniam iuxta Rubricas Missas Votivas non semper celebrari permissum est, praefati Sacerdotes supplices preces porrexerunt SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max., humillime Eum exorantes, ut dignaretur facultatem ipsis impertiri celebrandi quotidie praefatam Missam Votivam de SSma Trinitate etiamsi occurrat Officium ritus dupl. Remissis autem huiusmodi precibus ad Emum et Rmum Dominum Iulium Mariam Cardinalem de So-

(1) V. Dub. 3, 4 et 5

malia Episcopum Tusculanum, Sanctitatis Suae in Urbe Vicarium Generalem et S. R. C. Praefectum, idem Emus Dominus, attenta remissione, et vigore specialium facultatum, benigne annuit precibus, iuxta modum; videlicet: indulsit ut in Ecclesia B. Mariae Virginis Lauretanae ad Columnam Traianam liceat quotidie unam dumtaxat Missam Votivam de SSma Trinitate celebrari in diebus ferialibus, ritus simpl., semidupl. ac etiam dupl. min.: in aliis diebus ritus dupl. mai. vel secundae classis Missa erit de Officio occurrente et Orationi addi poterit Commemoratio de SSma Trinitate, quae tamen Commemoratio non permittitur in diebus Dominicis primae classis aliisque diebus Officii dupl. primae classis. Indulsit praeterea ut in omnibus indistincte diebus, expleta Missa Votiva vel de Officio occurrente, a Sacerdote (priusquam ab Altari discedat) et ab adstante populo recitari possint suprascriptae preces, ab ipso Emo Domino et a me infrascripto S. R. C. Assessore revisae et reformatae. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Quod pium exercitium postea sub die 28 eiusdem mensis Aprilis auctum fuit Indulgentiis tum plenariis tum partialibus lucrandis a Christifidelibus rite dispositis, qui eidem interessent, veluti ex Decreto S. C. Indulgentiarum sequentis tenoris; videlicet: « Ex subdelegata Apostolica Auctoritate omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praefatae Missae nec non supradictis precibus in antedicta Ecclesia peragendis quotidie interfuerint, Indulgentiam Plenariam concedimus bis in quolibet mense lucrandam, in duobus videlicet cuiuslibet mensis diebus, eorum arbitrio eligendis: dummodo vere poenitentes confessi ac sancta Communione refecti fuerint et per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. In reliquis vero diebus eisdem Christifidelibus corde saltem contrito ac devote supradictae sanctae functioni interessentibus et, ut supra, orantibus, Indulgentiam tercentum dierum semel ab unoquoque in qualibet die lucrandam, pariter impertimur. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione, cum facultate applicandi easdem Indulgentias in suffragium fidelium defunctorum ».

Cum autem devotum hoc exercitium, quod usque dum in una tantum Urbis Ecclesia obtinet, ad respectivas eorum Dioeceses plures Episcopi, rati quod gratum acceptumque Deo sit ac Deiparae, extendi optent et postulent; ideo memorati Sacerdotes Piae Unionis S. Pauli Apostoli, ipsorum votis plaudentes, supplices preces porrexerunt SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max., Eum humillime deprecantes ut privilegium iam concessum pro Ecclesia B. M. V. Lauretanae Urbis ad Columnam Traianam, extendere dignaretur ad universi Catholici Orbis Dioeceses, facta potestate omnibus et singulis Episcopis seligendi unam dumtaxat Civitatis aut loci Ecclesiam, in qua possit quotidie unum Sacrum vel commemoratio fieri de SSma Trinitate dummodo licuerit, iuxta diversas occurrentias, ad formam enunciati Decreti, cum extensione simul Indulgentiarum ab interessentibus lucrandarum, adimpletis conditionibus in supra laudato S. C. Indulgentiarum Decreto expressis. Sed quoniam accidere forsan potest ut in aliquibus locis nequeat quotidianum huiusmodi peragi pium devotumque exercitium nullis interceptis diebus, queat tamen in una alterave cuiuslibet hebdomadae die, idcirco postularunt ut pro iisdem locis privilegium prosit et valeat, si Missa de SSma Trinitate vel altera de Officio diei cum vel sine commemoratione de eadem, iuxta diversas occurrentias, ut supra, celebretur, et adiunctae preces approbatae post Missam recitentur, prout in memorato Decreto, in singulis tantum Sabbatis et Festis B. M. Virginis. Ac tandem petierunt ut preces iam adprobatae possint pro diversitate regionum transferri et recitari, iuxta peculiare locorum idioma. Et Sanctitas Sua, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia Episcopi Tusculani, S. R. C. Praefecti, benigne annuit, iuxta petita; servato tenore Decretorum, tam per organum S. R. C. sub die 15 Aprilis huius anni 1815, quam per organum S. C. Indulgentiarum sub die 28 Aprilis huius pariter anni vertentis. Quoad vero preces, iuxta peculiare regionum idioma recitandas, pariter annuit, dummodo tamen versio sit fidelis et literalis sine ulla prorsus additione, detractione aut variatione.

2570. LUCEORIEN. (4523)

Circa praecedentiam in Ecclesiasticis functionibus inter Seminarium et Clerum in Cathedrali non praebendatum, instante Episcopo;

Iussit S. R. C. exquiri votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quo audito, ad relationem Emi et Rmi Domini Card. Antonii ab Auria, respondit: « Iuxta

votum, videlicet: In omnibus functionibus ecclesiasticis Seminario competere tantum praecedentiam supra Clericos in minoribus constitutos et adventitios; ut alias responsum fuit in Rodigen. Audren. 21 Martii 1620 ». Die 7 Septembris 1816.

2571. URBIS (4525)
COLLEGII
EPISCOPORUM ASSISTENTIUM.

Cum de ordine inter Episcopos Pontificio Solio Assistentes servando quaestio haud ita pridem orta fuerit: Utrum nempe a sua ad Episcopatum promotione, an potius a vocatione, quam dicunt, ad assistentiam, praecedendi ius iidem nanciscantur, de quo praescriptio, quae a Caeremoniali S. R. E. lib. 3, cap. 17 profertur, ambigendi locum relinquit, preces ad SSmum D. N. Pium VII Pont. Max. perlatae sunt, ut, ad omnem dubitationem tollendam, pro ea qua praestat sapientia et auctoritate, de controversia decerneret legemque in posterum tenendam pronunciaret. Re itaque ipsius iussu ad S. R. C. delata cunctisque, infrascripto Secretario referente, ad eam probe aestimandam propositis rationibus quae utrinque afferebantur, Emi Patres eidem Congregationi praepositi unanimes censuere: « Firmo extante praelationis iure Archiepiscoporum supra Episcopos, ius illud inter aequales a vocatione ad assistentiam, non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendum; atque hanc Regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt » declararunt. Die 7 Septembris 1816.

Facta autem, die 10 eiusdem mensis et anni, per me infrascriptum Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, confirmavit atque ita in posterum servari mandavit.

2572. TUDEN. (4526)

Cum Rmus Episcopus Tuden. in Hispania, attenta Sacrae Liturgiae Scriptorum discrepantia circa genuinam interpretationem nonnullarum Resolutionum S. huius C., anceps haeserit; et ad omnem anxietatem ex animo suo evellendam, recursum habuerit ad S. R. C. pro infrascriptorum declaratione dubiorum; videlicet: (1)

1. An Antiphonae B. M. V., quae dicuntur stando a Vesperis Sabbati, dici etiam debeant stando in fine Laudum, si recitentur die Dominica ante occasum solis pro Feria secunda?

2. An Officium Sancti Patroni habentis Antiphonas, Lectiones et Orationes proprias, in quibus mentio fit de Socio, recitari debeat omnino ut iacet tam in Festo Sancti electi in Patronum, quam in Festo Socii perpetuo translati; vel desumendum sit a Communi?

3. Utrum pluviale pro canendo Martyrologio in Vigilia Nativitatis Domini debeat esse coloris albi; vel potius violacei?

4. An in Missis non Conventualibus, quae cantantur in diebus secundae classis sine Diacono et Subdiacono omitti debeat commemoratio simplicis?

5. An in Missis privatis permitti possit Ministro aperire Missale et invenire Missam?

6. An in iisdem Missis privatis permitti possit Ministro, si fuerit Sacerdos, Diaconus vel Subdiaconus, ut praeparet Calicem et ipsum extergat in fine post ablutionem, sicut in Missa solemni?

7. An in Missa solemni permitti possint duo Missalia, unum in Cornu Epistolae, aliud in cornu Evangelii?

8. An Missae, quae praescribuntur assignandae ab Ordinario Feria V in Coena Domini ut populi possint commodius satisfacere praecepto, occurrente Festo S. Ioseph vel Annuntiationis in praedicta Feria, dici debeant cum *Gloria* et *Credo* sicut solemnes?

9. An possit in praedicto casu dici Missa S. Ioseph vel Annuntiationis, saltem ubi sunt Titulares?

10. An in Orationibus tam Officii quam Missae variari debeant *hunc diem* vel *hodiernum diem* vel *praesentem diem*, cum transfertur Officium, sive per accidens sive perpetuo?

11. An manus sinistra poni debeat super Missale ad Evangelium, cum dextera fit signum Crucis super ipsum?

12. An purificatorium benedici debeat? et quatenus affirmative,

13. Quaenam benedictio adhibenda?

14. An Sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhaerentes lateribus interioribus cuppae Calicis, quae aliquando resiliunt dum praeparatur ipsemet Calix?

15. An purificatorium poni debeat su-

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 9, 14, 17, 18, 19, 20, 22. 23, 24, 38, 39, 40, 43, 44.

per os Calicis dum praeparatur, vel potius super Patenam?

16. Utrum dici debeat *Credo* in Missis Litaniarum Maiorum et Vigiliae Nativitatis Domini, dum incidunt in diem Dominicam?

17. Cum Oratio secreta S. Valentini Martyris eadem sit cum Oratione secreta Feriae tertiae post Dominicam I Quadragesimae, idemque contingat in secreta Dominicae XXII post Pentecosten occurrentis in die S. Martini Episcopi (11 Novembris) et in secreta Missae pro tempore belli (quae aliquando praecipitur ab Ordinariis) occurrentis in die triumphi S. Crucis (26 Iulii) pro Hispania; dubitatur undenam desumendae sint hae Orationes in praedictis casibus?

18. An in Officio de Beato variari debeat in Oratione secreta verbum *Sanctus,* dicendo *Beatus?*

19. An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis, dum elevat manus et oculos, vel incipere debeat dum est iam profunde inclinatus?

20. An debeat Sacerdos pronuncians in Canone Missae nomen alicuius Sancti, de quo factum est Officium vel saltem commemoratio, facere inclinationem capitis?

21. An Sacerdos ponere debeat manus intra Corporale dum dicit Orationem *Supplices te rogamus* et Orationes ante Communionem?

22. An Sacerdos dicere debeat in Missa solemni *Ite Missa est, Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace?*

23. An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam vel Iubilaeum possit ministrari Sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem?

24. An in Officio defunctorum ante Lectionem *Parce mihi etc.* dici debeat ℣. *A porta inferi erue Domine animas eorum,* cum Officium pro uno tantum dicitur?

25. An Sacerdos in Missa de Requiem ponere debeat manum sinistram super Altare, dum facit dextera signum Crucis ad Introitum?

26. An populi celebrantes quotannis Festum Titularis in vigilia alicuius Sancti, teneantur anticipare ieiunium in die praecedente praedictum Festum?

Et S. R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scriptis exarato typisque vulgato, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Bardaxi, censuit respondendum:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Exponantur casus particulares ».

Ad 3. « Audiatur alter Magister Caeremoniarum ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative; et serventur Rubricae ».

Ad 6. « Ut ad proximum ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Affirmative ».

Ad 9. « Negative ».

Ad 10. « Nihil immutandum, inconsulta Sacra Congregatione ».

Ad 11. « Affirmative ».

Ad 12. « Negative ».

Ad 13. « Provisum in casu antecedenti ».

Ad 14. « Praxim extergendi Calicem purificatorio magis congruere, et summopere laudabilem esse ».

Ad 15. « Relinqui posse Sacerdotis arbitrio ».

Ad 16. « In Missa Litaniarum Maiorum, Negative; in Missa Vigiliae Nativitatis Domini occurrentis in Dominica, Affirmative ».

Ad 17. « Servetur Rubrica Missalis Tit. VII de commemorationibus, num. 8; et Oratio illa varianda, quae dicenda erit pro commemoratione ».

Ad 18. « Nihil immutandum, nisi in Secreta, in qua legendum sit proprium nomen Beati ».

Ad 19. « Servanda Rubrica de ritu servando in celebratione Missae Tit. VIII, num. 1; et altera Canoni praefixa ».

Ad 20. « Affirmative ».

Ad 21. « Servandas esse Rubricas, quae iubent manus ponendas esse super Altare, non intra Corporale ».

Ad 22. « Quoad *Ite Missa est,* Negative; quoad *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace,* Affirmative ».

Ad 23. « In casu de quo agitur, Affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur; vel ad formam Rubricae, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi ».

Ad 24. « Nihil immutandum ».

Ad 25. « Affirmative ».

Ad 26. « Negative; et in casibus particularibus recurrendum ad S. R. C. ». Die 7 Septembris 1816.

2573. TUDEN. (4527)

Cum pro parte et ad instantiam Rmi Episcopi Tuden. permulta dubia proposita fuerint in S. R. C. Ordinaria sub die 7 Septembris proxime elapsi anni, exposita in antecessum sententia unius ex Apostolicarum

Caeremoniarum Magistris, praelo quoque cusa; placuit Emis PP., ad relationem Emi et Rmi D. Bardaxì, super tertio ex propositis dubiis ampliare responsum, et votum exquirere alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris. Cum itaque is, iussu S. C. deputatus, sensum suum aperuerit super praefato dubio, videlicet: Utrum Pluviale pro canendo Martyrologio in Vigilia Nativitatis Domini, debeat esse coloris albi; vel potius violacei?

Emi PP. Sacris Ritibus praepositi, mature consideratis quae in voto a praefato Caeremoniarum Magistro typis impresso allegata fuerunt, ac referente eodem Emo et Rmo Dom. Card. Bardaxì, respondendum duxerunt: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam: hoc est, adhibendum pluviale coloris violacei ». Die 22 Martii 1817.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro relatione, die 25 eiusdem mensis et anni, per me infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsum approbavit, confirmavit ac Decretum, de quo supra, typis tradi publicique iuris fieri mandavit.

2574. URBIS (4529) ARCHICONFRATERNITATIS SAC. STIGMATUM.

Rituale Archiconfraternitatis Sac. Stigmatum Urbis, lib. 4, cap. 12, praecipit ut Feria V in Coena Domini, expleta ecclesiastica functione, Sacerdos una cum Sodalitatis Moderatoribus Mandatum seu pedum lotionem faciat. Verum novissimis temporibus, cum nonnullis hic ritus visus fuerit discors ab eo quem Rubricae Missalis Romani praescribunt, hinc Archiconfraternitatis Moderatores supplicem S. R. C. libellum porrexerunt, efflagitantes nihil in posterum esse innovandum circa ritum praefatum.

Et S. R. C., auditis matureque perpensis rationum momentis ab Archiconfraternitatis Patronis allatis, ac referente Emo et Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia S. eidem Congregationi Praefecto et Ponente, censuit rescribendum:

« Consuetudinem, de qua in precibus, esse eliminandam, servandamque in posterum Rubricam Missalis Romani ad faciendum Mandatum, firma semper manente prohibitione peragendi lotionem pedum in Ecclesia ». Die 22 Martii 1817.

2575. CALATAYERONEN. (4531)

SSmus Dominus Noster Pius VII Pont. Max., supplicante Serenissimo Principe Ferdinando IV utriusque Siciliae Rege, divisis ac dismembratis quindecim Terris ab extensa nimis Syracusana Dioecesi, Decretalibus Literis datis idibus Septembris anni proxime elapsi Calatayeronensem Dioecesim erexit a Civitate eiusdem nominis. Binae cum ea in Civitate adessent Collegiatae Ecclesiae, certatum est in antecessum, cuinam ius et honor Cathedralitatis competeret; verum loci commoditas dissidia composuit et S. Iuliani Templum iure et honore praefatis excelluit. Ecclesia vero cui a S. Iacobo titulus, attenta eiusdem insignitate, nomen consecuta Basilicae minoris ordinis, et ad statum, gradum et conditionem huiusmodi Basilicarum evecta est. Hinc inter Capitula praefatarum Ecclesiarum dubitatum: An ex vi Decretalium Literarum Apostolicarum, quibus Collegiata Ecclesia S. Iacobi Calatayeron. ad statum, gradum et conditionem Basilicae minoris evecta est, possit haec ipsa Ecclesia Conopaeum (vulgo *Padiglione*) et Tintinnabulum gestare, quamvis de hoc peculiari privilegio sileant Apostolicae Literae?

Et S. R. C., supplicantibus pro huiusmodi dubii declaratione Cathedralis Ecclesiae Calatayeronen. Canonicis, et exquisito prius voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto tradito praeloque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Quarantotti loco Emi et Rmi D. Card. Litta Ponentis, censuit rescribendum: « Ad D. Secretarium cum SSmo ». Die 22 Martii 1817.

Facta autem, die 25 eiusdem mensis et anni, per me infrascriptum Sacrae eiusdem Congregationis Secretarium de praemissis SS. Domino Nostro relatione; eadem Sanctitas Sua declaravit atque decrevit: « Iuxta Congregationis votum, posse Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Iacobi Civitatis Calatayeronen. vigore praefatarum Literarum Conopaeum et Tintinnabulum gestare; verum in iis tantum solitis et consuetis ecclesiasticis functionibus in quibus non concurrit cum altero Cathedralis Ecclesiae Capitulo: idque in Ecclesiae ambitu, vel intra limites tantum eiusdem Paroeciae, excepta dumtaxat ab hac limitatione solemni supplicatione ab eadem Collegiata fieri quotannis solita per vias Civitatis in die Festo S. Iacobi eiusdem Ecclesiae Titularis ». Atque ita decrevit, statuit et in posterum servari mandavit.

2576. CAMERINEN. (4532)

Cum nonnulli ex Parochis intra fines Ducatus et Dioecesis Camerinen. unum dumtaxat principem Patronum in uno quoque loco sub utroque praecepto venerandum colendumque contenderent, scilicet S. Venantium Camerinensem, posthabitis peculiaribus cuiusque loci Patronis principalibus, in quorum Festis sese exemptos assererent ab onere applicationis pro populo, prout per plures annos egerant; institum propterea fuit in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum pro declaratione: An Festum utriusque principis Patroni, Status scilicet Camerinen. et uniuscuiusque loci, celebrandum foret sub utroque precepto? Et num Parochi omnes in praefatis Festis tenerentur applicationi Missae pro populo? Ac tandem, quatenus ad hoc affirmative, quid agendum pro huiusmodi applicationibus omissis.

S. eadem R. C., ad relationem Eñi et Rñi D. Card. de Somalia eidem Congregationi Praefecti ac Relatoris, habita prius informatione de praemissis per Rev. Vicarium Capitularem Camerinen. scripto reddita, respondit: « Servandum esse de praecepto utrumque Festum et Parochos teneri ad applicationem Missae pro populo, et ad D. Secretarium cum SSño ». Die 22 Martii 1817.

Facta autem, die 25 eiusdem mensis et anni, per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSño D. N. relatione Sanctitas Sua S. C. sensum approbavit et confirmavit atque in posterum servari mandavit: annuitque pro absolutione quoad praeteritum.

2577. PUTEOLANA. (4534)

Zelo gloriae Domini animarumque salutis correptus Puteolanus Episcopus sui muneris partes esse apprime novit panem esurientibus frangere gregemque sibi commissum pascere. Hinc singulis Dominicis diebus eidem in more est, instructa Cathechesi, per se ipsum populo ad maius Templum confluenti Christianae Religionis rudimenta tradere, nonnullis superadditis precibus ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, quo cum gregem benedici congaudet. Haec, ut debitis reverentia et decore fiant, mandat ac praecipit ut, expleta Vesperarum recitatione, locum habeant, Canonicis interea sibi concionanti assistentibus et Completorium post praedictas functiones persolventibus. Verumtamen id aegre ferentes Canonici instïterunt in S. R. C. pro sequentium dubiorum resolutione:

1. An Episcopus censuris et poenis vel distributionum amissione valeat Canonicis Ecclesiae Cathedralis praescribere, ut Catechismo intersint quem ad populum habet, eidemque in Ambone concionanti assistere, si id faciat talari habitu indutus, vel cum mozzetta et Stola?

2. An idem Episcopus possit praescribere ut, Vesperis in Choro peractis, recitatio Completorii suspendatur, usque dum Sacra Pyxis in maioris Altaris Tabernaculo collocetur, Cathechismus vel Concio ad populum absolvatur, quaedam Orationes recitentur in conspectu SSñi Sacramenti et fiat cum eo benedictio, quod est contra Ecclesiae Puteolanae consuetudinem, cum eiusdem Canonici soleant post Vesperas statim Completorium recitare?

Et S. R. C., audita prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, praelo tradita atque evulgata, ad relationem Eñi et Rñi D. Card. Quarantotti eiusdem Causae Relatoris, etsi commendatione dignum Eñi PP. duxerunt zelum Puteolani Antistitis, nihilo tamen minus, Canonicorum Procuratoribus scripto et voce auditis, censuit respondendum: « Iuxta votum; hoc est, de iure Canonicos non teneri ». Die 22 Martii 1817.

2578. DUBIORUM. (4536)

Cum Caeremoniarum Magister, cui incumbit onus dirigendi ecclesiasticas functiones in quadam Ecclesia Cathedrali, nonnullos animadverterit in illa mores qui ei sacris ritibus aut minus conformes aut etiam repugnantes visi sunt, hac super re consuluit S. R. C. et sequentia dubia eidem decidenda proposuit, videlicet:

1. Diebus Feriarum Adventus et Quadragesimae, Vigiliarum et Rogationum, Canonici Cathedralis Ecclesiae non privilegiatae, si dies sit Festivus, celebrare solent Missam de Feria post Tertiam, de Sancto vero occurrente post Nonam; quia aiunt se vicem gerere Episcopi. Hinc quaeritur: An haec consuetudo sit toleranda; vel potius tamquam abusus tollenda?

2. An Magister Caeremoniarum in egressu e Sacristia pro Matutinis, Laudibus et Vesperis solemniter persolvendis praecedere debeat Presbyteris pluvialibus indutis et Ministris Sacris in celebratione Missae; vel cogi possit ire immediate ante Canonicum cele-

brantem, praesertim si Ministri sint prae Celebrante gradus inferioris?

3. An Canonici Cathedralis, de qua supra, uti possint palmatoria in celebratione Missae, etiam quando celebrant extra Cathedralem? Similiter in aliis functionibus ecclesiasticis, Vesperis, Benedictionibus etc.; saltem ex praetextu obscuritatis in aliquibus casibus?

4. In eadem Cathedrali, quando celebrat Canonicus, Diaconus et Subdiaconus aliquando sunt inferioris ordinis: quaeritur: An haec consuetudo retineri possit? et quatenus affirmative: An deceat Canonicum celebrantem esse in paramento pretioso, Diaconum et Subdiaconum paratos esse inferiori Dalmatica et Tunicella?

5. An, celebrante Canonico Cathedralis, Diaconus itidem Canonicus, porrigendo cochlear, Patenam, Calicem, teneatur osculari manum Celebrantis; vel potius, quia est Canonicus, oscula huiusmodi sint omittenda?

6. An Canonici supradictae Cathedralis teneantur Missas celebrare ut quilibet alius Sacerdos simplex; vel potius ipsis liceat cogere Clericos inservientes ut deferant Calicem ad Altare, ab eo reportent, eum detegant et cooperiant in Missa, aperiant Missale etc.?

7. An concionator, absente Episcopo, post reverentiam generalem factam Capitulo et deinde populo, teneatur, vix incepta concione, iterum veniam exhibere seu postulare a Canonicis; quia, ut aiunt, unum sunt cum Episcopo?

8. An Magister Caeremoniarum stare debeat semper, reliquis Clericis et Acolytis sedentibus, in Vesperis, Matutinis et Laudibus solemnibus?

9. An authenticum sit Decretum his verbis conceptum: Magistro Caeremoniarum nullum competere locum in sedendo, sed stare debere, dum munus suum exercet, iuxta dispositionem Caeremonialis Episcoporum. (1)

10. An omnes Capitulares teneantur obedire Caeremoniarum Magistro ab Episcopo electo in his quae divinum cultum respiciunt; vel potius considerari ille debeat tanquam Capitularium famulus?

11. In praefata Cathedrali tempore divini Officii exponitur Lignum Sanctae Crucis, tam in Festo Inventionis quam in altero Exaltationis: in Festo Inventionis celebrat Canonicus et cum illo populo benedictionem impertit antequam reponatur: in secundo, quia celebrat Beneficiatus, sine ulla populi benedictione transfertur per Sacristam in suum repositorium. Quaeritur: An haec distinctio attendenda sit; vel potius populus sit benedicendus etiam in Festo Exaltationis, in quo non celebrat Canonicus sed Beneficiatus?

12. In eadem Cathedrali singulis annis celebratur Anniversarium pro anima. . . . . Summi Pontificis; in hoc Anniversario ad tumulum exponuntur insignia rubri coloris auro intexta, sicuti Triregnum, Casula, Stola etc. Ulterius pro eodem Anniversario dicitur Invitatorium, unum Nocturnum, ut in secundis Feriis tempore Adventus et Quadragesimae: ac tandem cantatur Missa, tertia in ordine, cum Oratione: *Deus indulgentiarum Domine etc.* Quaeritur 1. Utrum haec Insignia rubri coloris apponi possint? 2. An in casu dicendi sint tres Nocturni et antiphonae sint duplicandae? 3. An dicta Missa et Oratio legi possit?

DUBIA ADDITIONALIA.

1. An Canonici Cathedralis in administratione Sacramentorum, tam intra quam extra Cathedralem Ecclesiam, teneantur deponere cappam atque uti superpelliceo et Stola, iuxta Rituale Romanum?

2. An teneantur dicti Canonici cappam deponere, tam intra quam extra Cathedralem, dum verbum Dei praedicant, vel dum officium Sacerdotis assistentis in Missa novi Celebrantis aliasque quascumque non capitulares functiones exercent?

3. An uti possint Clericis et Caeremoniario veste violacea indutis, eosque cogere ad sibi sic indutos serviendum in administratione Sacramentorum atque in aliis quibuscumque functionibus ecclesiasticis non capitularibus, tam intra quam extra Cathedralem?

Et S. R. C., exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Cacciapiatti Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam: et servandus modus praescriptus in Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 3, § 1 ».

(1) E. Dub. 10.

Ad 3. « Negative in omnibus, nisi habeatur Apostolicum indultum, de quo certioretur Sac. Cong.; et detur Decretum generale ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; et quoad secundam, congruere quod Dalmaticae et Túnicellae, si fieri potest, conformes sint Planetae Celebrantis, quia sacra haec indumenta non ministrorum ornatui sed ecclesiasticae functionis decori inserviunt ».

Ad 5. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et detur Decretum in una Urbis 22 Aprilis 1690 ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et dentur Decreta in Senen. 20 Iulii 1686, in Aquilana 20 Ianuarii 1735, ac in Asculana 27 Maii 1788 ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Affirmative, dum munus actualiter exercet; secus Negative: et detur Decretum in Patavina 28 Novembris 1609, et 8 Maii 1617, et in Viterbien. 30 Aprilis 1701 ».

Ad 9. « Decretum quod relationem habet ad Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 5, authenticum esse; intelligendum tamen, quod non sit Caeremoniario locus in sedendo, quando actualiter suum exercere debet officium; et provisum in responsione ad 8 ».

Ad 10. « Capitulares omnes teneri obedire Caeremoniarum Magistro in iis quae divinum cultum respiciunt; eumdemque in sui muneris exercitio esse Capitularium Directorem, non famulum ».

Ad 11. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 12. « Quoad primum quaesitum relate ad insignia coloris rubri, Negative; et in casu super tumulum apponi posse Triregnum simplex: ad secundum, servari posse consuetudinem recitandi unum dumtaxat Nocturnum, sed sine Invitatorio: ad tertium, Negative; et in casu dicendam primam Missam cum Oratione: *Deus, qui inter summos Sacerdotes etc.* ».

AD DUBIA ADDITIONALIA.

Ad primum « Affirmative ».

Ad secundum « Negative in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus; excepta Sacramentorum administratione, in qua utendum est superpelliceo et Stola, ut ad primum: Affirmative, extra propriam Ecclesiam, et detur Decretum generale ».

Ad tertium « Negative ».

Et ita declaravit, decrevit et servari mandavit, si SSmo videbitur. Die 31 Maii 1817.

Facta autem per me subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione, die 4 Iunii eiusdem anni, Sanctitas Sua S. C. responsa approbavit et confirmavit; et Decreta generalia, de quibus supra, typis impressa evulgari mandavit.

2579. DECRETUM GENERALE. (4537)

Pluribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis, ac praesertim in Urbinaten. sub die 29 Ianuarii 1752 in responsione ad 4 cautum est, ne Dignitatibus et Canonicis Cathedralium Ecclesiarum, quamvis Pontificalium privilegio honestatis, liceat adhibere palmatoriam, tam in Missis lectis et privatis quam in solemnibus et pontificalibus; quod potiori iure de ceteris quibuslibet ecclesiasticis functionibus in propria et in aliena Ecclesia intelligendum est. Alias quoque, ac speciatim in Panormitana 12 Martii 1678, eadem Sacra Congregatio decrevit, ut Canonici qui usu cappae et rochetti donati sunt, hisce aliisve sibi tributis honorum insignibus utantur dumtaxat in propria Ecclesia; quod si privilegio polleant ea induendi etiam extra, nonnisi in Supplicationibus aliisque ecclesiasticis functionibus, quibus capitulariter, non autem uti singuli intersunt, ea possint adhibere. Ast, cum adversus haec aliaque id genus Sacrae Congregationis Decreta abusus haud mediocres irrepsisse dignoscantur, quemadmodum patet ex quaestionibus et dubiis, quae saepenumero enodanda proponuntur; idcirco EE. PP. eidem Congregationi praepositi, id impensissime connitentes, ut quae de Sacris Ritibus et Caeremoniis providentissime sancita sunt, sarta tecta serventur; et si quae perperam atque ab eorum dispositione plane absona invaluerint, auferant: in Ordinario Conventu, habito sub infrascripta die, in Responsis ad dub. III. et ad dub. ex additionalibus II, in una Dubiorum, de re utraque Generale Decretum, facto verbo cum SSmo, ferendum, atque edendum esse censuerunt; et ideo declaratur:

1. « In Sacris functionibus, sive publicis sive privatis, non licere Dignitatibus et Canonicis, Superioribus Regularibus, Praelatis quoque Romanae Curiae, Protonotariis Apostolicis honorariis, aliisque omnibus quocumque nomine nuncupentur, quibus ex iure non competit, etiamsi habeant ex indulto

usum mitrae, palmatoriam adhibere, nisi Apostolico privilegio donentur, vel hoc personale sit, vel Corpori cuius membra sunt attributum; ita tamen ut non aliter eo uti possint, quam servatis modo et forma ac cum limitationibus et conditionibus in Apostolica concessione praescriptis ».

2. « Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rochettum, tam in propria quam in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque Canonicalium insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse dumtaxat quando capitulariter incedunt, vel assistunt et peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum Collegium comprehendat, verum etiam singulariter, et distincte ad personas extendatur ».

Et ita declaravit, decrevit et servari mandavit, si SSmo videbitur. Die 31 Maii 1817.

Facta autem relatione per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max., die 4 Iunii eiusdem anni, Sanctitas Sua Sacrae Rituum Congregationis Decretum Apostolica confirmatione munitum, typis tradi ac evulgari iussit.

2580. ASTEN. (4540)

Aloysius Biandra Sacerdos Taurinen., olim Canonicus Regularis et per Breve s. m. Pii Papae VI Abbas perpetuus Congregationis Lateranensis cum omnibus privilegiis Abbatibus competentibus, nunc Archipresbyter Ecclesiae parochialis antedictae suppressae Congregationis loci *Neive* Dioecesis Asten., supplices porrexit preces penes S. R. C., quatenus declarare dignaretur sibi licere in ecclesiasticis eiusdem Paroeciae functionibus uti Abbatialibus privilegiis in memoratis Literis expressis, non obstante sequuta dictae Congregationis suppressione, dummodo non adsit Episcopus.

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Cacciapiatti, respondendum censuit: « Negative; et consulendum Sanctissimo pro usu personali mozzettae, ad instar aliorum Parochorum ». Die 31 Maii 1817.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Dom. Nostro relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum laudavit, concessitque Archipresbytero oratori in omnibus parochialibus functionibus usum mozzettae dumtaxat, instar aliorum Parochorum, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 4 Iunii 1817.

2581. NEAPOLITANA. (4543)

Alias sub die sexta Maii labentis anni ad humiles preces Sacerdotis Gregorii Speroni Caudatarii, et ab intimo Sacello Sanctissimi Domini Nostri Pii VII Pont. Max., Postulatoris causae Ven. Servae Dei Sor. Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. I. C. Tertiariae Professae Ordinis Minorum excalceatorum S. Petri de Alcantara Provinciae Neapolis, eadem Sanctitas Sua rescripsit: Dignitates et Canonicos, qui in Civitate vel Dioecesi Neapolitana Apostolicae Inquisitioni super virtutibus et miraculis in specie dictae Ven. Servae Dei operam navabant, lucrari distributiones non solum quotidianas, veluti s. m. Benedictus XIV edixerat, verum etiam eas omnes quae, ex Legatis Piis ac dispositione testatorum, Canonicorum praesentiam in Choro expresse exquirunt. Interea vero dubitatum cum fuerit, an huiusmodi indultum et declaratio unum tantummodo respiceret Processum Ven. Mariae Franciscae, de quo in precibus; an vero demonstrative intelligendum esset favore Dignitatum et Canonicorum, qui ubique locorum et quandocumque eiusmodi inquisitionibus adornandis, electi et designati, vel in posterum eligendi et designandi fuerint; ideo Sacerdos Caietanus Festinese Metropolitanae Ecclesiae Canonicus et Neapoli Vicarius Generalis humillime a SSmo Domino Nostro petiit declarationem dubii, de quo supra:

Et Sanctitas Sua, ad infrascripti S. R. C. Secretarii relationem, ampliando Rescriptum diei 6 Maii currentis anni, declaravit ac definivit per modum Regulae: « Digintatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis in posterum Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet e Choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi iuxta taxam s. m. Benedicti XIV, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine, ac quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes: indultum autem atque exemptionem huiusmodi iis dumtaxat diebus locum habere voluit, in quibus conficiendis et adornandis inquisitionibus incumbent ». Atque ita decrevit, statuit atque in posterum servari mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Dec. 1817.

2582. DECRETUM GENERALE. (4544)

Per generale Decretum die 30 Decembris 1783 editum, et a fel. rec. Pio PP. VI

confirmatum die 7 Ianuarii 1784, declaratum fuit: In celebratione Nuptiarum, quae fit extra Dominicam aut alium diem Festum de praecepto vel in quo occurrat Dupl. 1 vel 2 classis, etiamsi fiat Officium et Missa de Festo dupl. per annum sive mai. sive min., dicendam esse Missam pro Sponso et Sponsa, in fine Missalis post alias Missas Votivas, specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis aliisque Festis de praecepto aut dupl. 1 vel 2 classis, dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa. Verumtamen, cum interea nonnulla excitata fuerint dubia circa rubricam in hac celebranda Missa servandam et Parochorum sensus sit varius, quippe quia aliqui eidem Missae Hymnum Angelicum adiiciendum censent, cum ℣. *Ite Missa est* in fine; alii vero etiam Symbolum Nicenum legendum putant, ea freti ratione quod haec Missa ceu solemnis et pro re gravi haberi debeat; ideo ad amputandas controversias et dubitationes, utque ab omnibus unus idemque conveniens ritus servetur, Sacra Rituum Congregatio, subscripto Secretario referente et re mature discussa, declaravit (firma remanente dispositione praefati Decreti quoad designationem dierum, in quibus Missa votiva pro Sponso et Sponsa celebrari potest), eamdem esse votivam privatam, proinde semper legendam sine Hymno Angelico et sine Symbolo Niceno, cum tribus Orationibus, prima videlicet eiusdem Missae votivae propria, 2 et 3 diei currentis, ut habetur in Rubrica Missalis Tit. VII, num. 3, de Commemorationibus: et cum *Benedicamus Domino* in fine, et ultimo Evangelio S. Ioannis. Et ita decrevit. Die 28 Februarii 1818.

Facta autem per me subscriptum Secretarium relatione SSmo D. N. Pio VII Pont. Max., Sanctitas Sua praefatum Decretum approbavit, confirmavit mandavitque praelo tradi et publici iuris fieri. Die 3 Martii 1818.

2583. DE PRIVILEGIIS (4545) PROTONOTARIORUM TITULARIUM SEU HONORARIORUM.

Quamquam plura de Protonotariis, quos Titulares seu Honorarios dicunt, a Sacra Rituum Congregatione Decreta edita sint, prout videre est in nuperrima Decretorum eiusdem Collectione, experientia tamen compertum est complures abusus percrebuisse illorum culpa, qui nullis licet ut plurimum nominibus commendati, talem honorem assequuti vel iura sibi vindicare audent quibus careant omnino, vel delatae Dignitatis insignia indecore admodum adhibent, ut nedum ipsorum splendorem haud referant pro Dignitate, sed labem potius Ordini spectatissimo parent.

Cum itaque crebrae de iis expostulationes ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium VII humiliter etiam nomine plurium Episcoporum sint perlatae, Sanctitas Sua rem universam discutiendam commisit Congregationi particulari Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium de Somalia Sacrae Rituum Congregationis Praefecti, Litta et Antonii ab Auria, qui una cum eiusdem Sacrae Congregationis Assessore et altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, atque infrascripto Secretario, omnibus praediti facultatibus necessariis et opportunis, remedia proponerent, quae expedire magis viderentur et certas praefinirent conditiones ac leges, quibus eorumdem Privilegiorum modus et usus contineretur.

Quare habito ad infrascriptum diem Conventu in aedibus memorati Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis de Somalia Praefecti, omnibusque serio diligenterque perpensis, id in primis communi sententia visum est decernere, ut nimirum personarum delectus haberetur in Protonotariatus honore deferendo, et nonnisi qui rite, honeste ac pro dignitate id honoris sustinere valeant, eodem ornentur.

Proferantur idcirco Testimonia, quibus constet indubie:

1. De nobili vel honesta Familiae conditione.

2. De aetate saltem annorum vigintiquinque.

3. De statu Clericali et caelibi.

4. De Laurea Doctoratus in utroque iure vel in Sacra Theologia a probata Universitate vel a Collegio Protonotariorum Participantium rite tributa.

5. De morum honestate et gravitate ac de bona apud omnes aestimatione.

6. De annuo censu scutorum saltem biscentum vel ex patrimonii bonis, vel ex perpetuis pensionibus aut ex ecclesiasticis Beneficiis.

Sit praeterea petitio testimonio commendata Ordinarii, qui, et de rebus hic adnotatis, ob sibi tradita documenta edoceat, et personam idoneam se censere testetur, quae

Officium Protonotarii Titularis assequatur illudque cum decore sustineat.

Quae quidem omnia luculenter probanda esse cautum est; quoties de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, sive per Apostolicas Literas sive per Diploma, quod a Collegio Protonotariorum participantium tribuatur, seu a ceteris quibuslibet qui iure gaudent illum conferendi.

Hisce de electione Protonotariorum Titularium constitutis, cum eos longe differre palam sit ab illis qui sunt de Collegio Participantium, vel ad instar Participantium a Sanctissimo Domino Nostro ex Romanae Curiae Praelatis adsciscuntur, decretum est ea dumtaxat privilegia, iura, exemptiones, praeeminentias, praerogativas iisdem competere, quae infra singillatim enumerantur: aliis proinde quibuscumque praesenti Decreto non descriptis, irritis declaratis et deletis et abrogatis, utpote quae ex falsa plerumque Diplomatum interpretatione, vel ex prava consuetudine, vel alio quovis praetextu usurpabantur; iisque insuper moderatis ac reformatis, quae licet alias tribuerentur, gliscentibus tamen malis occasionem praebuisse dignoscuntur.

1. Igitur ius erit Protonotariis Apostolicis Titularibus extra Urbem dumtaxat, et quando eo loci ubi degunt, non adsit Summus Pontifex, uti habitu Praelatitio, videlicet veste talari et palliolo nuncupato mantelletto nigri coloris.

2. Eo habitu Praelatitio nigri coloris cum rochetto subtus palliolum uti poterunt Protonotarii in publicis supplicationibus aliisque Ecclesiae functionibus; in reliquis vero rochettum dimittant, simulque sciant se, licet forte plures insimul conveniant, non exinde constituere Collegium nec corporatos censeri.

3. Usus collaris et caligarum coloris violacei omnino interdicitur, item et vitta seu cordula in pileo coloris violacei seu etiam, quo nonnullorum audacia erupit, rosacei aut rubei, quae nigri dumtaxat coloris esse potuerint: eiusdem coloris sit pariter pileum cum lemniscis stemmatibus imponendum.

4. Protonotarii Titulares, qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur, habitum gestent sui Ordinis, non vero Praelatitium, in Choro, eoque consideant in loco, quem ex Beneficio eos deceat: quod si habitu Praelatitio uti velint, distributionibus quotidianis priventur, quae Sodalibus accrescant.

5. Habitu Praelatitio induti, omnibus Clericis, Sacerdotibus simplicibus et etiam Canonicis praeferendi sunt singulatim sumptis, non vero in Collegium coëuntibus. Neutiquam etiam praeferendos se esse arbitrentur aut Apostolicis Nunciis aut utriusque Signaturae Referendariis aliisve ex Romanae Curiae Praesulibus, etiamsi nullum ex sui muneris insignibus ii gestent, dummodo de ipsorum gradu non lateat; item nec antecellant Vicariis Generalibus aut Capitularibus, aut Abbatibus.

6. Sacrum operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differunt; idcirco sacras vestes induant in Sacrario, uno tantum Ministro utantur, ipsique Calicem deferant, detegant, cooperiant: item Libri Missarum folia evolvant; vetantur praeterea palmatoriam, Canonem, annulum, pileolum adhibere.

7. Quando adstant ad Sacra cum habitu Praelatitio, non genuflectant, sed caput inclinent, uti in more est apud Canonicos Cathedralium: duplici ductu thurificentur: consideant vero in loco per Caeremoniale Episcoporum constituto.

8. Conficere possunt Acta de Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei; quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e Protonotariis Participantibus.

9. Item rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Iudices Synodales, in Commissarios Apostolicos et Iudices a Summo Pontifice adsciscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis qui eo gaudent privilegio.

10. Beneficia eorum qui Protonotariatum Titularem per Apostolicas Literas vel per Diploma Collegii Protonotariorum Participantium assequuti sunt, nonnisi ab Apostolica Sede conferri possunt.

11. In civilibus negotiis, nec non in criminalibus atque in vitae disciplina, Ordinariis Locorum obnoxios plane se esse noverint, nullaque ratione ab ipsorum Iurisdictione liberos se comminiscantur.

12. Etsi habitum Praelatitium non gestent, gaudent tamen Privilegio Fori, dummodo in habitu et Tonsura incedant.

13. Familiaribus Papae minime accensentur, cum hoc Privilegio gaudeant Protonotarii dumtaxat e Participantibus, vel Romanae Curiae Praelati qui ex Pontificis benignitate iisdem aequiparantur.

14. Quae hic percensentur Privilegia ea

sunt, quibus dumtaxat Protonotarii Titulares donatos se sciant: qui secus facere aliisque praeter memorata Privilegiis ac iuribus uti auserint, si ab Ordinario, tamquam ab Apostolica Sede Delegato, semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso privatos delato honore se sciant.

15. Tandem qui Protonotariatu Titulari donati sint, vel per Apostolicas Literas vel alio legitimo Diplomate, nequeant uti ipsius iuribus ad huiusce Decreti praestitutum constabilitis, nisi antea vel Apostolicas Literas vel Diploma ipsum in Officio Secretarii Collegii Protonotariorum de numero participantium exhibuerint, qui in Codicem referat nomen, cognomen, aetatem, patriam, qualitates novi Protonotarii Titularis, ac praeterea diem ad quam vel Breve vel Diploma datum est.

Idem porro Protonotariatus privilegium in Secretaria Protonotariorum Participantium recognitum exhibeant Ordinario, apud quem vel apud aliam personam in ecclesiastica Dignitate constitutam, Fidei professionem et fidelitatis iuramentum emittant.

Quibus peractis, fas ipsis sit habitum sui gradus induere, officium tenere, uti privilegiis, honoribus, praerogativis, quorum notula typis impressa et ab aliquo ex Protonotariis Participantibus subscripta et obsignata iisdem tradetur, ne quid adversus haec Decreta ex ipsorum ignoratione peragi contingat.

Quare tum Literae Apostolicae in forma Brevis, tum Diplomata, quibus Protonotarii Titulares creantur, concinnanda erunt iuxta huiusce Decreti sententiam, ne qua ibidem ab eo aliena describantur.

Nihil autem hoc Decreto immutatum censeatur de amplioribus privilegiis, quibus Collegia quaedam et Capitula ex Apostolico indulto, etiam ad instar Protonotariorum Participantium, alicubi gaudeant. Leges tamen et conditiones in iisdem indultis praefinitae accurate religioseque serventur: neque ulli fas sit concessionis limites pro suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia id genus insignia deferre, vel sibi singulatim et extra Collegii functiones attributa existimare, quae Corpori tantummodo sunt collata.

Demum eadem particularis Congregatio censuit rogandam esse Sanctitatem Suam, ut singula hoc Decreto proposita dignetur Constitutione Apostolica confirmare. Die 27 Aprilis 1818.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI
Die 9 Iunii 1818.

Sanctissimus, me infrascripto Secretario referente, Resolutionem particularis Congregationis benigne adprobavit, et Apostolicam Constitutionem expediri iussit cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

I. M. CARD. EPISC. TUSCULANUS DE SOMALIA
S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco ✠ Sigilli

I. A. Sala S. R. C. Secretarius Coadiutor.

Sequitur Constitutio SSmi. Dom. Nostri PII PP. VII, qua confirmantur praefata Decreta.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum innumeri ubique terrarum extiterint Viri gloriosi, qui, saeviente adversus Christianum nomen Gentilium Potestatum furore, illud tamen confiteri coram hominibus haud veriti sint, duriora quaeque tormenta mortemque ex cruciatuum vi immanissimam, laeto constantique animo perpessi, sapienti profecto, providentissimo consilio novimus, vel a primis temporibus constitutum, ut tot tamque illustria facinora, nedum in eorum gloriam sed et in ceterorum exemplum luculentissimum, et in maximam Fidei commendationem quae tantam iniiciebat virtutem, diligenter scriptis accurateque mandarentur. Hinc Sancti Clemens I et Antherus item I in Urbe, et per alias omnes Regiones, qua Dominicae Crucis professio late patebat, Viros adlegare, pietate, prudentia, studioque Religionis spectatos, *Notarios* primum, ac deinde honoris et dignitatis caussa *Protonotarios* nuncupatos, qui brevibus etiam, ubi ex hostium metu opus esset, notis referrent clanculum in Tabulas Martyrum nomina factaque ab ipsis Martyria et cunctas eorumdem res praeclare gestas, ac verba cum primis graviora, quibus ex Divinitatis instinctu compellare Praesides Tyrannosque, ac de Paganorum caecitate affari disertissime consueverunt.

At pace demum Ecclesiae feliciter data, Martyriorumque propterea recensione cessante, non inde tamen Protonotariorum mu-

nus sublatum est; sed imo ex Sancti Iulii I Praedecessoris Nostri auctoritate demandatum iisdem est studiose describere, quae de Fide ac Disciplina Sacrorum decernebantur, eaque et cetera omnia rei sacrae monumenta apte periteque notare, atque una cum Actis Martyrum in Scriniis Ecclesiae recondita ad posteritatis memoriam custodire.

Amplissimum idcirco Protonotariorum Apostolicorum Officium habitum semper est, ac pro muneris ipsius personarumque illud obeuntium ratione, omni prorsus aetate per Praedecessores Nostros illustribus Pontificiae benevolentiae testimoniis est honestatum. Nominatum prae ceteris volumus Sixtum V felicis recordationis (1), qui cum eos septem dumtaxat, pro septem Urbis Regionibus designatos nactus esset, duodecim deinceps esse iussit, clarioribusque privilegiis donatos, reditibus etiam cumulavit, quibus ad honoris dignitatem referendam necessaria suppeterent.

Cum vero praeter statos hosce Protonotarios, qui de numero Participantium vocati sunt, alios etiam, qui iisdem forsitan Adiutores adstarent, viros et laude virtutum et nobilitate generis et meritis in rem et sacram et publicam probatissimos in Urbe elegerint Romani Pontifices, eos etiam omnibus, quibus Protonotariorum Collegium potitur privilegiis honorisque insignibus, auctos decrevere.

His accesserunt exteri quidam Protonotarii in aliis Catholici Orbis regionibus in idem munus per Romanos Pontifices adsciti, pietate, doctrina et satis honesta generis conditione commendati, peculiaribus privilegiis instructi. Verum (quae sane humanarum rerum conditio est plane collugenda) decursu temporis titulares id genus Protonotarii extra Urbem ex auctoritate statis quibusdam personis ad eos adsciscendos collata, vel ex Officii quod gerebant iure, in eum gradum nullo delectu nulloque discrimine obtrudi coeperunt, atque ita quod vel sua aetate querebatur Sixtus IV in ingentem multitudinem crevere (2); quo factum fuisse novimus, ne dum ut in contemptionem ipsi, despectumque adducerentur, sed et eo audaciae devenerint, ut Protonotariis de numero Participantium, aliisve quos ex Romanis Praesulibus honoris causa a Pontificibus in eorumdem privilegiorum communionem praemonuimus advocari, assimilatos se esse, iisdemque proinde iuribus potiri, quin et a debita in Antistites fide et obsequio exsolutos se esse comminiscantur.

Cum igitur Venerabiles Fratres Episcopi complures, datis ad Nos Literis, innumeros exinde abusus invaluisse existimaverint; cumque pro commissa Nobis Dominicae Vineae procuratione succrescentes vepres ex ea evellere adigamur, opportune in eam rem consulere censuimus. Particulari idcirco Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium de Somalia Sacrae Rituum Congregationis Praefecti, Litta et Antonii ab Auria, nec non eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Secretarii, Assessoris et alterius ex Nostris Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quibuslibet eidem attributis facultatibus, etiam extra ordinem, necessariis et opportunis, id demandavimus, ut omnia ea quae circumferuntur Titularium huiusmodi Protonotariorum extra Urbem Privilegia, ad severiores iuris Canones atque Regulas expenderet, iisque ad ipsius iuris praeceptiones descriptis, cetera quaelibet ab iisdem absona abrogaret, ac certam stabilemque methodum sanciret, qua et abusus, quos infeliciter percrebuisse perdolemus, convellerentur, et statae quaedam leges conditionesque praefinirentur, quibus et Personarum delectus habeatur et usus Privilegiorum debitis limitibus contineatur, ac ne ulla imposterum honestissimo Protonotariorum coetui labes inspergatur, salubri consilio prospiciatur. Universa itaque rei ratione in examen deducta, Nostris hisce votis mirifice eadem peculiaris Congregatio obsecundavit, dataque sibi auctoritate utens opportune post multam operosamque consultationem tulit demum, atque sancivit Decreta, quae sequuntur videlicet:

DECRETUM *De Privilegiis Protonotariorum Titularium hic omittitur, quia supra per extensum relatum est.*

Haec igitur Nos, ut firmius maneant omnibusque pateant, illa quidem approbatione non contenti, qua viva, ut dici solet, voce simul ac Nobis a memoratae particularis Congregationis Secretario relata fuerunt, eadem confirmavimus; solemni etiam edita Constitutione, quam Congregatio ipsa tantopere concupivit ac a Nobis deprecari fecit, rursus approbari voluimus et demandavimus, perinde ac Literis hisce Nostris re vera efficimus, approbamus et confirmamus,

(1) Constit. Rom. Pont. XIX. — (2) Extrav. 1. de Tregua et pace in Comm.

iisdemque novum atque stabilius inviolabilis Apostolicae firmitatis ac auctoritatis robur adiicimus: hisce praeterea significamus ac omnibus expresse aperteque indicimus, ea Titularium, de quibus res est, Protonotariorum extra Urbem privilegia, quae in exscriptis illis eiusdem particularis Congregationis Decretis recensita non fuerint, tamquam intolerabiles abusus a Nobis plane interdicta, irrita, deleta et abrogata intelligi atque definiri, non secus ac solemniter interdicimus, delemus, abrogamus et irrita esse iubemus ac definimus. Quamobrem haec omnia novis non modo imposterum renuntiandis, sed etiam iampridem renuntiatis et actu existentibus Titularibus huiusmodi Protonotariis, contraria qualibet ac quantumvis antiqua possessione, usu atque consuetudine penitus abrogata, iterum iterumque solemni hac Nostrae Apostolicae auctoritatis significatione nunc interdicimus, auferimus et abiudicamus, ac ab ipsa Nostrarum harum Litterarum promulgationis die illis nonnisi uti posse Privilegiis, Praerogativis, Habitu demum et Insignibus, quae in exscriptis Decretis explicite approbata et expresse recensita leguntur. Quae porro ne ab aliquo vel ignorentur vel sub fucata et ficta effugii aut tergiversationis specie violare audeatur; Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, tamquam ab Apostolica Sede delegatis, ubique in suis Dioecesibus plenissime implenda et exequenda deferimus. Quae profecto, qualibet contraria penitus sublata consuetudine, ubique vigere ac in usu esse debere, quin a nemine nec ab ipsis etiam locorum Ordinariis eadem valeant ullo modo praepediri, demandamus etiam ac definimus.

Decernentes easdem praesentes Literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum approbationis, confirmationis, roboris, adiectionis, indictionis, interdictionis, abrogationis, abiudicationis, declarationis, definitionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae MDCCCXVIII, Idibus Decembris, Pontificatus Nostri Anno XIX.

A. CARD. PRO-DATARIUS.
H. CARD. CONSALVUS.

Visa de Curia
D. TESTA.

Loco ✠ Plumbi

F. LAVIZZARIUS.

2584. URBIS (4546)
CAPPELLAE PONTIFICIAE.

Proposito in S. R. C. dubio: An Presbyter graeci ritus, alter ex electis pro Mandato Feriae V in Coena Domini, possit et debeat Sacra refici Eucharistia cum aliis duodecim ritu latino in Azymo? ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Mattei Sacri Collegii Decani, loco Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia Praefecti et Ponentis, eadem Sacra Congregatio respondit: « In casu, de quo agitur, Affirmative; et ad Secretarium cum SSmo ». Die 22 Augusti 1818.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis « Decretum approbavit, et quatenus opus sit, dispensando, iussit ut Presbyter graeci ritus, in casu dumtaxat de quo agitur, Sacram Eucharistiam sumat cum aliis duodecim Presbyteris in Azymo ». Die 25 Augusti 1818.

2585. DUBIA (4547)
DE EPISCOPIS TITULARIBUS.

Quum non una eademque sit Auctorum omnino sententia de privilegiis quibus Epi-

scopi Titulares gaudent, praesertim relate ad Missae celebrationem, dum in propria vel aliena Dioecesi peragrantur; ad quascumque eliminandas dubitationes, sequentia dubia in Ordinario Conventu Sacrorum Rituum, Emis et Rmis Patribus enucleanda, proposita sunt; nimirum:

1. An Episcopus Titularis, absque speciali Rescripto, possit Aram portatilem ubicumque erigere, quamvis domi suae habitationis consanguinei indulto Oratorii privati gaudent?

2. An praeter Missam quam ipse celebrat, alias Missas celebrari permittere possit?

3. An Missa, quam ipse sic celebrat vel celebrare facit, valeat ad satisfactionem praecepti, non tantum suis consanguineis domi habitantibus et familiaribus qui ipsi inserviunt, quamvis tempore Missae actu non necessarii; sed etiam familiaribus suorum consanguineorum secum habitantium?

4. An ipse possit Missam celebrare et celebrari facere diebus qui excipi solent in indulto Apostolico Oratorii privati?

5. An Episcopus, praeter Missam a se celebratam, aliam permittere valeat, si consanguinei indultum Oratorii privati habentes Missam celebrari fecerint?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito prius altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, qui suam scripto sententiam reddidit typisque evulgavit, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali Mattei, loco Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia Praefecti et Ponentis absentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; verum consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a iure permissis hospitantes domi vel parentum vel extraneorum, qui gaudent indulto Oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere, loco et vice Arae portatilis, quam tantum extra propriam Dioecesim indulget Bonifacius VIII cap. *Quoniam Episcopi,* De Privilegiis in 6, servata in reliquis forma Decreti s. m. Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et Concilii Romani sub Benedicto XIII, cap. 15, num. 3 ».

Ad 2. « Negative; verum consulendum Sanctissimo pro extensione Privilegiorum quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire ».

Ad 3. « Affirmative, quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios; Negative, quoad reliquos ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Iam provisum in primo atque secundo ».

Die 22 Augusti 1818.

Facta autem relatione de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max., Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa adprobavit, confirmavit et extensionem Privilegii, ut in responsione ad primum et secundum ex propositis dubiis, indulsit: contrariis non obstantibus. Die 25 eiusdem mensis et anni.

2586. PIUS PP. VII. (4548)

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Iamdiu ad Nos perlatum fuerat complures Presbyteros, in Neapolitano praesertim Regno degentes, id sibi arrogare voluisse, ut Altare portatile seu Oratorium privatum in aedibus suae habitationis erigerent, non ex aliquo speciali Apostolico indulto sibi personaliter concesso, sed dumtaxat ex eo quod nomen ipsi dederint Confraternitati in Cappella Sanctae Mariae Virginis Campi Sancti de Urbe erectae, asserentes tale privilegium Confratribus huius Confraternitatis, qui Praelati aut Presbyteri essent, ac etiam Cappellanis a rec. mem. Leone PP. X Praedecessore Nostro concessum fuisse. Hoc quoque addunt, quod licet per successivam Sacri Concilii Tridentini talia privilegia abrogantis adprobationem a memorato Leone factam idem privilegium abrogatum remanserit, hoc tamen revixisse ex eo tempore, quo rec. mem. Pius PP. IV Praedecessor itidem Noster, ut Confratres Ecclesiasticos ad Cappellam praedictam frequentandam et socialia pia opera ibi exercenda alacriores redderet, idem privilegium confirmavit. Quamquam vero patet nihil horum operum a praedictis Ecclesiasticis domicilium extra Urbem habentibus expleri minime posse, idem tamen privilegium sibi postulant, non alia de causa, nisi quia ipsorum nomina in Confratrum Catalogo fuerint adnotata; quasi id non solis iis, qui re ipsa Confratres essent, sed etiam pro aliis qui a longe nomen dedissent, sit concessum. Quamobrem iure quidem optimo Fraternitates et Discretiones Vestrae horum postulantibus obstiterunt et obstant. Haec iamdiu, ut diximus, ad nos fuerant perlata: verum ob temporum iniquitatem et superventam rerum omnium eversionem, abusum huiusmodi radicitus tollere nequivimus. Nunc

autem, pace divinitus restituta, eo citius illum eruendum arbitramur, quo callidius nonnulli ad superandam vestram repugnantiam, per publica etiam scripta contenderunt, ut accepimus, abusum eumdem ex diuturniore Nostro silentio adprobatum remanere. Nos igitur dictorum Praedecessorum Literas Apostolicas desuper expeditas praesentibus pro insertis habentes, privilegium huiusmodi Altaris portatilis seu Oratorii privati, licet pro Ecclesiasticis Confratribus tantum, non autem pro simplicibus adscriptis concessum et respective confirmatum Auctoritate Apostolica, tenore praesentium abolemus et abrogamus; et Oratoria privata (si quae ubique fuerint taliter erecta) supprimimus. Ne autem hinc perantiquam Confraternitatem, in qua haud obscuri nominis Viri floruerunt, minoris facere videamur, neque Ecclesiasticorum Confratrum zelus quidquam ibi detrimenti capiat, imo potius augeatur, eisdem Ecclesiasticis, nempe Curiae Nostrae Romanae Praelatis, Presbyteris et Cappellanis, nunc et pro tempore existentibus, Confratribus eiusdem Confraternitatis (minime vero in eorum Catalogo simpliciter adscriptis) ut ipsi, postquam ex iurato suorum Guardianorum testimonio constare fecerint Dilecto Filio Nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, se per quinquennium aut saltem per triennium Functionibus Socialibus iuxta Confraternitatis Statuta fieri consuetis assidue adfuisse, in privato domus suae habitationis in eadem dumtaxat Urbe Nostra existente Oratorio ad hoc decenter muro extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ipsum Vicarium prius visitando et approbando, ac de eiusdem Vicarii licentia eius arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos celebrare seu per quemcumque Sacerdotem approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschatis Resurrectionis et Pentecostes ac Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi aliisque solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in sua, consanguineorum et affinium secum insimul in eadem domo habitantium praesentia; (ita tamen ut hi consanguinei et affines Missam huiusmodi dumtaxat audire, numquam vero celebrari facere valeant) celebrari facere libere et licite possint, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Leonis et Pii Praedecessorum Literis, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis impressis eadem prorsus fides habeatur quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XIX mensis Aprilis MDCCCXVI Pontificatus Nostri Anno XVII.

Pro Dom. Card. Braschio de Honestis
G. Bernius Substitutus.

Loco ✠ Sigilli Annuli Piscatoris.

2587. HISPALEN. (4549)

Provincialis Minister Ordinis Minorum in Angelorum Provincia S. Francisci in Hispania Frater Ioannes Matthaeus Sanchez, infrascripta dubia Emis Patribus Sacris Ritibus praepositis enodanda atque enucleanda proposuit:

1. Cum iam declaratum sit a S. R. C. Responsorium: *Haec est vero fraternitas* locum habere solum in Martyribus fratribus secundum carnem, non vero secundum institutum Ordinis Regularis; quaeritur: An praefatum Responsorium dici debeat in Martyribus nostri Ordinis, extante Rubrica peculiari nostri Breviarii?

2. An licitum sit in *Confiteor* ad Primam, Completorium et Missam ac in Orationibus, ubi Sanctus Pater Franciscus nominatur, addere nomen Patris nostri, cum hoc expresse legatur in Rubrica peculiari nostri Breviarii?

3. Cum iuxta Constitutiones nostri Ordinis quatuor fieri debeant quotannis Anniversaria pro universis fratribus, propinquis, benefactoribus, nec non Patribus et Matribus Fratrum omnium; quaeritur: An haec Anniversaria celebrari possint in Festo duplici minori? An omitti possint Psalmi *Lauda anima mea Dominum* et *De profundis* in Officio generalissimo defunctorum nostri Ordinis, extante consuetudine, sicut in die Commemorationis Defunctorum? An Versiculi Nocturnorum dici possint in singulari, quando pro uno fit Officium Defunctorum?

4. An in Festivitate S. Eulaliae Emeritensis Virginis et Martyris, quae celebratur

in Hispania ritu duplici minori, Lectiones I Nocturni debeant recitari de Scriptura, vel potius de Communi; cum hoc Festum habeat prima Responsoria propria et hoc videatur magis conforme cum usu Breviarii Romani?

5. Cum in aliquibus Breviariis in Festis SS. Canuti, Hermenegildi, Wenceslai et Venantii Martyrum legatur Homilia S. Hieronymi Presbyteri super Evangelio *Nolite arbitrari*, quaeritur: An haec Homilia recitari debeat in dictis Festivitatibus; vel quae reperitur in aliis Breviariis super Evangelio *Si quis venit, Si quis vult?*

6. An in Festo Patrocinii B. M. V. cum transfertur ad Adventum, Officium sumi debeat ex dicto tempore, vel potius de Festo B. M. V. ad Nives? Et cum in aliquibus Breviariis in antiphona ad *Magnificat* et Responsorium VII legatur *Tuum Sanctum Patrocinium*, in aliis vero *Tuam Sanctam Festivitatem;* quaeritur: Quaenam ex his duabus lectionibus amplecti debeat? (1)

7. An cum recitatur Matutinum pro Feria II in Dominica praecedenti ante solis occasum, genuflecti debeat ad antiphonam finalem B. M. V.

8. An Officium Parvum B. M. V. recitari debeat in Choro (extante laudabili consuetudine) in Festis duplicibus et in octavis Resurrectionis et Pentecosten, non obstante Rubrica Breviarii?

9. An Sacerdos genuflectere debeat utroque genu in Missis privatis ad verba: *Et incarnatus est?*

Et S. R. C., referente Emo et Rmo Dom. Cardinali Mattei Sacri Collegii Decano, audito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta peculiarem Rubricam Breviarii trium Ordinum ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta praefati Breviarii Rubricas ».

Ad 3. « Quatuor Anniversaria, de quibus in dubio, celebranda non esse in occursu cuiuscumque duplicis, etiam ritus dupl. min.: illud, quod generalissimum dicitur, celebrari posse, quamvis fiat Officium dupl. min., iuxta peculiares Rubricas laudati Breviarii. Praeterea in eiusdem generalissimi Anniversarii Officio servandam esse aliam peculiarem Rubricam de omittendis Psalmis *Lauda anima mea Dominum* ac *De profundis*. Tandem quoad versiculos, dum Officium fit pro uno defuncto, servandam esse Rubricam, quae habetur ad calcem Officii defunctorum in dicto Breviario trium Ordinum ».

Ad 4. « Servandam esse Rubricam Breviarii Romani Tit. XXVI de Lectionibus, n. 2 ».

Ad 5. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 6. « Nihil immutandum praeter IX antiphonam; et subrogetur *Angelus Domini etc.* et ℣. Gradualis in Missa. In antiphona et responsorio legendum: *Tuum Sanctum Patrocinium* ».

Ad 7. « Negative; et standum esse dum Matutinum recitetur ante solis occasum ».

Ad 8. « Servandam esse laudabilem consuetudinem etiam in Festis duplicibus per annum, non autem in octavis Resurrectionis et Pentecosten ».

Ad 9. « Genuflectendum esse unico genu ».

Et ita decrevit. Die 22 Augusti 1818.

Facta autem per me infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Domino Nostro Pio PP. VII Pontifici Maximo relatione die 25 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit atque ita in posterum a dicti Ordinis et Provinciae Religiosis servari mandavit.

2588. TUDERTINA. (4550)

Proposita in Sacra Rituum Congregatione per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Vidoni Ponentem Causa super iure deferendi Stolam in publicis functionibus pro Parochis Civitatis Tuderti: Sacra Rituum Congregatio respondit: « Dilata, et audiatur Episcopus et Capitulum ».

Quibus auditis, iterum proposita per eumdem Emum Ponentem, perpensisque hinc inde rationibus deductis;

Sacra Congregatio rescribendum censuit: « Pro gratia, iuxta petita in casu, de quo agitur, dummodo incedant collegialiter ». Et ita decrevit ac servari mandavit. Die 22 Augusti 1818.

2589. LITERAE APOSTOLICAE (4551) IN FORMA BREVIS SUPER OBSERVANTIA ET REDUCTIONE FESTORUM PRO UTRIUSQUE SICILIAE REGNO.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ac Dilectis Filiis Ordinariis

(1) E. Dub. 7.

et Capitulis Ecclesiarum vacantium Regni utriusque Siciliae.

PIUS PP. VII

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Paternae charitati, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut dum spirituali populorum utilitati prospicimus, temporalibus eorum necessitatibus opportune ac salubriter pro temporum ac locorum ratione providere non recusemus. His igitur de causis propenso excepimus animo preces carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi regni utriusque Siciliae Regis illustris, qui cum a dierum festorum, summa licet sapientia et magna cum animarum utilitate iam in Ecclesia institutorum, in suis citra et trans Pharum ditionibus numero, sensim tractu temporis adaucto, non levia incommoda quoad subditorum suorum temporalia negotia, praesentium temporum inopia, prodire videat, eis pro suo in subiectos sibi populos studio consulere cupiens, a Nobis flagitavit ut eosdem a nonnullorum festorum dierum praecepto solutos omnino esse, iisque diebus laboriosis exercitationibus servilibusque operibus vacare posse, Apostolica auctoritate Nostra, indulgeamus. Itaque eiusdem Regis votis, quantum in Domino possumus, obsequi ac populorum necessitatibus, et conscientiae consulere volentes, Vobis, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, committimus et mandamus ut in praefatis Ditionibus, unusquisque in sua Dioecesi novam hanc de festis diebus ac de vigiliis observandis legem, in quam maturo consilio ac perpensis omnibus descendimus, auctoritate Nostra Apostolica enunciet ac edicat.

Retineantur nempe, praeter universos dies Dominicos per annum, Festa sequentia: videlicet, Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae Domini, Purificationis Beatissimae Virginis Mariae, Annuntiationis eiusdem Beatissimae Virginis, S. Ioseph Patriarchae, Ascensionis Domini in coelum; Solemnitas Corporis Domini, Festum S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatae Mariae Virginis in coelum, Nativitatis eiusdem Beatissimae Virginis, Omnium Sanctorum, Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi. Pro Urbe vero Neapolis tantum, retineantur Festa SS. Ianuarii et Antonii de Padua; ac pro Urbe Panormi, Festum S. Rosaliae Virginis. Festa autem Patronorum principalium singularum Civitatum, Oppidorum et Locorum, quibus adiunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus, transferantur cum respectiva Officiorum et Missarum celebratione ad proximum diem Dominicum, eoque impedito, ad diem Dominicum proxime sequentem. In praedictis igitur omnibus festis diebus, pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto, Christifideles Sacris adesse et a servilibus operibus abstinere omnino debebunt.

Lex autem ieiunii in Ditionibus citra et trans Pharum, praeter Quadragesimam et quatuor anni Tempora, observabitur in Vigiliis Pentecostes, S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, Festi Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi; et in universa parte Regni trans Pharum, in vigilia Conceptionis B. M. Virginis. In reliquis vero Festis supra non recensitis, non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera permittimus et indulgemus, sed insuper eosdem Christifideles ab obligatione audiendi Missam in praedictis Festis, et ieiunandi in diebus praecedentibus seu vigiliis (dummodo aliunde vel ratione Quadragesimae vel ratione quatuor Temporum ieiunium non praecipiatur), de Apostolicae benignitatis dispensatione absolvimus et liberamus.

Sed quoniam, dum populorum conscientiae consulimus, et eorum qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, Sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus; ideo Sanctorum ac Solemnitatum Officia et Missas, tam in iisdem abrogatis Festis quam in eorum Vigiliis retineri et, sicut prius, in quacumque Ecclesia celebrari mandamus. Sacrum vero ieiunium, quod in praedictis Vigiliis et aliis pariter per praesentem abrogatis habebatur, in singulas Ferias sextas et Sabbata sacri Adventus transferendum, ibidemque quotannis servandum edicimus et constituimus.

Ut autem non solum Clerici et divites homines seculares, qui etiam diebus non festivis Sacrosancto Missae Sacrificio ac Divinis Officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus Ecclesias diebus tantum festis adeunt, Sanctorum Apostolorum ac Martyrum, quorum Solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent ac venerentur; volumus ac praecipimus, ut die vi-

gesimanona Iunii ultra praecipuam Sanctorum Petri et Pauli Solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum et Martyrum memoria celebretur. Quare die vigesimanona Iunii in Calendariis Ecclesiasticis ita Festum inscribendum erit: « Sanctorum Petri et Pauli, et Commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum ac Sanctorum Martyrum »: ac tam in Officio quam in Missa addentur Commemorationes de Communi Apostolorum et de Communi plurimorum Martyrum.

Haec nos, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, non minus spiritualem quam temporalem populorum istorum utilitatem intuentes, sancienda esse iudicavimus. Plurimum vero in solicitudine ac pastorali vigilantia vestra confidimus Vos sedulitate studioque vestro effecturos, ne quid e Divino Cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo maior sit in populorum animis pietatis fervor ac devotio. Proinde vehementer cupimus et in Domino Vos hortamur, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, ut populos spirituali curae vestrae commissos diligenter edocendos curetis, quae ad iustam legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore quaque spiritus humilitate adstare Sanctissimo Altaris Sacrificio, quo studio, qua frequentia Divinis Officiis, Sacris Concionibus et Christianae Doctrinae institutionibus interesse debeant; et diligentissimam detis operam, ne per eos dies Christifidelium corda crapula et ebrietate et secularibus cogitationibus graventur. Quae omnia a pastorali solicitudine vestra Nobis maxime pollicentes in Pontificiae Caritatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, vestraeque fidei commissis populis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die X Aprilis MDCCCXVIII, Pontificatus Nostri Anno XIX.

H. Card. Consalvus.

2590. ALTERUM BREVE (4552) SUPER EADEM RE

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis Filiis ceteris Ordinariis Regni utriusque Siciliae.

PIUS PAPA VII

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Per Apostolicas in forma Brevis Literas, quas dedimus hoc ipso anno die 10 Aprilis, precibus annuentes carissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi Regni utriusque Siciliae Regis illustris, et Pontificiae Auctoritatis benignitate indulsimus quorumdam dierum festorum imminutionem, ut populi sub illius regimine degentes libere possint per eos dies servilibus operibus vacare, ad temporum, in quibus versamur, inopiam aliquo pacto sublevandam. Cum vero iis Nostris Literis cautum fuisset, ut Festa etiam Patronorum Principalium singularum Civitatum, Oppidorum et Locorum transferri debeant cum utroque praecepto in proximum diem Dominicum, eoque impedito, in diem Dominicum proxime sequentem, postulationes complures ad Nos sunt perlatae, ut Festa illa statis, ut in praeterito tempore, diebus celebrari possint, quin memoratae translationi locus fiat. Quae quidem preces nedum vota populorum ostendunt, qui eos ipsos dies maiori caeremonia ac religione colere cupiunt, quos maiorum pietas, vel a priscis temporibus, ob ingentia in se collata beneficia Coelitibus Statoribus Sospitibusque suis dedicarat, verum ad eas etiam difficultates praecidendas conferre dignoscuntur, quae ex memorata translatione oriri possent, praesertim si Festa illa vel Quadragesimae vel Adventus tempore, aut anno exeunte occurrant. Quare hisce supplicationibus inclinati indulgemus, ut utriusque Siciliae Antistites, re prius cum suis Capitulis mature perpensa, collatisque cum iisdem consiliis, rite ac recte possint Festa Patronorum principalium cum utroque praecepto ad praefinitos dies, ut antea, per suarum Dioecesium Loca retinere, quoties ita in Domino magis expedire censuerint, inspectis populorum locorumque peculiaribus circumstantiis, ne praecipua, quae ad indultum reductionis et translationis dierum festorum Nos impulit causa, sublevandae nimirum inopiae, suo quandoque frustretur effectu: ea tamen lege, ut, quando res sit de Patronis Dioecesium, praeceptum non protendatur ultra Civitatem principalem, vel ultra ea loca quae, cum peculiari Patrono careant, Festum Patroni Dioecesis ex Rubricarum praescripto pari solemnitate celebrare tenentur. Quod vero ad Dioeceses et Loca, quae indulto translationis utentur, si forte dubia quaestionesque oriantur (quemadmodum iam ex delatis ad Nos precibus orta esse comperimus) de octavis praesertim aliisque Officiis concurrentibus, eadem a Congregatione Sacrorum Rituum diligenti subiicientur examini,

ut pro casuum diversitate, Apostolica Auctoritate Nostra opportune consulatur.

Non obstantibus memoratis in forma Brevis Literis diei 10 Aprilis, quibus ad praemissorum dumtaxat effectum, illis alias in suo robore permansuris, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XV Octobris MDCCCXVIII, Pontificatus Nostri Anno XIX.

H. Card. Consalvus.

2591. NEAPOLITANA. (4553)

Benedictus Valle Presbyter Congregationis S. Philippi Nerii et Director Calendarii Neapolitani humiliter exposuit, quod occasione Brevis SSmi Domini Nostri Pii VII Pont. Max. dati 10 Aprilis labentis anni super reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno nonnulla exorta sunt dubia circa Festa principalium Patronorum transferenda ad proximam Dominicam, quae a S. R. C. declaranda proposuit, videlicet:

1. An translatio Festorum Patronorum principalium intelligenda sit de tempore tantum sequenti? et in casu quod intelligi debeat etiam de praecedenti: Quaenam regula habenda, si de praecedenti, vel de sequenti?

2. An Festa Patronorum principalium haberi debeant tamquam Festa mobilia?

3. An, translato Festo Patroni principalis in diem Dominicum, transferri debeat simul in Sabbatum, dictae Dominicae praecedentem, Officium et Missa de Vigilia?

4. An, translato Festo Patroni principalis in diem Dominicam, transferatur etiam tota octava, vel reliqui dies octavae, si supersint? et in casu quo transferri debeat Festum Patroni principalis in diem Dominicam et celebrari cum tota octava: Quaenam regula habenda circa Lectiones Nocturnorum, cum in Octavario Romano non semper assignentur, eo quod Officium octavae fixum erat certis diebus?

5. An simul cum Festo Patroni principalis in diem Dominicam translato, transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia, indulta, indulgentiae, prohibitiones Missarum in Oratoriis privatis etc. eidem Festo adnexae?

6. Occurrente Festo Patroni principalis, eo quod transfertur in diem Dominicam, cum Festo primae classis vel Ecclesiae particularis vel Ordinis vel Dioecesis vel Nationis vel Ecclesiae universalis, de quo celebrandum erit Officium? id est: Quae Festa vel Solemnitates impediant fieri Festum Patroni principalis?

7. De quo faciendum Officium illo die, qui remanet vacuus ob translationem Festi Patroni principalis in diem Dominicam?

8. An illa Festa, quae ab Ordinariis locorum assignata fuerant aliis diebus tamquam propriis, ratione occurrentiae cum Festo Patroni principalis, sublato nunc hoc perpetuo impedimento (quia Festa Patronorum principalium habent saltem rationem Festorum Mobilium) possint et debeant illa praedicta Festa, olim amota a propriis sedibus, celebrari et retrogradi suis diebus, quibus assignata fuerunt ab initio in Calendario Romano?

9. An, quando Festum Patroni principalis transfertur in diem Dominicam, debeat in Feria VI dictae Dominicae praecedente annuntiari in Martyrologio Vigilia, si adsit; et in Sabbato annuntiari Festum Patroni, quod celebratur die Dominica?

10. Cum in praedicta Bulla mandetur inscribi ita Festum die 29 Iunii in Calendariis ecclesiasticis: Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Commemorationis omnium Sanctorum Apostolorum ac Sanctorum Martyrum; quaeritur: An in Martyrologio debeat aliquid addi?

11. Cum in eadem Bulla praescribantur in Officio et Missa die 29 Iunii Commemorationes de Communi Apostolorum et plurimorum Martyrum ratione Commemorationum praedictarum in antecedenti quaesito; quaeritur: An illae sint, quae olim praescriptae fuerunt pro statu Romano, occasione reductionis Festorum, cum in Communibus Apostolorum et Martyrum non adsint Commemorationes omnium Apostolorum et Martyrum?

12. Cum multa sint loca, quae non habent Patronum principalem; quaeritur: An possint et debeant celebrare uti Patroni principalis Festum S. Ianuarii, qui est Patronus principalis totius partis Regni Siciliae citra Pharum, (cuius Festum usque ad emanationem praefatae Bullae celebrabatur in Dioecesi Neapolis cum duplici obligatione audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus operibus, et in reliqua parte Regni cum onere tantum audiendi Sacrum) transferendo pro illis praedictis Locis in diem Dominicam Festum S. Ianuarii?

13. In casu, quod Festum Patroni principalis cadat in aliquem ex diebus infra

Octavam Nativitatis Domini, vel quia transfertur a propria die in diem Dominicam, vel quia sit unum ex Festis Natalis Domini subsequentibus, vel quia fuerit assignatum infra eamdem octavam: quaenam regula habenda erit? (1)

Et Sacra Congregatio particularis ad huiusmodi effectum a SSmo Domino Nostro specialiter deputata cum facultatibus etc., respondit:

Ad 1. « Dispositionem Brevis comprehendere omnia Festa Patronorum principalium, tam quoad tempus praecedens quam quoad subsequens; quo vero ad regulam tenendam, provisum in sequentibus ».

Ad 2. « Negative; cum huiusmodi Festa certis Dominicis infra eorumdem octavam sint perpetuo assignata; et, nisi per accidens, transferenda sint ».

Ad 3. « Affirmative, quoad ieiunium et abstinentiam ac etiam quoad Officium Vigiliae, quatenus Festa sint ex illis quae gaudent Vigilia quoad Chorum ».

Ad 4. « Ad primam partem: Si Festum fiat in Dominica fixe assignata, retinet integram octavam, quia haec habetur ut dies propria: ea vero accidentaliter impedita, si ulterius sit transferendum, octava perit. Quoad secundam partem, provisum per Rubricam Breviarii Tit. VII de octavis, num. 4, et per regulam traditam a Gavanto in Praefatione ad Octavarium Romanum. Quod si adhuc super hoc dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus ».

Ad 5. « Affirmative; quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset dies propria ».

Ad 6. « Impedimentum ponunt Dominicae omnes 1 et 2 classis, vel in quibus occurrunt Festa 1 classis maioris dignitatis. Quoad reliquam dubii partem, si dubia occurrant, habebitur ratio in casibus particularibus ».

Ad 7. « Faciendum Officium de Feria, nisi aliquod Festum prius translatum reponendum sit ».

Ad 8. « Affirmative; nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando Calendario ».

Ad 9. « Affirmative, in Sabbato praecedenti quoad Festum: Affirmative etiam quoad Vigiliam in Feria VI, si adiunctum habeat Officium; secus Negative ».

Ad 10. « Addi poterit Martyrologio post annuntiatum Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli: item Commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum et Sanctorum Martyrum ».

Ad 11. « Affirmative ».

Ad 12. « Provisum in primo Brevi, in quo habetur quod pro Urbe Neapolis tantum retineatur Festum S. Ianuarii; in reliqua parte Regni idem Festum retinere debet propriam sedem et ritum, sed sine praecepto audiendi Sacrum. Quoad Loca vero quae non habent Patronum principalem, satis provisum in secundo Brevi die 15 Octobris labentis anni; quod iubet ut Civitates et Loca, quae peculiarem Patronum non habent, Festum Patroni principalis Dioecesis pari solemnitate celebrare teneantur ».

Ad 13. « In casibus particularibus providebitur: et S. R. C. pro casuum diversitate aliam Dominicam assignabit tamquam diem propriam ».

Et ita declaravit. Die 18 Octobris 1818.

2592. AQUILANA. (4554)

Canonicus Paschasius Melchiorri vices agens Archipresbyteri loci Petrellae Provinciae Aquilanae, occasione Brevis SSmi Dom. Nostri Pii VII Pont. Max. dati 10 Aprilis labentis anni super reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proposuit, videlicet:

1. An Festum S. Antonii de Padua, quod anno 1801 elevatum fuit ad ritum dupl. 1 class. cum octava, cum praecepto audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus et cum Indulgentia plenaria, sublato nunc duplici praecepto, redigendum sit ad ritum dupl. min.? et an cesset praedicta Indulgentia?

2. Cum Festum Patroni principalis alicuius loci transferendum sit in Dominicam proxime sequentem sub ritu duplici 1 classis, quaeritur: An etiam octava transferenda sit; vel potius omittenda?

3. An Dominica pro translatione Festi Patroni principalis censeri debeat impedita, solummodo si fuerit 1 classis, ut Dominica 1 Adventus et 1 Quadragesimae; vel etiam illa quae occurrit cum Festo sub ritu duplici?

4. An Parochi teneantur in posterum applicare Missam pro populo et celebrare cum cantu Missam parochialem diebus quibus sublatum est praeceptum audiendi sacrum?

(1) E. Dub. 14.

Et Sacra Rituum Congregatio particularis, ad huiusmodi effectum a SSmo Domino Nostro specialiter deputata cum facultatibus etc., me infrascripto Secretario referente, declaravit:

Ad 1. « Si S. Antonius Patavinus est principalis Patronus, eius Festum transferendum erit ad Dominicam infra octavam, servata forma Brevis cum omnibus Indulgentiis, privilegiis et praerogativis competentibus principalibus Patronis: quatenus vero Patronus non sit, sed alio titulo elevatum fuerit Festum ad ritum dupl. 1 classis cum octava, retinere poterit hunc ritum simul cum Indulgentia, sed in die propria: cessabit vero praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; quia Dominica, in qua fixe celebrandum in posterum erit Festum principalis Patroni, censetur et evadit dies propria ».

Ad 3. « Declarantur impeditae omnes Dominicae 1 et 2 classis; et etiam illae, in quibus occurrit aliquod solemne Festum dupl. 1 classis et maioris Dignitatis; quo in eventu recurrendum erit ad Sacram Rituum Congregationem, quae, iuxta casuum particularium exigentiam, providebit ».

Ad 4. « Affirmative, ad utramque partem; quia satis declaratum est in praefato Brevi Apostolico nihil esse innovandum quoad Chorum, relate ad Festa, in quorum occursu sublatum est praeceptum audiendi Sacrum. Quo vero ad Festa Patronorum, cum ista reponenda sint in Dominicam infra octavam tamquam in diem propriam, simul cum Officio et Missa transferenda etiam est solemnitas, tam quoad Forum quam quoad Chorum ».

Et ita declaravit. Die 18 Octobris 1818.

2593. ALIPHANA. (4555)

Rmus Episcopus Aliphanus pro intelligentia Brevis SSmi Domini Nostri Pii VII Pont. Max. super reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno, infrascripta dubia decidenda proposuit S. R. C.; videlicet:

1. An dispositio supradicti Brevis transferendi in Dominicam sequentem Festa Patronorum principalium intelligenda sit quoad solemnitatem extrinsecam tantum; vel ad litteram, ita ut una cum Officio et Missa in Dominicam sequentem, tamquam in diem propriam, reponi debeant?

2. An Canonici Collegiatarum teneantur interesse Missae et Vesperis solemnibus diebus Festis quibus sublatum est praeceptum audiendi Sacrum, eo quod Cantus inductus fuerat ad fovendam devotionem fidelium, qui nunc, diebus praedictis, functionibus sacris non interveniunt?

Et S. R. C. particularis a SSmo Domino Nostro ad huiusmodi effectum specialiter deputata cum facultatibus etc., me infrascripto Secretario referente, declaravit:

Ad 1. « Brevis dispositionem accipiendam esse ad litteram, videlicet de perpetua translatione Festi principalis Patroni, tam quoad Officium et Missam quam quoad extrinsecam solemnitatem, ad Dominicam infra octavam, quae habenda erit ut dies propria, cum omnibus privilegiis et praerogativis, quibus gaudent Festa Patronorum principalium ».

Ad 2. « Quoad Chorum et ecclesiasticas functiones peragi solitas, nihil omnino innovandum, relate ad Festa in quibus populus solutus est a praecepto audiendi Sacrum; et Cantus institutus est ad Deum honorandum, non ad populum alliciendum: quo vero ad Festa Patronorum perpetuo ad diem Dominicam translata cum Missa et Officio, translata etiam censetur solemnitas Chori ».

Et ita declaravit. Die 18 Octobris 1818.

2594. BITUNTINA. (4556)

Licet SSmus Dominus Noster Pius VII Pontifex Maximus, dum consulere volens populorum necessitati et conscientiae, quorundam Festorum de praecepto reductionem indulsit pro utroque Siciliae Regno, expresse mandaverit: « Sanctorum et Solemnitatum Officia et Missas, tam in iisdem abrogatis Festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari »; nihilominus non defuere qui, perperam interpretantes huiusmodi praeceptivam dispositionem, arbitrati sunt sub eadem non comprehendi servitium, ordinem et directionem Chori; ideo Capitulum et Canonici Cathedralis Bituntinae, ad amputandas controversias a nonnullis excitatas, quaestionem hanc declarandam Sacrae Rituum Congregationi proposuerunt.

Et Sacra Rituum Congregatio particularis a SSmo Dom. Nostro Pio VII Pont. Max. ad huiusmodi effectum specialiter deputata cum facultatibus etc., declaravit: « Dispositionem praefatam Brevis Apostolici intelligendam esse etiam de Chori servitio, ordine et directione; ac propterea nihil innovandum esse expresse mandavit, sed tam

quoad interessentiam, quam quoad Caeremonias et Solemnitatem, eumdem servandum ordinem in posterum, qui huc usque servari consuevit ». Die 18 Octobris 1818.

2595. TARENTINA. (4557)

Rmus Episcopus Tarentinus Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit, quod ad formam Brevis SSmi Domini Nostri Pii VII Pont. Max. dati sub die 10 Aprilis labentis anni pro utriusque Siciliae Regno, Festa Patronorum principalium transferenda sunt cum Officio et Missa ad proximam sequentem Dominicam. Sed cum ipse dubitet, num ea Dominica ad quam fieri debeat translatio habenda sit ut dies fixa an vero mobilis, ad effectum celebrandi idem Festum cum vel sine octava, id petiit declarari.

Et Sacra Rituum Congregatio particularis a Sanctitate Sua ad huiusmodi effectum specialiter deputata cum facultatibus etc., respondit: « Dominicam in qua perpetuo reponendum erit Festum Patroni principalis habendam esse ut diem propriam, ac proinde gaudere octava et omnibus privilegiis et praerogativis, quae Festis Patronorum principalium conveniunt; octavam vero perire si ob aliquod impedimentum, per accidens, Festum sit transferendum ».

Et ita declaravit. Die 18 Octobris 1818.

2596. CAIETANA. (4558)

Expositum fuit in S. R. C. quod, supplicante Carolo Pergamo tunc temporis Caietano Antistite, fel. rec. Pius VI indulsit quod Patronus principalis cuiuscumque loci Dioecesis, celebrari debeat sub ritu dupl. 1 classis in Loco proprio cum octava, et sub ritu dupl. 2 classis in reliquis locis Dioecesis. Sed quoniam in Apostolico Brevi, dato sub die 10 Aprilis labentis anni pro reductione Festorum in utriusque Siciliae Regno, praecipitur ut Festa Patronorum principalium in perpetuum transferantur ad proximum diem Dominicum, simul cum eadem solemnitate, Officio et Missa; hinc duo excitata fuerunt dubia, quorum declaratio petitur a S. R. C.; videlicet:

1. Utrum in diebus respective horum Sanctorum Patronorum principalium festivitatis, qui infra hebdomadas cadunt, fieri possint Officia et Missae eorum Sanctorum, qui alias celebrari deberent diebus illis Dominicis, quibus in posterum substituenda erunt Officia et Missae dictorum S. Patronorum? Praevidetur enim nullam de Sanctis in Dominicis istis per ordinem incidentibus fieri posse memoriam, quia eorum translationis ultra illos dies Dominicos locus non erit, praesertim in Dioecesi Caietana, propter tot alios Sanctos remittendos et peculiariter celebrandos ob indultum Pii Papae VI a praedicto Episcopo Caietano Pergamo impetratum.

2. An huiusmodi Sanctos non Patronos, sed ritus duplicis 2 classis, remitti permittatur diebus Dominicis vacantibus, praeter Quadragesimam et Adventum?

Et S. R. C. particularis ad huiusmodi effectum a SSmo deputata cum omnibus facultatibus etc., declaravit:

Ad 1. « Translationem Festorum Patronorum principalium ad proximam Dominicam faciendam esse dumtaxat in Civitatibus et Locis in quibus tales revera sunt. In aliis vero locis, in quibus ex speciali indulto gaudent ritu dupl. 2. classis, sed qualitatem non habent proprii principalis Patroni, ac propterea nec adiunctum praeceptum; transferenda non sunt, sed retinere debent diem propriam. Cum vero in qualibet Civitate vel Loco unus tantum principalis Patronus cum solemnitate duplicique praecepto recolendus sit; difficile erit, quod nulla supersit dies vacua pro reponendo Festo occurrente in die Dominica, ad quam transferendum erit Festum Patroni ».

Ad 2. « Negative; et satis provisum in primo ».

Et ita responderunt. Die 18 Octobris 1818.

2597. ASSISIEN. (4560)

Patriarchalis Ecclesia, in qua Corpus S. Francisci Conf. Assisii requiescit, ex indulto Apostolico Sanctissimi Principis Pii VII Pont. Max. privilegio gaudet Missae votivae quotidianae de eodem Sancto, exceptis dumtaxat Solemnitatibus Natalis D. N. I. C., Resurrectionis et Pentecostes. Porro ex hac concessione sequentia excitata sunt dubia, quae Sacrae Rituum Congregationi resolvenda proposita fuerunt:

1. An diebus Dominicis in praefata Missa votiva Symbolum dici debeat?

2. An in Duplicibus primae et secundae classis recitanda sit Collecta ab Ordinario imperata?

3. An in praedicta Missa votiva S. Francisci, Oratio *A cunctis,* quando dicenda est, permutari debeat in aliam B. M. V. *Concede,* prout in Missa votiva Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli?

Et Emi ac Rmi PP. Sacris Ritibus prae-

positi, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis prodito typisque etiam evulgato, ad relationem Emi et Rmi Card. Quarantotti Ponentis, respondendum censuerunt: *Iuxta votum*, videlicet:

Ad 1. « Iuxta alias resoluta, Negative ».

Ad 2. « Negative in duplicibus primae classis, ut alias responsum fuit. Quoad duplicia vero secundae classis, poterit ad libitum Celebrantis legi vel omitti Collecta imperata, in Missis privatis tantum; in Conventuali et solemni, erit omittenda ».

Ad 3. « Vel omittendum nomen S. Francisci in Oratione *A cunctis*, vel legendam Orationem ad poscenda suffragia Sanctorum, quae incipit *Concede etc.* ».

Et ita responderunt. Die 15 Maii 1819.

2598. PISAUREN. (4561)

Impetrata, Apostolicae Sedis indulto, per Capitulum Cathedralis Pisauren. extensione Missarum et Officiorum sub ritu dupl. min. Sanctorum Romanorum Pontificum, Directorii Extensor in Calendarii reformatione assignavit Officio S. Gregorii PP. VII (quod iam sub ritu dupl. celebratur) propriam sedem, nimirum diem 25 Maii quae est dies fixa pro universali Ecclesia, amandato ad diem 28 eiusdem mensis altero S. Urbani Pont. et Mart., cuius tamquam simplici dicta die 25 memoria colebatur. Cum autem, re maturius perpensa, congruere magis videatur ut S. Urbani Pont. et Mart. Festum ad ritum dupl. elevatum antiquam repetat sedem, translato ad diem 28 Maii Festo S. Gregorii PP. Conf.; sed dubitari possit utrum necne id praestari valeat ab Ordinario, et an conveniens sit et rationabile; ideo delata res est definienda a S. R. C., sequenti proposito dubio, cui et alterum accessit, videlicet:

1. An in casu proposito Ordinarius possit transferre Officium S. Gregorii VII a die 25 ad diem 28, et Officium S. Urbani a die 28 ad diem 25; et an rationabile sit quod fiat?

2. In tertia Dominica cuiuslibet Mensis, ex antiqua consuetudine, in solemni Missa duae consecrantur Hostiae, quarum una in usum Sacrificii, altera pro publica veneratione in Ostensorio collocatur, confectaque celebratione, processionaliter per Ecclesiam gestatur. Cum vero tempore Quadragesimae et Adventus supplicatio per Ecclesiam omittatur, ex eo quod praefato tempore scamnis referta ipsa reperiatur, pro commoditate populi ad audiendum verbum Dei accurrentis, dubium propositum est: An, omissa in casu supplicatione, commemoratio Sanctissimi Sacramenti in Missa Solemni debeat omitti?

Et S. R. C., exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto edita typisque evulgata, ad relationem Emi ac Rmi D. Card. Vidoni, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, in casu, de quo agitur, quoad utramque dubii partem; et Officium S. Gregorii VII transferendum esse non in diem 28, in quo incidit Festum S. Bonifacii Papae et Conf., sed in diem 29 iuxta Proprium Sanctorum Summorum Pontificum ».

Ad 2. « Commemorationem SSmi Sacramenti in praefata Missa solemni faciendam esse, licet accidentaliter omittatur Processio ».

Et ita respondit atque decrevit. Die 15 Maii 1819.

2599. SENOGALLIEN. (4562)

Demissa nimis facies Arae maximae Cathedralis Ecclesiae Senogallien., in altiorem formam reducta nuper cum fuerit, superiorem lapidem Altaris eiusdem mensam efformantem a suo stipite amovere necessario oportuit. Constat autem Altare illud ad modum fixi fuisse consecratum, cum sigillis atque unctionibus mensam inter et stipitem; hinc diversa Canonicorum iudicia quoad necessitatem illud iterum consecrandi. Eapropter a Sacra Rituum Congregatione petitum responderi: Utrum, amota mensa ab Altari ad modum fixi et non portatilis consecrati, necessario illud nova indigeat consecratione?

Et S. R. C., infrascripto Secretario referente: « In casu, de quo agitur, Altare denuo consecrandum esse » decrevit. Die 15 Maii 1819.

2600. DECRETUM GENERALE. (4563)

Quamvis S. R. C. in una Pisauren. sub die 15 Martii 1664 reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat conficiendi Amictus, Albas, Tobaleas Altarium, nec non Corporalia et Pallas ex tela quadam composita e lino et gossipio subtilissimo; nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia, vel ad sacrificandum vel ad Altarium usum, nisi ex

simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi: soliciti idcirco, ut quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt: « Ab antiquo more, sub quolibet praetextu, colore ac titulo, non esse recedendum; et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante. Aliqua tamen indulgentia utentes, permiserunt ut Amictus, Albae, Tobaleae, Mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumentur; sed cum huiusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt. Districte vero iusserunt, ut Corporalia, Pallae ac Purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis Decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu quae ex gossipio supererunt ». Et ita decreverunt ac ubique locorum, si SSmo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt. Die 15 Maii 1819.

Facta autem per me Secretarium SSmo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua Decretum S. C. approbavit, confirmavit typisque editum publicari praecepit; ac praeterea iussit, ut locorum Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant. Die 18 eiusdem mensis et anni.

2601. BONONIEN. (4564)
CONCORDIAE.

Quum quaestiones exortae inter Capitulum et Canonicos Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Petronii Bononiae ex una, et Primicerium primam Dignitatem eiusdem Collegiatae partibus ex altera, circa quasdam honorificentias et praerogativas, quas idem Primicerius sibi vel ex privilegio vel ex consuetudine tuebatur, et Capitulum non in omnibus eidem competere contendebat; compositae tandem fuerint per praesentem concordiam ab utraque parte admissam et adprobatam, cum omnibus et singulis articulis in eadem contentis; ut sequitur:

CONCORDIA

inter Revmum Antistitem Thomam Ciambaloni Primicerium et Revmum Capitulum Perinsignis Collegiatae S. Petronii.

1. Statuitur ut Primicerius curet una cum Capitulo ingredi Chorum; sin per accidens eo accedat, tempore divinae psalmodiae, tunc secundum morem antecessorum suorum, expectabit usque dum stent omnes. Quod si contingat (id vero vitare curabit) ut ingrediatur Chorum, sedentibus ceteris, tunc Canonici surgent, nec iterum prius sedeant, quam Primicerius ipsos in plano chori hinc inde salutaverit.

2. Admittunt Canonici quod in sollemnitatibus tribuatur Primicerio honoris ergo pulvinar ex panno laneo: aliis diebus, si Choro ipse assistat, satis habeat in primo stallo assidere.

3. Ratum est quod Chorus inchoari debeat ab ea parte, cui competit iuxta vicem hebdomadariam. Intonationem vero antiphonarum, osculum pacis et incensationem a parte dignioris praesentis incipiendam esse constituitur.

4. Conventum est ut Primicerio, utpote primae dignitati Capituli, terna incensatio tribuatur; nisi quando Cardinalis Archiepiscopus vel Cardinalis alius adsit.

5. Item statuitur, ut quoties Primicerius in sua ecclesia Missam decantet, aut alias functiones exerceat, quibus debetur Canonicorum assistentia, Canonici eidem assistant; si vero decantet Vesperas, ei assistant, Beneficiati aut Cappellani, iuxta consuetudinem Ecclesiae.

6. Admittitur ut, in medio Capituli, privatim ponantur paramenta pro Primicerio.

7. Quando cogendum sit Capitulum ordinarium vel ex causa urgente, quae moram non patiatur, unius Quaestoris, vulgo *Camerlingo,* erit per se illud convocare; sin autem Capitulum habendum sit extraordinarium, et moram permittens, non convocabitur, nisi praemonito Primicerio.

8. Epistolae et documenta Capitulo permissa, quae negotia urgentia respiciant, a *Camerlingo* vel ipsius substituto aperiri poterunt, et expediri pro rei qualitate. Si vero in illis agatur de negotiis dilationem ferentibus, a *Camerlingo* vel eius Substituto informationem de re Primicerio dandam esse statuitur.

9. Ad regimen quod attinet Sacristiae aut *assumpteriae,* scilicet deputationis duo-

rum Canonicorum, actusque omnes ad rem istam spectantes, conventum est ut observetur Ordo pro bona Sacristiae directione probatus iam ab anno 1759; salvis ulterioribus attributionibus Primicerio competentibus, pro quibus ei ab Ecclesiae Fabrica viginti quotannis scutata solvuntur.

10. Non inficiatur servandam esse a Primicerio clavem custodiae, qua Caput S. Petronii includitur. Verum, quoad custodiam trium Altarium, nimirum Altaris maioris, SS. Sacramenti ac parvi Chori, possessio conservabitur praesenti Primicerio, quamdiu Primicerii munus obtinuerit; quin tamen idcirco praeiudicium Capitulo quodammodo inferri, aut pro ceteris illius successoribus Primiceriis ius quodvis acquiri valeat.

11. Nec insuper denegantur Primicerio honores ac iura legitime inducta atque ab eius praedecessoribus suscepta, Pontificio Gubernio vigente; servatis tamen modis nunc et in hac benigna Concordia expressis, quae ad tollendas controversias et ad certam ordinationem stabiliendam constituebatur.

12. Denique conventum est, ut si quando perturbatio aliqua in Sacristia forte exoriatur, Primicerius praesens ius habeat quietem et pacem instaurandi, ac remedium confusioni afferendi; eo autem absente, id spectet ad duos Canonicos deputatos ut praesideant Sacristiae et invigilent; eisdemque quoque absentibus, ad digniorem qui inibi adsit. Si vero in Capitulo exurgant controversiae, Primicerio ius erit suam ante ceteros sententiam edicere; resolutio tamen privative Capitulo integra pro maiori votorum numero manebit.

Quumque, ut huiusmodi concordia Apostolica firmitate roboretur, supplices preces ad hanc obtinendam porrectae fuerint SSm̃o Domino Nostro Pio VII Pont. Max.; eadem Sanctitas Sua ad relationem Em̃i et Rm̃i Domini Card. de Somalia S. R. C. Praefecti *benigne annuit*, ut ex sequenti Rescripto eiusdem Em̃i ac Rm̃i Dom., videlicet: Ex Audientia SSm̃i, die 16 Ianuarii 1820: « Utendo facultatibus a SSm̃o Dom. Nostro Pio VII Pont. Max. Nobis in audientia sub hac die specialiter impertitis, adprobamus et confirmamus insertam concordiam initam inter Primicerium primam Dignitatem ex una, et Capitulum ac Canonicos Insignis Collegiatae S. Petronii Bononiae partibus ex altera; cui, et omnibus ac singulis articulis in ea contentis, eadem Sanctitas Sua Apostolicae firmitatis pondus adiicit, indulgendo et derogando si quae in eadem concordia contentisque Articulis sunt, quae indulgentia aut derogatione indigeant. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus ». Et ita declararunt. Die 16 Ianuarii 1820.

2602. MAZARIEN. (4566)

Dioecesis Mazarien. anno 1804 obtinuit ab hac Sancta Apostolica Sede indultum agendi postrema mensis Augusti die Festum S. Conradi Conf. et die septima subsequentis Septembris alterum B. M. V. de Iubino nuncupatae sub ritu dupl. Cum autem primo ex his diebus Ecclesia Collegiata Castri Veterani dictae Dioecesis solemnitatem recolat propriae Dedicationis; et in altero octava dies solemni finem imponat recordationi; indulta Officia cedere necessario locum debuerant erantque eapropter transferenda in primam diem non impeditam Officio IX Lectionum, iuxta Rubricas; non secus ac talis dies assignata fuit Festo S. Raymundi Nonnati, cuius pariter Officium a propria sede removendum erat. Verumtamen illius Chori Praefectus vigesimam septimam diem mensis Octobris Festo B. M. V. de Iubino, nonam autem supra vigesimam Novembris S. Conradi Officio pro ingenio suo assignavit, etiamsi plures post octavam Dedicationis dies non impediti Officio IX Lectionum haberentur. Eapropter Sacerdos Gaspar Maggio Ecclesiae illius Collegiatae Beneficiatus et Caeremoniarum Magister muneris sui partes esse arbitratus est Sacram Rituum Congregationem rogare pro resolutione sequentium dubiorum:

1. Utrum talis assignatio fieri potuerit a praedicto Praefecto Chori vel debuerit fieri ab Ordinario Dioecesano?

2. An, quia assignatio diei facta non fuit prima die non impedita, iuxta Rubricas Breviarii Romani de translatione Festorum et multa S. R. C. Decreta, talis error debeat corrigi et illis legibus conformari?

3. An consuetudo quindecim annorum possit suffragari huiusmodi assignationi perperam factae?

4. An in Vigiliis Apostolorum, eo quia per Bullam SSm̃i D. Nostri Pii Papae VII sub die 10 Aprilis 1818 pro Siciliae Regno abrogata fuerunt Ieiunia, genuflectendum sit a Choro ad Preces Officii et in Missa de iisdem Vigiliis, quia in dicta Bulla legitur: Officia et Missas tam in iisdem abrogatis

Festis quam in eorum Vigiliis retineri et sicut prius celebrari mandamus? (1)

Et S. R. C., audito prius altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, qui suam sententiam praelo cusam dedit, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Vidoni dictae Causae Ponentis, rescribendum censuit ut infra, videlicet:

Ad 1. « Assignandi erunt dies primi non impediti, iuxta Rubricam et Sacrae Congregationis Decreta ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Cum per Apostolicum indultum in casu de quo agitur, abrogatis Vigiliis quoad ieiunium et abstinentiam, nihil immutatum fuerit quoad ritus et functiones ecclesiasticas, imo expresse cautum sit ut retineantur et serventur; ideo ad Preces Officii et in Missa de Vigilia erit genuflectendum ad formam Rubricarum ».

Atque ita statuit, respondit atque decrevit, et in Collegiata antedicta servari mandavit. Die 11 Martii 1820.

2603. BAREN. (4567)

A tempore, cuius initii memoria non extat, Capitulum Collegiatae Aquaevivae in districtu Dioecesis Baren. legatum habet ex traditione cum adiuncto onere, Sacerdoti conventualem Missam celebraturo, recitandi Passionem D. N. I. C. secundum Ioannem singulis diebus a die Festo Resurrectionis Domini usque ad Festum S. Lucae Evangelistae. Dum autem id constanti traditione fertur, fundationis documenta omnino deficiunt, et ritus istiusmodi nedum ecclesiasticae Liturgiae incongruus, sed etiam Capitulo nimis gravis videtur. Supplices ideo Capitulum et Canonici SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. dederunt preces, postulantes dicti oneris absolutionem seu dispensationem.

Et Sanctitas Sua, attentis expositis aliisque peculiaribus circumstantiis, atque infrascripto Secretario referente, Capituli precibus ita annuendum esse censuit, ut: « Singulis Feriis VI, conventuali Missa absoluta, celebrans, sacris vestibus in Sacristia depositis ac superpelliceo tantum indutus, legat ibi D. N. I. C. Passionem secundum Ioannem in adimplementum dicti oneris, quaecumque fuerit illius origo; exceptas tamen ab hac lege voluit Ferias VI occurrentes infra octavas privilegiatas, vel in quibus fiat Officium de Festo duplici primae aut secundae classis vel de Vigilia Nativitatis D. N. I. C., in quibus pro oneris implemento sat erit specialis in Memento mortuorum commemoratio pro fundatore vel fundatoribus. Quod si in fundatione habeantur clausulae et conditiones quae derogatione et dispensatione indigeant, iisdem per praesentem commutationis formam derogavit ac dispensavit. Quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus ». Die 11 Iulii 1820.

2604. BOVEN. (4568)

SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. exposuit Rmus Episcopus Boven. suae Cathedralis Capitulum et Clerum haudquaquam posse, absque valetudinis detrimento, statis horis hyemali tempore Ecclesiam illam in montanis positam et humiditati ac frigori inclementer obnoxiam petere Sacris interfuturum et Divina persoluturum; propterea que petiit humiliter, ut antedictis Capitulo et Clero facultas fieret in posterum ea tempestate semel in die et opportuniori hora ad eamdem accedere, Horarum Canonicarum onus adimplendi causa Missaeque Conventualis celebrandi.

Et Sanctitas Sua, attentis expositis ac veris existentibus narratis, me infrascripto S. R. C. Assessore referente, Rmi Episcopi precibus annuendo, benigne indulsit: « Ut Canonici aliique Sacerdotes et Clerici Cathedralis Boven. servitio addicti possint et valeant hyemali tempore, nimirum post Festum Sanctorum Omnium usque ad maiorem Hebdomadam exclusive, semel in die ad eamdem Ecclesiam accedere ibique tam Matutinas quam Vespertinas Horas nec non conventualem Missam, sine interruptione, persolvere; ita tamen ut Completorio post meridiem finis imponatur. Diebus vero Dominicis, Festivis et magnae solemnitatis, statis horis de more Divinis in Choro vacandum fore decrevit ». Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die 11 Iulii 1820.

2605. DE INVENTO CORPORE S. FRANCISCI UNIVERSI ORDINIS FRATRUM MINORUM FUNDATORIS. (4569)

PIUS PAPA VII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Assisiensem Basilicam, quam Gregorius IX ob S. FRANCISCI Minoritarum Pa-

(1) E. Dub. 5.

rentis honorem atque ad sacrum ipsius Corpus loco honestissimo condendum molitione admirabili opereque magnifico extruendam ab inchoato curavit, ceterique Romani Pontifices Praedecessores Nostri omni cultu exornarunt insignique copia privilegiorum prae ceteris Aedibus auxere, eam Nobis singulari quadam Divinae Providentiae dispensatione datum est illo dignitatis ac gloriae splendore cumulare, qui ad perfectum absolutumque eiusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percrebuerat sub Ara principe eiusdem Basilicae locum esse, in quo Viri sanctissimi Corpus extaret. Verum Eo sic disponente, cuius imperscrutabilia iudicia sunt, nondum adinveniri posse atque in lucem aspectumque hominum proferri Thesaurum omni auro pretiosiorem lectissima tanti Patris Familia et res Christiana universa condolebat. Imo quae in causis id genus Sanctae huiusce Sedis provida est iugiter et cauta moderatio, visum fuit Paulo V fel. rec. Decreto ex ipsius auctoritate per Alphonsum Vicecomitem Cardinalem Ordinis Conventualium Patronum edito, diserte cavere ut perquirere ipsum fossionesque aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare, fas esset nemini.

Illuxit tamen tempus a Deo praefinitum, quod incensa omnium vota tantopere adproperabant, quo nimirum vas illud Spiritus Sancti protrahendum foret in lucem ; Nostraeque humilitati tot inter tantasque Summi Pontificatus solicitudines fatiscenti eam Deus Omnipotens delatam voluit consolationem, ut nos suspicatissimae huiusce faustitatis administros clementer adsciverit. Cum enim, conficiente Domino miserationes viasque aperiente mirabilium suorum, certis quibusdam gravibusque ex rationibus compulsi, memorato Pauli V interdicto derogandum esse duxerimus, precibusque annuerimus a dilecto Filio Iosepho Maria de Bonis, Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, perlatis, quibus de S. FRANCISCI Corpore inquirendo in Assisiensi Basilica facultas poscebatur, res cessit feliciter. Longo siquidem duarum et quinquaginta noctium atque incredibili labore clam et occulte insumpto, perruptisque rupe, aggere, muris, coementis saxisque praegrandibus, locum demum introspicere datum fuit Arae maximae recta prorsus suppositum, in quo Arca lapidea iacebat, quam ferrei clathri validis virgis inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin sacras Reliquias ibidem adservatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, reque ad Nos statim delata, primum Venerabili Fratri Francisco Episcopo Assisiensi mandatum fuit, ut ea dumtaxat, quae usquetum acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tamen de sacris Reliquiis quaestionem institueret. Ad eam quippe pro summa negocii gravitate non ipsum solum Franciscum Episcopum, sed et alios praeterea Venerabiles Fratres Nucerinum, Spoletanum, Perusinum et Fulginatensem Episcopos, datis in forma Brevis Apostolicis Literis die VIII Ianuarii anno superiori, adlegandos censuimus, ut insimul in memoratum locum convenirent, reque universa accuratissime conspecta, Viris artium peritis auditis et in examen vocatis, cunctisque monumentis diligenter conquisitis ac perpensis, ea omnia in acta solemnia referrent ac iuridicum super identitate Sacri Corporis processum peragerent, obsignarent et in Urbem mitterent, Nobisque ad veritatem significarent quid de re ipsa sentirent in Domino.

Nitide iidem, atque ea qua praestant dexteritate et prudentia, imposito sibi munere perfuncti sunt. Quare omnibus ad praefinitam ex Sacrorum Rituum Congregationis institutis normam diligenter absolutis, non abnuimus acta haec ipsa iis quorum intererat patefieri, ut quaelibet ex Minoriticis Familiis per suos Generales Procuratores libere hac in causa suam diceret sententiam; ut exinde locupletissima animadversionum documentorumque congerie in disceptationem proposita, luculentius veritas tutiusque dignosceretur.

Haec porro omnia discutienda et perpendenda demandavimus iuxta Tridentini Concilii Decreta Sessionis XXV *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum,* selectae cuidam Congregationi, quam in eum finem designavimus ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus de Somalia Sacri Collegii Decano eiusdemque S. R. E. Vice-Cancellario et Congregationis Sacrorum Rituum Praefecto, Naro Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum Praefecto, Quarantotti et Antonio ab Auria; necnon ex dilectis Filiis Magistris Francisco Serlupi Romanae Rotae Decano, Iosepho Antonio Sala memoratae Rituum Congregationis Secretario Coadiutore, Alexandro Buttaoni Fidei Promotore et Aloisio Gardellini eiusdem Rituum Congregationis Assessore ; ac demum ex tribus Sacrae Theologiae Docto-

ribus atque Congregationis Rituum Consultoribus Vincentio Garofoli Abbate et Vicario Generali Canonicorum Regularium SSmi Salvatoris, Aloisio Ionni Magistro Ordinis Eremitarum Sancti Augustini et Antonio Maria Grandi Pro-Vicario ac Procuratore Generali Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli. Hinc habita ea Congregatione in Aedibus Cancellariae Apostolicae ad diem XVI Kal. Augusti, allatisque ad Nos per Secretarium suffragiis omnibus scripto traditis, causam universam serio diligenterque considerandam Ipsi suscepimus, atque peculiari Divinae Sapientiae praesidio multa humilique prece exorato, decretorium tandem iudicium Nostrum iuxta eiusdem selectae Congregationis mentem memorato Sacrorum Rituum Congregationis Assessori, qui Nos pro Secretario absente Kalendis Augusti adivit, aperuimus, illudque per Apostolicas Literas explicare ac sancire decrevimus.

Benedicentes itaque Patri totius consolationis, optimaque spe recreati novum atque illustre salutaris praesidii a Sancto Viro in tanta temporum difficultate Nobis praebendi testimonium ex mira hac sui Corporis inventione praefulgere, de eiusdem Congregationis selectae consilio et voto, Apostolica auctoritate, tenore praesentium edicimus ac declaramus : « Constare de identitate Corporis nuper sub Ara maxima inferioris Basilicae Assisiensis inventi, illudque revera Corpus esse S. FRANCISCI Ordinis Minorum Fundatoris ».

Decernentes hasce praesentes Literas, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari vel impugnari nullatenus posse ; sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ; sicque et non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores et eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere ; ac irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ne Venerabile Corpus ex subterraneo loco in quo sex fere saeculis quievit, alio deferatur ; item ne vel minimam quidem sacrorum Ossium partem liceat inde extrahi auferrique ; ac demum ne Arca, postquam clausa fuerit et obsignata, ullo umquam tempore absque Nostro vel pro tempore existentis Romani Pontificis permissu reseretur. Sinimus tamen, ut, si qui sint ex Carnium molliumque corporearum partium intertrimento cineres ac pulveres, colligantur pro Reliquiis asservandi: illudque cum primis etiam atque etiam commendamus ac praecipimus, ut sacratissimus hic Thesaurus ab omni prorsus iniuria atque vi tutus inviolatusque conservetur, eiusque accuratiori custodiae, tuitioni, incolumitati apprime consulatur. Quae ut rite ac pro rei sanctitate diligenter conficiantur, eumdem Episcopum Assisiensem et Generalem Conventualium Ministrum, eoque absente, Custodem Basilicae pro tempore existentes, uti ab Apostolica Sede Delegatos, in id specialiter eligimus ac deputamus. Facultatem porro facimus, nedum lapideam Arcam qua sacrae Exuviae clauduntur, opere eleganti pretiosisque ornatibus contegi ac ditari ; sed et integrum conditorium, quo ea prostat, perpoliri omnique cultu exornari et commodiorem aditum in ipsum aperiri; cuius quidem operis universi descriptionem rationemque Nobis probandam reservamus, ac nonnisi ex Nostro consensu executioni demandari permittimus. Nolumus vero patere in illud ingressum, nisi certis dumtaxat solemnioribus diebus statisque conditionibus per Nos praefiniendis, aut siquando Viri Principes vel Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales vel Episcopi seu Praesules Romanae Curiae gloriosum Sanctissimi Patriarchae Sepulcrum veneraturi illuc accesserint.

Illud tandem quoque mandamus, ut praesentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici

subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die V Septembris MDCCCXX, Pontificatus Nostri Anno XXI.

Loco ✠ Sigilli

H. Card. Consalvus.

2606. MELITEN. (4571)

Orta controversia inter Sodalitatem S. Ioseph erectam in Ecclesia Minorum Observantium in suburbiis Civitatis Notabilis Insulae Melitae et alteram SSmi Sacramenti in Paroecia S. Pauli eiusdem Civitatis, super praecedentia in publicis supplicationibus, eaque delata ad Sacrorum Rituum Congregationem;

S. eadem R. C., auditis iuribus quae afferebantur pro parte Sodalitatis S. Ioseph dumtaxat, cum pro Confraternitate SSmi Sacramenti nemo comparuerit, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Galleffi Ponentis, rescribendum censuit: « Praecedentiam deberi Sodalitati S. Ioseph, praeterquam in Processionibus SSmi Sacramenti; Sodalitatem vero SSmi Sacramenti teneri et cogi posse ad alias Processiones, iussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii ». Die 23 Septembris 1820.

2607. CALAGURITANA ET CALCEATEN. (4572)

Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Calceaten. in Hispania Ioseph Tiburtius Calleia Emis PP. sacris tuendis Ritibus Praepositis dubium quoddam hisce conceptum verbis definiendum atque enodandum subiecit:

Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum Stola violacea indutus domi baptizavit, eique sacrum Chrisma et Oleum sacrum, quod secum detulit, imposuit prout in Rituali Romano. Quaeritur an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam?

Et S. R. C., exquisita prius habitaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto reddita typisque vulgata, ad relationem Emi ac Rmi Dom. Card. Iulii Mariae de Somalia Episcopi Ostien. et Veliternen., Sacri Collegii Decani ac Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, respondendum censuit: « Iuxta votum; nimirum, Parochum male se gessisse baptizando cum Stola violacea et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam Oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis, iuxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit ». Et ita respondit. Die 23 Septembris 1820.

2608. SORANA. (4573)

Quamvis Sacra Rituum Congregatio pluries interrogata responderit: « Aspersorium Episcopo ad Ecclesias Civitatis vel Dioecesis accedenti per digniorem Ecclesiae, ad quam accedit, esse porrigendum », non deficiunt tamen qui regulae huic acquiescere detrectent; proptereaque haud mirum si huiusmodi quaestionem iterum hodie in medium trudat Nicolaus Nardi prima Dignitas insignis Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Arpini Dioecesis Soranae, Emos PP. eidem Congregationi praepositos rogans pro solutione sequentis dubii: A quonam porrigendum aspersorium Episcopo in quamcumque Ecclesiam Civitatis vel Dioecesis ingredienti; an scilicet a Rectore illius Ecclesiae, vel ab uno ex duobus Canonicis Cathedralis, qui cappa induti Episcopum comitantur?

Et S. R. C., exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarata praeloque cusa, referente Emo et Rmo Dom. Card. Naro, respondendum censuit: « Aspersorium porrigendum esse a Rectore Ecclesiae, ad quam Episcopus accedit ». Atque ita respondit. Die 23 Septembris 1820.

2609. VOLATERRANA. (4574)

Quum Caeremoniale Episcoporum Auctoresque omnes Liturgici illius dispositionem apprime sequentes, praesertim lib. 2, cap. 33, § 22, ritus edoceant initio, progressu et fine Processionis solemnis SSmi Corporis Christi servandos, quumque inter cetera Sacra Rituum Congregatio, eiusdem Caeremonialis dispositioni inhaerens, regulam edixerit elargiendi semel tantum populo benedictionem in fine Processionis Corporis Christi, hanc eamdem in Ordine Divini Officii recitandi pro Cathedrali et Dioecesi Volaterrana illius Rmus Antistes, pro exacta liturgicarum rerum observantia, inserendam et cudendam iussit. Verumtamen cum contraria vigeat ea in Civitate et Dioecesi perantiquissima consuetudo, ut quoties Eccle-

siae sive Altaria occurrant per viam, toties ibidem et supplicatio sistat et populus, impertita benedictione, dimittatur; hinc ad S. R. C. supplex adiit, postulans: An potius praedicto Decreto, quam consuetudini sit in posterum inserviendum?

Et S. eadem R. C., exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris in scriptis sententia, typis quoque iuris publici reddita, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Iulii Maria de Somalia Sacri Collegii Decani et eidem Congregationi Praefecti, loco Emi et Rmi Dom. Card. Cacciapiatti Relatoris absentis, respondendum censuit: « Iuxta votum, nimirum: non obstante Decreto inserto in Ordine Divini Officii recitandi, vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat et benedictio elargiatur, quoties Altaria occurrant, sed semel vel iterum; et Altaria, per viam extructa, sint decenter ornata et a probo Caeremoniarum Perito prius auctoritate Episcopi visitata ». Atque ita respondit. Die 23 Septembris 1820.

2610. MACERATEN. (4575)

Extat in Oratorio Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum Civitatis Maceraten. quaedam Sodalitas S. Sepulcri nuncupata, cuius institutum est cultum et venerationem erga Redemptoris Nostri I. C. cruentissimae Passionis ac Mortis Mysteria, quibus valet modis, propagare; proindeque consuevit in publicis supplicationibus Vexilla Regis, nudam scilicet Crucem deferre illius mortis indicium. Verumtamen Passionem Verbi Dei propius fidelibus significatura, ante praefatam Crucem quinque accensa intortitia per totidem Sodales erigenda statuit in sacrorum quinque Vulnerum symbolum, hancque facultatem sibi elargiri Apostolicae Sedis auctoritate S. R. C. supplicavit.

Et S. R. C., sedulo diligenterque lustratis, quae pro parte dictae Sodalitatis afferebantur rationibus, ac referente Emo et Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia Episcopo Ostien. et Velitern., S. R. E. Vice-Cancellario, Sacri Collegii Decano et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto respondit: « Licere, iuxta petita ». Die 23 Septembris 1820.

2611. ASCULANA. (4576)

Ad augenda in Dioecesi Asculana devotionis obsequia erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum et SSmam Virginem Deiparam, humillimas SSmo Domino Nostro PIO VII Pont. Max. preces porrexit Rmus Episcopus et Clerus eiusdem Civitatis ac Dioecesis pro facultate agendi privilegiatam octavam SSmi Corporis Christi et Assumptionis B. M. V.; et Sanctitas Sua, referente infrascripto S. R. C. Assessore sub die 29 Augusti 1820: « Benigne annuit, exceptis tamen duplicibus primae aut secundae classis, tam occurrentibus quam translatis; et quoad octavam Assumptionis B. M. V., excepta etiam die octava Festi S. Laurentii Mart. ».

2612. CARPEN. (4577)

Beatissime Pater. - Canonicus Bonaventura Bernardi Vicarius Capitularis Dioecesis Carpen. in Ditione Mutinensi Sanctitati Tuae humiliter exponit: Austriacas classes illuc transeuntes stationes in pluribus Ecclesiis (inter quas sunt tres consecratae) constituisse: ibique Milites pernoctasse, ignem accendisse, in nonnullis Aras sacras fregisse, in aliis vero equos invexisse atque ea omnia egisse quae Militum copiae solent; quare praedictus orator a Sanctitate Tua demisse quaerit: Quid sibi agendum ut Ecclesiae fidelibus quamprimum patere possint?

Ex audientia Sanctissimi: « SSmus Vicario Capitulari oratori facultatem concedit, sive per se sive per alios Sacerdotes ab eo specialiter deputandos, reconciliandi Ecclesias consecratas, de quibus in precibus, servato Ritu a Pontificali Romano praescripto adhibitaque aqua per Catholicum Episcopum benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario vel a Sacerdotibus per eum designandis reconciliari poterunt, iuxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero ad Altaria cum integra lapidea Mensa, quoties fractura sit enormis, Mensa omnino renovanda et ab Episcopo consecranda erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno vel altero cornu. Reliqua autem Altaria sacrato tantum lapide instructa, si lapis iste integer sit, violata minime censenda sunt; ac ubi primum reparationes quibus indigeant expletae fuerint, ad sacra Mysteria peragenda apta erunt. Ceterum Vicarius orator in Ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat, eamdemque privatе et absque populi concursu fieri curet ». Die 3 Marti 1821.

2613. DECRETUM GENERALE. (4578)

Quum abusus nonnulli sensim irrepsisse conspiciantur, tum adversus Episcopalia iura,

tum contra rectam Divini Cultus disciplinam, licet alias per S. R. C. de iis fere omnibus edita fuerint Decreta; ne in dies magis invalescant, eiusdem Sacrae Congregationis Secretarius pro sui muneris officio dubia quae sequuntur Emis et Rmis PP. in ordinario Conventu enodanda proposuit; videlicet:

1. An in Ecclesiis Regularium aliisque Ecclesiis exemptis recitandae sint Collectae ab Ordinario loci praescriptae?

2. An liceat Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id iusserit.

3. An, iubente Ordinario, ut quibusdam Solemnitatibus vel in alio peculiari casu sonus Aeris Campani omnium Ecclesiarum edatur, praefatae Ecclesiae quantumvis exemptae eius mandato parere teneantur?

4. An praeter consuetas usuque receptas SS. Sacramenti expositiones, extraordinariae quoque in Ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii?

5. An liceat in expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica Spherae, ut recta illuceat in ipsam Sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat?

6. An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias pictasque Imagines Tabernaculo, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat? (1)

7. An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis aliquem versiculum addere; vel novas Litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constet, in Ecclesiis canere vel recitare?

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit ut infra; videlicet:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Negative; et serventur Decreta hac supra re pluries edita ».

Ad 5. « Negative; et servetur Instructio iussu s. m. Clementis PP. XI, evulgata die 21 Ianuarii 1705, pro Expositione SS. Sacramenti, occasione Orationis Quadraginta Horarum § VI ».

Ad 6. « Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandum omnino esse ».

Ad 7. « Negative; et serventur omnino Decreta Sacrae Congregationis: curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque, tam impressas quam manuscriptas, Litaniarum de quarum approbatione non constat ».

« Et quoniam de Litaniis sermo est quum Sacrae Congregationi innotuerit aliquibus in Ecclesiis, praesertim occasione Orationis Quadraginta Horarum, libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus aut alter versiculus in precibus desideratur; idcirco Sacra Congregatio, inhaerendo memoratae Instructioni Clementis PP. XI § XXIV, praecipit ne alii adhibeantur libelli, nisi typis Reverendae Camerae Apostolicae impressi vel eisdem plane conformes ».

Atque ita respondit. Die 31 Martii 1821.

Et facta de praemissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro PIO VII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsa approbavit confirmavitque; atque, ut cunctis pateant, Decretum Generale desuper expediri typisque evulgari mandavit. Die 3 Aprilis 1821.

2614. NOVARIEN. (4580)

Postquam nonnullae Paroeciae ex Mediolanensi Sede avulsae Novariensi Cathedrae accesserunt, congruum et forte etiam necessarium duxit Emus et Rmus Archiepiscopus Episcopus Novariensis, ut, Ambrosiano ritu posthabito, Latino se conformarent. Antistiti obtemperandum esse censuerunt aliquot ex iisdem; reliquae vero, exquisitis induciis, supplicem SSmo D. N. PIO VII Pont. Max. porrigendum curarunt libellum, rogantes ut, ex Apostolicae Sedis gratia, pervetustos suorum maiorum ritus retinere liceret. Preces autem cum Sanctitas Sua ad Sacram Rituum Congregationem remiserit, pro parte eiusdem Emi Archiepiscopi Episcopi Novarien., fuerunt proposita infrascripta dubia; videlicet:

1. An in Paroeciis nuperrime unitis Dioecesi Novariensi, amplecti possit et debeat Ritus Romanus; vel potius retineri Ambrosianus? et quatenus affirmative ad primam partem,

2. Num praecipiendum id sit nomine S. Congregationis, vel potius facienda potestas Emo Episcopo, qui pro sua prudentia et arbitrio, iuxta diversas circumstantias,

(1) E. Dub. 7.

facultate utatur sibi tributa, indulgendo, relaxando, cunctando et tolerando, ne ex Ritus mutatione oriantur scandala, divisiones, dissidia?

3. Quae media insinuanda sint Emo Episcopo, ut sine contentione disponantur populi illarum Paroeciarum ad amplectendum Ritum Romanum, Ambrosiano relicto?

Et S. R. C., exquisita prius sententia duorum Consultorum Theologorum, perpensis rationum momentis hinc inde deductis, auditaque relatione Emi et Rmi D. Card. Iulii Mariae de Somalia Episcopi Ostien. et Velitern., Sacri Collegii Decani Sacrorumque Rituum Congregationi Praefecti, censuit rescribendum: « Iuxta vota Consultorum, et consulendum SSmo ad mentem ». Mens autem est: « Quod licet Ritus Ambrosianus laudabilis et rationabilis sit, cum tamen magis congruat Romanum inducere in Paroeciis nuper unitis Dioecesi Novariensi; ideo S. C. insinuandum censet Emo Antistiti, ut mediis adhibitis, quae magis ei opportuna videbuntur, quin expresse praecipiat, allicere potius studeat Parochos et plebem praefatarum Paroeciarum ad Ritum Romanum amplectendum ». Die 31 Martii 1821.

Facta autem de praemissis per infrascriptum Secretarium SS. D. N. relatione; Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus. Die 3 Aprilis 1821.

2615. SULMONEN. (4582)

Matutinis Horis solemniter persolutis in nocte Nativitatis Domini, Reverendissimus Episcopus Sulmonen. in sua Cathedrali primam celebrat Missam Pontificalem ad praescriptum Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 14; deinde Laudes, quae post hanc Missam pari solemni ritu cantari debent, ut in eodem Caeremonialis capite, iuxta Ecclesiae illius vigentem consuetudinem, sine cantu a Canonicis persolvuntur, postquam Episcopus, absoluta Missa, Episcopium repetiit. Hinc Episcopus a S. R. C. declarari postulavit:

1. An haec consuetudo servari possit? et quatenus negative,

2. Humiliter supplicat, quod attenta Cathedralis distantia, horis nocturnis et tempore hyemali, indultum sit Canonicis inter Missarum solemnia Laudes sine cantu solemni alternare, prout creditur concessum fuisse aliquibus Religiosis et Ecclesiis, et eo modo Missam complere quo in Vesperis decantandis Missa perficitur in Sabbato Sancto.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto reddito typisque vulgato, perpensisque regionis ac tempestatis rigore, necnon Cathedralis illius a Civitate distantia, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Bardaxy Ponentis, rescribendum censuit: « Negative; sed attentis peculiaribus circumstantiis, in casu de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam ». Die 31 Martii 1821.

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SSmo D. N. Pio VII Pont. Max. relatione: « Sanctitas Sua, attentis expositis, in casu de quo agitur, benigne annuit pro gratia dispensationis ». Die 3 Aprilis 1821.

2616. RESOLUTIONIS DUBIORUM. (4583)

Etsi ex Venerabili Ecclesiae Traditione relata Cap. *Sabbato* 13, dist. 3, *de Consecratione,* necnon ex iis quae per Summos Pontifices Clementem XI Decreto diei 15 Martii 1712, ac Benedictum XIV in opere de Sacrificio Missae, statuta sunt, certa et constans regula exurgat, quinam vel Feria V in Coena Domini, in qua prima recolitur Eucharisticae mensae institutio, vel Sabbato Sancto primordiis Dominicae Resurrectionis sacro, Missam celebrare valeant: etsi Decreto dato sub die 21 Martii 1744 (in Bergomen. ad 1) cautum fuerit, undenam inchoanda sit Missa ab Episcopo qui eodem Sabbato Sancto Ordinationem habeat in domestico Sacello: etsi demum, ex speciali Rubrica illius diei et ex generalibus Rubricis Pontificalis Romani, certo eruatur quaenam servanda sint in Ordinatione tum Subdiaconi, tum eius qui ad Presbyteratus honorem assumendus est; nonnullae tamen de ea re ortae sunt controversiae non levioris certe ponderis et momenti, ad quas dirimendas Sacrae Rituum Congregationis Secretarius censuit pro sui muneris officio Emis PP. in Ordinario Conventu sequentia dubia proponere:

1. An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis, praesertim in ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Feria et sequenti ceterae ecclesiasticae functiones praescriptae, ob Clericorum defectum?

2. An in Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico Sacello ratione Ordinationis, vel ab aliis Sa-

cerdotibus (siqui sunt) qui huiusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a *Kyrie* vel a Prophetiis?

3. An ad eliminandos abusus, siqui irrepserint, sit consulendum Sanctissimo pro revocatione cuiuscumque indulti celebrandi privatim eamdem Missam, firmo tamen remanente singulari privilegio aliquibus Ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die?

4. An in Ordinatione Generali, quae fit Sabbato Sancto, facienda sit monitio promovendis ad Subdiaconatum ante Litanias vel postea?

5. Quid in Ordinatione privata in eodem Sabbato Sancto, praesertim si unus tantum Ordo Subdiaconatus sit conferendus?

6. Quomodo intelligenda sint verba Pontificalis Romani in Rubrica de Ordinatione Presbyteri quoad manuum impositionem: *Idemque faciunt post eum* (nempe Episcopum) *omnes Sacerdotes qui adsunt?*

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, et exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scriptis edita praeloque cusa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Iulii Mariae de Somalia Praefecti et Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, et ad mentem ». Mens est: « ut locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriis V et VI ac Sabbato maioris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 iussu editi: et quoad alias Paroecias quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice Conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SSmo ».

Ad 2. « Quoad Episcopos ratione Ordinationis servetur praescriptum Pontificalis et Decretum S. C. diei 21 Martii 1744 in Bergomensi, et Missa incipiatur a Prophetiis; et quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post Campanarum sonitum ».

Ad 3. « Affirmative, iuxta votum; videlicet: Consulendum SSmo pro revocatione cuiuscumque indulti celebrandi privatim in Sabbato Sancto, firmo tamen singulari privilegio aliquibus Ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die, prout in dubio ».

Ad 4. « Servetur Pontificalis huius diei rubrica ».

Ad 5. « Ut ad proximum ».

Ad 6. « Iuxta votum, ea verba Pontificalis Romani in Ordinatione Presbyteri: *Idem faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt:* intelligi posse moraliter; iuxta tamen locorum consuetudinem, servata rubrica quoad paramenta et Stolas ».

Atque ita respondit et servari mandavit. Die 28 Iulii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsum approbavit et confirmavit; atque, ut ab omnibus servetur, in acta eiusdem Congregationis referri typisque evulgari praecepit. Die 31 Iulii 1821.

2617. DECRETUM GENERALE. (4584)

Quum maximopere intersit, ne quid veritati aut pietati haud consentaneum in Coelitum actis describendis proponatur, providentissime Summi Pontificis Urbani VIII Decreto cautum est « ut vitae, res gestae, miracula Ven. Servorum Dei edi typis nequeant sine recognitione atque adprobatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat; et ne deinde fraus vel error aut aliquid novum aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam remittat ». – Item ad diem 17 Novembris 1674: Consulta Sacrorum Rituum Congregatione per R. P. Magistrum Sacri Palatii, super modo concedendi licentiam imprimendi libros continentes vitas, gesta et miracula Servorum Dei, non adhuc a S. Sede Sanctorum fastis adscriptorum; eadem S. C. censuit: « In posterum, antequam typis mandentur, revidendos esse per R. P. D. Fidei Promotorem et per eumdem in Sacrorum Rituum Congregatione referendos ». Id demum de ea re adnotavit s. m. Benedictus XIV in Opere de Beatificatione et Canonizatione lib. II, cap. 11, §§ 6 et 7, quod videlicet: « Sacra Rituum Congregatio aliquando eorumdem revisionem defert ad Congregationem SSmae Inquisitionis, quae, accepta relatione ab aliquo ex suis Relatoribus aut Qualificatoribus, siquando illa typis imprimendi facultatem tribuit, iniungit locorum

Ordinariis observantiam erga saepe memorata Decreta Urbani VIII ».

Salutaria haec instituta paullatim languescere ac ex usu plane iam decessisse compertum est; ideoque S. R. C. Secretarius, de opportuno remedio adhibendo egit in generali Conventu habito die 28 Iulii 1821. Re itaque diligenter perpensa, Emi PP. decernendum censuere: « Detur novum Decretum, facto verbo cum SSmo: et transmittatur ex Officio P. M. S. Palatii Apostolici ».

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Decretum approbavit et confirmavit; ac ut ab omnibus servetur, typis evulgari atque in actis eiusdem Congregationis referri mandavit. Die 31 Iulii 1821.

2618. COTRONEN. (4586)

Nonnulli sunt in Cathedrali Cotronen., qui sentiunt Missam Conventualem de Sancto dupl. vel semidupl. occurrente in Feriis Adventus post Nonam esse canendam; prout etiam contendunt in Dominicis Adventus et Quadragesimae omittendam esse Collectam ab Ordinario imperatam. Cum autem R. D. Antonius Lucifero memoratae Cathedralis Primicerius haec Rubricarum praescripto adversa existimet; humillime postulavit, ut Emi et Rmi PP. Sacris Ritibus praepositi subscripta dubia pro eorum sapientia enodare et resolvere dignarentur:

1. An tempore Adventus Missa Conventualis de Sancto occurrente sub ritu dupl. vel semidupl. post Nonam semper sit celebranda?

2. An in Dominicis Adventus et Quadragesimae omittenda sit Collecta a Superioribus imperata?

Et EE. PP. Sacris Ritibus praepositi, exquisita prius matureque perpensa sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto reddita praeloque cusa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Naro Ponentis, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Negative; et Missam de Sancto sub ritu dupl. vel semidupl., in Feriis Adventus occurrente, semper celebrandam esse post Tertiam, iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Negative; exceptis Dominica Palmarum, et Dominica IV Adventus in huius occursu cum Vigilia Nativitatis D. N. I. C., in quibus omittenda est Collecta imperata ».

Et ita S. R. C. respondit, statuit et ubique servari mandavit. Die 20 Aprilis 1822.

2619. DERTONEN. (4587)

In Apostolicis Literis in forma Brevis expeditis die 17 Iulii 1817, pro nova Episcopalis Sedis Dertonen. erectione, Cathedralis Ecclesia enunciatur sub titulo B. M. V. in coelum Assumptae, licet in perantiqua et solemni illius consecratione dicata fuerit in honorem S. Martyris Laurentii principis Civitatis Patroni. Hinc exorta quaestio est circa alterutrius praelationem Tituli, ac ritus varietatem vel paritatem, dubitantibus nonnullis quisnam e duobus illis esset retinendus, qui relinquendus; et an potius utrique servandi licet diversis temporibus et diversa ratione dictae Ecclesiae assignati? Ut autem omnis desuper exorta quaestio e medio tollatur, Sacerdos Antonius Maria Remotti Parochus et Dertonen. Calendarii Director supplex adiit Sacram Rituum Congregationem, rogans resolutionem sequentium dubiorum:

1. An novus titulus sit retinendus, relicto primo?

2. An relicto secundo, retinendus sit primus?

3. An potius ambo retinendi sint?

4. An, ambobus retentis, gaudeant pari ritu, solemnitate, et iuxta Caeremoniale Episcoporum gaudeant nota Pontificali?

Praeterea cum per Decretum Generale S. huius Congregationis dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa prohibetur etiam diebus excludentibus duplicia per annum, ideoque etiam infra octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecosten et infra octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, idem Parochus petiit declarari:

5. An huiusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus, ut supra notatis?

6. An commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda, prout ex dicto Decreto, in Missis de duplici 1 vel 2 classis dici debeat sub unica conclusione cum Oratione Festi; vel sub altera conclusione?

7. An talis commemoratio pariter dici debeat sub unica vel sub altera conclusione, prout solet de aliis commemorationibus occurrentibus, in diebus Dominicis et Festis de praecepto?

8. Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione?

Et S. R. C., exquisita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarata typisque evulgata, ad rela-

tionem Emi et Rmi D. Card. Cavalchini Ponentis, respondendum censuit ut infra; videlicet:

Ad 1. et 2. « Provisum in tertio ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative in omnibus ».

Ad 5. « Negative quoad octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecosten et octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar octavae Epiphaniae ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 7. « Ut in antecedenti ».

Ad 8. « Faciendam primo loco post alias de praecepto ».

Atque ita respondit. Die 20 Aprilis 1822.

2620. DUBIORUM. (4588)

Usus sensim invaluit, ut quoties Calices aliaque vasa, sacra Unctione consecrata iuxta ritum Pontificalis Romani, artificis opera indigeant, quippe reficienda vel fundenda iterum sint, non antea eidem tradantur, quam per Sacerdotem vel directe et manu, vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata. Cum vero utrum execratio haec modusque illam peragendi rationi Ecclesiaeque ritibus sit consentanea, vel potius abusiva nullique innixa principio, dubitaverit R. D. Archipresbyter Ferdinandus Valeriani, dubia quae sequuntur humillime exposuit sapientissimo EE. PP. Sacris Ritibus praepositorum iudicio, enixe postulans illorum resolutionem; videlicet:

1. Utrum rite; vel potius ex errore passim fiat huiusmodi execratio?

2. Si rite; utrum ab Episcopo, vel a quocumque Sacerdote sit peragenda?

Et S. R. C., audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarata typisque evulgata, Emo et Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia Sacrae eidem Congregationi Praefecto referente, respondit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Provisum in primo; et detur Decretum generale ».

Die 20 Aprilis 1822.

Factaque de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, et generale Decretum desuper edi ac typis publici iuris fieri mandavit. Die 23 Aprilis 1822.

2621. DUBIORUM. (4590)

Plura ubique vel ex Rubricarum et Decretorum ignorantia, vel ex nimia in iis pro arbitratu interpretandis licentia, percrebrescere compertum est, quae a legitimis probatisque Ritibus plane abhorreant. Hinc crebrae deferuntur querelae ad S. R. C., ut hisce malis opportuna adhibeat remedia, cum id maxime ei curandum sit ut veteres Ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis in Missis, divinis Officiis, Sacramentorum administratione ceterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis observentur, atque caeremoniae, si exoleverint, restituantur: si depravatae fuerint, reformentur (ex Bulla Sixti V: *Immensa Aeterni Dei*). Sui idcirco muneris partes arbitratus est eiusdem S. Congregationis Secretarius dubia quaedam ex delatis postulationibus conficere, eaque Emis Patribus definienda proponere, quibus graviores saltem abusus convellantur. Sunt porro ea, quae sequuntur:

1. Quomodo se gerere debeant Magistri Caeremoniarum aliique, qui vident in Ecclesiis non peragi functiones iuxta Rubricas nec observari Decreta et Resolutiones Sacrae Rituum Congregationis? (1)

2. An Presbyter assistens Episcopo in Solio, vice scabelli, uti possit Sede camerali vel simpliciter lignea ex corio cooperta, renovanda toties quoties inepta evasit ad usum? et quatenus negative,

3. An saltem toleranda sit immemorabilis consuetudo eamdem adhibendi?

4. An idem ornatus, qui iuxta Caeremoniale convenit Amboni in quo sermo et concio haberi solet, permitti possit in scamno, in quo sedent Dignitates et Canonici solemniter celebrantes?

5. An in eodem scamno Canonici celebrantis apponi possit pulvinum sericum?

6. An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante, loco scamni cooperti tapete, Sedem cameralem serico damasceno ornatam, et pro Ministris similia scabella; vel potius reprobandus atque damnandus?

7. An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem, vel supra Tabernaculum vel su-

(1) E. Dub. 2 et 13.

pra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit?

8. An liceat vel dedeceat fores Ecclesiae pandere et repagula removere, ut pateat interna pars transeuntibus per viam, dum benedicendus est populus cum SSmo Sacramento?

9. An, quo modo quove in Altari fieri debeat benedictio palmarum ante Missam celebrandam Dominica in Ramis, pro repositione SSmi Sacramenti, expleta Oratione Quadraginta Horarum?

10. An permittenda sint in Urbe genuflexoria cum stratis et pulvinis in Ecclesiis pro personis cuiuslibet conditionis; vel potius reprobanda, praeterquam Regali vel Cardinalitia dignitate fulgentibus?

11. An Archidiaconus seu Presbyter assistens debeat sustinere librum, dum Episcopo celebranti assistit; vel potius sufficiat ut illum tangat?

12. An Magistris Caeremoniarum Cathedralium qui ex dispositione Caeremonialis (necnon Patriarchalium Urbis, ex Apostolico indulto) veste violacea in sacris functionibus utuntur, eadem uti possint extra servitium Episcopi et respective Capituli?

13. An Collegiis Canonicorum vel Beneficiatorum, quibus ab Apostolica Sede concessum fuit privilegium gestandi Cruces vel Numismata aurea, licitum sit ea palam deferre in paramentis sacris et in administratione Sacramentorum?

Et EE. PP. Sacris Ritibus praepositi, exquisita prius sententia duorum ex Magistris Apostolicarum Caeremoniarum scriptis consignata typisque evulgata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuerunt ut infra, videlicet:

Ad 1. « Adeundus loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae et S. R. C. Decreta rite serventur; siquid vero dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. C. pro declaratione ».

Ad 2. et 3. « Negative in omnibus ».

Ad 4. « Negative; et adamussim servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 3, § 4 ».

Ad 5. « Servandam esse praefati Caeremonialis dispositionem; et adhibendum pulvinum vel laneum vel ex corio ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; affirmative, ad secundam ».

Ad 7. « Reprobandum abusum; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis. Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia tempore Sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam populo ».

Ad 8. « Non decere; nisi iudicio Ordinarii, ob peculiares circumstantias locorum, aliter permitti posse videatur, citra periculum irreverentiae ».

Ad 9. « In casu, de quo agitur, si fieri debeat vel deceat ut fiat benedictio palmarum, haec facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiae structura, distante ab Ara maxima in qua SSmum Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in Missali praescriptis, sed absque Processione ».

Ad 10. « Negative, ad primam partem; affirmative, ad secundam ».

Ad 11. « Servetur dispositio Caeremonialis lib. 1, cap. 7, pluribus huius S. C. Decretis confirmata ».

Ad 12. « Negative ad utrumque; et quoad Caeremoniarum Magistros Ecclesiarum Patriarchalium Urbis, servandam esse stricte formam privilegii ».

Ad 13. « Negative ».

Atque ita responderunt et statuerunt. Die 17 Septembris 1822.

Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio VII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua cuncta benigne approbavit; Decretumque desuper expedire et publici iuris fieri mandavit; locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense, Anno, quibus supra.

2622. RAVENNATEN. (4591)

Benedictus XIII s. m. Ravennatenses Parochos privilegio insignivit superimponendi mozzettam vel Stolam superpelliceo, praesente Capitulo; eo autem absente, alterutra vel utraque coniunctim utendi: huic autem et alterum novissime cumulavit Sanctissimus D. N. Pius VII, dum cottae loco indulsit rochettum in supplicationibus aliisque publicis functionibus induendum, tam in propria quam in alienis Ecclesiis. Ast Apostolicarum Literarum fines praetergredientes Parochi, eodem nedum in supplicationibus et publicis functionibus, verum etiam in Sacramentorum administratione, benedictionibus aliisque functionibus indui posse praesumunt: quod cum indultas facultates excedat et Rubricarum legibus et S. R. C. Decretis adversetur, Metropolita-

nae Capitulo moderandum est visum. Quapropter, proposito in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria dubio: An Parochi Ravennatenses Apostolico privilegio suffulti gestandi in ecclesiasticis functionibus et publicis supplicationibus, sive intra sive extra eorum curae commissas Ecclesias, rochettum loco Cottae sub mozzetta violacea et Stola auro intexta, possint uti rochetto etiam in Sacramentorum administratione, benedictionibus aliisque functionibus, in quibus ex Rubricae praecepto Sacerdos cottam assumere debet?

Et S. R. C., exquisita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto edita typisque vulgata, ac referente Emo et Rmo D. Card. Iulio Maria de Somalia, loco Emi et Rmi D. Card. Galleffi Ponentis absentis, respondendum censuit: « Negative; et in casu, solam cottam cum Stola esse adhibendam ». Die 17 Septembris 1822.

Factaque de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsum approbavit, confirmavit, et ita a Parochis Ravennaten. in posterum servari mandavit. Die, Mense, Anno, quibus supra.

2623. TRIDENTINA. (4592)

Usus in Tridentina Civitate invaluit, ut quotiescumque Cathedralis Ecclesiae Chorus ad funera reliquarum Paroeciarum vocaretur, defuncti Parochus cum suo Clero in ipsam Cathedralem conveniret ad levandum Chorum pro agendo funere; quod non tantum a duabus Paroeciis eidem Capitulo incorporatis, sed etiam a Paroecia S. Mariae Magdalenae ab hoc independente, hactenus servatum est. Regularibus suppressis, Paroecia S. Petri a Clericis Regularibus Somaschae Congregationis in antecessum administrata, Capitulo cessit ac paullo post ambo Parochi, tum S. Petri tum S. Mariae Maioris pleno iure cum investitura instituti sunt. Inde ortum dissidium. Parochi siquidem gravari coeperunt de praedicto usu accedendi ad Cathedralem, contendentes funeralem processionem ad normam Decretorum S. R. C. congregandam esse in Ecclesia, ad quam deferendum est cadaver; Mansionarii ex adverso ceterique a Choro deputati iuri quaesito insistunt, affirmantes praecipuam in Ecclesiis Sacrorum Rituum normam esse consuetudinem, quae quandoque vim legis particularis obtinet contra ipsam generalem regulam. Ad huiusmodi dissidium componendum R. D. Carolus Sardagna Vicarius Generalis Capitularis Tridentinus, obsequentissimis literis Emo Domino Card. Praefecto datis, infrascripta dubia inter partes concordata a S. R. C. enodanda humillime proposuit:

1. In quanam Ecclesia regulariter conveniendum sit ad Processionem funeralem?

2. An nova conditio Parochorum S. Mariae Maioris et S. Petri eosdem liberet a servando usu, qui antea viguit, accedendi ad Ecclesiam Cathedralem ad levandum Chorum, invitatum ad funera suorum parochianorum?

3. An, dum ad funus alterius Paroeciae Ecclesia Cathedralis seu Chorus sine Capitulo Canonicorum invitatur, hic ad ineundam Processionem funeralem accedere debeat ad Ecclesiam illius Paroeciae, non obstante contraria consuetudine; vel saltem possit in via expectare Clerum eiusdem Paroeciae, aut convenire ad domum defuncti; vel tandem possit abstinere a comitando funere?

4. Quid statuendum hac in re, dum Ecclesia Cathedralis una cum Capitulo Canonicorum invitatur ad funus alterius Paroeciae?

5. Denique ubinam conveniendum est ad Processionem funeralem, dum Canonicus Ecclesiae Cathedralis in aliena Paroecia domicilium habens moritur, cuius cadaver iuxta morem nostrum pro exequiis celebrandis ad Ecclesiam Cathedralem deferri debet?

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, et exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa, ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Iulii Maria de Somalia Episcopi Ostien. et Velitern. Praefecti et Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Regulariter conveniendum ad Parochialem, nisi consuetudo sit conveniendi in aliam Ecclesiam, iuxta praescriptum Ritualis Romani et huius Sacrae Congregationis Decreta ».

Ad 2. « In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem accedendi ad Cathedralem, dum Chorus invitatur ad funus; non obstante nova Parochorum conditione ».

Ad 3. « In casu etc. quoad primam et tertiam partem, iam provisum in antecedenti; quoad secundam, nullibi nulloque in casu licere expectare per viam, aut con-

venire ad domum defuncti, ut pluries haec S. C. sancivit ».

Ad 4. « Semper et ubique in Cathedralem conveniendum, si eiusdem Capitulum intersit ad funus ».

Ad 5. « Omnes funus associantes in casu accedere debere ad Cathedralem, etiamsi Capitulum non intersit, sed solum eiusdem Parochus una cum altero Parocho domicilii ».

Et ita censuit ac servari mandavit. Die 17 Septembris 1822.

2624. DECRETUM. (4593)

Ex Romanorum Pontificum Indulgentia, certa quaedam illustria honoris insignia Collegiis Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et Ordinis maiestas commendaretur magis, et ipsa Sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio, ut quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono, infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt querelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus Pontificio Diplomate praestitutus violari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum personarumque ratione, quod primoribus ex Ecclesiastica Hierarchia datum dignoscitur.

Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit Sacra Rituum Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita; atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium Pontificalium Collegiis Canonicorum insignioribus libenter collatum, statis quibusdam conditionibus moderandum curavit, praesertim in Panormitana die 22 Aprilis 1684 et in Urbinaten. die 29 Ianuarii 1752.

Novis tamen et deterioribus adhuc percrebrescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu Pontificalium in Metropolitana Ecclesia Baren., placuit SSmo Domino Nostro Pio Papae VII rem universam eidem S. Congregationi discutiendam demandare; quae, exquisita prius sententia S. Congregationis Caeremonialis Secretarii, itemque Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistri, cunctisque rationum momentis accurate diligenterque perpensis, edendum censuit Decretum, quo Pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad Ritualium praescriptionum normam coerceantur. Eius porro Decreti articuli sunt, qui sequuntur:

1. Sacra peragere Ritu Pontificali de iure inhaeret dumtaxat Episcopali Dignitati.

2. Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis Ecclesiis ab Episcopali iurisdictione exemptis; et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia Decreta Alexandri VII, a Benedicto XIV confirmata.

3. In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem Pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4. Dignitates, Canonici, Rectores Ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

5. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam Ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati Episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

6. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem et Assistentes cum insignibus pontificalibus.

7. Nam Celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia; non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

8. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a Sacra Congregatione, caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, Dalmatica, Tunicella, annulus cum unica gemma, Crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

9. Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas aut Rector solemniter celebrans,

nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

10. Qui vero in Missa solemni Diaconum et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici etc., nec mitram nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

11. Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum insignibus pontificalibus solemniter celebrare liceat, iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis vel impediti vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali et mitra; in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

12. In Ecclesiis Civitatis et Dioecesis cum insignibus pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in maioribus Solemnitatibus, assentiente Episcopo et assistente Capitulo.

13. Numquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

14. Si Dignitas vel Canonicus etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum vel Novitia expleto tyrocinio ad solemnem professionem, pontificalibus insignibus uti nequeat, nisi de expressa licentia; qua obtenta, iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

15. Cum pontificalibus indumentis Celebrans, nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui Officio diei respondeat.

16. Nequit praeterea, tam in solemni quam in Missa privata, sacras vestes sumere ex Altari; uti Canone, palmatoria, Presbytero assistente; salutare populum cum ℣. *Pax vobis* loco ℣. *Dominus vobiscum*, aut trinam dare benedictionem post Missam vel cum Sacramento; et si quae sunt alia, quae solis competunt de iure Episcopis et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his Pontificalia peragere, statis diebus, concessum est.

17. Dignitates, Canonici, Rectores etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt, sacris indumentis, videlicet pluviali, Casula vel Dalmatica amicti, in Processionibus SSmi Corporis Christi, et in Benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum; etiamsi has functiones peragat Dignitas vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti aut vita functi.

18. Assistentes Episcopo tam in Altari quam in Cathedra, quando ministrant aut cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

19. Solemniter celebrantes, dum Episcopus sacra assumit indumenta aut Solium ascendit, stent sine mitra.

20. Non licet eis uti pulvino sub genubus, Episcopo praesertim assistente.

21. Non adhibeatur Acolythus ad tenendam mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. solemniter celebrante vel Sacramentum in Processionibus deferente.

22. Dignitates, Canonici, Rectores etc. in Processione SSmi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

23. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, Ministros, Altaris ornatum, a simplicibus Sacerdotibus non differant; sumant proinde sacras vestes in Secretario, non utantur Cruce pectorali, unico Ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in Altari.

25. Defuncti, nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum mitra.

26. In eorumdem funeribus seu anniversariis, super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

27. In insignibus seu stemmatibus Familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu quo expresse concessum sit in Literis Apostolicis.

28. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad S. Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus ac praeter huiusce Decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec iura in S. Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SSmo Dom. Nostro, Sanctitas sua cuncta in hoc Decreto sancita benigne approbavit, atque in actis S. R. C. referri, nec non Literas

Apostolicas sub plumbo de eodem edi mandavit. Die 27 Augusti 1822.

Sequitur Constitutio SSmi D. N. Pii PP. VII, qua confirmantur praefata Decreta.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Decet Romanos Pontifices pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum solicitudine maximopere adniti, ut quae per Eos identidem decernuntur privilegia, praestitutis legibus apprime contineantur; ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari aliorumque iura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem Sacris Ritibus praepositam discussa, opportune praefinire quidnam iuris inducant mitrae ac pontificalium usus, aliaque id genus insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi Abbates Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores et quaedam Canonicorum Collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII Praedecessor Noster, habita coram se Sacrorum Rituum Congregatione die XXVII Septembris Anni MDCLIX Decretum sancivit, quo leges traduntur de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo; itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV Constitutionem, quae incipit: *In Throno Iustitiae,* edidit XIII Cal. Martii Anni MDCCLII ad Decreta approbanda, quae eadem Congregatio vulgaverat de privilegio pontificalium, quo Urbinatense Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

Haec vero aliaque in eam rem data Decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignoratione, sua interdum executione carere, multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebrescere dolendum est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab Apostolicae Sedis indulgentia ad cultum religionemque in Sacrorum tractatione ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco et graves querelae perlatae ad Nos sunt, ut et Episcopalis Ordinis Maiestati consulamus adversus eos qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus Episcopalis Dignitas splendescit, sibi adtributa arbitrantur, et accuratam Sacrorum Rituum observantiam vindicemus, quos, talium concessionum praetextu, impune perstringi admonemur.

Ne itaque usus huiusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus, id adhibentes remedii quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant; neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu pontificalium in Metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum iniungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, Decretum ab eadem prolatum est die 27 Augusti anni proxime praeteriti.

Hoc porro Decretum ac rationum momenta ceterasque S. Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus, cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum huiusmodi usu plura incommoda redundare, ac praesertim haud parum detrahi splendori Episcopalis Dignitatis, quam sartam ubique ac tectam Nostri est muneris protueri, idem Decretum, ut illius dispositio firmius subsistat atque accuratius observetur ab omnibus, Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, eique perpetuae inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus; illudque ab iis omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illius observantia et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

Praeterea hisce nostris Apostolicis Literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac quatenus opus sit denuo approbamus et sancimus, quae per Praedecessores Nostros ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII in memorato Decreto diei 27 Septembris 1659, illiusque declaratione edita sub die 20 Iulii 1660; necnon per fel. recor. Benedictum XIV sua Constitutione, quae incipit: *In Throno Iustitiae;* atque alias per Sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus et Canonicis attributo.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut praesentes nostras Literas atque omnia et singula in eis

statuta faciant Auctoritate Nostra debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter observari: contradictores et inobedientes quoslibet per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Praesentes autem Literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in ius vel controversiam vocari; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Sedem Apostolicam praedictam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio factis et faciendis, comprehendi vel confundi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse, suosque plenarios effectus sortiri èt obtinere.

Sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, Ecclesiarum, quarum Capitulis pontificalia insignia concessa reperiuntur, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis, quibusvis personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et planissime ac specialiter et expresse, necnon opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo tertio, quarto nonas Iulias, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

H. Cardinalis Consalvus.

A. Benigni Sub-Datarius.

Visa de Curia: *D. Testa.*

Loco ✠ Plumbi.

F. Lavizzarius.

2625. MELPHITANA (4595)

Chori servitium quoad ecclesiasticas functiones in Cathedrali Melphitana triginta sex Participantes in officio, sive Mansionarii sive Portionarii seu Hebdomadarii, hactenus expleverunt; qui absque canonica institutione et sine Episcopali auctoritate a Capitulo electi atque eidem Ecclesiae olim addicti, novissime, Literis Apostolicis in forma Brevis die 13 Aug. 1819 expeditis, ad id muneris praevia cum possessione non admittuntur, nisi sint Sacerdotes et Clerici, qui ab Episcopo post maturum examen pietate ac doctrina commendatiores fuerint inventi. Sed quoniam Melphitana Ecclesia antiquitatis laude, Templi magnitudine, Sacerdotum probitate ac doctrina, populique devotione ac frequentia haud parum floret, ad eius splendorem augendum, utque Dei cultus ac fidelium devotio maiora susciperet incrementa, SS̃mus Dominus Noster Pius VII Pont. Max. aliis Literis Apostolicis sub die 8 Aprilis 1820 memoratos triginta sex Participantes, inter quos duo Parochi et quatuor Cantores existunt, speciali decoravit praerogativa utendi ro-

chetto et mozzetta cum caputio violacei coloris. Hoc privilegio suffulti, renuunt ad praesens Participantes aliqua peragere, quae ante hanc concessionem exercebant. Hinc Capitulum Ecclesiae Cathedralis, ad stabiliendum ritum ac disciplinam in Choro conformem, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi resolvenda proposuit:

1. An dicti Participantes, postquam induerunt rochetum et cappam magnam, sive sint Ministri ad Altare sive non, teneantur aequo modo ante Crucem et ante Episcopum, necnon assistentes in Choro dum dicitur Introitus in Missa solemni, genuflectere?

2. An iidem, dum Episcopus dat benedictionem, vel in solemni Missae Sacrificio vel in Officio, teneantur genuflectere?

3. An teneantur pariter, quando in Missa Conventuali Canonicus vel unus Hebdomadarius ex iisdem Participantibus in fine Missae dat benedictionem?

4. An in benedictione candelarum, cinerum et ramorum olivarum, sive Episcopus sive Canonicus celebret, teneantur Participantes genuflectere et cum osculo manus, candelam, cineres et ramos olivarum recipere?

5. An iidem, post obtenta insignia, a gerendo, ut prius, thuribulo ac officio ceroferarii in Conventuali sint exempti?

6. Mos est in Cathedrali ut etiam Participantes in solemni SSmae Eucharistiae Processione, quae fit in Festo et in octava Corporis Christi, incedant cum Planeta super Albam. Quaeritur: An vigore indulti possint, ab observantia recedendo, incedere cum Planeta non amplius super Albam, prout gerebant, sed super rochettum ad instar Canonicorum, vel cum cappa et rochetto?

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis vulgata praeloque cusa, ac Ponente Emo et Rmo Domino Card. Petro Francisco Galleffi Episcopo Albanensi, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative in omnibus ».

Ad 2. 3. et 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative; et dum ministrant in officio thuriferarii et ceroferarii, superimponant vesti talari dumtaxat superpelliceum ».

Ad 6. « Negative in omnibus ».

Atque ita decrevit et a praedictis Participantibus servari mandavit. Die 12 Aprilis 1823.

2626. NOLANA. (4596)

Deficiente principe Patrono Oppidi cui nomen a S. Anastasia in Dioecesi Nolana, huius Clerus et populus innumera pene beneficia intercessioni S. Francisci Xaverii Confessoris e Societate Iesu referens accepta, ut grati erga eumdem animi perenne monumentum exhiberent, sub die 19 Maii anni 1822, ad eiusdem electionem in Patronum principalem devenerunt, Sacrae nunc Rituum Congregationi supplicantes pro confirmatione electionis, et facultate agendi praefatum Festum sub utroque praecepto cum Officio et Missa sub ritu dupl. primae classis cum octava, ceterisque praerogativis et privilegiis praecipuis Locorum Patronis convenientibus.

Et S. R. C., singulis actis electionem respicientibus mature perpensis, ac referente Emo et Rmo Domino Card. Naro Ponente, censuit rescribendum: « Pro gratia confirmationis; et ad mentem ». Mens autem fuit: « Quod Festum perpetuo in posterum, tamquam in die propria, celebretur in ultima post Pentecosten Dominica; nisi Ordinarius, utendo facultatibus concessis in Brevi diei 15 Octobris 1818 eiusque servata forma, indulgeat ut a propria Sede non amoveatur; et quatenus hic dies incidat in Dominica 1 Adventus, transferatur iuxta Rubricas ». Die 12 Aprilis 1823.

Facta autem de praemissis, die 15 eiusdem mensis et anni, SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. per Secretarium infrascriptum relatione; Sanctitas Sua Rescriptum et mentem S. C. approbavit et confirmavit.

2627. RAVENNATEN. (4597)

Metropolitanae Ecclesiae Ravennaten. Canonici, dum Archipraesulem a propria residentia ad illam vel aliam Ecclesiam comitantur, bini post archiepiscopalem Crucem ante ipsum Archiepiscopum incedunt. Vigentis huius consuetudinis ignoratur prorsus origo; ad quam eliminandam, utpote Caeremoniali Episcoporum lib. 1, cap. 15, § 2, et lib. 3, cap. 10, § 2, contrariam, instituit modernus Archiepiscopus: Canonici tamen recensitum ius sibi vindicant acquisitum. Re itaque unanimi Archiepiscopi et Canonicorum consensu ad S. R. C. delata, sequens dubium super huiusmodi consuetudine enodandum propositum fuit, videlicet: An consuetudo, qua Canonici Ravennatenses in associatione Archiepiscopi ab eius aula ad Ec-

clesiam incedunt post eius Crucem immediate ante ipsum, possit in casu sustineri?

Et S. R. C., Emo et Rmo Domino Card. Iulio Maria de Somalia Episcopo Ostien. et Velitern. Praefecto et Ponente referente, re mature diligenterque discussa, atque audito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato typisque evulgato, ad propositum dubium respondendum censuit: « Negative; ac servetur omnino Caeremoniale Episcoporum; et amplius ». Atque ita decrevit ac servari mandavit. Die 12 Aprilis 1823.

2628. IMOLEN. (4598)

Duae inter ceteras Sodalitates canonice erectas in Oppido Massae Longobardorum Dioecesis Imolensis distinguuntur; altera quarum sub invocatione SSmi Sacramenti erecta est in Archipresbyterali Ecclesia loci eiusdem; altera, cui ab Nosocomii cuiusdam gubernio et regimine nomen est Hospitalis, extat in Ecclesia B. Virginis in coelum Assumptae nuncupata. Ut autem prima, ratione instituti, ius habet praecedentiae in singulis supplicationibus, in quibus SSmum Eucharistiae Sacramentum defertur; ita et haec, sicuti ratione temporis et erectionis ceteras praecellit in reliquis Processionibus quae in eodem Oppido fiunt, item praecellere in illis SSmi Sacramenti posse novissimis temporibus est arbitrata. Hinc quaestiones inter utramque subortae; ad quas componendas, concordatis antea dubiis, propositum fuit in hodierno Ordinario S. R. C. Conventu :

1. An, et cui ius competat praecedendi in Processionibus SSmi Sacramenti, etiam ad effectum manutentionis, in casu?

2. An, et cui competat ius praecedentiae in aliis Processionibus, etiam ad effectum manutentionis, in casu?

Et S. R. C., visis matureque perpensis omnibus iuribus et allegationibus favore utriusque partis allatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Rivarola Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Praecedentiam competere Confraternitati SSmi Sacramenti ».

Ad 2. « Praecedentiam competere Confraternitati Hospitalis ».

Atque ita respondit. Die 12 Aprilis 1823.

Facta autem de praemissis die 15 subsequenti, SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsa approbavit, atque ita in Oppido Massae Longobardorum Dioecesis Imolen. in posterum servari mandavit.

2629. DECRETUM. (4599)

In aliquibus Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis Beneficiati, vel Mansionarii vel Hebdomadarii vel quocumque alio nomine nuncupati, ex Apostolico speciali indulto deferunt cappas pellibus ornatas, diversi tamen coloris ab eo quo Canonici utuntur. Quum haec coloris differentia inter Canonicos et inferiores Beneficiatos opus sit ut semper appareat; S. R. C., ad nonnullas removendas exortas quaestiones, infrascripto Secretario referente, declaravit: « In illis Capitulis, in quibus aestivo etiam tempore cappae pellibus depositis retinentur, sericum operimentum in anteriori parte capparum eorumdem Beneficiatorum debere respondere colori pellium quas ipsi dimittunt ». Die 12 Aprilis 1823.

2630. CARPEN. (4601)

Magister Caeremoniarum Cathedralis Carpen. in Ordinario Conventu Sacrorum Rituum Congregationis diei 12 Aprilis praesentis anni Emis Patribus S. R. praepositis dubium proposuit, ut infra:

Quidam Sacerdos celebrans in Ecclesia rurali Carpen. Dioecesis, prolatis verbis: *Nobis quoque peccatoribus*, morbo repentino correptus e vita illico decessit. Aderat Cappellanus Paroeciae, qui statim Sacrum perfecit. Hinc orta est quaestio inter Parochum dictae Ecclesiae et Caeremoniarum Capituli Cathedralis, utrum Cappellanus postea, ablutione iam omissa causa servandi ieiunium, licite Missam celebrare poterit?

Et Emi Patres Sacris Ritibus praepositi, ad relationem infrascripti Secretarii, sedulo diligenterque discussa quaestione, etiamsi in negativam sententiam illico descendissent, rem nihilominus duobus Consultoribus Theologis expendendam atque ad Iuris Ecclesiastici Sacraeque Liturgiae Canones adornandam committi opportunum iudicarunt per rescriptum: « Detur responsum, exquisito voto duorum Consultorum Theologorum ». Quumque negativae Eminentissimorum Patrum sententiae apprime in omnibus convenerint Consultorum elucubrationes, facta per me infrascriptum de singulis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsum approbavit et confirmavit,

atque Decretum expediri mandavit. Die 16 Decembris 1823.

2631. TIBURTINA. (4603)

Sacrae Rituum Congregationis Decreto in una Dubiorum die 17 Septembris 1822 Ordinariis locorum districte praecipitur, ut Rubricarum, Caeremonialis Episcoporum et Decretorum eiusdem Sacrae Congregationis observantiam urgeant; quod sane consequi perquamfacile fuit Rm̃o Episcopo Tiburtino, ob singularem Capituli et Canonicorum Cathedralis erga ipsum venerationem et obsequium. Cum autem eadem sit lege sancitum in dubiis adeundam esse eamdem Congregationem pro declaratione; ideo super nonnullis illius Cathedralis immemorabilibus consuetudinibus, quatuor exaratis dubiis, unanimi Episcopus et Canonici consensu sacrum hoc Tribunal adire opportunius duxerunt, eadem EE. PP. resolvenda proponentes, nimirum:

1. An stante consuetudine Tiburtinae Cathedralis, a Canonicis omitti possit in die Nativitatis Domini secunda Missa, quae in aurora illius diei celebranda a Rubrica Breviarii praescribitur?

2. An in Sabbato Sancto retinenda sit consuetudo Tiburtinae Cathedralis, ex qua post benedictionem ignis, alius Diaconus, diversus ab eo qui Celebranti assistit et totius Missae officio debet inservire, albis vestibus indutus, debitis caeremoniis arundinem accendit et ad Lectorile procedit ad cantandum: *Exultet;* quo cantato, sacras vestes deponit, et postea ad Chorum cum aliis revertitur?

3. An, Episcopo Vesperas solemniter peragente vel Missam Pontificalem celebrante, Canonicus Subdiaconus, qui in Vesperis antiphonas praeintonat, atque Diaconus et Subdiaconus pariter Canonici et Missae ministrantes, possint ex consuetudine Tiburtinae Cathedralis sedere in scamno in cornu Epistolae cum ligneo postergali, necnon serico damasceno rubro cooperto, coronide deaurata a parte superiori apparente et per unum gradum a terra elevato?

4. An quotannis in Cathedrali Tiburtina celebrandum sit Anniversarium prout anima ultimi Episcopi defuncti, die ipsius obitus recurrente, quod numquam fuit celebratum?

Et EE. PP. Sacris Ritibus tuendis praepositi, accepta prius sententia unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto edita typisque evulgata, ad relationem Em̃i et Rm̃i Dom. Card. Falzacappa Ponentis, censuerunt respondendum:

Ad primum: « Negative ».

Ad secundum: « Negative; sed consulendum SSm̃o iuxta votum ».

Ad tertium: « Consuetudinem quoad Subdiaconum in Vesperis esse eliminandam; quoad Diaconum et Subdiaconum in Missa tolerari posse ».

Ad quartum: « Affirmative ».

Die 27 Martii 1824.

Quibus omnibus et singulis ab infrascripto Secretario relatis SS. Domino Nostro Leoni XII Pont. Max.: « Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsa in omnibus approbavit et confirmavit. Verum in casu de quo agitur (ad primum), attentis peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, ex speciali gratia indulsit Capitulo Cathedralis Tiburtinae, ut secundum Sacrum solemne, iuxta Rubricas in Aurora persolvendum, protrahi possit ad unam alteramve horam post solis ortum; et, Prima ex Horis Canonicis absoluta, eadem Missa cum cantu omnino celebretur, assistentibus omnibus Canonicis, Beneficiatis aliisque de Clero, qui in solemnioribus Choro interesse debent: iisdemque, ut supra, attentis circumstantiis in casu de quo agitur, benigne annuit (quoad secundum), pro indulto servandae consuetudinis. Contrariis non obstantibus ». Die 30 Martii 1824.

2632. RESOLUTIONIS DUBIORUM. (4604)

Director Calendarii Romani pro eiusdem recta compilatione a Sacra Rituum Congregatione petiit declarari:

1. An in secundis Vesperis Dominicae SSm̃ae Trinitatis concurrentibus cum Festo primae vel secundae classis fieri debeat commemoratio de Dominica?

2. An occurrente in octava SSm̃i Corporis Christi Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis, Tituli Ecclesiae, Patroni principalis aut altero quocumque Festo dupl. primae classis, fieri debeat in secundis Vesperis Commemoratio de eadem octava; an potius sequentis Festi Sacri Cordis Iesu?

Et S. R. C., ad relationem infrascripti Secretarii, respondit:

Ad primum: « Negative ».

Ad secundum: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Die 27 Martii 1824.

2633. COLLEN. (4605)

Ut primum Terra a S. Geminiano nuncupata in Etruria, a Volaterrana Dioecesi, distracta, aggregata fuit Collen. Dioecesi nullo prorsus iure nullaque ratione, conveniens usque tunc praestitus S. Geminiano principi Terrae Patrono cultus sublatus est, et incolis Terrae illius S. Martialis Festum sub utroque praecepto servandum, nuntiatum est: multae extunc obortae quaestiones ac multae auditae querimoniae: et Parochi et Clerus in diversas abiere opiniones ex quibus incertus populus dictae Terrae an et de quo Patrono agendum foret nonnihil offensionis passus est. Hinc ad omnes deinceps eliminandas dubitationes et quaestionum causas, Ioseph Rocchi et Caietanus Contri, uterque enunciatae Terrae Canonicus et Parochus, supplici exhibito libello Sacrae Rituum Congregationi, sequentia solvenda proposuerunt dubia, videlicet:

1. An Festum S. Geminiani Patroni principalis Terrae huius nominis sit de integro praecepto servandum in dicta Terra eiusque districtu?

2. An Parochi rurales in suburbiis et agris dictae Terrae S. Geminiani degentes in dicta die teneantur ad Missae applicationem et ad annuntiandum populo abstinentiam ab operibus, pro integra observatione praecepti?

3. An Regulares dictae Terrae teneantur ad octavam S. Geminiani, quinquaginta aut sexaginta abhinc annis omissam?

4. An Festum S. Martialis Patroni Civitatis Collis habendum sit ut moderatum in Terra S. Geminiani cum obligatione tantum audiendi Sacrum?

5. An Clerus urbanus et suburbanus S. Geminiani teneatur ad octavam S. Martialis, cum ab immemorabili teneatur ad octavam S. Geminiani?

Licet autem Emis Patribus Sacris Ritibus praepositis allata dubia, vel ex positiva Legum dispositione, vel ex accurata Constitutionum et Decretorum Sacrae Rituum Congregationis interpretatione, iam abunde soluta esse viderentur; exquisita nihilominus prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistri praelo etiam cusa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Serlupi Ponentis, censuerunt respondendum: « In omnibus iuxta votum »; nimirum:

Ad primum « Affirmative ».

Ad secundum « Affirmative ad utrumque ».

Ad tertium « Negative ».

Ad quartum « Negative ».

Ad quintum « Negative ».

Die 27 Martii 1824.

2634. DUBIUM. (4606)

Caeremoniale Episcoporum, agens de Subdiaconi officio in Missa solemni Pontificali lib. 1, cap. 10, § 2 apertissime praescribit ad Subdiaconum pertinere Episcopum sandaliis induere, adiuvante altero ex eiusdem familiaribus; idipsum confirmat lib. II, cap. VIII, § 7. Ubi vero de exuendo Episcopo loquitur eodem lib. I, cap. X, § 6 et lib. II, cap. VIII, § 8, forte non eadem claritate verborum significat Subdiaconi esse illa Episcopo detrahere. Cum igitur desuper pluries requisiti Caeremoniarum Magistri, licet quid sentiendum ex littera Caeremonialis cognoscerent, certo tamen quaestionem definire et quid agendum statuere abstinuerunt. Idcirco ad firmandam in posterum legem Sacrorum Rituum Congregationem adire, eidemque, quod adnotatur dubium, ex officio resolvendum proponere adiudicarunt:

An post solemnem Missam Pontificalem teneatur Canonicus Subdiaconus Episcopo detrahere sandalia; vel potius ad scutiferos haec actio pertineat?

Et S. R. C., sedulo diligenterque perpensis quae in Caeremoniali Libro decernuntur, quaeque Sacrarum Apostolicarum Caeremoniarum Magister in sua sententia typis vulgata congessit rationum momenta, nec non audita relatione Emi et Rmi D. Card. Cacciapiatti Ponentis, censuit respondendum:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Die 27 Martii 1824.

2635. VELITERNA. (4607)

In Ecclesia S. Mariae ad Nives nuncupata Civitatis Velitern. ab anno 1600 canonice erecta est Sodalitas sacrorum Stigmatum S. Francisci, quam s. m. Clemens VIII per Apostolicas Literas in forma Brevis anno 1604 singulis ditavit privilegiis et praerogativis, queis Archiconfraternitas sub enunciato titulo in Urbe gaudet. Semper autem, nemine contradicente, Cappellano usa est in publicis tam solemnibus quam funebribus Processionibus, superpelliceo et Stola induto tam intra quam extra propriam Ecclesiam. Novissime visum est Parochis Civitatis illam ab huiusmodi consuetudine deturbare, sub praetextu quod Stola paro-

chialis iurisdictionis sit peculiare distinctivum, quodque Sacra Congregatio in Generali Decreto Urbis et Orbis sub die 12 Ianuarii 1704 requisita, ad dubium 23: An in dictis Processionibus Cappellani Confraternitatum possint deferre Stolam? responderit: « Negative, extra propriam Ecclesiam »: cuius Decreti etiam meminit Synodus Dioecesana in Appendice ad Part. IV. Hisce innixi rationibus praetendunt eamdem a dictis Cappellanis non a collo pendentem deferendam esse, sed potius instar almutiae vel Manipuli brachio superimpositam. Ad huiusmodi evellenda dissensionum germina Confraternitatis Sodales, exquisita Emi et Rmi Card. Episcopi venia, Sacram Rituum Congregationem rogarunt pro consuetudinis manutentione;

Et S. R. C., immemorabili usu mature perpenso, habitaque ratione quod Decreto generali minime obstante, etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem, decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum esse censuit: « Servandam esse consuetudinem; et nihil innovandum ». Die 27 Martii 1824.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit. Die 30 Martii 1824.

2636. RESOLUTIONIS DUBIORUM. (4609)

Anno proxime praeterito in quadam Ecclesia Status Veneti sequens obtigit casus: Sacerdos celebrans Feria VI in Parasceve, initio Officii repentino apoplexiae morbo correptus est, nec alius aderat Sacerdos ieiunus, excepto Diacono ministrante. Ut cognoscatur quo modo agendum sit si idem casus in posterum contingat, nunc Parochus ab Eminentissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis humillime petit duorum sequentium dubiorum solutionem; scilicet:

1. Utrum adveniente tali casu, Officium Feriae VI in Parasceve usque ad complementum peragi debeat?

2. Utrum possit vicem supplere Diaconus ieiunus, vel alius Sacerdos non ieiunus?

Latuit tunc sane, prout latet adhuc, silente Parocho, quid in Ecclesia, de qua supra, consilii coeptum. Sed, quoniam opportunum nimis visum est proposita dubia discutere, ut inde certa decerni regula posset in similibus, si forte contingant, eventibus, tenenda, et definire quaenam revera sit qualitas et natura Missae, quae Praesanctificatorum dicitur; ideo EE. PP. eidem Sacris Ritibus praepositi fuerunt in sensu rem in Ordinario Conventu esse ad examen revocandam, exquisito in antecessum voto duorum Consultorum Theologorum; cumque horum non una in omnibus eademque mens fuerit, ne ullus ambigendi locus superesset, utriusque votum contrahendum Rmo Dom. Assessori fuit datum, qui allata ab unoquoque rationum momenta sedulo diligenterque discuteret, perpenderet, ponderaret, et deinde suam in scriptis sententiam Sacrae Congregationi aperiret.

Integro tandem proposito negotio in ordinario EE. et RR. PP. Coetu coacto sub die 5 Martii currentis anni, auditaque relatione Emi et Rmi D. Card. Falzacappa Ponentis, ad proposita dubia unanimi consensione respondendum esse censuerunt: « In voto R. D. Assessoris »; nimirum:

Ad 1. « Provisum in secundo ».

Ad 2. « Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et ieiunus, ipse, assumpta Casula, prosequatur Officium et Missam Praesanctificatorum absolvat, alterque non ieiunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi: quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus, et nemo alius adsit Sacerdos ieiunus, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo, die sequenti post sumptionem Calicis a Celebrante sumenda ». Die 5 Martii 1825.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit et ita in posterum in similibus servandum esse decrevit. Die 8 Martii 1825.

2637. DECRETUM GENERALE. (4610)

Pluries dubitari contigit, utrum in Orationibus Sanctorum Ioannis Episcopi Constantinopolitani et Petri Episcopi Ravennaten. cognomina Chrysostomi et Chrysologi proferri deberent, iubentibus Sacrae Liturgiae legibus, quod cognomina ex Ecclesiae precibus omnino expungantur. Haec vero controversia, nuperrime in quadam Etruriae Civitate iterum excitata, delata est ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna definitione. Et ista, in Ordinario Conventu coacto sub infrascripta die, re mature dili-

genterque perpensa et audito prius voto R.D. Assessoris, ad infrascripti Secretarii relationem, etsi perspectum habeat Sanctorum cognomina vel patriam non esse in Orationibus apponenda, quum horum Deus non indigeat ad dignoscendum in cuiusnam Servi sui nomine Oratio sibi dirigatur; nihilominus, quoniam non abest ab Ecclesiae disciplina ut peculiaris aliqua virtus mirificumque donum significetur, ob quae unus aut alter ex Sanctis ceteris praeluxit, ab huiusmodi lege excipere ea censuit, quae minus proprie cognomina dici debent, sed potius characterem Sancti alicuius vel donum illi a Deo collatum exprimunt.

Adeoque Emi Patres Sacris Ritibus praepositi in sensu fuere : « Non esse in Orationibus expungenda nomina Chrysostomi ac Chrysologi, quae adiectiva potius sunt et vel facundiam, vel vim et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis, quasi supernaturali inditam virtute, designat; idque ubique servandum censuere, si SSmo Domino Nostro placuerit ». Die 5 Martii 1825.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum approbavit, iussitque edi Decretum Generale atque, ut ab omnibus servetur, referri mandavit in Acta eiusdem Congregationis ac typis evulgari. Die 8 Martii 1825.

2638. BRICTINORIEN. (4611)

Vertente saeculo XIV, ob civiles seditiones multaque bella Foro Pompilii Civitas ferro ignique pene absumpta suam Episcopalem Sedem amisit: Robertus enim tunc Antistes ad viciniorem Brictinorii Civitatem se recipiens, illam secum transtulit ibique firmavit, ac Templum maius Deo in honorem S. Catharinae Virg. et Mart. dicatum ad Cathedralis notam evexit. Exordium inde fuit, quo Christi Martyr Catharina ceu principis loci Patrona venerata fuit, eiusque Festum duplici sub praecepto ac praecedenti Vigilia celebratum. Progressu temporis, scilicet anno 1784 ac anno 1816, annuentibus sa. me. Pio VI ac Pio VII, a pristino statu Dioecesis abducta est, praesertim ob unionem nonnullorum vel Pagorum vel Paroeciarum, quae excerptae ex Abbatiis S. Elleri de Galeata, S. Mariae in Cosmedin ac Nullius Foro Pompilii eius spirituali iurisdictioni subiectae fuere. Multiplex inde exortus est Patronorum numerus. Super hoc itaque nonnullisque aliis abusibus vehementer dolens Rmus Episcopus Brictinorien., praecipue vero quae ipsam Episcopalem dignitatem quodammodo respiciunt, et quammaxime cupiens ut de medio tollantur, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia exposuit :

1. An possit et debeat Episcopus vigilare et exigere, ut Festum S. Catharinae Virg. et Mart. Patronae principalis Dioecesis, tamquam Patronae etiam principalis in quocumque Dioecesis loco observetur de praecepto?

2. An segregati in spiritualibus a Terris et Oppidis Patronum habentibus et Dioecesi Brictinoriensi noviter et permanenter uniti, debeant, tamquam Patrono carentes, servare Decretum S. R. C. docens et statuens, quod populi non habentes principalem Patronum debeant celebrare Festum Patroni Civitatis ac Dioecesis?

3. An possit Episcopus tolerare quod in Calendario dicatur Patrona principalis Civitatis ac Dioecesis tam Bma Virgo Maria de Lacu nuncupata, quam S. Catharina Virgo et Martyr, quum utriusque Officium et Missa celebretur sub ritu duplici primae classis cum octava in tota Dioecesi?

4. An Vigilia S. Catharinae principalis Patronae Brictinorien., de qua nihil fit in Officio et Missa, debeat expungi a Calendario; vel saltem notari tamquam ieiunium ex devotione inductum?

5. An Magistratus etiam nunc cogi possit ad praestandum Episcopo solitum obsequium, saltem dum consueta Pontificalia celebrat diebus solemnioribus? et quatenus affirmative, quibus remediis compelli possit?

6. An dictis diebus solemnioribus Magistratus comitari debeat Episcopum ad Templum maius, ab eo recipere aspersionem aquae benedictae ac interesse Horae Tertiae in cantu; vel potius, expleto cantu Tertiae et Episcopo iam pontificaliter parato, possit Magistratus accedere ad Ecclesiam cum comitatu et sonitu tympanistriarum usque ad Presbyterium?

7. An idem Magistratus interesse debeat eodem ordine, saltem secundis Vesperis, quae cadunt semper in die Festo et solemniori?

8. An Gubernator et Magistratus cogi possint ut de manu Episcopi accipiant candelam, cineres et palmam, iuxta perpetuam consuetudinem; et quibus remediis compellendi sint?

9. An in casu, de quo loquimur, Gubernator pro tempore computandus sit inter

componentes Magistratum tamquam Praeses, ut consideratur in aliis negotiis?

10. An duo soli de Magistratu intervenire debeant; vel suppleri possit ac debeat per alium virum consularem?

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, et audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa, ad relationem Emi et Rmi Domini Card. Serlupi Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, dummodo in locis Dioecesis nullus reperiatur legitimus Patronus principalis ».

Ad 2. « Iam provisum in primo ».

Ad 3. « Negative, etiamsi Officium Bmae Mariae Virginis celebretur sub ritu duplici primae classis cum octava ».

Ad 4. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam: et consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum, et exemptione quoad futurum, quatenus opus sit ».

Ad 5. « Affirmative; et compelli posse Magistratum remediis a Iure statutis ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. et 8. « Iam provisum in quinto ».

Ad 9. « Affirmative ».

Ad 10. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 5 Martii 1825.

Facta autem de praemissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit annuitque pro absolutione quoad praeteritum, et quatenus opus sit, exemptione quoad futurum; atque, ut ab omnibus servetur, Decretum desuper expediri iussit. Die 8 Martii 1825.

2639. URBIS. (4613)

Humillimas Caeremoniarum Magistri Patriarchalis Basilicae Lateranensis preces porrexerunt Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo, postulantes nonnullas ampliationes privilegiorum tam intra quam extra Ecclesiam, dum in Ordinationibus et ecclesiasticis functionibus quibuscumque, ac etiam in Processionibus, Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario eiusque Vicesgerenti vel alicui ex eiusdem Patriarchalis Canonicis Episcopo assistunt; ita ut in omnibus Caeremoniarum Magistris Sanctitatis Suae ac S. Sedis in posterum aequiparari valerent. Quas sane preces Sanctissimus Princeps Sacrae Rituum Congregationi expendendas remisit. Haec autem in Ordinario Conventu habito die 5 Martii currentis, mature perpensis iis quae in supplici Libello exponebantur, auditisque rationum momentis quae ex parte Magistrorum Caeremoniarum Sanctitatis Suae afferebantur vel petitioni adversari videbantur, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Galleffi Ponentis, rescribendum censuit: « In decisis sub die 17 Septembris 1822, in responsione ad dubium 13 ». Die 5 Martii 1825.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua: « Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit, ac similes preces amplius in posterum recipiendas non esse mandavit ». Die 8 Martii 1825.

2640. NERITONEN. (4614)

Pluribus praerogativis et honorificentiis a tempore, cuius initii memoria non extat, fuisse potitos Archipresbyteros pro tempore Collegiatae Ecclesiae B. M. V. ad Nives Oppidi Cupertini quondam Nullius, nunc autem Neritonen. Dioecesis, evidentissime evincunt Literae in forma Brevis s. m. Clementis XI die 29 Decembris anni 1713, quibus tunc temporis Archipresbytero illa confirmabantur. Vulgata vero per s. m. Pontificem Pium VII Constitutione: *Decet Romanos Pontifices*, qua ad praescriptum canonicarum sanctionum indulta quaelibet et privilegia erant revocanda: arbitratus est Reverendissimus Archiepiscopus Neritonen., huius vigore, hodierno etiam Archipresbytero ab assertis iuribus abstinendum, cuius sane iussu facessere hic illico studuit. Quoniam vero, ne cuiquam praeiudicium inferri videretur, cautum fuit in laudata Constitutione, ut siqui amplioribus privilegiis se decoratos arbitrarentur, haec ad S. R. C. deducerent perpendenda; hinc Vincentius Maritati Archipresbyter Cupertinus, ne sibi et successoribus pro tempore Archipresbyteris S. Mariae ad Nives Oppidi Cupertini Neritonen. Dioecesis ex acquiescentia praeiudicium aliquod inferatur, exhibitis iuribus quae favere possunt, Sacram Congregationem rogavit pro manutentione, et quatenus opus foret, pro nova privilegiorum confirmatione.

Et eadem S. R. C., praerequisitis rationum momentis serio diligenterque perpensis, ac referente Emo et Rmo Domino Card.

Falzacappa Ponente, rescribendum censuit: « Affirmative quoad trinam benedictionem et quoad annulum tantum ». Die 5 Martii 1825.

Facta autem SSmo Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo relatione, Sanctissimus annuit. Die 8 Martii 1825.

2641. APUANA. (4615)

Ab anno 1722 mos et usus invaluit ut in Processionibus Rogationum, Sanctissimi Corporis Christi ceterisque, quae ab Ecclesia Apuana tunc Collegiata, nunc vi subrogationis in Cathedralem evecta, instituuntur, alterna vice Parochi Crucem propriae Paroeciae elevent, quam sequuntur Clerici Presbyterique universae Civitatis, ac deinceps ipsi Parochi superpelliceo et Stola induti: sequitur deinde Cathedralis Crux cum Cappellanis, Canonicis ceterisque de Mensa: Clerici vero episcopalis Seminarii, qui nonnisi ab anno 1805 institutionem sortiti sunt, in huiusmodi Processionibus, nemine reluctante, usque adhuc sequuti sunt Ecclesiae Cathedralis Crucem. Res isthaec modo visa est Parochis propriam laedere dignitatem, si cogantur Clericis digniorem cedere locum atque praeeminentiam, adeoque ab Episcopo petierunt ut et ipsi Seminarii Alumni cum ceteris Civitatis Clericis consociarentur. Sed postulatis fraudati, a Processionibus abstinuerunt; unus autem ex ipsis adfuit, et quamvis ipsi non pertineret, suam tamen detulit Crucem sub qua Civitatis Clerus incederet: ceterorum inde clamor et recursus Parochorum. Ad vitanda iurgia et indecoras in Clero dissensiones, de consensu Reverendissimi Episcopi et ex parte tum Capituli Cathedralis tum ipsorummet Parochorum, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda sunt proposita; videlicet:

1. An supradicti Parochi, attenta consuetudine centenaria, qua semper pacifice usi sunt, manutenendi sint in possessione alternatim, ut supra dictum est, elevandi in Processionibus Crucem et vestiendi Stolam circa collum virtute possessionis huiusmodi, ut a reliquo Clero, qui Parochos debet anteire, distinguantur?

2. Utrum, non obstante sex annorum lapsu ante Seminarii suppressionem, et duorum vel trium mensium post eiusdem instaurationem, quo Clerici Seminarii in Processionibus Crucem Capituli immediate sequebantur, supradicti Parochi ius habeant exigendi ut praefati Seminarii Clerici non amplius Capitularem, sed respectivam Parochorum Crucem sequantur? (1)

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis edito praeloque cuso, habitaque relatione Emi et Rmi Domini Card. Odescalchi Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative ».

Die 5 Martii 1825.

Facta autem de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit et ab omnibus servari mandavit. Die 8 Martii 1825.

2642. EMERITEN. (4616)

Pagus est in Dioecesi Emeritensi, *Chinquinquira* ab aquarum inundatione indico vocabulo nuncupatus, in quo Sacellum insigne, quadam B. M. Virginis imagine sub appellatione Rosarii, populorum concursu et miraculorum fama, praesertim vero die 26 Decembris, frequentatissimum. Ideo Reverendissimus Emeritensis Episcopus humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porrexit, postulans ut Clero Archiepiscopatus S. Fidei adnexarumque Dioecesium Officium proprium cum Missa B. M. Virginis, loco alterius quod ubique gentium recitatur, tam Dominica prima Octobris celebrandum, quam secundario in peculiari Imaginis antedictae Festo, die assignanda a respectivis Locorum Ordinariis loco diei 26 Decembris, approbare dignaretur sub ritu dupl. mai. in Archiepiscopatu adnexisque Dioecesibus, ritu vero dupl. primae Classis cum octava in Ecclesia de *Chinquinquira* nuncupata, cuius est Titularis ipsamet Beatissima Virgo.

Quibus sane precibus Eminentissimi PP. in Ordinario Conventu diei 5 Martii currentis anni mature diligenterque perpensis, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Galleffi Ponentis, rescripserunt: « Dilata; et ad D. Secretarium, ad mentem: nempe protrahendum esse responsum, quousque accederent aliorum Episcoporum instantiae, una cum documentis originalibus assertam supradictae Imaginis manifestationem (de qua in Lectionibus II Nocturni) comprobantibus ».

De quibus omnibus et singulis facta SSmo

(1) E. Dub. 3, 4, 5, 6 et 7.

Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo relatione, eadem Sanctitas Sua, singulis perpensis facti circumstantiis, habitaque ratione tam tituli Ecclesiae B. M. V. nuncupatae de *Chinquinquira,* quam effusissimae Indorum devotionis erga Coeli Reginam, cuius Patrocinium ea in Imagine iugiter sibi promereri student, ita precibus annuit, ut : « Firmo Sacrae Congregationis responso quoad Archiepiscopatum Sanctae Fidei adnexasque Dioeceses, liceat in Ecclesia dumtaxat B.M.V. de *Chinquinquira* nuncupata, praeter solemne Festum Rosarii B. M. V. Dominica prima Octobris ritu dupl. primae classis cum octava, iterum Imaginis recensitae memoriam agere die a Rmo Ordinario fixe designanda et nullo unquam tempore varianda, cum eodem Officio et Missa iam pro universali Ecclesia approbatis, ritu tamen dupl. secundae classis sine octava, servatis Rubricis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus ». Die 12 Aprilis 1825.

2643. VICEN. (4617)

Ex laudabili consuetudine duorum seculorum metam excedente mos obtinuerat in Cathedrali Vicen. Missam solemnem cum cantu de SSmo Sacramento singulis mensibus Dominica tertia celebrandi ante Processionem eiusdem, iuxta privilegium Confraternitatis ibi erectae sub hac appellatione, quum anno 1804 in rerum omnium subversione nonnullis novitatum studiosis visum est temere morem antiquissimum perturbare Missamque hanc, durante cantu Horarum Tertiae et Sextae, celebrare; alteramque dein cantare de Festo vel de tempore, quin per conditionem temporum miserrimam liceret Capitulo et Canonicis adversus novitatem huiusmodi suas producere querelas. Rebus tandem, favente Deo, compositis, Sacerdos Ioseph Sendil Caeremoniarum Magister Ecclesiae recensitae, nomine Capituli et Canonicorum, Sacrorum Rituum Congregationem supplex adiit pro immemorabilis consuetudinis reintegratione.

Et S. R. C., actionis unitati intendens et laudabilibus servandis consuetudinibus Ecclesiarum, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Naro Ponentis, sub die 5 Martii 1825 in Ordinario Eminentissimorum et Reverendissimorum PP. Coetu censuit rescribendum : « Pro gratia iuxta modum ab Emo Ponente declarandum »; videlicet, quod post Tertiam celebretur Missa Conventualis de die; absoluta autem Nona, altera cantetur Votiva de SSmo Sacramento, nisi occurrat Dominica vel Festum primae classis : quo casu in Missa Conventuali de die fieri poterit Commemoratio SSmi Sacramenti ».

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis rescriptum approbavit et confirmavit, atque ita in posterum in Cathedrali Vicen. servari mandavit. Die 8 dicti mensis et anni 1825.

2644. ALATRINA. (4618)

Quum summopere insitum animo habeat Rmus Episcopus Alatrinus, vehementerque curet, ut omnia illa Dioecesi rite serventur quae ad ecclesiasticam pertinent disciplinam vel sacros respiciunt ritus, vel quae decreta iam sunt a Synodalibus Constitutionibus; quumque certo compereret a Canonicis insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris illius Civitatis contra iura procedi, propriam in funeribus elevando ac deferendo Crucem, dum ad associandum funus in aliquam defuncti parochialem Ecclesiam vocantur; opportuno remedio consuetudinem hanc de medio sustulit, tamquam abusum eliminandum per Generale Decretum universa in Dioecesi servandum, ac editum sub die 6 Octobris proxime praeteriti Anni piacularis 1825, quo cautum est, ne Crux in posterum in funeribus deferatur, nisi ab Ecclesia tumulante.

Ast recensiti Canonici aegre ferentes propriae consuetudinis eliminationem, illiusque clientelam suscipientes, Sacrorum Rituum adivere Congregationem; atque in Ordinario Coetu coacto sub die 6 Maii currentis Anni 1826, proposito dubio: An sustineatur Decretum Episcopi super delatione Crucis in funeribus? postularunt mandari ab Emis Patribus superius allatum Rmi Episcopi Decretum esse revocandum.

Et ipsi Emi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, re mature diligenterque discussa, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Serlupi Ponentis, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis exarato praeloque cuso, inhaerendo Decretis alias iam super controversia editis, respondendum censuerunt : « Affirmative, iuxta votum; scilicet oratores pareant Decreto Episcopi, utpote ad tramites Decretorum Sacrae Congregationis et Constitutionum synodalium efformato ». Die 6 Maii 1826.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo per

infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsum approbavit et confirmavit. Die 10 Maii 1826.

2645. ALBANEN. (4619)

In Cathedrali Albanensi Ecclesia Canonicatus non iidem omnes inter se sunt: alii enim primam, alii vero recentiorem institutionem agnoscunt; cuius quidem institutionis Canonici, licet postremum in Choro locum accipere ex conditionibus debeant, nihilominus a Capitulo primae institutionis ad superiora stalla ascendendi in eisque sedendi facultas tribuitur; ita tamen ut Decani seu Archipresbyteri, huiusque immediate sequentis Canonici Archidiaconi Sedes tantummodo excipiantur. Hac facultate instructus Ioannes Baptista Silvestroni secundae erectionis Canonicus super quatuor aliis Canonicis sedebat, quando ipse inter primae erectionis Canonicos est cooptatus: quare postremus nunc ipse inter hos adnumeratur, ac ad quorumdam onerum adimplementum postremo ex Canonicis inhaerentium tenetur. Ad haec implenda paratissimus, dum, uno dimisso, alterum Canonicatum obtinuit, supplicem s. m. Pio Papae VII sub die 21 Februarii 1823 Libellum porrexit et ab Eo idem, in quo sedebat, retinendi stallum indultum postulavit. Tunc accedente Emi ac Rmi Episcopi informatione et voto ipsiusque Capituli consensu, SSmus oratoris precibus indulsit quoad stallum dumtaxat. Per hanc Summi Pontificis concessionem Canonici Velletrani et Scalchi, qui in possessione Canonicatus primae erectionis antiquiores sunt Canonico Silvestroni, quoad stallum tamen posteriores, haud existimantes per memoratum indultum ab exequendis officiis ad postremos duos Canonicos peculiariter spectantibus immunitatem concedi, inito cum Canonico Silvestroni consilio, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuere:

1. An conveniat Canonico Silvestroni praecedentia, quum sit Canonicorum ultimus?

2. An Hebdomadarii officia peragenda sint a Canonico Silvestroni eo ordine quo sedet, an vero ut ultimo ex Canonicis?

3. An, quum spectet ad duos postremos Canonicos Diaconi et Subdiaconi officium in Missis solemnibus, et associatio Celebrantis ad thurificationem quae fit in Vesperis, considerari debeat Canonicus Silvestroni ut unus ex duobus ultimis?

4. An in actibus Capitularibus suffragium dare debeat ante Canonicos qui ei priores sunt in Capitulo, et ante eos capitulares libros subsignare?

5. An in associatione cadaverum, absentibus senioribus Canonicis, possit Canonicus Silvestroni Stolam induere, pro qua duplex est emolumentum et cerae distributio, in illius praeiudicium qui eam induere deberet, nisi Canonicus Silvestroni stalli privilegium obtinuisset?

Et Emi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, re mature diligenterque discussa, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Magistris Caeremoniarum scriptis exhibito praeloque cuso, atque ad relationem Emi et Rmi Dom. Card. Pedicini Ponentis, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Iuxta votum; scilicet: in casu praecedentiam deberi Canonico Silvestroni ».

Ad 2. « In eodem; nimirum: Hebdomadarii munus obeundum esse a Canonico Silvestroni iuxta ordinem stalli ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Iuxta votum, videlicet: Canonico Silvestroni deberi ultimum locum in actibus capitularibus ».

Ad 5. « Negative ».

Atque ita responderunt ac servari mandarunt in Cathedrali Albanen. Die 6 Maii 1826.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit et confirmavit. Die 10 Maii 1826.

2646. ALEXANDRINA. (4620)

Nonnulli paucis ab hinc annis in Cathedrali Ecclesiae Alexandriae in Subalpinis abusus irrepsere contra Caeremonialis Episcoporum ac Pontificalis leges et praescripta; qui ab uno alterove ex eiusdem Cathedralis Canonicis, nemine approbante, inducti fuere. Quare prima Cathedralis Dignitas Archidiaconus, mense Decembri 1824, humillimis datis precibus, quaesivit: fas ne sibi esset permittere, ut memoratus usus recenter inductus invalesceret, vel potius ut abusus esset eliminandus? Ac sub die 21 Decembris eiusdem anni Rmo Episcopo Alexandrino rescriptum fuit atque mandatum, ut omnem conferret operam quatenus: « In quibuslibet ecclesiasticis functionibus semper et a quocumque adamussim servetur Caeremoniale ». Ipse autem, ecclesiasticae ut est disciplinae acerrimus propugnator Sacrorumque Rituum assertor, haud immo-

ratus fuit huiusmodi Sacrae Congregationis rescriptum Canonicis novitatem inducentibus communicare, ut pro sui muneris officio Ritus eo, quo praescribuntur, modo, Cathedrali sua in Ecclesia accuratissime servari adniteretur. Verum, uti usuvenire solet, specie quadam non satis clare aperteque apparere quid in casu a Caeremoniali praecipiatur, Canonici vigilantissimi Episcopi curas negligentes inductas novitates adhuc retinendas esse autumarunt. Dum autem de hoc adimplendo Sacrae Congregationis Decreto et abusu tollendo agebatur, novum quaestionis exortum genus est. In hac vel opinionum discordia vel novitatis tuendae studio, memoratus Archidiaconus ad ea servanda, quae in ipsa sui Beneficii aditione servaturum, sacramenti interposita religione, spopondit, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposuit enodanda dubia:

1. Quomodo sit interpretandum Caeremoniale Episcoporum quoad Crucis delationem in Processionibus, ac potissimum die omnium Fidelium defunctorum, Purificationis et Dominica Palmarum, assistente nimirum Episcopo?

2. An veteres huius Ecclesiae consuetudines, quae scilicet nulli Ecclesiae statuto opponuntur, abrogatae sint per ea Rescripti verba: « Semper et a quocumque servetur Caeremoniale »?

3. An Capituli Dignitates excludi possint ab assistentia Episcopi Sacramentum deferentis in Coena Domini?

4. Num usus Planetae plicatae, exclusa Dalmatica, et viceversa, permitti possit; et quatenus negative: Num qui eumdem usum induceret apprime sciens illum esse Rubricis oppositum, aliquam poenam incurreret, et quam?

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa auditoque alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto scriptis reddito typisque impresso, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Cacciapiatti Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Caeremoniale Episcoporum interpretatione non indiget, et sub respectivis capitibus aperte declarat a quo, et qua sacra veste induto, deferenda sit Crux; nimirum in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria V in Coena Domini et Feria VI in Parasceve a Subdiacono diverso a Ministrante, amicto Tunicella aut Planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas: die vero Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, a Subdiacono Missae ».

Ad 2. « Recurrendum ad hanc Sacram Congregationem in casibus particularibus ».

Ad 3. « Negative; et servanda Caeremonialis dispositio ».

Ad 4. « Quicumque ille sit, qui Crucem defert vel ministret in Missa, sive Canonicus sive inferioris Ordinis Sacerdos, uti debet Dalmatica aut Planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas. Hinc ad primam partem, negative; ad secundam vero, contra faciens plectendus poena, arbitrio Episcopi, pro qualitate defectus ».

Atque ita respondit ac servari mandavit in Cathedrali Ecclesia Alexandrina. Die 6 Maii 1826.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit et confirmavit. Die 10 Maii 1826.

2647. DECRETUM GENERALE. (4620 *a*)

Pluries Emi Patres Sacris Ritibus praepositi ad sibi allatas quaestiones, liceret necne publicis in solemnibus supplicationibus, quae fiunt occasione celebritatis Sanctorum Patronorum principalium, per Civitates et Loca, horum Reliquias vel Spinam Sacratissimae Coronae Domini Nostri Iesu Christi aut Lignum vivificae Crucis sub baldachino deferre? responderunt: SSmae Eucharistiae dumtaxat baldachini usum competere, ad tradita per Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum aliosque rituales libros; ideoque, habita ratione disparitatis ritus et cultus, neque Instrumenta Dominicae Passionis, neque Sanctorum Reliquias sub pallio seu baldachino hastato deferri licere: huiusmodi delationem abusum declarantes, huncque improbandum et eliminandum. Quia vero et Lignum SSmae Crucis et Sacratissimae Spinae Coronae Domini, prout alia quaedam Instrumenta Passionis Dominicae contactu immediato SSmi Corporis Domini Nostri Iesu Christi sanctificata fuere, eiusque pretiosissimo Sanguine conspersa, proindeque speciali honoranda cultu: insuperque ea fere universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub baldachino deferri obtinuerint; ideo illarum circumductionem sub baldachino tolerandam censuerunt: congruum quippe et rationi consonum videbatur, ea reverentiae argumenta esse exhibenda Domino, quae Sanctis nullatenus praestari debent.

Sed quoniam, hisce non obstantibus sanctionibus, abusus qui irrepserant, sensim alicubi invalescere persentiantur et nonnulli existant, qui pia quadam fraude legem eludere in animum induxerint, superimponentes Reliquiis Sanctorum vivificae Crucis Reliquiam, ut illas sub baldachino huius praetextu deferant, prout ex repetitis ad Sanctitatem Suam et Sacram Congregationem datis adversus huiusmodi abusus precibus constat; hinc ne debitus turbetur ordo et in extrinsecis etiam honorificis, licet non essentialibus significationibus, congrua ratio servetur; utque vigentes adhuc abusus opportune abscindantur et eliminentur, quaeque praescripta sunt debitae exequutioni mandentur, re mature diligenterque perpensa in Ordinario Conventu habito die 6 Maii currentis Anni 1826, Emi Patres fuerunt in voto: « Dandum esse Decretum Generale, quo, iuxta alias resoluta, caveatur et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declararunt, liceat umquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub baldachino circumferre: tolerari tamen posse et permitti, quod Lignum SSmae Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit; et ad Secretarium cum SSmo ».

Facta igitur de praemissis omnibus et singulis Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum approbavit, confirmavit iussitque promulgari et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri: Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant et Decreti huius observantiam solertissime urgeant. Die 27 Maii 1826.

2648. RAVENNATEN. (4621)

Dum Summus Pontifex s. m. Pius VII ad privilegia, quibus nonnulla Canonicorum Collegia cohonestata fuere, praestitutis legibus continenda IV Nonas Iulii anni 1823 Apostolicam edidit Constitutionem, ut S. R. C. Decreto diei 27 Augusti 1822 super declaratione usus Pontificalium robur ac firmitas accederet, Reverendissimus Archiepiscopus Ravennas Antonius Codronchi, qui nuper fato cessit, universum eorumdem usum Dignitatibus et Canonicis suae Metropolitanae Ecclesiae ratus est inhibere, donec peculiaria sua iura, iuxta recensiti Decreti placitum, in Sacram eamdem Congregationem perpendenda deducerent. Etsi vero horum studium in id potissimum contenderet, ut quam citissime huiuscemodi negotium Sacri Consessus iudicio expenderetur, ne sacrae functiones consueto nitidiori nobiliorique aspectu ac decentia fraudarentur; vicissitudines tamen, etiam incendii, queis Capituli Tabularium saepe laboravit, rem omnem ad novissimum Ordinarium Coetum distulere, qui ad Vaticanum pridie Nonas Maii huius anni coactus fuit. Expensis Privilegiorum momentis in authenticis apographis et authographis, Emi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi unanimi in voto fuere, expectandum esse novum Archiepiscopum. Divina protegente gratia ipsam Ravennaten. Ecclesiam, quae ex testimonio Innocentii Papae III quasi Primogenita est Apostolicae Sedis, novo illo excitato Archipraesule, Summi Pastoris iudicio, Dignitati huic pari invento, extemplo Capitulum Metropolitanae SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. humillime supplicavit, ut de plenitudine potestatis, Emo Card. Falzacappa Ponenti vel R. P. Secretario, accedente informatione et voto Rmi Archiepiscopi in Curia, causam hanc discutiendam committere dignaretur. Sanctitas Sua, precibus benigne inclinata sub die 20 Septembris huius anni Congregationem particularem statuit, designavitque Emos Praefectum de Somalia, laudatumque Ponentem, qui una cum R. P. Pescetelli S. Fidei Promotore, R. D. Frattini ipsius Sacrae Congregationis Assessore Coadiutore, meque infrascripto Secretario super re decernerent. Octavo die, scilicet IV Kal. Octobris, coadunata penes Emum Card. Praef. particulari hac Congregatione, audito voto Rmi Archiepiscopi in Curia, scriptis reddito atque iterum expensis allatis rationum momentis collatisque consiliis, unanimi voto statuendum decrevit:

« Quoad palmatoriam, Affirmative; iuxta privilegium et laudabilem consuetudinem: nempe ea uti possint Dignitates et Canonici Metropolitanae Ravennaten. in Civitate universaque Dioecesi in omnibus ecclesiasticis functionibus; dummodo aliquis non assistat

ex S. R. E. Cardinalibus vel Archiepiscopus ».

« Quoad mitram serico-damascenam, Affirmative; dummodo dissimilis sit in textura ab illa reverendissimorum Cardinalium, et quoad Processionem SSmi Corporis Christi serventur strictim Decreta in Anicien. 13 Iunii 1682 et in Urbinaten. 29 Ianuarii 1752; in reliquis servetur Decretum Archiepiscopi Farsetti die 24 Decembris 1727 ac 2 Ianuarii 1728; atque expediantur Literae Apostolicae in forma Brevis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit ».

Quibus omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatis, Sanctitas Sua particularis huius Congregationis sensum et Decretum approbavit et confirmavit; idque in Metropolitana Ravennatensi Ecclesia ac per Civitatem et Dioecesim servari iussit; Literasque Apostolicas in forma Brevis super re expediri mandavit. Die 4 Octobris 1826.

2649. IMOLEN. (4622)

Inter Ecclesias, quae singularibus cohonestatae insignibus et Pontificalium usu donatae sunt, Imolensis adnumeratur, quae ab s. m. Pio VII variis privilegiis clementer peramanterque fuit insignita per Literas Apostolicas in forma Brevis expeditas V Idus Maii 1816. Quoniam autem tum Decreto S. R. C. edito VI Kalendas Septembris anni 1822, tum eiusdem Summi Pontificis Constitutione lata IV Nonas Iulias Anni 1823, declaratum fuit § 28, quod in dubiis super huiusmodi concessionibus Sacra haec adiretur Congregatio; ac si quae Capitula amplioribus, praeter ea quae enunciato in Decreto recensentur, privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, peculiaria sua haec iura ad ipsam Congregationem perpendenda deducerent; extemplo Imolensis Cathedralis Capitulum recensitis Decreto et Constitutioni reverenter obtemperans ab ampliorum privilegiorum usu omnino se abstinuit, arreptaque occasione supplicem Sacrorum Rituum Congregationi exhibuit Libellum una cum Brevi concessionis; quo quid ipsi in usu privilegiorum liceret, opportune decerneretur.

Et Emi PP. Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum coacto sub infrascripta die, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Falzacappa Ponentis, exquisito prius voto Emi et Rmi Dom. Card. Archiepiscopi Imolen. Episcopi, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis edita praeloque cusa, omnibus mature diligenterque perpensis atque ad trutinam revocatis, rescribendum censuerunt: « In voto Magistri Caeremoniarum, ad formam privilegii: Licere nimirum Capitulo Imolensi uti Pontificalibus in omnibus ad formam Literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum ». Et ita rescripserunt. Die 16 Decembris 1826.

Super quibus omnibus et singulis facta postmodum SSmo Dom. Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit. Die 20 Decembris 1826.

2650. GANDAVEN. (4623)

Nuntiatum est Eminentissimis PP. Sacris tuendis Ritibus praepositis, aliquibus in Ecclesiis Dioecesis Gandaven. in administratione Sacramentorum nonnulla invaluisse, quae praescriptis in Rituali regulis adversantur, nec tam facile, per eos quibus Ecclesiarum cura demandata est, eliminari valerent; qui idcirco supplici libello dubia quaedam exposuerunt, ut ex Sacrae huius Congregationis responsis quid retinendum quidve repudiandum sit probe cognoscant. Sunt autem:

Prima facti species: Rector Ecclesiae reperit in Ecclesia sua consuetudinem renovandi panem pro Sacrificio Missae et Communione fidelium singulis tribus mensibus tempore hyemis; tempore vero aestivo solitum esse confici pro sex mensibus. Hinc quaeritur:

1. An, attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit specie a tribus mensibus tempore hyemis, vel a sex mensibus in aestate confecta?

2. An casu quo Rector sive Pastor Ecclesiae praxim illam approbet nec velit eam relinquere, alii Sacerdotes in eadem Ecclesia inservientes possint tuta conscientia in hoc Pastori obsecundare, utendo praefatis speciebus?

Secunda facti species: In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur SSmum Sacramentum Eucharistiae ad aegrotos eisque administratur cum Stola super vestem communem absque cotta sive superpelliceo: quaeritur:

1. An praxis illa, ubi invaluit et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit? et si negative, quaeritur:

2. An saltem Sacramentum extremae Unctionis cum Stola tantum administrari possit?

Tertia facti species: Sacerdotes curam animarum exercentes, pro sua commoditate, apud se in domibus suis retinent sanctum Oleum infirmorum: quaeritur:

An, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant?

Quarta facti species: Sacra Olea in Coena Domini benedicta transmittuntur ad Decanos foraneos, qui ea distribuunt Pastoribus suorum Districtuum: quaeritur

An Decani distributionem differre possint usque post Dominicam in Albis?

Quinta facti species: Multi Pastores accepta sacra Olea deponunt in domibus suis usque in sequentem Dominicam; et tunc cum solemni Processione, videlicet cum Cruce, cum candelis ardentibus et sub baldachino, a toto Clero in habitu sacro portantur ad Ecclesiam, exponuntur in aliquo Altari cum hymnorum cantu atque eadem solemnitate portantur ad Fontem baptismalem eique infunduntur: quaeritur:

1. An Pastores recte retineant sacra Olea in domibus suis usque ad Dominicam receptionem eorumdem subsequentem?

2. An sacra Olea cum tali solemnitate introduci possint in Ecclesiam?

3. An cum tali solemnitate infundi possint Fonti baptismali, cui non potuerunt infundi in Sabbato Sancto, cum tunc necdum haberi potuissent?

Tandem quaeritur:

An benedictio cum Indulgentia plenaria, iuxta Constitutionem Benedicti XIV: *Pia Mater* 5 Aprilis 1747, impertienda sit pueris qui, defectu aetatis, primam Communionem necdum instituerunt?

Et S. R. C., requisita prius sententia in scriptis unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, typis etiam vulgata, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Pallotta Ponentis, respondendum esse censuit: « In omnibus iuxta votum » nimirum:

Ad primam facti speciem. « Negative; et eliminata consuetudine, servetur Rubrica ».

Ad 2. « Negative ».

Ad secundam facti speciem. Ad 1. e 2. « Negative; et eliminata consuetudine, servetur Ritualis Romani praescriptum ».

Ad tertiam facti speciem. Ad dubium unicum: « Negative; et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia: quo in casu, omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam ».

Ad quartam facti speciem. Ad dubium unicum: « Negative ».

Ad quintam facti speciem. Ad 1. « Iam provisum in responsione ad tertiam facti speciem, ad dubium unicum ».

Ad 2. « Tollendam esse inductam consuetudinem, et servandas Ritualis Rubricas ».

Ad 3. « Iam provisum in praecedenti ».

Ad postremum: « Affirmative ».

Atque ita respondit et servari mandavit. Die 16 Decembris 1826.

2651. DECRETUM GENERALE. (4624)

Ad tollendos ac eliminandos abusus, qui irrepserant, in Cultus exhibitione nonnullis Dei Servis qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati; s. m. Urbanus Papa VIII Generalibus Decretis editis anno 1625 confirmatisque die 5 Iulii 1634, providis latis legibus certum praescripsit ordinem, in hisce agendis Causis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: « Se nolle ullum praeiudicium inferre iis (Servis Dei) qui aut per communem Ecclesiae consensum vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur ». Quoniam vero huiusmodi ab universali lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur, extunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in Cultus possessione reperiri putabantur, Causa ad eamdem Sacram Congregationem deferri contingeret, primum in Ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur: qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo de Cultu sive casu excepto instrueretur iudicium. Hoc tandem iuxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera Instantia pro Officii et Missae concessione. Ita refert et docet Bened. XIV. *De Servorum Dei Beatificatione* Lib. IV, Part. II. Cap. IV et sequentibus: atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere saecula.

Sed quoniam saepe evenire solet, in iis etiam quae recte sapienterque constituta sunt diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur et di-

versam formam suscipiant: unde opus sit ut obliteratus si non omni, aliqua saltem in parte, rigor ad observantiam revocetur, id quoque accidit in praefatis Causis pertractandis, quae a Papae Urbani lege excipiuntur. In his quippe novus paullatim longe facilior et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod antiquus rigor retinendus sit dumtaxat, si, sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem, si ut legitimus Cultus approbari petatur ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem non sine aliqua indulgentia et moderatione coercere exoptantes Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serioque recogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus diversaque iudicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in Ordinariis Comitiis sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in voto, decernentes: ne in posterum admittantur Instantiae pro concessione Officii et Missae in honorem illorum Dei Servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici et ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato.

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum et discutiendum erit dubium: « An constet de casu excepto a Decretis s. m. Urbani PP. VIII ». Audito tamen in scriptis Promotore Fidei, cui tradenda erunt originalia et legalia documenta, ut suas exaret Animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres Emi Sacris Ritibus praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint. « Constare de casu excepto »; locus erit in subsequenti Congregatione novae Instantiae super concessione Officii et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, velut supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Causis, in quibus approbatus auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt ac retinendus antiquus iudicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt et declararunt, praecipientes infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederet, facto verbo cum SSmo. Die 16 Decembris 1826.

De quibus omnibus et singulis facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, die 20 Decembris 1826, Sanctitas Sua Sacrae eiusdem Congregationis sententiam approbavit et confirmavit, ipsumque Generale Decretum praelo tradi et evulgari mandavit.

2652. VELITERNA. (4625)

Sodalitas Vexillariorum erecta Kalendis Octobris 1348, sedente Clemente Papa VI, in Ecclesia sui Iuris Deo in honorem S. Ioannis Apostoli dicata vulgo in Plagis Civitatis Velitrarum, atque adiuncta Albo Archiconfraternitatis Urbis quarto Nonas Maii 1585, a qua superiori anno piaculari hospitium recepit, fuitque per Urbem ad visendas Basilicas deducta pro Indulgentiis lucrandis, in sua consuetudine atque usu privilegiorum deturbatur a Parochorum Collegio eiusdem Civitatis, qui privative sibi vindicare volunt Stolae delationem publicis in supplicationibus, cadaverum associatione etc., neque in iisdem ea uti Sodalitatis Cappellano permittunt. Ast quum alienum id sit a praxi Archiconfraternitatis Urbis cum qua consociatur, scandalisque ac dissensionibus saepe saepius viam aperiat; recensitae Sodalitatis Moderatores supplices humillimasque Sacrae Rituum Congregationi preces dederunt, quatenus ipsius consuetudinem et privilegia, praesertim quoad Stolae delationem a Cappellano, confirmare dignaretur.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunato apud Vaticanum, audita infrascripti Secretarii relatione, probe noscens decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur, hisce precibus rescripsit: « Detur Decretum in Veliterna Archiconfraternitatis Sacrorum Stygmatum S. Francisci die 27 Martii 1824 ». Et ita servari mandavit etiam a Sodalitate Vexillariorum eiusdem Civitatis. Die 16 Decembris 1826.

2653. VELITERNA. (4626)

Sodalitas Beatae Mariae Virginis a *Caritate* et a *Morte* nuncupata modo erecta propria in Ecclesia S. Apolloniae Virg. et Mart. Civitatis Velitrarum, vel uni secunda quoad pervetustam erectionem suam, namque receptionem in Albo Archiconfraternitatis S. Hieronymi a *Caritate* Urbis factam agnoscit ab anno 1519 ac postmodum anno 1748 alteram in Albo Archiconfraternitatis a *Morte* nuncupatae requisivit, a qua superiori anno piaculari hospitium recepit, fuitque ad visendas per Urbem Ecclesias deducta, a Parochorum eiusdem Civitatis Collegio sua in consuetudine ac privilegiis ex recensitis adscri-

ptionibus desumptis praepeditur, quominus ipsius Cappellanus, licet Sacerdotali charactere insignitus, publicis in supplicationibus, cadaverum associatione etc. Stola e collo pendente utatur; unde illud inconveniens exurgit, ut dum per agros iuxta Instituti pium morem pauperes defunctos colligit, ne Sacerdos quidem reperiatur, qui lustrali aqua cadaver ex Ritualis praescripto aspergat. Ut huiusmodi impedimentum finem aliquando recipiat piumque Institutum ad Ritualis Romani placitum peragatur, supplices humillimasque Sacrae Congregationi Rituum preces porrexit, quatenus ipsi consuetudinem et privilegia, praesertim quoad Stolae delationem a Cappellano faciendam, confirmare dignaretur.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio in Ordinario Conventu sub infrascripta die apud Vaticanum coacto, audita infrascripti Secretarii relatione, probe noscens decere et conveniens esse ut Confraternitatis Cappellanus a simplicibus Clericis distinguatur, hisce precibus rescripsit: « Detur Decretum in Veliterna Archiconfraternitatis Sacrorum Stygmatum S. Francisci diei 27 Martii 1824 ». Et ita servari mandavit etiam a Confraternitate *Caritatis* ac *Mortis* nuncupata eiusdem Civitatis. Die 16 Decembris 1826.

2654. NEAPOLITANA. (4627)

Etsi iam alias, praesertim in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 Ianuarii 1698, decretum fuerit Primicerio Collegiatae Ecclesiae S. Ioannis Maioris Civitatis Neapolis, solemniter celebranti in diebus per annum solemnioribus, a Canonicis eiusdem Ecclesiae deberi assistentiam in officio Diaconi et Subdiaconi; nonnulli tamen ex iisdem Canonicis ea sunt in opinione versati, posse se repugnare iudiciumque iterato instituere super infrascripto dubio, nimirum: An Primicerio solemniter celebranti Canonici pro Diacono et Subdiacono inservire teneantur?

Et S. eadem R. C. ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Conventu pariter coacto, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Francisci Falzacappa Ponentis, re mature diligenterque discussa et audita prius utraque parte scriptis et voce informante, rescribendum censuit: « Servetur omnino Decretum diei 24 Ianuarii 1698, et amplius; et ad mentem. Mens est: Scribatur Emo D. Card. Archiepiscopo Neapolitano iuxta instructionem secreto communicandam ab Emo Card. Causae Relatore ». Die 22 Septembris 1827.

2655. ROMANA (4628)
BASILICAE COLLEGIATAE
S. MARIAE TRANS TYBERIM.

Kalendis Novembris Anni Incarnationis Dominicae 1824, datis a SSmo Dño Nostro Leone XII Pontifice Maximo Apostolicis Literis in forma Brevis: *Super Universam*, quoad novam Paroeciarum Almae Urbis Ordinationem, id lege cautum erat, ut Parochis seu Vicariis perpetuis Basilicarum minorum interea ius tribueretur sedendi inter Canonicos Ordinis Presbyteralis cum ceteris iuribus, privilegiis, praerogativis et emolumentis, quibus ceteri ex illo ordine fruuntur; ac postmodum consequerentur Canonicalem Praebendam ex communi Massa primo vacaturam. Hic iuris ordo ceteris in Ecclesiis pacifice servatus, ubi primum vacatio contigit, controversiam attulit Capitulo Canonicorum Collegiatae Basilicae S. Mariae Trans Tyberim. E vivis siquidem erepto Sacerdote Basilio Tragnoli illius Ecclesiae Canonico, locus datus est optioni ad Ordinem Presbyteralem primo Canonico Diacono, antequam Hannibal Righi Canonicus Parochus seu Vicarius perpetuus Praebenda Canonicali potiretur. Qui ex hac optione iniuriam se pati arbitrans, supplicem libellum Sacrorum Rituum Congregationi dedit, ut optionis ius sibi vindicaret. Sacra vero Congregatio ut iuxta probatum morem hac in controversia procederetur, ab Emo Domino Cardinali Titulari votum informationemque requisivit. Deinde, iuxta iuris terminos accitis coram D. Secretario tum recensito Canonico Curato tum ceteris eiusdem Ecclesiae Canonicis Ordinis Diaconalis et Subdiaconalis, sequentia inter partes dubia concordata fuere; nimirum:

1. An sit locus optioni ad Canonicatum Presbyteralem vacantem Canonico Massa, seu potius privative spectet ad Canonicum Curatum Righi vigore Literarum Apostolicarum?

2. An in futuris vacationibus sit locus ascensui eiusdem Canonici Curati; vel potius Diaconi et Subdiaconi antiquioris possessionis?

Et S. R. C., audita utraque parte, voce et scripto etiam cum responsionibus informante, ac mature perpensis allatis rationum momentis, praesertim enunciatis Literis Apostolicis, et earum § 34: *Id nos maxim-*

contendentes, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Antonii Pallotta Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; negative, ad secundam ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 22 Septembris 1827.

Extempore Canonici Diaconi et Subdiaconi contra hoc Decretum appellationem postularunt, et Canonicum Curatum iterum evocarunt in iudicium coram Domino Secretario, qui extunc mandavit *proservari post autumnales Ferias.* Interea temporis idem Canonicus Curatus SSmo Domino Nostro supplicem porrexit Libellum, ut in hoc iudicio iterum coram S. R. C. instituendo, quaedam adhiberentur cautelae. SSmus vero propria manu signavit: *Domino Secretario, qui verba faciat.* Factaque ab eodem, a Sanctitate Sua ad particularem audientiam vocato, relatione: « SSmus die 5 Novembris 1827 Causam hanc ad se avocavit, et nihil ulterius innovari iussit ».

Demum in ordinaria audientia diei 14 Novembris 1827, SSmus, re mature perpensa, « Approbavit confirmavitque Decretum Sacrorum Rituum Congregationis super controversia editum enunciata die 22 Septembris currentis anni, illudque declaravit menti suae esse conforme; ideoque, sublata appellatione, omnino exequendum; et huic caussae perpetuum silentium imposuit ».

2656. LUCANA. (4629)

Parochiales Ecclesiae in Hetruria per classes ita sunt dispositae, ut Plebs una veluti matrix plures Parochiales subiectas habeat, quas vocant Classidicas, et quarum Parochi ad Plebem convenire solent Sabbato Sancto pro Fontis benedictione, receptione et distributione sanctorum Oleorum, prout etiam intersunt solemnioribus illius functionibus. Hanc Plebis qualitatem a remotissimis usque temporibus, scilicet ab anno 786, in Dioecesi Lucana obtinuit parochialis Ecclesia S. Georgii nuncupata loci *Vico-Pelago,* etiam postquam sub die 5 Septembris 1544 Capitulo Sanctorum Ioannis et Reparatae Civitatis Lucensis unita, adnexa et incorporata fuit. Hoc itaque initium nuncupationis Vice-Plebani, qui pro tempore curam exerceret animarum, Capitulo propter unionem adiudicatam. Nunc autem, quum Plebs iterum proprium ius propriamque iurisdictionem per Capituli suppressionem novissimis perturbationibus factam sibi vindicaverit, Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicarunt illius communis Deputati pro reintegratione Tituli Plebani favore Rectoris recensitae Ecclesiae S. Georgii eiusque successorum, loco alterius Vice-Plebani, quo usi sunt, durante unione Plebis cum Capitulo Sanctorum Ioannis et Reparatae.

Et S. R. C. in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, visis perpensisque allatis momentis, necnon informatione et voto Rmi Archiepiscopi Lucani, ac re mature discussa, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Antonii Pallotta Ponentis, rescribendum censuit: « Ecclesiam S. Georgii loci *Vico-Pelago* restituendam esse in antiqua iura Plebaniae, quibus potiebatur ante unionem ». Et ita decrevit. Die 22 Septembris 1827.

2657. ALEXANDRINA. (4631)

Quaestio inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Alexandrinae in Subalpinis exorta semel atque iterum est: An ad Psalmorum Poenitentialium, Gradualium, Officii Defunctorum et Beatae Mariae Virginis recitationem statutis a Rubrica temporibus ac diebus teneantur? Aliquibus inter eos denegantibus, aliqui affirmant; et diversis ut quisque suam protueatur sententiam, rationibus innituntur. Totius rationis ratio quum in eo sita sit, quod Apostolicis Literis diei 1 Iunii 1803 Alexandriae Capitulum suppressum extinctumque fuerit, et in Collegiatam erectum, aliisque similibus Litteris diei 2 Augusti 1817, iterum in Capitulum erectum; quatenus Canonici plerique per illam suppressionem omnem consuetudinem abrogatam esse contendant, dum nonnulli illam resumendam esse affirment. Ad quaestionem omnem dirimendam infrascriptum dubium in S. R. C. enodandum proposuere Dignitates et Canonici Cathedralis Alexandriae, nimirum:

An attentis circumstantiis, de quibus supra, abrogata censenda sit consuetudo recitandi Officium parvum Beatae Mariae Virginis, Defunctorum, Psalmos Graduales et Poenitentiales in Cathedrali Alexandrina? atque adeo, num Canonici ab iis recitandis soluti sint, eaque propterea Officia persolvere deinceps possint ex sola devotione?

Et S. R. C. in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto reddito praeloque cuso, re mature diligenterque

discussa, perpensisque rationum momentis ab utraque parte allatis, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit: Iuxta votum, nimirum:

« Attenta vigente olim consuetudine, teneri Canonicos Officia et Psalmos, ut in dubio, recitare; ac servanda esse huius Sacrae Congregationis Decreta ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 22 Septembris 1827.

2658. CAMERINEN. (4632)

Pene ab immemorabili tempore S. Paulus Apostolus totius Comitatus Flastrae Dioecesis Camerinen. ceu Praecipuus Patronus semper est habitus: siquidem de anno 1436, tempore s. m. Eugenii Papae IV, quando efformatae sunt leges atque in statutum digestae, eius rei memoria extat. Licet itaque nulli umquam in suspicionem venerit Flastrensi in Comitatu hoc ius seculorum cursu quaesitum Doctori Gentium non competere; nonnulli tamen nuperrime ex Paroecia S. Laurentii illud inficiari autumarunt. Controversia ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem delata, informatio et votum Rmi Archiepiscopi de more requisita sunt. Oppugnatores interim manus victas dedere atque in partes se receperunt. Ne autem in posterum quid simile eveniat, praesertim ex eo quod Calendaristae Dioecesis aliquando hoc adnotare praetermiserant, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, eidem Sacrae Congregationi Sacerdos Aloisius Cicotti Rector Abbatialis Ecclesiae S. Pauli recensiti Castri ac DD. Eusebius et Aloisius Conti Deputati eiusdem Parochialis populi humillime supplicarunt, postulantes ut supremo suo iudicio decerneret S. Paulum Apostolum habendum pro unico praecipuo Patrono in universo Comitatu Flastrae.

Et Sacra Rituum Congregatio in ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, visis perpensisque allatis rationum momentis, necnon informatione et voto Rmi Archiepiscopi, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Augustini Rivarola, vice et loco Emi et Rmi D. Card. Ioannis Caccia-piatti Ponentis absentis, rescribendum censuit: « Pro Informante; scilicet pro S. Paulo unico praecipuo Patrono ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 22 Septembris 1827.

Factaque de praemissis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni XII Pontifici Maximo per infrascriptum Secretarium relatione, die 26 Septembris 1827, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit et confirmavit.

2659. BUGELLEN. (4633)

A prima Cathedralis Bugellen. erectione constanter observatum fuit illud quod exactissime congruit Caeremonialis Episcoporum dispositionibus et Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, praesertim in Monopolitana diei 15 Decembris 1632, ut nimirum prima Dignitas fuerit Presbyter Assistens Episcopo solemniter celebranti in Festis primae vel secundae classis et diebus Ferialibus, aut benedictionem candelarum, cinerum et palmarum peragenti. Ast contra eiusmodi pervetustam consuetudinem dignior ex Canonicis ad praesens insurgit ab officio Presbyteri assistentis primam ex Dignitatibus excludere tentans, quando Epicopus Vesperas Missamque celebrat in Festis secundae classis et diebus Ferialibus, necnon quando candelas, cineres et palmas benedicit. Ad dissidia itaque vel scandala vitanda, Sacrae Rituum Congregationi ad Vaticanum in Ordinario Coetu coacto sub infrascripta die duo a Dignitatibus et Canonicis recensitae Cathedralis proposita fuere dubia enodanda; nimirum:

1. « Num in Cathedralibus, in quibus Dignitates et Canonici existunt, prima Dignitas semper debeat esse Presbyter assistens, quando Episcopus Missam et Vesperas solemniter celebrat, sive hoc peragat diebus primae classis vel secundae vel Ferialibus? »

2. « An ipsamet prima Dignitas debeat quoque esse Presbyter assistens, quando Episcopus benedicit candelas, cineres et palmas; ita ut dignior Canonicus post Dignitates debeat tantum esse Presbyter Assistens, Episcopo non celebrante, sed Vesperis aut Missae solemni per alterum cantatae praesente?

Et S. R. C., exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato praeloque cuso, necnon inspectis Rmi Bugellen. Episcopi informatione et voto, ac re mature diligenterque discussa, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Petri Vidoni Ponentis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative pariter, iuxta votum Caeremoniarum Magistri ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 22 Septembris 1827.

2660. VERONEN. (4634)

Parochiali in Ecclesia S. Ambrosii Oppidi *Valpolicella* Dioecesis Veronen., decenti in theca iuxta appositam inscriptionem asservantur, una cum Reliquia ex Ligno SS. Crucis, sequentes etiam Reliquiae, nimirum: Gutta Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, Velum B. M. V. eodem sanguine aspersum, Parva Crux de Cruce Salvatoris. Quoniam hae ex dono concessae sunt anno 1725, onus ex legato illi inest quibusdam in diebus publicae venerationi Reliquias istiusmodi exponendi. Ritus autem extunc ea occasione servatur, ut scilicet, e loco custodiae ad altare SSmi Sacramenti asportata theca ponatur in Throno, et decantata solemni Missa, Celebrans utroque genu adoret, thurificet triplici ductu, populumque, uti cum sacra Eucharistia, benedicat, reponatque in Tabernaculo una cum SSmo Sacramento, ut vespere idem observari possit. Rubricarum dispositionibus et Decreto Sacrae Rituum Congregationi anni 1736 iste usus contrarius apparuit Sacerdoti Francisco Negrini recensitae Parochialis Archipresbytero; qui proinde Reliquias erectus thurificavit, neque in Tabernaculo amplius reposuit. Haec dissidiorum et controversiarum causa. Ad dissidia itaque componenda prudens Archipresbyter primo Rmum Episcopum, dein Sacram Rituum Congregationem adivit, ut super exposito ritu decernerent.

Et S. R. C., in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, exquisita prius sententia R. D. Aloisii Gardellini eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris Typis excusa, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Augustini Rivarola Ponentis, re mature diligenterque discussa, rescribendum censuit: « Iuxta votum Assessoris, nimirum: Citra approbationem Reliquiarum, scribatur Rmo Ordinario, iuxta mentem ». Mens autem est: « ut permittat tantummodo illas venerationis et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. I. C.: prudenter vero suaviterque, per se vel per alios Sacerdotes, curet populum docere et erudire, ne scandalum patiatur ex praescripta indebiti cultus reformatione ». Et ita decrevit. Die 22 Septembris 1827.

2661. PATAVINA. (4636)

Rme Dne uti Frater. Huius S. R. C. Litteris sub die 22 Septembris 1827, exquisita Amplitudinis Tuae sententia super supplici Libello Bartholomaei Cremonese Parochi Ecclesiae S. Iustinae istius Civitatis quoad dispensationem a nova execratorum Altarium consecratione, instar indulti in Beneventana die 26 Novembris 1696; haec sententia, accepta Mense Novembri superioris anni, in Ordinario eiusdem S. C. Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, fuit perlecta et Emis Patribus communicata. Quum autem ex ipsa probe intelligerent et animadverterent tredecim e vigintiquinque Altaribus per feraces manus aut ablata aut difissa aut penitus destructa fuisse, ac duodecim quae supersunt integra Altaria satis superque sufficiens parochialibus functionibus commodum praebere; censuerunt propterea: « Non esse locum dispensationi petitae; et haec ipsa Altaria indigere nova consecratione: quam Amplitudo Tua perficere poterit vel una simul vel divisim, iuxta sancitas leges Romani Pontificalis ».

Hisce itaque novis litteris aperta est eiusdem S. C. mens et voluntas; ideo curet Amplitudo Tua, ut nihil super execratis Altaribus innovetur, donec nova accedat consecratio; nisi maluerit per Aras portatiles, seu sacros Lapides superpositos eorum usum expeditiorem reddere, donec consecrentur. Et diu felix et incolumis vivas. Romae 22 Martii 1828.

Pro Emin. D. Card. De Somalea Praefecto,
I. F. Card. Falzacappa.

I. Gaspar Fatati S. R. C. Secretarius.

2662. MELITEN. (4637)

Parochialem Ecclesiam S. Pauli Naufragi Civitatis Vallettae Dioecesis Meliten. s. m. Clemens XII Pont. Max. ad Insignis Collegiatae notam evexit, cuius Canonicorum Collegium et ipse et permulti successores Summi Pontifices variis insignibus in ecclesiasticis functionibus cohonestarunt; quae quidem initium fuere quaestionum et controversiarum inter Cathedralis Capitulum Civitatis Notabilis et ceterarum Collegiatarum eiusdem Insulae: ad quae componenda pluries Sacrae Rituum Congregationi supplicatum est, praesertim diebus 6 Maii et 16 Decembris Anni 1826. Quoniam vero huiusmodi Causae, recensita in Congregatione, nonnisi longo temporis intervallo multisque intermediis expensis absolvi queant; idcirco post haec SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. supplices fuerunt Ca-

nonici S. Pauli Naufragi postulantes, ut summarie particulari in Congregatione quaestiones omnes controversiaeque expendi valerent; quorum precibus annuens benigne Sanctitas Sua sub die 16 Aprilis vertentis anni designavit Emos Cardinales De Somalea Praefectum, De Gregorio, Pedicini, Odescalchi, qui una cum R. P. D. Fatati a Secretis super re decernerent.

Ast, Procuratoribus longiorem interponentibus moram, ne in Causae damnum id cederet, sub die 10 Maii proxime praeteriti rescriptum fuit supplici Canonicorum eorumdem libello pro eiusdem Causae expeditione; videlicet: « Exhibito primum originali rescripto s. m. Pii VII, iuxta resolutionem Congregationis Ordinariae die 16 Decembris 1826, praefigitur terminus duorum mensium, ut Patres deducant iura sua sine strepitu iudicii in Congregatione particulari a Sanctissimo Domino Nostro Leone XII Pont. Max. die 16 Aprilis proxime praeteriti deputata; quo elapso termino locus fit propositioni Causae cum allegationibus et documentis hinc inde iam productis, omni appellatione remota ». Tempore itaque praestituto, deductis iuribus, particularis haec Congregatio coacta fuit penes Emum Praefectum, propositaque fuere sequentia dubia inter partes concordata:

1. An sit consulendum SSmo pro reportatione Rescripti s. m. Pii Papae VII concedentis Canonicis Insignis Collegiatae S. Pauli Apostoli Civitatis Vallettae facultates deferendi in sacris functionibus argenteam Clavam Senatoriam, et mozzettas Canonicales subsutas rubro serico colore cum asolis et globulis pariter rubri coloris?

2. An a Canonicis, tum Cathedralis tum Collegiatarum, deferenda sit Crux pectoralis?

Momentis itaque hinc inde deductis diligenter libratis, omnibusque mature discussis, unanimi Emorum Patrum consensu responsum fuit:

Ad 1. « Affirmative; et consulendum SSmo pro concessione Brevis ad supplicationem Capituli S. Pauli Naufragi, quo detur facultas utendi insignibus, de quibus in dubio: necnon Clava argentea intra et extra Ecclesiam, exclusis tamen functionibus quibus intervenerit Capitulum Cathedralis aut Sancti Ioannis Vallettae ».

Ad 2. « Affirmative; a singulis Capitulis hoc privilegio a Sancta Sede decoratis, servata forma concessionis, et ad mentem » et mens est: « ut Episcopus mandet Canonicos, decoratos privilegio Crucis deferendae super Paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita Cruce super Albam, et eamdem tegere celebrante Episcopo ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 16 Septembris 1828.

Super quibus omnibus, facta SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Congregationis huius particularis Responsa approbavit et confirmavit. Die 17 Septembris 1828.

2663. URBIS ET ORBIS. (4638)

Providentissimus Deus, qui electam suam Sponsam Ecclesiam super Apostolorum et Prophetarum fundamentum posuit, eamque summo angulari lapidi Christo Iesu innixam voluit, sapientissimo cavit consilio, ut ad illius praesidium iugiter egregii sanctique vigilarent Pastores; qui non modo sublimioris virtutis exemplo fidelium Ecclesiae filiorum mores ad iustitiam pietatemque componerent, verum etiam ingenio doctrinaque celebres eosdem Fidei veritate consolidarent. Hos propterea Divinus Praeceptor sal terrae mundique lumen nuncupavit, qui non vivae tantum vocis officio, ceterorum Pastorum instar sibi commissam plebem, sed cunctos Christifideles omniumque seculorum posteritatem conscriptis libris sapientia et doctrina refertis, etiam extincti, erudire non cessant. Quos inter eminet etiam Sanctus Petrus Damianus a s. m. Stephano IX, alias X, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus et Ostiensis Episcopus renunciatus, qui seculo XI Dei Ecclesiam meritis et doctrinis illuminavit, designatus idcirco Scriptorum elogio Vir et sanctitate et doctrina per sua tempora clarus. Huius porro sanctissimi Viri de universa Ecclesia tot nominibus optime meriti nondum extensum fuisse Festum per ipsam universalem Ecclesiam, dolentes Apostolici Senatus Patres, Summum Ecclesiae Hierarcham et Caput Pontificem Maximum Leonem XII, per postulatoriam Epistolam Sacri Cardinalium Collegii nomine deprecati sunt, ut ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto eiusdem S. Petri Damiani Festum celebrari praecipiat universa in Ecclesia septimo Kalendas Martii cum Officio et Missa de communi Doctorum, necnon cum Lectionibus et Oratione propriis iam pro aliquibus Locis approbatis. Qua Postulatoria, una cum Animadversionibus R. P. D. Virgilii Pescetelli Sanctae Fidei Promotoris, et Advocati

ac Procuratoris Responsionibus diligentissimis, in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto delata, Emi et Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae De Somalea Episcopi Ostiensis et Veliterni Ponentis eidemque Congregationi Praefecti, atque momentis omnibus hinc inde allatis sedulo libratis matureque discussis, unanimi consensu rescribendum censuerunt: « Consulendum SSmo pro gratia ». Die 27 Septembris 1828.

Facta autem de praemissis omnibus et singulis SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum eiusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua in omnibus annuendo, Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit et confirmavit, ac S. Petrum Damianum Doctorum Albo recensuit, eiusque Officium sub ritu dupl. min. cum Lectionibus primi Nocturni de Scriptura, instar concessionis factae Clero Ravennaten. anno 1723, ad universam extendit Ecclesiam; ac desuper Generale Decretum Urbis et Orbis expediri praecepit. Calendis Octobris eiusdem Anni 1828.

2664. MAZARIEN. (4639)

Parochiali in Ecclesia Castriveterani Dioecesis Mazarien. mos est SSmum Sacramentum publicae fidelium venerationi in Ara maxima exponendi, detecto S. Ioannis Baptistae Titularis Ecclesiae et praedicti Oppidi praecipui Patroni insigni Simulacro, quod non supra Altare sed extra illud sexdecim fere palmis seiunctum in propria Aedicula existit, et ita insculptum, ut religioso modo fidelibus Agnum Dei qui tollit peccata mundi praesentare videatur. Centum et amplius ab hinc annis viget haec consuetudo, confirmata semper ab Episcopis Dioecesanis, et nuperrime ab hodierno Ordinario, qui prima Episcopalis suae visitationis die Sacrum agens talem expositionem sua manu perfecit, et publicam deinde supplicationem solemni ductu pertraxit, ac denique ingenti populo cum SSmo Sacramento est benedictionem impertitus. Super hac consuetudine ex zelo quo fervet R. D. Petrus Maria Triolo actualis Parochus, ut ecclesiastici ritus apprime serventur, ad animi sui tranquillitatem Sacrae Rituum Congregationi sequentia tria dubia humillime proposuit enodanda; nimirum:

1. An velari debeat Simulacrum S. Ioannis Baptistae, vel potius plusquam centenaria consuetudo servanda sit, exponendo nimirum SSmum Sacramentum cum Simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem, collectis et elargitis eleemosynis, hanc expositionem votum populi expostulat?

2. Quando natalitia solemnitas huius Sancti Titularis Ecclesiae et Oppidi principalis Patroni occurrit aliqua die infra octavam SSmi Corporis Christi?

3. Quando quotannis mense Novembri Oratio Quadraginta Horarum peragitur?

Et Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu ad Vaticanum coacto, exquisita prius unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sententia scriptis reddita praeloque cusa, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Ponentis, rescribendum censuerunt sub die 22 Martii vertentis anni: « Ad Dominum Secretarium cum SSmo iuxta mentem ».

Placuit autem SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. suam mentem non aperire, mandavitque sub die 26 recensiti mensis et anni, ut iterum proponeretur in proxima.

Mandatis SSmi obtemperans praedictus Parochus iterum S. R. C. adivit, adhibitis per Procuratorem novis Allegationibus et Responsionibus. Iterato itaque omnibus sedulo, mature diligenterque perpensis, Emi et Rmi PP., ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunati, propositis dubiis collective respondendum censuerunt: « In casu de quo agitur servandam esse consuetudinem, excepto tempore Expositionis Quadraginta Horarum ». Die 27 Septembris 1828.

Facta autem denuo SSmo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsum approbavit et confirmavit, atque ita in Ecclesia Collegiata Castriveterani supradicta servari mandavit. Calendis Octobris eiusdem Anni 1828.

2665. IMOLEN. (4640)

Capitulorum et Collegiatarum postulationibus non semel annuentes, Romani Pontifices vel ab vetustissimis temporibus nonnulla honoris atque distinctionis insignia peculiari de caussa Canonicis concedere consueverunt. Percrescentes vero hac super re abusus qui forte temporis diuturnitate irrepserunt, penitus convellere curarunt; idque factum conspicitur veteribus aeque ac recentioribus aetatibus. Hinc Generale editum est Decretum anno 1822, quo statuitur quid

per concessa privilegia intelligatur, quid a Canonicis adhiberi possit, quid ipsis sive privatim sive solemniter permissum sit, quidque tamquam vetitum sit habendum. Quae in memorato Decreto expressa reperiuntur, peculiari Constitutione quae incipit: *Decet Romanos Pontifices:* subsequenti anno 1825 sunt confirmata. Huic igitur obtemperantes Constitutioni Cathedralis Ecclesiae Imolensis Canonici Sacram Congregationem Rituum adierunt duobus abhinc annis, scilicet die 16 Decembris anni 1826, preces porrigentes una cum Brevi concessionis, quo quid ipsis in usu privilegiorum liceret, opportune decerneretur.

Nunc autem iterum supplicem Libellum dedere Sacrae Rituum Congregationi Dignitates et Canonici laudatae Imolensis Cathedralis, quo ut Pontificalium privilegiis, quibus ad formam Litterarum Apostolicarum gaudent, quaedam alia dignetur clementer addere, humillime expostularunt:

Primum scilicet, ut ipsis et ipsorum cuique quotidianus argenteae Palmatoriae usus concedatur, tum extra Pontificalia in propria Ecclesia tum quacumque in Imolensis Civitatis Ecclesia, in qua sive privatim sive solemniter sacras functiones Sacrumque eos peragere contigerit.

Secundo ut ipsorum omnibus et singulis pectoralem Crucem quotidie gestandi detur facultas.

Et S. R. C., exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exhibita typisque vulgata, referente Emo et Rmo Domino Card. Carolo Odescalchi, loco Emi et Rmi Dom. Card. Antonii Pallotta Ponentis absentis, respondendum censuit: « Quoad Crucem, negative; quoad Palmatoriam, affirmative, iuxta votum Magistri Caeremoniarum; dummodo non sit praesens Episcopus, Metropolitanus, Nuncius, Legatus, S. R. E. Cardinalis ». Die 27 Septembris 1828.

Facta autem per infrascriptum Secretarium de praemissis SSmo Dom. Nostro Leoni XII Pontifici Maximo relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum laudavit confirmavitque in omnibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Calendis Octobris eiusdem Anni 1828.

2666. FAVENTINA. (4641)

Beatissime Pater

Aloisius Cassani Archipresbyter Collegiatae et parochialis Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Balneocaballi Sanctitati Tuae demisse exponit: Quod inter alia privilegia concessa Archipresbytero pro tempore praedictae Collegiatae a s. m. Benedicto XIV Bulla *Illius incomprehensibili bonitate,* (qua constituit eum Vicarium perpetuum Episcopi Faventini) illud etiam recensetur, Pontificalia scilicet peragendi a primis Vesperis usque ad solis occasum sequentium Festivitatum, idest: Nativitatis et Circumcisionis D. N. I. C., Epiphaniae Domini, Paschatis et Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V. et S. Michaelis Archangeli; nec non praedictis diebus, si pontificalia peregerit, benedictionem solemnem, post Missam et Vesperas, populo impertiendi.

Quare orator, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, postulat declarari: Praefatum privilegium extendendum esse ad Missam Sabbati Sancti, cum Sacra Concilii Congregatio sub die 9 Iulii 1785 declaraverit: « Solemnitatem Paschalem exordiri a Missa Sabbati Sancti ».

Relatae autem huiusmodi postulationi in Audientia diei 27 Martii 1828 eidem SSmo Dom. Nostro per Secretarium S. R. C., Sanctitas Sua rescribendum iussit: « Recurrat ad Sacram Rituum Congregationem ».

Proposita igitur instantia per Emum et Rmum Dom. Cardinalem Pedicini Relatorem ac re mature discussa, responsum fuit: « Servetur stricte privilegium Benedicti XIV, ideoque excluso Pontificali Sabbati Sancti ». Die 27 Septembris 1828.

2667. IANUEN. (4644)

In S. Catharina Ianuensi plane cognitum fuit quam miris rationibus Divina clementia errantes ad ovile reducat, et quam copiosius gratiae suae oleum effundat, siquando contulit amaritiem. Quamvis enim ad Claustra vocasset, eius tamen quemadmodum Abrahami obedientiam voluit non sacrificium, atque a Sanctimonialibus reiectam pudore tristitiaque suffusam domum remisit. Adduxit deinde ad nuptias, ubi tribulationes pressurasque paraverat, et alienato mariti animo dure admodum tractari coepit: quo factum est, ut ad levandum moerentis animi fastidium, aliquid de pristina vitae consuetudine remittere, et mundanam sequi rationem instituerit; sed quum a terrenis rebus animi potius augeretur moeror et tristitia quam levaretur angustia, ita supra modum gravata est ut taederet etiam vivere, et in se ipsa responsum mortis haberet. Ast in se reversa ad Confessarii pedes sese pro-

stravit; dum illius oculis divinae lucis lumen subito affulsit, et doloris simul atque amoris vulnere percussa parum abfuit quin prolaberetur in terram. Hanc subitam perfectamque Conversionem, quam gratissimam sibi fore coelesti charismate Christus significavit, cupiens Clerus Ianuensis, ad ceterorum exemplum, tam in Civitate quam in Dioecesi peculiari Festo recolere, apud S. R. C. supplex fuit ut Officium secundo eiusdem S. Catharinae indulgere dignaretur, quod profecto novum in Sacra Liturgia non foret.

Et Emi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinariis Comitiis congregati, exquisita prius sententia unius et alterius ex RR. PP. Consultoribus Theologis, auditoque R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore; omnibus etiam, quae in contrarium a Procuratore et Advocato disserte admodum allata sunt, expensis, cribratis matureque examinatis, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Augustini Rivarola Ponentis, rescribendum censuerunt: « Negative; et amplius ». Atque ita rescripserunt. Die 16 Decembris 1828.

2668. ANDRIEN. (4647)

Capitulum Cathedralis Civitatis Andrien. una cum Clero et populo exponebat quod ab immemorabili Feria VI in Parasceve, expleta Missa Praesanctificatorum, quaedam sacra Particula includitur in apposita urna decenter ornata, quae a quatuor Sacerdotibus pedibus discalceatis processionaliter per Civitatem fertur cum magno populi concursu et devotione. Cum vero Episcopus Andrien. hanc Processionem prohibuerit, Capitulum, Clerus et populus ad S. R. C. recursum habuerunt, ut, stante immemorabili consuetudine et etiam more in Dioecesi Tranen. et Barolen. et alibi vigente, favorabile Decretum benigne concedere dignetur.

Emi et Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, in Congregatione ordinaria ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, rescribendum censuerunt: « Scribatur Episcopo, laudando Decretum ab ipso latum de Processionis abolitione; idemque in posterum omnino servetur ». Die 16 Decembris 1828.

2669. MEXICANA. (4648)

Andreas Fernandez Decanus Metropolitanae Ecclesiae rogavit a S. R. C. sequentem praxim diiudicari:

1. Ab immemorabili, Feria VI in Parasceve Sacerdos Cappellanus, Stola albi coloris utens, aperit capsulam, accipit SS. Sacramentum et illud tradit Diacono, qui postea dat ad manus Celebrantis. Magister autem Caeremoniarum hoc anno, quadam P. Merati sententia fretus, statuit Sacerdotem in casu debere uti Stola coloris nigri.

2. Dubitatur an Sacerdos vel Diaconus, qui SS. Sacramentum exponit vel reponit, debeat necne uti velo humerali. In Mexicanae Civitatis Ecclesiis diversimode agitur: sed in Metropolitana semper exponit vel reponit SS. Sacramentum Sacerdos Cappellanus, qui in plano Presbyterii tradit Diacono; et hic, absque velo humerali, super Altare reverenter collocat.

S. R. C., infrascripto Secretario referente, respondit:

Ad 1. « Excluso Cappellano, Calix extrahatur et deponatur a Diacono, iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Si Tabernaculum est in eodem Altari, velo humerali non est opus; si diverso in altari extaret Tabernaculum, velum humerale est adhibendum ».

Die 16 Decembris 1828.

2670. BAREN. (4649)

Honoris insignia, et ea potissimum quae ad Divinum Cultum, Sacrae rei decorem et Sacerdotum dignitatem promovendam amplificandamque maxime conferebant, a Summis Pontificibus larga manu nonnullis Ecclesiis attributa, propter innumeros qui irrepserant abusus, s. m. Pius VII Constitutione quae incipit: *Decet Romanos Pontifices* ea omnia in universum certis limitibus ita cohibuit, ut singulis Canonicorum Capitulis, quae amplioribus privilegiis se aucta fuisse arbitrarentur, peculiaria sua iura in Sacra Rituum Congregatione deducendi potestatem adiecerit, ut quod a Canonicarum Sanctionum praescripto declinare visum esset, opportune decerneretur. Eapropter et Barensis Metropolitana Ecclesia, quae sibi fuerant diversis temporibus ab hac Sancta Apostolica Sede indulta, illico deposuit. Quum autem penes populum mutatio isthaec admirationem dissensionemque conciliaret, hodiernus Rmus Archiepiscopus, dum ab Ecclesia Cathacensi ad Barensem Metropolitanam esset evectus, a s. m. Leone XII oretenus impetravit, ut suae Cathedralis Canonici in usu omnium privilegiorum, siculi ante memoratam Constitutionem, libere perseverarent. Illi itaque Canonici licite plenissimoque iure Pontificalibus privilegiis hodie

utuntur. Cupientes vero recensitae Constitutionis praescriptum non declinare, praefataeque novae concessionis authenticum in Archivio futuris temporibus successoribusque Canonicis monumentum asservare, Sacrae Rituum Congregationi supplices enixasque porrexit preces idem Rmus Baren. Archiepiscopus cum Metropolitanae Capitulo, postulans privilegiorum omnium legitimam confirmationem.

S. R. C., ad Vaticanum in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata, omnibus mature perpensis, consideratisque allatis documentis, rescribendum censuit: « Pro gratia confirmationis, excepta mitra auro contexta; et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ». Die 19 Decembris 1829.

Facta autem de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VIII Pontifici Maximo per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit et confirmavit in omnibus; adeo ut in posterum Metropolitanae Ecclesiae Barensis Canonici licite uti valeant Pontificalibus, sicuti ante memoratam Constitutionem, in ecclesiasticis functionibus, excepta tantum mitra auro contexta. Die 23 Decembris 1829.

2671. CATANIEN. (4650)

Sodalitas SSmi Sacramenti erecta in Collegiata Ecclesia Civitatis *Aci-Reale* in Dioecesi Cataniensi expostulavit facultatem decantandi Missam de Requiem cum SSmo Sacramento exposito in Altare laterali.

Et S. R. C. rescripsit: « Obstat Instructio Clementis XI; nec non Decreta Sacrorum Rituum Congregationis ». Die 19 Decembris 1829.

2672. FLORENTINA. (4651)

Director Calendarii Ordinis Capuccinorum Provinciae Florentinae Fr. Paulus ab Apua sequentia dubia discutienda, enodanda et resolvenda Sacrae Rituum Congregationi proposuit, videlicet:

1. An tempore Sacrosancti Missae Sacrificii in administratione Viatici, praesertim in Xenodochiis, liceat ab Altari recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Psalmum *Miserere,* ut fieri solet extra Missam?

2. Utrum tempore etiam Sacrificii Missae administrari possit SSmum Viaticum in paramentis nigris.

3. Quum occasione mortis alicuius Episcopi praescribat Caeremoniale Episcoporum lib. 2, c. 38, § 27, quod ipso sepulto, preces pro opportuna electione Deo fundantur; quaeritur: Utrum haec Collecta pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem Consecrationis, an electionis tantum?

4. An Festum S. Ioachim Patris Beatae Mariae Virginis in concurrentia Festi alterius Sancti aequalis ritus considerari possit ut Patriarchae, an simplicis Confessoris?

Et S. R. C., accepta in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac re mature diligenterque discussa, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad Psalmum *Miserere* recitandum. Insuper animadvertendum, quod si Celebrans pro Viatici administratione intra Missam Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti ».

Ad 4. « Quum Festum S. Ioachim pertineat simpliciter ad Festa Confessorum, in aequali ritu observari debere Rubricam de concurrentia Festorum ».

Atque ita respondit. Die 19 Decembris 1829.

2673. HISPALEN. (4652)

Moniales Spiritus Sancti Ordinis Sancti Spiritus in Civitate Hispalen. rogarunt pro facultate retinendi Pallium coloris rubri in Altari, in quo exponitur SSmum Sacramentum, Dominica Pentecostes et duabus sequentibus Feriis.

Sacra R. C. respondit: « Obstant Decreta ». Die 19 Decembris 1829.

2674. VELITERNA. (4654)

Sacrae Rituum Congregationi sequens proposuit dubium Eques Colonnesi Veliternus: Cum a s. m. Pio Papa VII facultatem obtinuit pro se ceterisque de familia aditum aperiendi e propriae domus viridario ad Ecclesiam publicam S. Apolloniae, ibique Sacrum audiendi; quaeritur: Utrum Sacrosanctum Missae Sacrificium in praecepti adimplementum valeat etiam pro aliis inquilinis ibi morantibus?

S. R. C. respondit: « Strictim servetur privilegium ». Die 19 Decembris 1829.

2675. VICEN. (4655)

Inter postulata a Rmo Episcopo Vicen. in Visitatione ad Limina transmissa unum

extat, quo ipse iure conqueritur de confusione colorum in paramentis Sacrosancto Missae Sacrificio aliisque ecclesiasticis functionibus deservientibus, quae etiamsi Sacris Ritibus opposita, in dicta tamen Civitate et in ceteris Episcopatus Ecclesiis conspicitur. Huic propterea abusui providere, imo de medio illum tollere volens, humillime supplicavit idem Episcopus pro opportuno remedio.

Et S. R. C., in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacto, respondendum censuit: « Serventur omnino Rubricae Generales, facta tamen potestate Episcopo indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumentur ». Die 19 Decembris 1829.

2676. GERUNDEN. (4656)

R̃mus Episcopus Gerunden. in relatione status suae Ecclesiae ad Sacram Congregationem Concilii transmissa sequens proposuit Postulatum: Usque ab Anno 1308 in hac Ecclesia Cathedrali Matutinum Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, vespere prima Vigilia Noctis decantatur, et circa auroram dicitur prima Missa, quae iuxta Ecclesiae ritum videtur mihi continuo post Matutinum debere celebrari. Eapropter precor VV. EE. ut indicetis mihi quid circa hanc praxim decernendum?

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria responsum fuit: « Serventur Rubricae Missalis; et Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem ». Die 3 Aprilis 1830.

2677. BAREN. (4657)

Quamvis per Decretum diei 19 Decembris superioris anni 1829 a S. R. C. prolatum, atque a SS̃mo Domino Nostro Pio VIII Pontifice Maximo sub die 23 recensiti mensis et anni confirmatum, privilegia omnia Capitulo Metropolitanae Barensis diversis temporibus a Summis Pontificibus concessa sarta tecta fuissent; quum tamen exceptio in eodem inserta quoad mitram auro contextam aliquid impedimenti et Capitulo et privilegiis ipsis afferre videretur, quoniam eiusdem Capituli Canonici amplioribus privilegiis et gratiis se auctos fuisse arbitrentur; propterea exhibitis denuo Apostolicis Litteris sub forma Brevis expeditis a s. m. Pio Papa VII sub die 18 Novembris 1819, ab eadem Sacra Rituum Congregatione expostularunt usum mitrae auro contextae, seu filo serico flavo aurea *lamella* intextae ac *ormisino* etiam serico eiusdem flavi coloris subsutae, sibi non esse denegandum.

Et S. R. C., ad Quirinale in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Card. Petri Francisci Galleffi Ponentis, iuribus de novo productis ad tramites Constitutionis: *Decet Romanos Pontifices* eiusdem Pii Papae VII attente diligenterque libratis, consideratisque allatis documentis, ac praesertim informatione et voto Rm̃i Baren. Archiepiscopi, rescribendum censuit: « Ad mentem »; et mens est: « ut solus Celebrans utatur mitra ad formam concessionis s. m. Pii Papae VII, absente Episcopo ». Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 17 Iulii 1830.

Super quibus omnibus facta postmodum SS̃mo Domino Nostro Pio Papa VIII Pontifici Maximo per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit. Die 22 Iulii 1830.

2678. ROMANA (4659)
SEU ORDINIS CISTERCIENSIUM.

Spiritus intelligentiae replevit Dominus Deus ad fidelium exemplum et instructionem Sanctum Bernardum Claravallensem Abbatem, qui mentis acumine, suavitate morum ac sacrarum Litterarum peritia excellens, tamquam imbres emisit eloquia sapientiae suae, quum tot volumina ediderit, Apostolicam Sedem Summosque Pontifices studio et ardore maximo contra Schismaticos adiuverit ac debacchantium ea aetate Novatorum errores, voce et calamo oppugnaverit atque extinxerit. Licet vero pluribus abhinc seculis, et viginti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte, ab Alexandro III sanctitate vitae miraculisque cognitis inter Sanctos Coelites adscriptus fuerit eiusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen desiderabat inter Ecclesiae Doctores Sanctum Bernardum referri, ac per totum Orbem haberi, Monachorum Cisterciensium Ordo, cuius propagator ac decus praecipuum Sanctus Abbas refulsit. Plures insuper Cardinales Patres eiusdem erga Ecclesiam merita recensentes cum iisdem Cisterciensibus a SS̃mo Domino Nostro Pio Papa VIII postularunt, ut S. Bernardi Abbatis Festum cum Officio et Missa de Communi Doctorum celebrandum decerneret. Huiusmodi precibus, in Ordinario Sacrorum Rituum Conventu in Quirinali Palatio habito die 18 Iulii 1829,

relatis ab Rmo Cardinali Iulio Maria De Somalea iam Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ceteri Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi simul omnes proclivem animum ostenderunt. Attamen SSmus Dominus, Sacrae Rituum Congregationis morem servandum in omnibus ratus, si quid obiici posset, id per Sanctae Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri voluit. Quibus quum Responsiones subiecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17 Iulii 1830, in Quirinalibus Aedibus, referente Emo et Rmo Cardinali D. Placido Zurla Urbis Vicario, re diutius perpensa solutisque obiectis omnibus, ea fuit unanimis Rmorum Cardinalium sententia; nimirum: « Pro gratia confirmationis Tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum et Epistola secundo loco pro Ecclesia universali, ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei et ad D. Secretarium cum SSmo ». Die 17 Iulii 1830.

Horum omnium et singulorum facta SSmo Domino Nostro Pio VIII Pont. Max. per infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum in omnibus approbavit et confirmavit, atque hac desuper re per Apostolicas Litteras in forma Brevis expedire iussit. Die 23 Iulii 1830.

PIUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod unum ad Divi Bernardi Claravallensis Abbatis honorem et laudem plene cumulateque amplificandam maxime pertinere videbatur; quod erat in votis inclyto Monachorum Cisterciensium Ordini, de hac S. Sede semper optime merito, cuius propagator ac decus praecipuum S. Abbas memoratus refulsit; quod erat optandum ab universa Catholica Ecclesia, cui mentis illius acumine, suavitate morum ac sacrarum Litterarum peritia maxime fuit adiumento, quum tot ipse volumina ediderit, Apostolicam Sedem Summosque Pontifices studio et ardore maximo contra Schismaticos adiuverit, et debacchantium ea aetate Novatorum errores voce et calamo oppugnaverit atque extinxerit, ac quoscumque Romanae Ecclesiae osores sua doctrina retuderit; quod VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sollicitabant preces, id, divino disponente consilio, Humilitati Nostrae perficere datum est. Licet enim pluribus ab hinc seculis, et viginti tantum annis elapsis a pretiosa illius morte, a fel. rec. Alexandro PP. III Praedecessore Nostro, sanctitate vitae miraculisque cognitis, albo Sanctorum fuerit ipse adscriptus, eiusque cultus in Ecclesia amplificatus, adhuc tamen eius virtutum meritorumque coronae aliquid fulgoris erat addendum, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus iam appellabatur, supremo huius Sanctae Sedis Decreto in universa Ecclesia confirmando. Quamvis autem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus tuendis Praepositi in Ordinario Conventu in Quirinali Palatio habito die 18 Iulii anno 1829, referente clar. mem. Cardinali Iulio Maria de Somalia iam Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, petitae confirmationi tituli Doctoris simul omnes proclivem animum ostendissent; Nos nihilominus, suspenso huiusmodi iudicio, Sanctae huius Sedis morem servantes, si quid obiici posset, id per S. Fidei Promotorem appositis Animadversionibus in medium proferri mandavimus. Quibus quum responsiones subiecissent Postulatores in Ordinario Conventu diei 17 Iulii currentis anni in Quirinalibus Aedibus, referente dilecto Filio Nostro Placido S. R. E. Cardinali Zurla nuncupato, Nostro in hac Alma Urbe Vicario in spiritualibus Generali, re diutius perpensa, solutisque obiectis omnibus, ac eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalium sententiis consentientibus, Rescriptum pro gratia confirmationis tituli Doctoris cum Officio et Missa de Communi Doctorum et Epistola secundo loco pro Ecclesia universali die dicta datum, confirmandum esse censuimus ac Litteras Apostolicas hac desuper re expediri mandavimus. Quapropter precibus totius Ordinis Monachorum Cisterciensium, quibus plures dignitate ac pietate praestantes Viri sua studia ac postulata iunxerunt, benigne annuentes, de eiusdem Cardinalium Congregationis consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris, quo Divus Bernardus Abbas est hactenus in dicto Ordine et in aliquibus Ecclesiis appellatus, confirmamus, et quatenus opus sit, denuo ei attribuimus; ita quidem, ut in universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur, et in anniversario die Festo, tum a Regulari tum a Seculari Clero celebrando, Officium ac Missa fiat de Communi Doctorum et cum Epistola secundo loco, quae incipit: *Iustus etc.* cum additione VI Lectioni et Martyrologio iuxta Decretum eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis. Ac propterea huius Doctoris

Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis Christianisque exercitationibus citari, proferri, atque cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus. Tandem ut Christifidelium devotio ad huius Doctoris diem Festum colendum eiusque opem pie implorandam eo magis accendatur, quo ex hoc coelestis gratiae dono se uberius conspexerint esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui die Festo eiusdem Doctoris vere poenitentes et sacramentali Confessione praemissa, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et unam ex Ecclesiis Ordinis Cisterciensium a primis Vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei devote visitaverint, ac pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias inibi ad Deum preces, prout sua cuique suggeret devotio, effuderint; plenariam omnium peccatorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, declarantes hanc praesentem Nostram concessionem perpetuo duraturam et sub quibusvis indulgentiarum revocationibus vel limitationibus nullo modo comprehendi. Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis, per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis et Dioecesibus solemniter publicari et ab omnibus personis Ecclesiasticis Secularibus et quorumvis Ordinum Regularibus ubique locorum et gentium inviolate perpetuo observari procurent. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel Procuratoris Generalis dicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 20 Augusti 1830, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

I. Card. Albani.

2679. IANUEN. (4661)

Capitulum, Clerus et Seminarium Civitatis Clavarensis Dioecesis Ianuen. Sacrorum Rituum Congregationi humillime supplicat, ut sequentia dubia declarare dignetur:

1. Utrum Seminarium in publicis Processionibus incedere debeat immediate post Crucem Collegiatae ante Presbyteros Civitatis ceterosque Clericos adventitios, vel potius immediate ante Capitulum Cathedralis?

2. An censeri debeant Professores Seminarii unum et idem Corpus efformare cum Clericis Seminarii in publicis Processionibus?

3. An Professores praedicti, qui sunt simplices Sacerdotes, ius habeant in Processionibus incedendi post Seminarium immediate ante Capitulum Collegiatae; vel potius incedere debeant cum aliis Presbyteris Civitatis et adventitiis absque ulla praecedentia?

Et S. R. C., ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, respondit:

Ad 1. « Detur Decretum in una Nuceriae Paganorum diei 19 Ianuarii 1704 ».

Ad 2. et 3. « Negative, quia nullibi adest consuetudo ».

Et ita rescribendum censuit. Die 17 Iulii 1830.

2680. AESINA. (4664)

In Bulla erectionis Collegiatae Ecclesiae loci Cuprae Montanae, vulgo *Massaccio,* intra fines Dioecesis Aesinae haec habentur: « Canonici rochettum cum suis manicis et mozzettam violacei coloris, tam in dicta Parochiali Ecclesia quam extra eam..... quibuscumque actibus et functionibus publicis et privatis..... deferre et gestare..... libere et licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat ». Ex illimitata Bullae enunciatione usque ab Anno 1778, in quo Collegiata erecta fuit, Canonici cum rochetto et Stola Sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae administrare coeperunt; et Archipresbyter, qui est unica Collegiatae Dignitas, rochetto, mozzetta et Stola indutus domorum benedictionem in Sabbato Sancto perficit. Hisce positis, alter ex Canonicis Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit pro declaratione: An stante

illimitata concessione, tum Canonici tum Archipresbyter perseverare queant in invecta consuetudine?

Sacra autem Rituum Congregatio ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit: « Negative ». Et ita rescripsit ac servari mandavit. Die 16 Aprilis 1831.

2681. BONONIEN. (4665)

Sacrorum Rituum Congregationem requisivit Emus et Rmus Dom. Cardinalis Opizzoni Archiepiscopus Bononien. pro sequenti declaratione; nimirum: Anne quum per Breve s. m. Pii VIII Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis accenseatur inter Sanctos Doctores, in Litaniis Sanctorum de eodem mentio fieri debeat inter Sanctos Doctores, vel retinendus ipse sit inter Sacerdotes et Levitas?

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die habito, respondendum censuerunt: « Nihil innovandum ». Die 16 Aprilis 1831.

2682. MARSORUM. (4669)

In suo pastorali munere exercendo Rmus Marsorum Episcopus quamplurima animadvertit ad ritus et caeremonias spectantia, quae potius privatam interpretationem redolerent, quam servarentur iuxta leges Caeremonialis et Rubricas; atque ut hunc privatum sensum de medio tolleret, et ab universo suae Dioecesis Clero quoad omnia idem ordo eademque agendi ratio exquireretur, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit:

1. Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines Sacros diebus Festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? hisce autem diebus licet ne conferre etiam Ordines minores?

2. In Ordinatione Clericorum, antequam Tonsurandi nominatim vocentur a Notario, debet ne Archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant, qui promovendi sunt ad Tonsuram?*

3. In collatione primae Tonsurae legitur in Pontificali: *Quilibet quum tondetur dicit: Dominus pars etc.* Haec verba suntne proferenda etiam ab Episcopo?

4. Pontificale praescribit quod, completa Ordinatione, Ordinati, suggerente Archidiacono, recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debet Archidiaconus hisce occasionibus?

5. Quando Ostiarius, Archidiacono comitante, claudit et aperit fores Ecclesiae, debet ne claudere et aperire etiam cum clavi; praesertim si in foribus Oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit clavis?

6. *Amen,* quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum in Ordinatione, dicendumne est ab ipso Ordinando, vel ab adstantibus?

7. An Ordinatis Episcopo candelam offerentibus post Offertorium, tolerari possit usus ut una tantum candela accendatur, quae a singulis Ordinatis Episcopo offeratur?

8. In Ordinatione unius Subdiaconi legitur in Rubrica: *Quatuor candelabra cum cereis etc.* Quot ergo candelae in Altari sunt accendendae, si Missa Ordinationis non fiat in cantu?

9. Pariter si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debent ne cantare, vel legere Epistolam et Evangelium; et quando?

10. An Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione dicere debeant *Confiteor,* ante vel postquam communicati sunt Presbyteri?

11. Si ordinatio Presbyteri fiat in cantu, Praefatio et alia quae cantantur ab Episcopo, quomodonam dicenda sunt ab Ordinatis?

12. In Pontificali legitur: *Ordinati ad Presbyteratum dicant Evangelium in fine Missae.* — Dicere ne debent una cum Episcopo ad suam Sedem redeuntem, an ex se solis?

13. Quando sermo post Evangelium sit habendus, legitur in Caeremoniali lib. 1, cap. 22, § 3. Concionatori Indulgentias petenti, Episcopus concedit Indulgentias consuetas. Quibusnam eas verbis concedere debet?

14. Finito sermone praescribit idem Caeremoniale ibidem cap. 25, § 1: *Diaconus qui cantavit Evangelium stans ante infimum, vel in supremo gradu Altaris....... cantat Confessionem:* In libro 2, vero cap. 39, § 1, legitur: *Statim finito sermone Diaconus stans ante infimum gradum Solii.... cantabit Confessionem.* Quaeritur primo: An liberum sit Diacono in Confessione cantanda stare vel ante infimum gradum Solii, vel in supremo aut in infimo gradu Altaris? Quaeritur secundo: An dicta benedictio semper danda sit ab Episcopo, etiam quando, finita Missa, debet dare benedictionem Papalem? Quaeritur tertio: An si Episcopus

assistat cum cappa debeat stare cum bireto, vel sine bireto, dum cantatur Confessio? Quaeritur quarto: An si Episcopus assistat cum cappa debeat stare cum bireto, vel sine bireto, dum a Presbytero assistente incensatur?

15. Dum Episcopus, Missae per alium cantatae assistens, Missam cum Celebrante incipit ante infimum gradum Altaris, Presbyter assistens et Diaconi assistentes ubinam stare, et quid agere debent?

16. In Communione Ordinandorum, si communicentur etiam Ordinati in Minoribus, Episcopus uti ne debet ad istos forma: *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat Animam tuam in vitam aeternam;* an dicere: *custodiat Te etc.*

17. Praestita a Presbytero ordinato in fine Missae obedientia, Pontificale Episcopo iniungit ut eum osculetur. Quomodonam ista deosculatio est facienda?

18. Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 36, § 1, iniungit Episcopo ut memoriam habeat praedecessoris sui proxime defuncti. Quidnam, si proximus Praedecessor translatus sit ad aliam Ecclesiam?

19. An Episcopus semper debeat manu benedicere Canonicis ceterisque de Clero, qui in sacris functionibus ei reverentiam faciunt?

20. Quum Episcopus diebus Festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur: An Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam Conventualem pro benefactoribus cantare et quando?

21. Debent ne Episcopi et Sacerdos concionem habentes adhibere Stolam?

22. Episcopi tenentur ne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio?

23. Vicarii Capitulares tenentur ne ad hanc Missae applicationem, Sede vacante?

24. Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 38, § 3, iniungit Episcopo aegrotanti, ut antequam communicet, profiteatur Catholicam fidem ex formula ab Apostolica Sede praescripta. Quaeritur quaenam sit ista formula?

25. Cadavera Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque de Clero debent ne sepeliri cum vestibus proprio Ordini congruentibus; an sufficit ut cum his in Ecclesia exponantur? (1)

26. In Festis solemnibus quae occurrunt in Feriis Quadragesimae, licet ne continuare usum canendi Missam de Feria post Tertiam; et Missam de Festo, cui assistit Episcopus, post Nonam circa meridiem?

27. Aliqui Rubricistae volunt quotiescumque nomen Iesu nominatur in Missa, vel dicitur *Gloria Patri,* vel acceditur ad medium Altaris, vel ab ipso receditur, caput Crucis esse inclinandum: alii sentiunt huiusmodi inclinationes tunc tantum faciendas quum a Rubricis praescribuntur. Quaeritur quandonam huiusmodi inclinatio sit facienda?

28. Quum Rubricae clare non loquantur, quaeritur quando in Missa et in Officio facienda sit reverentia simplex, quando mediocris et quando profunda, tam in Sacristia quam in Altari?

29. Aliqui Rubricarum Expositores dicunt, post signum Crucis quod fit in fine *Gloria in excelsis, Credo* et *Sanctus,* manus esse iungendas, etiam si nihil huiusmodi praescribant Rubricae. Quaeritur: Estne sequenda istorum opinio?

30. Rubrica Missalis de Ritu servando in celebratione Missae, Tit. VII, postquam n. 9 dixit quod Subdiaconus ante medium Altaris sustinere debeat Patenam, numero autem 11 praescribit ut ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad Altare ad dicendum *Sanctus etc.* An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non accedit?

31. Ubi cantus Chori non producitur usque ad elevationem Hostiae, *Benedictus qui venit etc.* cantari ne debet post elevationem; an immediate post primum *Hosanna in excelsis*?

32. An Festum Titularis Cappellarum publicarum et Oratoriorum, quae existunt in Aedibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium domibusque privatis, celebrari debeat sub ritu dupl. primae classis cum *Credo* et octava?

33. Si alicui Ecclesiae consecratae nullus Clerus sit addictus, debet ne aut potest Clerus Ecclesiae parochialis, intra cuius fines Ecclesia illa existit, recitare Officium Missamque celebrare in Anniversario Dedicationis Ecclesiae cum octava?

34. In Cathedralibus, Collegiatis et parochialibus Ecclesiis Crux Altaris, in quo Missa Conventualis vel Parochialis celebratur, tegi ne debet ipsa Dominica Passionis

(1) E. Dub. 26, 31, 39, 46, 55 et 56.

post Evangelium, an Sabbato praecedenti? Dicitur enim in Cappella Pontificia post Evangelium in Dominica Passionis legi.

35. In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus, quum Rubrica clare non loquatur, quaeritur: Quanam Missa legenda sit in Processione Sancti Marci ac Rogationum, praesertim si occurrat Officium duplex?

36. In benedictione candelarum, cinerum et palmarum dicit Rubrica Missalis: *Ter aspergit.... aqua benedicta.... ter adolet incenso;* et sic legitur in Caeremoniali Episcoporum. Item Rituale Romanum in Rubrica de exequiis dicit: *circumiens feretrum aspergit corpus defuncti, et corpus incensat ut asperserat.* Similia leguntur in Caeremoniali Episcoporum. Nihil autem dicitur an praedictae aspersiones, sicut et aspersio quae fit diebus Dominicis, faciendae sint cum aspersorio per modum Crucis ut praescribitur in Rituali Romano pro benedictione mulierum post partum; vel alio modo? Similiter in iis locis, sicut et in thurificatione Sanctissimi Sacramenti expositi, Crucis, Reliquiarum, Altaris et Evangelii in Missa solemni nil dicit Rubrica, an tres thuribuli ductus debeant esse simplices, vel duplicati. Hinc quaeritur quomodonam facienda sit tam aspersio quam thurificatio, quum praxis videatur arbitraria?

37. Si Officium quod die fixa celebratur in aliqua Dioecesi, per Sedem Apostolicam ad aliam Dioecesim extendatur, quaeritur: Potestne aut debet celebrari eadem die, amoto Officio Ecclesiae universalis? et in casu negativo, quid faciendum si talis amotio ab annis iam facta fuerit?

38. Civitates et Oppida, quae iam habent Patronum principalem, debent ne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu duplicis primae classis cum octava; et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine?

39. Quum duo vel plures Officium divinum privatim recitant, debent ne ad *Confiteor* omittere verba illa *vobis fratres* et *vos fratres: misereatur tui* et *misereatur vestri,* sicut quando unus tantum illud recitat?

40. Aliqui in recitatione divini Officii, tam in Choro quam privatim, signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant etiam in his locis in quibus Rubrica nec Missalis nec Caeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo: Quandonam haec omnia sint facienda, tam in publica quam in privata divini Officii recitatione?

41. An Preces Feriales et Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis, non solum in Choro, sed etiam in privata Officii recitatione, flexis genibus sunt recitandae? An vero damnandi qui in privata recitatione hanc genuflexionem omittunt?

42. Iuxta Rubricam Breviarii tit. XXXVI, num. 3 et Decreta Sacrae Rituum Congregationis, Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis praeter tempus Paschale dici debet stando omnibus diebus Dominicis infra annum, a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum solis ipsius Dominicae. Quaeritur 1. A qua hora Sabbati incipiant primae Vesperae, tam in Quadragesima quam aliis temporibus? 2. An hic occasus solis possit intelligi usque ad crepusculum vespertinum more Indulgentiarum? 3. An a primis Vesperis Sabbati usque ad occasum solis in Dominica semper standum sit, etiamsi non recitetur Officium Dominicae, sed vel Sabbati vel Feriae secundae? 4. Utrum sit genuflectendum, si post occasum solis Officium Dominicae recitetur?

43. Varia sunt Officia quae Hymnos proprios habent. Si quis Hymnus neque in Vesperis neque in Laudibus possit recitari, potest ne aut debet uniri Hymno Matutini uti fit in Festo Sanctae Martinae, ad hoc ut omnes Hymni proprii recitentur?

44. In Festo Sanctae Pulcheriae in aliquibus Breviariis Lectiones primi Nocturni assignantur *De Virginibus,* in aliis de Scriptura occurrente. Quaeritur: Quae sint recitandae, si in Breviariis ipsis nullā reperiatur concessio?

45. In aliquibus Breviariis et Missalibus Oratio Sancti Iuliani et Sancti Fidelis a Sigmar. Mart.: Postcommunio Sancti Ioannis Nepomuceni, Sancti Bernardini, Sancti Hieronymi Aemiliani, Sanctae Ioannae Franciscae, Sancti Ianuarii, Octavae Passionis Domini Nostri Iesu Christi, Feriae IV post Dominicam secundam Quadragesimae in Vesperis concluduntur: *in unitate Spiritus Sancti.* Quaeritur: An nomen *Spiritus* quod in iis Orationibus legitur indicet revera Spiritum Sanctum; et ideo quomodo sint concludendae?

46. Quando quis, itineris vel studii vel aliis de causis, extra Patriam sive Dioecesim versetur, debet ne recitare Officium sui Capituli, Ecclesiae et Beneficii, vel etiam simpliciter Dioecesis; an vero Officium illius loci in quo reperitur?

47. Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, tam expositi quam in Tabernaculo reconditi, debet ne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris?

48. Quum Celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito debeat thurificare et lavare manus extra Altare; debet ne stare in plano Presbyterii, an in supremo gradu Altaris?

49. Genuflexio, quae fit coram Sanctissimo Sacramento exposito, tam in Missa quam in Oratione Quadraginta Horarum ceterisque functionibus, quandonam fieri debet unico genu et quando utroque, tum a Celebrante tum a Ministris, vel ab alio qui exponit et reponit?

50. Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quae pro colore albo, rubeo, viridi et violaceo utuntur paramentis, vel flavi coloris vel mixtis diversi coloris floribus? praesertim si colores a Rubrica praescripti in floribus reperiantur. In Rubrica Missalis Fratrum Ordinis Praedicatorum num. 6. legitur: *In diebus vero illis solemnibus...... uti possumus pretiosioribus paramentis cuiuscumque sint coloris, dummodo non sint nigri.*

51. Sunt multi Hymni qui habent conclusionem propriam. Conclusio ista semper ne adhibenda est etiam in Completorio?

52. Stante antiqua consuetudine, potest ne permitti ut Statua Virginis Dolorum possit exponi in Altari Feria VI post Dominicam Passionis, et deferri cum Christo mortuo in Processione, quae fieri solet Feria VI in Parasceve?

53. Crux quae Feria VI in Parasceve est detegenda et adoranda, debet ne esse lignea; an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur?

54. In ultimo maioris Hebdomadae triduo removenda ne est a vasis Ecclesiae aqua benedicta?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Petri Francisci Galleffi Ponentis, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scriptis reddita praeloque cusa, et omnibus mature libratis ac rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; et etiam ad secundam, sed mane tantum ».

Ad 2. « Potest, iuxta morem generalem ».

Ad 3. « Proferat Episcopus, iuxta morem ».

Ad 4. « *Ad loca vestra*, vel similibus ».

Ad 5. « Non est stricte necessarium ».

Ad 6. « Iuxta consuetudinem, ab Ordinando ».

Ad 7. « Affirmative ».

Ad 8. « In Ordinatione privata possunt accendi quatuor cerei, ut in Rubrica; sed in Ecclesia et publica Ordinatione septem, ut in Missa Pontificali ».

Ad 9. « Legant, dum Episcopus legit ».

Ad 10. « Post Communionem Presbyterorum ».

Ad 11. « Sine cantu legenda ».

Ad 12. « Una cum Episcopo ».

Ad 13. « Satis est ut dicat numerum dierum ».

Ad 14. « Ad Quaestionem 1: Negative, sed stabit ante gradum Solii, celebrante Episcopo; ante gradum Altaris, assistente tantum Episcopo. Ad Quaestionem 2: Negative, quando in fine impertienda est populo Papalis benedictio. Ad Quaestionem 3: Iuxta Caeremoniale, capite cooperto. Ad Quaestionem 4: Sine bireto ».

Ad 15. « Presbyter assistens cum aliis Canonicis; Diaconi vero assistentes a tergo Episcopi et Celebrantis ».

Ad 16. « Affirmative, ad primam partem; negative, ad secundam ».

Ad 17. « Dextera vultus pars deosculanda est ».

Ad 18. « Memoriam habeat illius Episcopi, qui decessit Cathedram tenens ».

Ad 19. « Debet dum ascendit ad Thronum vel ex eo descendit, post Circulos et quotiescumque Canonici collegialiter obsequium praestant Episcopo ».

Ad 20. « Hebdomadarius, vel is cui onus inest Missae Conventualis, illam celebret lectam, ante vel post Missam Pontificalem ».

Ad 21. « Servandam esse immemorabilem consuetudinem ».

Ad 22. « Post adeptam possessionem ».

Ad 23. « Negative ».

Ad 24. « Eadem, quae a Cathedralibus et Superioribus Ecclesiasticis vel Beneficiatis curam animarum habentibus observanda est ».

Ad 25. « Servetur cuiusque Loci consuetudo ».

Ad 26. « Negative; sed Rubricae servandae quoad Horam Solemnis Missae in Choro ».

Ad 27. « Serventur Rubricae ».

Ad 28. « Patebit ex Rubricarum collatione ».

Ad 29. « Serventur Rubricae ».

Ad 30. « Servetur cuiuscumque Loci consuetudo ».

Ad 31. « Cantari debet post Calicis elevationem ».

Ad 32. « Negative ».

Ad 33. « Iuxta Decretum in una Urbis diei 5 Octobris 1697, Negative ».

Ad 34. « Serventur Rubricae, nimirum tegendas esse Cruces et Imagines in primis Vesperis ».

Ad 35. « Si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus de Festo cum commemoratione earumdem ».

Ad 36. « Serventur Rubricae, et praxis communis ».

Ad 37. « Negative, ad primam partem; iterum supplicandum, quoad secundam ».

Ad 38. « Affirmative, ad primam partem, seu continuationem Officii; Negative, quoad secundam seu quoad obligationem utriusque praecepti, iuxta Decreta alias edita ».

Ad 39. « Possunt, sed non debent ».

Ad 40. « Serventur Rubricae ».

Ad 41. « In Choro tantum, iuxta Rubricas ».

Ad 42. « Serventur Rubricae: et ad quaestionem primam, Consulantur Theologi; ad quaestionem secundam, Affirmative; ad quaestionem tertiam, Affirmative; ad quaestionem quartam, Negative ».

Ad 43. « Affirmative, si Hymni sint historici; secus, Negative ».

Ad 44. « Deficiente speciali concessione, serventur Decreta; nimirum Lectiones de Scriptura legendas ».

Ad 45. « Negative, ad primam partem; ideoque quoad secundam: More solito concludendae ».

Ad 46. « Beneficiarii tenentur semper ad Officium propriae Ecclesiae; simplices vero Sacerdotes conformari possunt cum Officio loci ubi morantur ».

Ad 47. « Serventur Rubricae: sed in accessu et recessu, in plano est genuflectendum; in infimo autem gradu Altaris, quoties insuper genuflectere occurrat ».

Ad 48. « Servetur consuetudo: dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento ».

Ad 49. « In accessu et recessu utroque genu; intra Missam unico genu: pro reliquis functionibus consulantur Rubricistae ».

Ad 50. « Servetur strictim Rubrica, quoad colorem Paramentorum ».

Ad 51. « Negative, nisi in Festis Domini et Beatae Mariae Virginis ».

Ad 52. « Iuxta Decretum in Bergomen. diei 21 Martii 1744 permitti potest ».

Ad 53. « Servetur Rubrica Missalis vel laudabilis consuetudo ».

Ad 54. « Affirmative; ac retinenda consuetudo illam amovendi ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 12 Novembris 1831.

2683. PISTORIEN. (4670)

Clerus Secularis Pistorien. Civitatis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit:

1. Quum ex Sacrorum Rituum Congregationis indulto die vigesima Septembris Missa Solemnis celebretur propria de Beata Maria Virgine sub titulo *Humilitatis,* etiam si occurrat aliud Officium ritus duplicis; quaeritur: An occurrente praedicta die 20 Septembris cum Officio Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis aut cum eius die octava, Missa cum cantu celebrari debeat de *Humilitate;* vel de Festo Septem Dolorum?

2. An occurrente die tertia Octobris (in qua ex pervetusta consuetudine celebratur cum cantu Missa Beatae Mariae Virginis Votiva de tempore) cum Solemnitate Sanctissimi Rosarii, Missa decantari debeat de Sanctissimo Rosario; vel Votiva de tempore?

3. Quum Antiphonas maiores Sacri Adventus praeintonare soleant Digniores de Choro, quaeritur: An quando occurrit Officium Feriale, in quo Antiphona maior est illa Cantici *Magnificat,* praeintonari ipsa debeat ab altero ex Dignioribus iuxta ordinem; vel ab Hebdomadario?

Et Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis ac recte consideratis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Detur Decretum in una Bahien. diei 26 Ianuarii 1793 ad secundum dubium; nimirum: Celebrandam esse Missam Festivitatis tamquam non Votivam ».

Ad 2. « Ut in praecedenti ».

Ad 3. « Etiam non obstante consuetudine, in casu de quo agitur, Antiphonam praeintonandam esse ab Hebdomadario iuxta praescriptum a Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 3, § 10; et detur Decretum in una Tropien. die 24 Septembris 1605 ».

Atque ita rescripsit, et servandum esse mandavit. Die 12 Novembris 1831.

2684. PISANA. (4672)

Eo quo praefulget erga divinum cultum zelo atque studio a Tridentina Synodo Praesulibus commisso, eidem promovendo prospicere nitens Rmus Pisanus Archiepiscopus Rubricas omnes et Sacrorum Rituum Congregationis Decreta in sacris functionibus peragendis adamussim servari studet: eo vel magis quod ab Ordinariis Locorum plenissime curandum esse eadem Sacra Congregatio, in una dubiorum diei 17 Septembris 1822 in responsione ad primum, omnino voluit. Quapropter quum in Metropolitana et Primatiali Ecclesia Pisana plures obtineant consuetudines, quae ab immemorabili vel saltem pervetusto tempore ductae existimantur, Ritualibus illius Ecclesiae Legibus plane refragantes, eas in divinis persolvendis Officiis diutius ferri non posse censuit; tum ne illis retentis ecclesiasticis iussionibus iniuria fiat, tum ne inde approbationis suae inferatur argumentum. Ipse autem, utpote religiosissimus non modo sed prudentissimus, verens ne illis omnino eliminatis consuetudinibus, earumdem vetustatem et argumenta a Capitulo petita despicere videatur; nec voluit nec e re sua duxit de iisdem iudicium interponere, sed consultius eidem Sacrorum Rituum Congregationi rem omnem remisit, ac sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi, praetermisso cantu, Laudes in Nocte Nativitatis D. N. I. C.? et quatenus negative,

2. Archiepiscopus, Capituli Pisani nomine, humillime supplicat ut huic indulgeatur facultas Laudes sine cantu legendi post Missam Solemnem in illa Nocte, aeque ac haec eadem facultas die 31 Martii 1821 indulta est Canonicis Sulmonensibus.

3. An ob immemorabilem consuetudinem tolerari debeat usus Laudes post solemne Matutinum sine cantu recitandi in solemnioribus anni Festis? et quatenus affirmative,

4. Utrum idem usus sit ferendus in Festo triennali Sancti Raynerii Pisani Confessoris et Dioecesis Patroni principalis?

5. An ratione memoratae consuetudinis in Festo Assumptionis Beatae Mariae Virginis tolerari queat quod recitatio Laudum omittatur, et privatim tantummodo a paucis Cappellanis, tempore IX Lectionis et Hymni *Te Deum,* eae persolvantur?

6. Utrum ferendum sit ritus quoad numerum, ordinem et locum cereorum seu candelarum in persolvendis Officiis Tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus?

7. Utrum Feria V in Coena Domini servari possit usus denudandi Altaria post *Mandatum,* hora quarta pomeridiana?

8. Utrum probari possit usus obeundae in Sabbato Sancto benedictionis novi ignis et incensi ab alio Sacerdote, licet Missam non celebraturo? et item usus ab eodem, diaconalibus vestibus induto, deferendae Arundinis (vulgo dictae *Lumen Christi*) et canendi Praeconii, etsi in subsequenti Officio et Missa ipse Celebranti non assistat?

9. Utrum ferendus sit usus in Sabbato Sancto infigendi quinque grana Incensi non quidem in Cereo Paschali, sed cuidam Cruci cerae albae ab eo separatae; atque huius muneris obeundi per Chori Cappellanum, sive Sacerdotem sive Diaconum, a Diacono Praeconii seu Missae diversum?

10. Utrum servanda sit consuetudo deferendi praeter Cereum Paschalem duos alios parvos Cereos, ex eo accensos, in supplicationibus, quae in Ecclesia Pisana fiunt, tum in Sabbato Sancto ad obeundam Fontis baptismalis benedictionem, tum quotidie per octo dierum spatium ad eumdem Fontem?

11. Utrum ferri valeat usus aspersionis aquae benedictae, quae fieri debet in diebus Dominicis ante Missam Solemnem, peragi solitae non quidem a Celebrante, sed a Cappellano Chori cum pluviali?

12. Utrum vi assertae consuetudinis immemorabilis liceat Canonico Celebranti uti pulvinari pro genuflectendo coram Archiepiscopo?

13. Utrum Celebrans in Missa Solemni, quum sibi est sedendum dum cantatur *Gloria in excelsis* et *Credo,* pergere debeat ad Scamnum capite operto, et ita redeundo ad Altare; ac utrum ad eos versiculos ad quos sibi est inclinandum, excepto solo versiculo *Et incarnatus est,* contecto pariter capite ei liceat inclinari?

14. Omissum semper fuit Anniversarium pro ultimo Archiepiscopo defuncto, quod ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 36, cura et impensis Capituli quotannis faciendum est. Putant quidam Canonici se ad id non teneri, tum quia omni tempore factum est ita, tum quia decessores Archiepiscopi, si aliquibus cordi fuit hoc annuo suffragio post mortem frui posse, congruos census Mensae Capitulari in perpetuum legarunt?

15. Die decimaquarta Novembris, vel si haec fuerit Dominica, insequenti Feria II, quotannis celebratur Anniversarium cum Missa de Requiem post Nonam pro omnibus Canonicis, Cappellanis et Clericis defunctis ipsius Ecclesiae Primatialis. Eapropter pridie immediate post Vesperas, omisso Responsorio *Fidelium animae,* proceditur ad Coemeterium, ibique cantatur cum Invitatorio Nocturnum Defunctorum, et post III Lectionem dicitur Responsorium: *Libera me Domine;* et fit Absolutio ut in Rituali. Simili modo immediate post Vesperas itur ad Sepulchrum Henrici VII Imperatoris die 24 Augusti; et die 21 Septembris ad Sepulchrum Beatricis Matris Comitissae Mathildis ad faciendam Absolutionem ut supra, quae fieri potius deberet sequenti mane post Missam de Requiem. Haec consuetudo, licet Rubricis Missalis et Ritualis contraria, retinetur ratione suae longaevitatis.

16. Celebrante in Pontificalibus Archiepiscopo, ipsius Crux defertur sine luminaribus a Crucifero, absque Tunicella, habitu chorali tantum induto: Crux vero quae ante Clerum procedit defertur ab Acolyto, iuxta morem Ecclesiae pluviali induto, inter duos Ceroferarios similiter paratos, candelabra accensa portantes.

17. Ad benedictionem Oleorum Feria V in Coena Domini prima Dignitas, nempe Archipresbyter, officium facit Presbyteri assistentis in pluviali: eodemque tempore vices gerit Archidiaconi, cui iuxta Pontificale incumbit sistere se coram Antistite et dicere alta voce: *Oleum infirmorum etc.* Interim Archidiaconus, quum sit secunda Dignitas, officio fungitur Diaconi assistentis cum Dalmatica. Ob praeeminentiam Archipresbyteri propriam, sui iuris esse videtur descripto modo se gerendi in hac sacra actione.

18. Post Missam Pontificalem eiusdem Feriae V duo Diaconi assistentes statim se recipiunt in Secretarium ad deponendam Dalmaticam, et in eorum locum succedunt Diaconus et Subdiaconus Missae Archiepiscopum Sanctissimam Eucharistiam ad Sacellum deferentem comitaturi. Id etiam fieri solet in aliis functionibus Sanctissimi Sacramenti ritu Pontificali ab Antistite celebrandis. Convenientius enim videtur ut interveniant Ministri Amictu et Alba parati, quam super Amictu Dalmatica induti.

19. In Sabbato Sancto Arundo cum tribus candelis (vulgo dicta *Lumen Christi*) amoveri solet ab Altari statim post Prophetias, quum Archiepiscopus accedit ad Ecclesiam, benedictionem Fontis Pontificali more facturus; quae consuetudo retineri posse praesumitur. Quamvis enim generatim praedicta Arundo removeatur dumtaxat post Missam, id non videtur praeceptivum, quum Rubricae omnino sileant.

20. In eodem Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes, post benedictionem Fontis, Archiepiscopus cum Ministris paratis in Ecclesiam reversus, ad Litanias procumbit super faldistorio cum pluviali et mitra; Ministri vero ad eius latera super pulvinaribus procumbunt, quin se exuerint pluviali respective et planetis plicatis. Ratio huius consuetudinis, Rubricarum dispositioni resistentis, ex eo desumitur, quia non videtur decere eosdem Ministros procumbere in solo Amictu super rochetto.

21. In Vigilia Nativitatis Domini, Martyrologium cantatur a Cappellano in habitu chorali tantum sine luminaribus et sine incenso. Haec consuetudo omnino est contraria usui communi aliarum Ecclesiarum, ubi Martyrologium hoc cantari solet ab Hebdomadario cum Stola et pluviali, thure et luminaribus, ideoque non est laude digna.

22. Canonici et Cappellani Ecclesiae Primatialis, itemque Parochi aliique Sacerdotes per Dioecesim, occasione ministrandi Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, induere solent Stolam super cappam et mozzettam aut caputium. Hunc abusum est difficile evellere. Quum enim huiusmodi Presbyteri ex antiquissimo privilegio pro superpelliceo utantur rochetto, continuo conqueruntur, praesertim pauperiores, sibi esse in promptu habendum superpelliceum super rochetto imponendum. Pro Ecclesia vero Conventuali Divi Stephani Papae et Martyris, quum ab iurisdictione Ordinarii non pendeat, nescio quo pacto animadverti possit in consuetudinem huiusmodi. Quaeritur proinde: 1. Utrum Dignitates, Canonici, Parochi et Sacerdotes, tum Ecclesiae Primatialis tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae, adigi debeant ad superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum iuxta Rituale Romanum, deposita cappa et mozzetta vel caputio? 2. Utrum in Ecclesia Conventuali Sancti Stephani Papae et Martyris exempta, Presbyteri ministrantes Sacramenta sine superpelliceo cogi valeant ab Archiepiscopo ad servandam recensitam Ritualis Romani Rubricam?

23. Laudatae Ecclesiae Primatialis Canonici, dum Archipraesulem cappa indutum e propria residentia ad Primatialem acce-

dentem vel ab illius ianua ad propriam domum revertentem comitantur, iuxta obsoletum morem Canonicorum Ravennatensium, bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium et perennis traditio a maioribus accepta; adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa II haec Primatialis Ecclesia in Metropoliticam dignitatem recepta est. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda sit?

24. Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in sacris functionibus ritu Pontificali peragendis, redigi debeat ad limites indulti Pontificii?

Et S. R. C., ad Vaticanum in Ordinario Coetu sub infrascripta die coadunata, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Thomae Weld Ponentis, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa, et omnibus mature diligenterque discussis, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Attentis peculiaribus circumstantiis, in casu de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam Solemnem: Canonicis tamen aliisque de more, aeque ac in aliis diebus, obstrictis ad interveniendum ut lucrentur Matutini distributionem ».

Ad 3. « Affirmative; illis diebus exceptis, in quibus Archiepiscopus, postquam Matutino solemniter peregit, Laudes quoque solemniter celebrare voluerit ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Assertam consuetudinem non esse ferendam; et Laudes in Choro alternatim, solemni Matutino absoluto, recitandas esse ».

Ad 6. « Negative, iuxta modum; ea nimirum in parte, quae Caeremoniali Episcoporum adversatur ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 9. « Negative ».

Ad 10. « Affirmative ».

Ad 11. « Negative ».

Ad 12. « Probetur formiter asserta consuetudo ».

Ad 13. « Negative; atque ita servandum in omnibus aliis Pisanae Dioecesis Ecclesiis, tam exemptis quam non exemptis ».

Ad 14. « Servandam esse dispositionem Caeremonialis ».

Ad 15. « Serventur Rubricae ».

Ad 16. « Servandam esse dispositionem Caeremonialis lib. 2, cap. 8, § 24 et 27: eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus; et Acolytus deferens Crucem Capituli sit cotta indutus ».

Ad 17. « Negative ».

Ad 18. « Serventur in omnibus, etiam in vestibus Diaconorum assistentium, Caeremonialis Episcoporum dispositiones ».

Ad 19. « Servari poterit peculiaris consuetudo, sed consulendum Sanctissimo ».

Ad 20. « Diaconus et Subdiaconus, ut praesto sint ad induendum Episcopum, quum dictum fuerit in Litaniis *Sancta Maria,* surgentes recedant ad Sacristiam, ubi depositis violaceis Planetis, assumant Dalmaticam et Tunicellam albas, nec revertantur ad Altare, nisi quum, absolutis Litaniis, solemnis inchoanda sit Missa ».

Ad 21. « Servari posse solitum, adamussim tamen servatis Rubricis novissimae Martyrologii editioni adiectis; dummodo Archiepiscopus noluerit solemniorem alium inducere ritum ».

Ad 22. « Affirmative, quoad utramque partem ».

Ad 23. « Negative; et servetur omnino Caeremoniale Episcoporum ».

Ad 24. « Affirmative; sed attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro extensione Indulti Archipresbyteri Pisani ad tramites Constitutionis s. m. Pii VII die 27 Augusti 1822 ».

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 12 Novembris 1831.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo fideli relatione, die 18 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Responsa in omnibus approbavit, et benigne annuit pro Apostolica Dispensatione quoad 2, 19 et 24, dubium. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

2685. SABINEN. (4673)

Ortae quum essent nonnullae quaestiones inter Capitulum et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae ex una, atque Parochum Ecclesiae Sancti Hilarii partibus ex altera, Oppidi Ereti Dioecesis Sa-

binen., quoad erectionem Crucis Ecclesiae parochialis in associandis cadaveribus eiusdem Paroeciae, tam si haec essent sepelienda in dicta Parochiali quam si tumulanda in supradicta Collegiata; adeo partes in suis studiis incaluerunt, ut ad rem omnem componendam opus fuerit mutuari praesidium ab Sacrorum Rituum Congregatione. Primitus vero solo exhibito supplici libello nullisque datis allegationibus, Sacra Congregatio, in Ordinario Coetu die 17 Iulii superioris anni 1830, in sensu fuit ut scriberetur Eminentissimo et Reverendissimo Episcopo Sabinen. pro informatione et voto. Dum haec agebantur et quisque pro suo tuendo studio liti necessaria pararet, dissentientibus adhuc animis, in hoc unum convenerunt, ut consuleretur expensis; proptereaque iterum supplicarunt Eminentissimis Patribus Sacris Ritibus tuendis praepositis, ut omni strepitu et forma iudicii sublatis atque sepositis, dignarentur eligere et deputare Iudices Compromissarios seu Arbitros, ad controversias easdem librandas definiendasque, dato etiam authentico testimonio ab omnibus propria manu subsignato; quo declaratur paratos esse, sine ulla appellatione, amplecti et observare Arbitrorum iudicium et sententiam. Rata est Sacra Congregatio rem omnem committere Eminentissimo Cardinali Praefecto, qui, arbitris electis et nominatis, eisdem facultates omnes necessarias et opportunas ad rem impertiret. Et Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Praenestinus, ceu Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, hisce facultatibus utendo, sub die 11 Aprilis vertentis anni elegit et nominavit in Iudices Compromissarios RR. DD. Andream Mariam Frattini eiusdem Sacrae Congregationis Assessorem et Aloisium Canonicum Tomassetti Sub-Secretarium Sacrae Congregationis Concilii utriusque Iuris Doctores, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ad controversias componendas definiendasque; hac tamen adiecta lege, ut in omnibus procederetur sine forma et strepitu iudicii: insuper ut allegationes omnes una cum sententia Iudicum et omnia ad quaestionem quomodolibet spectantia et exhibita referrentur in Actis Sacrorum Rituum Congregationis; denique ut nulli liceat ullo umquam tempore ab Arbitrorum sententia quoquo modo appellationem quaerere. Huius itaque causae arbitri Iudices, utraque parte consentiente, ut omnia rite ac legitime procederent, sequentia dubia concordarunt, quae recensitas controversias complectuntur, nimirum:

1. An, et cui competat elevatio Crucis in casu?

2. An, et cui competat praecedentia in casu?

Dubiis concordatis, Iudices ipsi pluries partium Procuratores audierunt, et attente ac diligenter consideratis allegationibus hinc inde distributis, visis videndis, consideratis considerandis et servatis in hisce iudiciis de iure servandis, propriam in scriptis et in hunc modum tulere sententiam, videlicet:

Quoad primum dubium: « Crucis elevationem competere Ecclesiae parochiali tumulanti; nempe si cadavera deferantur ad Ecclesiam Collegiatam Sanctae Mariae Magdalenae, huius Ecclesiae Crux est elevanda etiam si defunctus ad Sancti Hilarii Paroeciam pertineret; et vicissim Crucis elevatio competit Paroeciae Sancti Hilarii, si defunctus in hac Ecclesia sit tumulandus, quamvis de Paroecia Collegiatae esset; quum sub una tantummodo Cruce Ecclesiae tumulantis in funeribus esse procedendum pluries decreverit Sacra Rituum Congregatio, praesertim in responsione ad dubium primum in Lucen. 15 Maii 1694, et (omissis aliis) novissime in Alatrina 6 Maii 1826 ».

Quo vero ad secundum dubium: « Competere Parocho defuncti, dummodo non deferat Canonicalia insignia si fuerit alter e Canonicis Collegiatae, etiam si isti collegialiter incedant. Saepissime enim a Sacra Rituum Congregatione declaratum fuit ad Parochum defuncti spectare in funeribus Stolam deferre, aqua benedicta cadavera aspergere antequam e domo efferantur, et antiphonam praecinere: *Exultabunt Domino.* Immo a Sacra Congregatione Concilii, in Callien. *Iurium Parochialium* 20 Decembris 1828, declaratum fuit hoc ad illum pertinere etiam in funeribus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis. Praecedentia vero Parochi supra Capitulum Collegiatae statuta fuit a Sacra Rituum Congregatione in Faventina 15 Septembris 1668, et alibi. Praesertim vero in casu definire hoc censuimus, quum Collegiata Sanctae Mariae Magdalenae erecta fuerit a s. m. Urbano VIII absque ullo praeiudicio alterius Paroeciae; quae quum iam extaret, dici nequit Collegiatae filialis. Quod si ad consuetudinem convertatur sermo, numquam Canonici in funeribus Parochum Sancti Hilarii praecesserunt. Si vero Parochus iste fuerit Canonicus, et canonicalia insignia deferre cupiat, tunc proprium locum inter

Canonicos habere debet; namque facto suo, in illo vel altero casu, parochialibus privilegiis valedixit, et se esse contentum declaravit veluti Canonicum tantum censeri voluisse. Et ita dicimus, sancimus, pronunciamus et declaramus omni meliori modo ». Atque ita sanxerunt die 19 Septembris 1831.

Quum autem super re percuperent omnes ut opportunum ederetur Decretum, et ad ea, quae in arbitrali sententia continentur, opportune servanda, atque ut sententia ipsa omnibus pateat et authenticum documentum in Archivio earumdem Ecclesiarum servari queat;

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata: « Praesens Decretum expediri iussit, atque a Capitulo et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae et Parocho Sancti Hilarii Ereti Dioecesis Sabinen. sine ulla appellatione servari mandavit ». Die 12 Novembris 1831.

2686. TARENTINA. (4676)

Inter cetera Sanctimonialium Asceteria, quae Archidioecesim Tarentinam condecorant, alterum Clarissarum existit in ipsa Civitate, quae semper, uti ab ipsis asseritur constantissime, expleto vigesimoquinto aetatis anno et emissa professione solemni, Velum benedictionis ab Archipraesule recipiebant ad formam Pontificalis Romani. Hodiernus autem Archiepiscopus, probe noscens quae a s. m. Benedicto XIV sua in Constitut. LXXXV, Tomo 2, Titulo de Consecratione Virginum referuntur, istud nimirum privilegium solis competere Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti; benedictionis huiusmodi per Apostolicum indultum ipsis Clarissis concessae authenticum testimonium requisivit, antequam Velum ipsum Sanctimonialibus imponeret. Ast, attenta temporum vicissitudine, quum multa ex privilegiis Asceterio supradicto concessis fuerint igni tradita, (lege enim ab eodem extrahendae erant Sanctimoniales); forsan et tale indultum quoque flammis deperditum fuit. Quoniam autem ab asserta observantia ius destrui nequit, propterea Sacrorum Rituum Congregationi Reverendissimus Tarentinus Archiepiscopus humillime supplicavit, quatenus decernere dignaretur quid esset in re agendum: Utrum nimirum Velum benedictionis recensitis Clarissis concedendum; an vero denegandum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata die 16 Aprilis vertentis anni, rescribendum censuit: « Scribatur eidem Reverendissimo Archiepiscopo; qui, auditis in scriptis Monialibus, referat super transmissa earumdem Monialium allegatione ».

Ad scrupulum usque muneris sui partes Archipraesul explevit, harumque rerum notitia instructis Monialibus Clarissis, ipsae, habito Capitulari conventu, in scriptis retulerunt a primaeva Asceterii origine Sanctimoniales omnes Velum benedictionis, expleto vigesimoquinto aetatis anno, recepisse, uti eruitur ex tabulis renovationis Asceterii, quae contigit anno 1695: insuper ex traditione pernoscere benedictionis huiusmodi Apostolicum obtinuisse indultum; quod si non fuisset revera concessum, tam multi antiqui Archipraesules, qui per secula Tarentinam administrarunt Ecclesiam, profecto velum Sanctimonialibus non concessissent; ac novissime Sanctimonialem Rosam Fanuzzi ex dispensatione Apostolica illud recepisse ante annum vigesimumquintum. Quibus omnibus Sacrorum Rituum Congregationi ab Archiepiscopo Tarentino expositis; haec in novo Ordinario Coetu, omnibus mature perpensis ac rite libratis, rescripsit: « Pro gratia confirmationis Privilegii; et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Die 12 Novembris 1831 ».

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo fideli relatione per infrascriptum Secretarium, die 18 eiusdem mensis et anni, « Sanctitas Sua benigne annuit; et Velum benedictionis, emissa solemni professione post annum vigesimum quintum, iuxta Pontificale Romanum Sanctimonialibus Clarissis Asceterii Civitatis Tarentinae concessit ».

2687. PISANA. (4678)

Reverendissimus Archiepiscopus Pisanus servari cupiens in ecclesiasticis functionibus, quae a Rubricis praescripta sunt, pro sua Primatiali Ecclesia a Sacrorum Rituum Congregatione declarari petiit:

1. An liceat manere genuflexos in Choro aut sedere tempore, quo standum est, non obstante consuetudine immemorabili?

2. An liceat in die S. Marci cantare Missam de Rogationibus in Primatiali post Tertiam, quia in Litaniis maioribus ipso die itur processionaliter ad Ecclesiam Sanctae Marthae, et ibi cantatur solemnis Missa de Sancto Marco, qui eiusdem Ecclesiae putatur Contitularis, eo quod populus Eccle-

siae S. Marci iam adiunctus fuerit Paroeciae S. Marthae? Notandum tamen quod Ecclesia S. Marci, adhuc existit non Parochialis ut olim, sed ut publicum Oratorium, et populus dumtaxat S. Marci aggregatus fuit Ecclesiae S. Marthae.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit:

Ad 1. « Serventur Rubricae, quoad tempus standi, sedendi et genuflectendi in Choro ».

Ad 2. « Detur Decretum in una Galliarum die 10 Ianuarii 1693 in responsione ad dubium 9; nimirum: Missam de Feria canendam esse post Processionem in die Festo Sancti Marci, nisi Processio finem habeat in Ecclesia eidem Sancto dicata ». Die 12 Novembris 1831.

2688. ORDINIS (4680)
EXCALCEATORUM REFORMATORUM SANCTISSIMAE TRINITATIS REGNI HISPANIARUM.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo humillime exposuit R. Fr. Ioseph a Sancto Francisco, Procurator Generalis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Regni Hispaniarum, usque ab anno 1802 datum fuisse recensito Ordini Apostolicum indultum peragendi Festum Sanctissimae Trinitatis Ordinis eiusdem Titularis cum octava privilegiata, excepta occurrentia alterius Festi etiam translati, sed ritus duplicis primae vel secundae classis dumtaxat; et super hac concessione quaedam in praesentiarum exoriri dubia, non ita facile resolvenda, eo quod in precibus tunc non fuerit expressum alterum privilegium anno 1776 Regno Hispaniarum concessum, celebrandi nimirum Octavam Corporis Christi ita privilegiatam, ut omnia alia Festa, praeter Sancti Ioannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, excluderet. Propterea Sanctitatem Suam humiliter exoravit, ut concedere dignaretur utriusque Excalceatorum Reformatorum Familiae Alumnis, tam infra quam extra Hispaniam degentibus, Octavam Sanctissimae Trinitatis Titularis, iam plusquam sexcentis annis ab Innocentio Papa III elapsis celebratam, peragere privilegiatam: et quidem ante Festum Corporis Christi, Festo secundae classis non occurrente aut primae classis etiam translato, et post illud Festum, excludendo cetera Festa, praeter Festum Sancti Ioannis Baptistae occurrens aut etiam translatum; facta tamen hoc in casu commemoratione octavarum Sanctissimae Trinitatis et Corporis Christi.

Sanctitas Sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, rescribi mandavit: *Proponatur in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria.*

Relatis propterea, per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Card. Ioannem Franciscum Marco-y-Catalan Ponentem, supradictis precibus in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunato;

Sacra Rituum Congregatio, exquisita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloquecusa, omnibus mature accurateque perpensis ac libratis, rescribendum censuit: « Pro gratia confirmationis Privilegii anni 1802 expetitae extensionis iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nimirum: Festum Sanctissimae Trinitatis celebrandum esse ab Alumnis recensiti Ordinis utriusque sexus Calendario proprio utentibus, tam intra quam extra Hispaniam, cum octava privilegiata, excepta occurrentia alterius Festi primae et secundae classis, tam occurrentis quam translati, vel alicuius diei octavae, de quibus faciendum est Officium, vel ante vel post Festum Sanctissimi Corporis Christi, cum commemoratione octavarum; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque ». Die 7 Aprilis 1832.

2689. ARIMINEN. (4681)

Desiderio motus eliminandi nonnullos abusus qui sensim introducuntur super sacris ritibus, R. Fr. Marianus ab Arimino Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia penes S. R. C. sequentia dubia proposuit:

1. An in Matutino Noctis Nativitatis Domini duo assistentes Sacerdotes parati, cantaturi primas Homilias, deferre debeant sub pluviali Stolam Diaconalem vel a collo pendentem, vel in modum Crucis ante pectus? Et quid, si ex duobus assistentibus esset unus simplex Diaconus, Subdiaconus alter? (1)

2. An quum in Choro nostro, tempore Missae solemnis vel Vesperarum, adsit Episcopus non Dioecesanus, simul cum Patre

(1) E. Dub. 2.

nostro Provinciali Visitatore, sit thurificandus solus Episcopus, vel ambo? Et quid, si Episcopus sit Dioecesanus?

3. An sub Reliquia alicuius Sancti, exposita publicae venerationi inter candelabra, debeat adhiberi Palla, sicuti fit in pluribus Ecclesiis?

4. Utrum liber, cui titulus: *Collectio sive Apparatus Absolutionum, Benedictionum, Coniurationum etc.*, auctore Bernardo Sannig sit prohibitus vigore Decreti seu regulae generalis Indicis? Aliqui enim affirmant, alii negant; ast omnes fere Sacerdotes hic et alibi illum adhibent, quamvis omni prorsus approbatione careat. Et quid de aliis libris benedictionum, habentibus quidem aliquam approbationem, sed non illam istius Sacrorum Rituum Congregationis?

Et S. R. C., in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab Secretario facta et omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum; Subdiaconus autem se abstineat a cantando Evangelio cum Lectione ».

Ad 2. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Illi soli libri adhibendi et illae tantum benedictiones, quae Rituali Romano sunt conformes ».

Atque ita respondit et servari mandavit. Die 7 Aprilis 1832.

2690. MASSAE et POPULONIAE. (4685)

Quum quaestio inter Sacerdotes praesertim Massae et Populoniae Dioecesis orta esset circa nonnullas ecclesiasticas functiones; ut omnis controversia et obortae subinde murmurationes de medio tollantur, pro sequentium dubiorum explanatione, apud S. R. C. humillime supplicatum fuit:

1. An standum sit Missali Romano in benedictione Fontis peragenda in Sabbato Sancto; vel potius consuetudini? nimirum prius aquam in aliquo vase separato benedicere, et antequam infundatur Chrisma, ex illo vase aquam ipsam extrahere et mittere in Fontem.

2. An servandum sit Rituale Romanum in administrando infirmis Viatico; vel potius consuetudo, benedicendi nimirum cum Sanctissimo populum extra portas Civitatis, regionis, sive domus infirmi, quando fertur Viaticum agricolis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta et omnibus mature diligenterque examinatis, respondendum censuit: « Ex speciali gratia, servari posse consuetudinem in utroque ».

Atque ita censuit et servari posse annuit. Die 7 Aprilis 1832.

2691. TARENTINA. (4686)

Ad preces R̃mi Archiepiscopi Tarentini, ita sequenti Epistola S. R. C. respondit:

Perillustris et Reverendissime Domine uti Frater.

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, habita fuit ratio supplicis Amplitudinis Tuae Libelli quoad modum recitandi Horas Canonicas quo utuntur Sanctimoniales istius Archidioecesis, nec non sequentis informationis transmissae sub datum quinto Calendas Ianuarii superioris Anni 1831, quam Sacra eadem Congregatio ab Amplitudine Tua requisivit, auditis ipsis Sanctimonialibus. Post relationem ab infrascripto Secretario factam, omnibus mature accurateque consideratis, Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, rescribendum esse censuerunt: *In omnibus iuxta Decreta et Privilegia;* nimirum: « Sanctimoniales Ordinis Sancti Benedicti utentes iam fere a decem seculis Breviario Monastico, licet Ordinario subiectae, tenentur dumtaxat ad Officia Patroni Civitatis, Titularis Ecclesiae Cathedralis et Dedicationis eiusdem: in omnibus sine octava, iuxta Decreta. Reliquae vero, tum Ordinis Sancti Augustini tum Ordinis Minorum Sancti Francisci, sicut et praedictae Benedictinae non exturbandae sunt a sequendo proprii Ordinis Calendario; et licet sint Ordinario subiectae, non possunt illi Calendario addere alia Officia, praeter supradicta, nisi aliter ab hac Sancta Apostolica Sede fuerit indultum pro Clero Seculari cuiuscumque Dioecesis atque Regularibus utriusque sexus ». Haec eiusdem Sacrae Rituum Congregationis mandata libentissimo animo dum Amplitudini Tuae nota facere gestio, Illam adprecor, quoniam eius fides et integritas perspecta iam est, ut adamussim exequutioni mandentur; et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7 Aprilis 1832.

2692. NOVARIEN. (4690)

Eme et Rme Domine Observantissime.

Sacrorum Rituum Congregationi supplex exhibitus fuit Libellus pro parte Sacerdotis Ioseph De-Vecchi Caeremonarii istius Cathedralis Novarien. et Directoris Calendarii Dioecesis, qui advertens ab anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horas Diurnas, Missalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis et Officia Hebdomadae maioris, quae denuo praelo mandantur, non continere Ordinariorum attestationes queis declaretur haec exemplaria concordare cum his quae hic Romae sunt impressa, ad tramitem Bullarum Sancti Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur; postulabat declarari: Num etiam nunc servari debeant recensitae Constitutiones Pontificiae; et num transgressores poenas inibi inflictas incurrant, praesertim ex eo quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata exemplaria prae oculis in cusione habeantur; eo vel magis, quod maxime torquerentur conscientiae, tum eorum qui lucrum ex venditione librorum liturgicorum percipiunt, tum Ecclesiasticorum qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur illi hisce attestationibus muniti; proptereaque cupiebat demum concedi ut, sine ulla dubitatione, quis horum librorum usum sibi permittere valeret.

Sacra vero Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum infrascripta die coadunata, audita relatione a Rmo Dom. Secretario facta et omnibus mature perpensis accurateque consideratis, Eminentiae Vestrae scribendum esse censuit ac declarari: « Pontificias Constitutiones in suo robore permanere; et abusum non esse tolerandum »: Haec eiusdem Sacrae Congregationis mandata lubentissimo animo dum exequor, Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor. Romae 7 Aprilis 1832.

2693. CIVITATIS CASTELLI (4691)
seu
TIFERNATEN.

Archipresbyter hodiernus Sanctae Mariae Felcati Dioecesis Civitatis Castelli a Sacrorum Rituum Congregatione humillime petiit sequentia dubia declarari:

1. An celebratio Missae cantatae, si a proprio Parocho in sua Ecclesia, vel in aliis Ecclesiis parochiali suae Ecclesiae adnexis non peragatur, spectet ad viciniorem Parochum?

2. An celebratio sacrarum functionum peragenda in Ecclesia independente a Parocho, sed intra ambitum suae Paroeciae contenta, spectet ad Parochum, si Cappellanus eiusdem Ecclesiae ipsas functiones non agat?

3. An in Dominica Palmarum Parochus, peracta benedictione et distributione palmarum, in fine Missae debeat dicere Evangelium benedictionis Palmarum; vel Sancti Ioannis.

4. An in Missa pro Sponso et Sponsa, dicenda diebus Rogationum, earumdem commemoratio facienda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, sub infrascripta die ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative; iuxta Decretum in Bisinianensi diei 6 Octobris 1640 ».

Ad 2. « Negative; iuxta Decretum in Verulana diei 2 Martii 1641 ».

Ad 3. « Si per se expleverit benedictionem Palmarum immediate ante Missam, legere debet Evangelium sancti Ioannis in fine Missae ».

Ad 4. « Affirmative; iuxta Generale Decretum sub die 3 Martii 1818 ».

Atque ita declaravit. Die 28 Iulii 1832.

2694. ORDINIS MINORUM (4692)
S. FRANCISCI
PROVINCIAE S. PAULI
VALLISOLETANAE.

Quaestio quaedam inter Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Provinciae Vallisoletanae nuperrime orta quum fuerit quoad recitationem versiculi: *Animae eorum*, dicendi post absolutionem ad tumulum, et sequentis antiphonae cum Psalmo: *De profundis*, redeundo ad Sacristiam in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; asserentibus nonnullis praesidio fultis tum Decreti editi 2 Decembris 1684 a Sacrorum Rituum Congregatione, tum peculiaris Rubricae Breviarii Ordinis Franciscanorum, hanc recitationem omittendam; haerentibus aliis in opinione esse omnia dicenda ex auctoritate cuiusdam Manualis Processionalis memoratae Provinciae typis editi anno 1774; ideo ad conciliandos animos concordiamque parandam, ac uniformitatem magis magisque obtinendam in ecclesiasticis

functionibus, quaestio haec ad eamdem Sacram Congregationem delata fuit;

Quae in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale coadunata, referente infrascripto Secretario et omnibus consideratis accurateque perpensis, rescribendum censuit: « Antiphona et Psalmus: *De profundis* nec non versiculus: *Animae eorum,* in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum post absolutionem ad tumulum, sunt omittenda; iuxta Decretum in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium diei 2 Decembris 1684 ad dubium 7 ».

Et ita rescripsit ac servari mandavit. Die 28 Iulii 1832.

2695. SORANA. (4693)

Quum intra limites parochialis Ecclesiae Sanctae Restitutae Civitatis Soranae sit Ecclesia, antea iuris Ordinis Conventualium, Sancto Francisco Assisiensi dicata, et modo cuidam Sodalitati concessa; enunciatae Sanctae Restitutae Parochus a Sacrorum Rituum Congregatione humillime petiit declarari: An in casu quo aliquis ex suis parochianis vita functus in Ecclesia praedictae Sodalitatis sepulturae demandari debet, de quo ipse Parochus officium funebre ducere tenetur, in hoc funebri officio comprehendatur etiam Missa solemnis ante tumulationem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Affirmative ». Et ita rescripsit atque decrevit. Die 28 Iulii 1832.

2696. BRIXIEN. (4694)

Ioseph Mannelli Sacerdos Brixiensis pro suae conscientiae tranquillitate a Sacra Rituum Congregatione sequentia dubia declarari humillime petiit: (1)

1. Quamvis Rubrica Ritualis titulo de Exequiis praescribat Responsorium: *In Paradisum etc.* tum decantari debere quum cadaver ad sepulcrum defertur; in Civitate tamen Brixien. ob sepulchreti distantiam usus invaluit praedictum Responsorium cum aliis precibus decantari tempore absolutionis. Hinc quaeritur: Utrum usus, an Rubrica servari debeat?

2. An prosequi possit consuetudo canendi antiphonam *Si iniquitates,* cum Psalmo *De profundis,* quum, celebrata Missa *de Requie,* ad medium progreditur processionaliter pro Exequiis absolvendis?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit:

Ad 1. « Posse continuari, iuxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum ».

Ad 2. « Negative; et antiphona ac Psalmus *De profundis* dici debent post absolutionem ad tumulum, in reditu ad Sacrarium ».

Atque ita respondit, declaravit ac in posterum servari mandavit. Die 28 Iulii 1832.

2697. PISANA. (4696)

Perantiquae nonnullae consuetudines servabantur in Metropolitana et Primatiali Ecclesia Pisana, nonnullaque privilegia accedebant ipsius Ecclesiae Archipresbytero ad eiusdem dignitatem cohonestandam. Quae tamen quum generalibus Rubricis ac dispositioni Caeremonialis Episcoporum adversarentur, Reverendissimus Archiepiscopus percupiens, ad sui animi tranquillitatem, ut in suo quidem robore, sed legitima auctoritate, consuetudines ipsae et privilegia persisterent; Sacrae Rituum Congregationi dubia super iisdem enodanda proposuit, sub die 12 Novembris superioris anni 1831. Sacraeque Congregationis responsa ab Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifice Maximo confirmata fuere sub die 18 eiusdem mensis et anni.

Cognito Congregationis Rituum sensu, eoque Capitulo recensitae Ecclesiae denuntiato, quamvis Canonici Primatialis et Metropolitanae ad omnia exequenda se paratos profiteantur, denuo tamen supplici prece Sanctitatem Suam exorantes ut sibi liceret implorarunt. Eidem itaque Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt, ut super quatuor, iam proposita dubia, saltem posset servari solitum; nimirum:

1. Utrum ferendus sit ritus quoad numerum, ordinem et locum cereorum seu candelarum in persolvendis Officiis Tenebrarum ab Ecclesiae Pisanae Capitulo servari solitus?

2. Laudatae Ecclesiae Primatialis Canonici dum Archipraesulem cappa indutum, e propria residentia ad Primatialem accedentem vel ab illius ianua ad propriam domum revertentem, comitantur iuxta obsoletum

(1) E. Dub. 1 et 4.

morem Canonicorum Ravennatensium, bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maximi roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium, et perennis traditio a maioribus accepta; adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa II haec Primatialis Ecclesia Metropoliticam Dignitatem recepit. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda sit?

3. Utrum Dignitates, Canonici, Parochi et Sacerdotes, tum Ecclesiae Primatialis tum aliarum Ecclesiarum Dioecesis Pisanae, adigi debeant ad induendum superpelliceum cum Stola in administratione Sacramentorum iuxta Rituale Romanum, deposita cappa et mozzetta vel caputio?

4. Utrum usus ab Archipresbyteris Pisanis invectus in sacris functionibus ritu pontificali peragendis, redigi debeat ad limites indulti Pontificii?

Sanctitas Sua, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Carolo Maria Pedicini Episcopo Praenestino et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto facta, habitaque ratione Caeremonialis Episcoporum, legem a Summis Pontificibus Clemente VIII, Innocentio X et Benedicto XIV latam et confirmatam, huiusmodi indolis esse, ut a nulla contraria consuetudine abrogari valeat, accedentibus praesertim non paucis Sacrorum Rituum Congregationis Decretis: « Ad tramitem eiusdem legis dispositionis generalis, confirmando responsiones omnes resolutionesque recensitis dubiis ab ipsa Sacra Congregatione datas; de speciali gratia annuit solummodo quoad ampliationem privilegiorum Archipresbyteri Primatialis et Metropolitanae Ecclesiae Pisanae, praeter id quod iam a s. m. Clemente Papa XII Archipresbyteris indultum est; nimirum ut ipse in ecclesiasticis functionibus uti deinceps valeat faldistorio sine gradu aliquo, sed cum solo tapete seu strato super Presbyterii pavimentum; concessit insuper illi usum Canonis, Presbyteri assistentis, palmatoriae et mitrae *aurofrigiatae,* atque ut in fine Missae impertiatur trinam benedictionem: vetuit tamen huiusmodi palmatoriae et mitrae *aurofrigiatae* usum, atque impertitionem trinae benedictionis, praesentibus Archiepiscopo vel Nuncio Apostolico vel Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali vel Legato a Latere. Haec vetita sint Archipresbytero, nisi adhibita eorum venia; sicut et salutatio populi *Pax vobis,* ususque baculi pastoralis. In hisce omnibus privilegiorum ampliationibus eadem Sanctitas Sua legem adiecit, ut antequam iisdem Archipresbyter Pisanus potiatur, expediri faciat Litteras Apostolicas in forma Brevis in similibus expediri solitas ». Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 Decembris 1832.

2698. BITUNTINA. (4697)

Vicarius Capitularis Bituntinae Dioecesis humiliter penes S. R. C. exponit ab immemorabili in supradicta Dioecesi consuetudinem inolevisse, quod, in actu benedicendi populum cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, organorum sonitu, cantetur ℣. Psalmi LXVI: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae.* Quamvis haec praxis ad maximam populi devotionem fovendam inserviat, Magister tamen Caeremoniarum id esse contra sacram liturgiam sustinet; atque ideo orator Sacram Rituum Congregationem rogat, ut antiquam praxim permittere dignetur.

Et Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, referente R. P. D. Secretario ac re mature considerata, respondendum censuit: « Servetur Decretum in Caputaquen. diei 9 Februarii 1762: permitti vero potest ut cantetur ℣. *Benedicat nos Deus etc.* immediate post benedictionem, iuxta Instructionem Innocentii XII a Clemente XII confirmatam in delatione Viatici ». Atque ita rescripsit. Die 16 Martii 1833.

2699. CIVITATIS PLEBIS. (4699)

Apud Capitulum Cathedrale Civitatis Plebis pluribus abhinc annis usus invaluit omittendi recitationem Horarum Canonicarum Sextae et Nonae voce chorali post Missam Conventualem, easque recitandi submissa voce tempore eiusdem Missae, varias ob causas, nimirum: 1. quando Episcopus pontificaliter celebrat vel in Sede pontificali Missae Solemni adsistit: 2. quando protrahitur servitium Chori ob prolixiorem Missam, sive ob extraordinariam aliquam functionem: 3. temporibus Adventus et Quadragesimae, ratione concionis. Quaeritur ergo:

1. An huiusmodi usus valeat continuari? et quatenus negative,

2. An valeat continuari de licentia Archidiaconi vel, illo absente, de licentia an-

tiquioris Canonici Praefecti Chori? et quatenus negative,

3. An saltem valeat continuari de licentia Episcopi?

Et Sacra Rituum Congregatio sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: « Negative in omnibus; nec satisfieri Chori obligationi per privatam recensitam recitationem Sextae et Nonae, tempore Missae Conventualis ». Die 16 Martii 1833.

2700. FIRMANA. (4700)

Sacerdos quidam Archidioecesis Firmanae, Aedituus ruralis Ecclesiae ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quotidie asservatur, Sacram Rituum Congregationem supplex rogavit, ut declarare dignaretur sequens dubium; nimirum: An Aedituus ruralis Ecclesiae, ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum semper asservatur, teneatur ibi residere, ut Sacrosanctum Missae Sacrificium quotidie celebret; vel possit per quinque aut sex dies quolibet mense abscedere, ut aliis obligationibus in alia Ecclesia vacet?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunata, respondendum censuit: « Teneri ad residentiam et quotidianam Missae celebrationem, vel per se vel per alium Sacerdotem ». Die 16 Martii 1833.

2701. NAMURCEN. (4701)

Hodiernus Secretarius Reverendissimi Namurcen. Episcopi Sacrae Rituum Congregationi sequens proposuit dubium pro opportuna solutione; nimirum: In variis regionibus, ac praesertim in Gallia, Missalia et Breviaria ac etiam Libri Liturgici imprimuntur absque licentia seu approbatione Ordinarii; quam, praeter Concilium Tridentinum, omnino requirunt Constitutiones Clementis Papae VIII atque Urbani Papae itidem VIII. Supponitur quod in Gallia aliisque huiusmodi regionibus Decretum Concilii Tridentini Librorum approbationem requirens et praefatae Constitutiones Apostolicae usu non sint receptae, vel per usum contrarium vim obligationis amiserint. Hinc quaeritur an huiusmodi Libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere iisque uti in Belgio aliisque regionibus, ubi Decretum Concilii Tridentini et supramemoratae Constitutiones Apostolicae communiter servantur.

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes hodierna die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis ». Die 16 Martii 1833.

2702. TIBURTINA. (4704)

Quum in Cathedrali Tiburtina per liberam renunciationem Sacerdotis Camilli de Camillis vacaret residentiale Beneficium, ad illud ab uno ex Patronis, quin alterius consensus exquireretur, praesentatus fuit Sacerdos Ioseph Cicinelli; et quamvis Rescriptum Sanctissimi sanaverit huiusmodi defectum consensus alterius Patroni, attamen id satis non fuit ad sedandam controversiam inde exortam. Immo per biennium litium iurgia exercita sunt, tum apud Curiam episcopalem Tiburtinam, tum etiam apud Sacrae Romanae Rotae Tribunal. Interim aliorum Beneficiorum pariter residentialium possessionem alii sunt adepti, ac Sacerdos Cicinelli animo reputans se ad Beneficium ius acquisivisse a die praesentationis, atque, causa tantum litium, ab eius reali possessione praepeditum fuisse, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Utrum ipse in Choro modo occupare debeat ultimum stallum; an vero illud in quo sedere debuisset, nisi lites intercessissent?

2. An in casu, quo sibi non suffragetur antianitas a die praesentationis petita, saltem uti Sacerdos praecedere debeat Beneficiatis Clericis reali possessione antiquioribus?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit. Die 16 Martii 1833.

2703. RECINETEN. (4706)

Sacrae Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium ex parte Capituli Cathedralis Ecclesiae Recineten., ut illud de more declarare dignaretur; nimirum: An beneficiati ipsius Cathedralis, qui Diaconi et Subdiaconi munia exercere debent,

possint ac debeant indui paramentis sacris in eadem mensa, in qua Planeta vel pluviali se induit Celebrans, etiam si hic sit Canonicus et Dignitas.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Affirmative ». Die 16 Martii 1833.

2704. VERONEN. (4707)

Vice-Cancellarius episcopalis Curiae Veronen. quum in votis habeat ut in sacris functionibus omnia iuxta ordinem procedant, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Num tuto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si, quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot hostiae dividi in plures Particulas, quae singulis distribuantur? et quatenus non sit sequenda, num quibusdam saltem in circumstantiis temporis, locorum et personarum, sequi possit?

2. Num illis in locis in quibus noctis tempore, recondito Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, Oratio Quadraginta Horarum interrumpitur, lucrari possint Indulgentiae a tempore quo Ecclesiae ianua aperitur ad tempus, quo velo remoto, cum Hymnis et canticis convocato populo fidelium adorationi denuo proponitur? et quatenus affirmative, Utrum etiam Altaria dicto temporis intervallo censeri debeant privilegiata?

3. Num tempus pro lucrandis Indulgentiis designandum sit a tempore, quo anticipari potest Matutini recitatio ad crepuscula serotina diei sequentis?

4. Num liceat uti colore flavo vel caeruleo in Sacrificio Missae, et in expositione Sanctissimi Sacramenti?

5. Num Sacerdos in Missa privata sacris indutus paramentis possit cineres distribuere et Sanctorum Reliquias deosculandas praebere, uti mos est in Veronensi Dioecesi, expleta Missa? et num possit sibimet cineres prius imponere genuflexus coram Altare nihil dicens?

6. Utrum in Communione fidelium extra Missam, Sacerdos antequam populo benedicat, osculari debeat Altare, ut praecipit Pontificale Romanum de Visitatione; an non, ut Rituale Romanum innuere videtur?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta et omnibus perpensis maturo examine, rescribendum censuit:

Ad 1. « Servetur consuetudo dividendi consecratas Particulas, si adsit necessitas ».

Ad 2. et 3. « Recurrat ad Sacram Congregationem Indulgentiarum ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 6. « Servetur dispositio Ritualis Romani nihil praescribentis ».

Atque ita respondit ac servari mandavit. Die 16 Martii 1833.

2705. CLAROMONTEN. (4708)

Quum diversae opiniones circumferantur in Concilio Claromontensi circa haec verba Pontificalis Romani: *Minores Ordines possunt conferri in Dominicis et Festis duplicibus:* dum alii contendunt per Festa duplicia ea tantum intelligi, quae a populo feriantur, alii autem sustinent intelligi omnia duplicia, sive a populo feriantur, sive non, asserentes non distinguendum ubi lex non distinguit: ad certam in re legem stabiliendam, Sacrae Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum sub signata die in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Minores Ordines conferri possunt in Festis de praecepto, vel in Festis duplicibus quae erant de praecepto ante reductionem ». Die 16 Martii 1833.

2706. MEDIOLANEN. (4709)

Reverendissimus Praesul Franciscus Maria Zoppi, qui, Sanctissimo annuente, Episcopatum Massensem dimisit, in eo est ut potiatur Canonicatu superioris Ordinis in Metropolitana Mediolanen. Ecclesia, et ne in hoc novo munere aliquid detrahat Episcopali Dignitati ac vanitatis notam devitet, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna dilucidatione proposuit, nimirum:

1. Quaenam Sedes, vulgo *stallo,* sibi competat in Choro, in quocumque Capituli congressu et quando sibi cum eodem Capitulo publice procedendum est?

2. Quemnam habitum gerere in Choro, quemnam in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus, quemnam extra Chorum quum privatam personam agit?

3. An teneatur in sua hebdomada Missam et Vesperas canere seu celebrare alia-

que singulariter peragere, ad quae tenentur Canonici eiusdem Ordinis in sua quisque hebdomada? et quatenus affirmative,

4. An sandalis, Dalmaticis, mitra, baculo pastorali, Cruce et similibus Episcopo competentibus uti debeat? et quatenus negative,

5. An sibi liceat a praefatis Hebdomadarii Officiis se abstinere; et an in casu distributiones amittat, quamvis Choro cum ceteris Canonicis interfuerit?

6. An debeat Archiepiscopo Solemnia agenti assistere, ministrare aliaque praestare, quae ceteri eiusdem Ordinis Canonici de more eidem praestant?

7. Quum autem orator minime ignoret a ceteris eiusdem Ordinis Canonicis aegre ferri Episcopum e gremio eiusdem Capituli vestes et caligas coloris violacei, et quidquid aliud Episcopalem Dignitatem referat in Choro eorumque congressu gestare et quomodocumque se ab ipsis distinguere; ac proinde non multis abhinc annis duo eiusdem Capituli Canonicos, a Summo Pontifice Episcopos in partibus renuntiatos, locum, quem antea in Choro habebant et in quovis Capituli congressu retinere, atque Missas et Vesperas aliasque functiones in sua hebdomada, nulla adhibita indumentorum aliave distinctione, ceu reliquos Canonicos hebdomadarios, celebrare consuevisse, seque dumtaxat a supplicationibus publicis Episcopalis honoris ergo abstinuisse, distributiones tamen amittendo ac si culpabiliter minime interfuissent; obsequentissime postulat: An teneatur vel saltem sibi liceat huic consuetudini se conformare in omnibus, aut quanam in parte?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub signata die coadunata, referente infrascripto Secretario, attentis expositis ac singulis rationum momentis serio examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. et 2. « Ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est rocchetto supra Subtanam et mantelletto violacei coloris, et debere praecedere omnibus aliis Canonicis et sedere in primo *stallo* supra omnes: ut in Compostellana sub die 15 Iulii 1617 ».

Ad 3. « In Missis de turno abstineat, et subroget alium ut in Asculana die 10 Aprilis 1728: in solemnioribus cum indumentis pontificalibus, sed de licentia Ordinarii ».

Ad 4. « Iam provisum in tertio ».

Ad 5. « Quoad primam partem, iam provisum; Negative, quoad secundam ».

Ad 6. « Tenetur sedere in Choro cum pluviali ».

Ad 7. « Negative in omnibus ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit. Die 16 Martii 1833.

2707. COLLEN. (4712)

Apud Podium Bonitium in Etruria Dioecesis Collen. celebris est memoria Beati Lucii seu Luchesii Confessoris, qui pluribus exornatus virtutibus, habitu tertii Ordinis Sancti Francisci suscepto, in vita sanctis operibus, post obitum multis miraculis coruscavit, sicuti refert Martyrologium Romanum trium Ordinum eiusdem Sancti Francisci decimoseptimo Calendas Maii. His permotus Beatus Gregorius X Summus Pontifex, dum ad Lugdunense Concilium iter institueret, Podium Bonitium visitans expetivit ut sacro agmine instituto, Caput supradicti Beati circumferretur per Oppidum; quo ex tempore, pia traditione docente, haberi coepit idem Beatus Lucius veluti praecipuus Oppidi et Comitatus Patronus, eiusque Festum veluti Patroni servari. Novissimis tamen temporibus populo Oppidi Podii Bonitii accessit onus servandi etiam sub utroque praecepto Festum Sancti Martialis Patroni Civitatis et Dioecesis Collensis. Sed quum Sancti Martialis festivitas recurrat quotannis Calendis Iulii, plerumque contigit eumdem populum trium sibi succedentium dierum festivorum periodo gravari, ea maxime tempestate qua maturae messis fervent opera, nec adest tantum periculum violandi praecepti et occasio, sed etiam ipsamet necessitas. Quapropter Clerus et populus Podii Bonitii et Comitatus eiusdem, prae oculis habentes Epistolam s. m. Benedicti Papae XIV, datam quartodecimo Calendas Augusti Anno 1749 Archiepiscopis et Episcopis Etruriae, quae praecipit cuiusvis tantum praecipui quarumcumque Civitatum vel Locorum Patroni pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto Festum sub utroque praecepto esse servandum; Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicaverunt, ut, elevato ad integrum praeceptum Festo Beati Lucii praecipui Patroni eiusdem Oppidi et Comitatus, servilia opera in Festo Sancti Martialis, necessitate tantum Sacrificio adstandi servata, permitteret.

Et Sacra Rituum Congregatio nihil primitus declaravit; sed sub die 12 Novembris 1831 Reverendissimi Episcopi informationem et votum exquisivit. Quo percepto

iterum sub die 7 Aprilis superioris anni 1832, praecepit ut poneretur in Folio, ut omnia maturius considerari valerent. Habita postmodum nova eiusdem Episcopi informatione sub die 16 Martii vertentis anni, rescripsit: « Dilata; et scribatur Episcopo ad mentem ». Sacrae autem Congregationis mens fuit percipere an, quum iam ab anno 1780 firmiter recognitus fuerit Beati Lucii Patronatus et Officium proprium adprobatum, aliquid esset ab ipso Episcopo in re observandum. Quum autem Reverendissimus Collen. Antistes declarasset nihil aliud superesse observandum, promptumque esse ad qualemcumque decisionem admittendam;

Sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunatis, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Caroli Odescalchi Episcopi Sabinen. Ponentis, omnibus denuo mature riteque libratis, rescribendum censuit: « Pro gratia, sublato etiam onere audiendi Sacrum in die Sancti Martialis ». Die 17 Augusti 1833.

Super quibus omnibus facta postmodum per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo fideli relatione, die 23 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmavit, annuitque ut in Oppido Podii Bonitii eiusque Comitatu servetur tantum sub utroque praecepto Festum Beati Lucii praecipui Patroni, sublato etiam onere adstandi Sacro in Festo Sancti Martialis praecipui Patroni Civitatis et Dioecesis Collen.

2708. BENEVENTANA. (4713)

Tres extant Sodalitates penes Commune *Lapio* vulgo nuncupatum istius Beneventanae Archidioecesis, nempe, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctae Mariae ad Nives et Sanctae Mariae de Monte Carmelo, inter quas Sodalitas Sanctae Mariae ad Nives aliis praecedere praesumit etiam in Processionibus Sanctissimi Sacramenti. Ad exortas controversias omnino de medio tollendas Sodalitas Sanctissimi Corporis Christi, quae antiquitus in Archipresbyterali Ecclesia erecta fuit ac deinde anno 1690 Archiconfraternitati sub eodem titulo erectae in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam Urbis fuit aggregata, Sacram Rituum Congregationem adiit postulans declarari, cui competat praecedentia in Processionibus.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, quum probe noscerent praecedentiarum huiusmodi controversias pluries definitas fuisse: *In Processionibus Sanctissimi Corporis Christi praecedentiam dandam esse Confraternitati Sanctissimi Sacramenti, dummodo eadem aliis Processionibus intersit, et antiquioribus locum cedat;* ideo in Ordinario Coetu sub infrascripta die ad Quirinale coadunati, quin quidquam precibus rescriberent, Eminentissimo et Reverendissimo Archiepiscopo significandum censuerunt, ut, dissidiis compositis, curet observantiam huiusmodi Decretorum. Die 17 Augusti 1833.

2709. BRIXIEN. (4714)

Sacerdos Azzi Brixien. Dioecesis, ut in ecclesiasticis functionibus singula rite accurateque exerceantur, Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit, ut sequentia duo dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. An, extra occurrentiam Sabbati Sancti et Pentecostes, possint in votiva aliqua functione decantari Litaniae quae in praedictis Sabbatis canendae occurrunt?

2. An servari queat inducta consuetudo, ex qua dum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi expositum est, continuo duo Clerici superpelliceo induti, Diaconi autem et Sacerdotes etiam Stolam albam habentes, ut in Coena Domini, flexis genibus intra Presbyterium assistunt per horae spatium?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature accurateque libratis, considerans Litanias Sanctorum positas in Missali, recitandas post Fontis benedictionem, proprias esse illius functionis et diei inductamque consuetudinem, quae servatur in adoratione Sanctissimi Sacramenti, in casu debere esse illam quam praescribit pro Clero Urbis Instructio s. m. Clementis Papae XI, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative, iuxta Instructionem Clementis Papae XI die 1 Septembris 1736 ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 17 Augusti 1833.

2710. MEDIOLANEN. (4716)

Humillimis precibus ab subscripto Secretario relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale

hodierna die habitis, Eminentissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: « Serventur Decreta huius Sacrae Congregationis de praecedentia Episcopi Titularis; et scribatur Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi ad mentem ». Die 17 Augusti 1883.

Eme et Rme Domine Obsme.

Praecipua res gravissima ad hanc Sacram Rituum Congregationem nuper allata, apprime nota Eminentiae Vestrae, has litteras dirigendi praebet occasionem. Titularis Episcopus Franciscus Maria Zoppi, obtento Canonicatu istius Ecclesiae Metropolitanae, quum iampridem Episcopali Dignitate esset ornatus, nonnulla dubia proposuit enodanda, quibus responsum fuit iuxta Decreta alias a priscis temporibus emissa. Quo super facto omnis est removenda suspicio, ac pro certo habendum sincere et innocue eundem se gessisse. Mos enim invaluit apud Sacras Congregationes, quum Supplices porriguntur Libelli, quorum postulata et materies nihil novi discutiendum offerunt ac decisiones anteactas respiciunt, illis rescribi sub datum diei Congregationis praecedentis, licet post aliquot dies atque etiam mensem preces receptae fuerint. Idipsum evenit in praesenti casu. Et quidem, si Eminentiae Vestrae libuerit ipsa responsa cum adductis Decretis conferre, statim res omnis liquido patebit, ad ingenuitatem probitatemque Episcopi Canonici dignoscendam.

Attamen quum ad eundem responsa pervenissent post adeptam Canonicatus possessionem, maiori pressus angustia, dum refragari timet Sacrae Congregationis Decretis vel abnuere Capituli studiis, iterum Sacram Congregationem adivit postulans: Num ad vitandam quamlibet controversiam sibi liceret, posthabitis Decretis, prosequi eodem modo quo Canonicatus possessionem fuerat adeptus. Eminentissimi Patres in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione habita die 17 Augusti currentis anni 1833 ad Quirinale, dubia eadem in Eminentiae Vestrae obsequium rursus exponenda curarunt, atque intellexerunt responsa decerpta esse ex Decretis iamdudum editis ab eorum Antecessoribus in Sacra Congregatione ac Summorum Pontificum auctoritate confirmatis, quibus adhaeret constans omnium Urbis etiam Patriarchalium Ecclesiarum praxis et consuetudo. A veterum itaque Decretorum sensu minime declinare, immo Episcopali characteri ac dignitati consulere (quemadmodum antiquitus statutum fuit) Eminentissimi Patres unanimes censuerunt; et idipsum, expleta per R. P. D. Secretarium Sanctissimo relatione, Eminentiae Vestrae per praesentes officiose nunciare. Sanctitas Sua eidem Secretario, audientia sub infrascripta die impertita, omnibus rei circumstantiis perceptis, commendavit plurimum, ut Eminentiae Vestrae per Litteras Sacrae Congregationis mens panderetur, cui Summus Pontifex accedens robur adiungit; haec autem mens potissimum est ut auctoritate et eloquio, quo pollet Eminentia Vestra, istius Metropolitanae Canonicos religione, pietate ac titulis omnibus illustres, hortetur et suadeat ad benigniorem animum erga Collegam Episcopum Zoppi induendum, et ad Decreta Sacrae Congregationis exequenda; quam a priscis temporibus ab eiusdem Metropolitanae Capitulo saepe de sententia rogatam fuisse constat ex pluribus postulatis et Liturgiae dubiis exhibitis, ipsumque Capitulum libentissime recepisse responsa et solutiones, atque huiusmodi Decretis, tamquam Sedis Apostolicae oraculis, obsequium praestitisse. Quod et praestandum esse in praesenti casu, in quo agitur de praecedentia Episcopi, in dubium non revocabit; maxime quum praecedentia isthaec proprio istius Metropolitanae Ritui nihil detrahat, quum honor Episcopis exhibendus universam Ecclesiam respiciat. Permulta sunt iamdiu lata de Episcoporum praecedentia Decreta, atque huius constanter servatae praecedentiae in Capitulis Urbis et vetera et recentiora extant exempla; adeo ut si contigerit Episcopali Dignitate insigniri Sacerdotem aliquem ex coetu in stationibus inferioribus Chori sedentium, verbi gratia inter Beneficiarios, statim superius ascendat, et praelatitio habitu indutus Crucemque pectoralem gestans, ante Canonicos locum obtineat, ac in solemnioribus functionibus, in quibus Capitulares sacris utuntur indumentis, pluviali ac mitra ornatus assistat. Hoc in primis servari in Basilicis Patriarchalibus Urbis compertum est, a quibus totius Orbis Christiani Ecclesiae exempla desumere in pretio habent. In ipsis enim Patriarchalibus Basilicis augustissimas functiones per annum peragit Summus Pontifex, qui ideo ab excelso Apostolico Solio, omnia quae ad cultum Ritusque Sacros pertinent ob oculos habet, et Ecclesiasticae Hierarchiae gradus omnes in suo conspectu propriis decoratos insignibus circumstantes intuitur. Quapropter exoptat Sanctitas Sua tam laudabilem morem ser-

vari a celebri istius Metropolitanae Capitulo, cuius perspecta habet erga Sedem Apostolicam devotionis et obsequii argumenta. Ac pergratum accipiet, conciliatis animis, Episcopum Titularem Canonicum Zoppi praecedentia fuisse donatum; quod quidem turbare nequit peculiarem istius Metropolitanae Ritum, ac decet Episcopalem Dignitatem, et cum praecedentia eidem restitutam conscientiae quietem, nec non amissa emolumenta; quum ipse abstinuerit a Choro veritus Sacrae Congregationis perfringere Decreta quae, ubicumque floret Catholica Religio, servantur ac recoluntur.

Haec omnia Eminentiae Vestrae significare me oportuit, ut Sacratissimi Principis mandata perficerem et Sacrae Congregationis mentem communicarem; quod sedulo adimplens Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor.

2711. POLICASTREN. (4719)

Blasius Lentini Archipresbyter et Parochus primariae Ecclesiae Deo in honorem Sancti Nicolai Episcopi dicatae Oppidi De Laurea Dioecesis Policastren. considerans Caput de Exequiis § 5 Ritualis Romani ac dispositionem Missalis, quod suo loco assignat Missam in die obitus seu depositionis defuncti, atque internoscens Rubricistarum omnium sententiam asserentium hanc Missam canendam esse, ut locus illi fiat in diebus festis vel ritus duplicis; ratus est pauperes defunctos, queis vires non suppetunt pro obtinenda Missa Solemni de Requiem in die depositionis, inferioris esse conditionis respectu divitum; propterea ne hoc peculiari ritu ab Ecclesia statuto priventur; concedi ut pro defunctis pauperibus Missa a Rituali recensita die praescripta legi etiam valeat in diebus festis vel ritus duplicis, atque ad hoc indultum expediri Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta et omnibus rite consideratis, praesertim Decretis s. m. Alexandri Papae VII, rescribendum censuit: « Negative; et serventur Rubricae ». Atque ita rescripsit. Die 17 Augusti 1833.

2712. BOSANEN. (4720)

Parochialis Ecclesia Oppidi cui nomen vulgo *Cuglieri* Dioecesis Bosanen. recens, anno scilicet 1810, a s. m. Pio Papa VII Collegiatae titulo insignita fuit. Ipse autem Litterarum Apostolicarum exequutionem Reverendissimo Bosanen. Episcopo ceu Apostolico ad hoc Delegato commisit; qui hoc speciali munere honestatus ipsam Parochialem in Collegiatam erexit. Dum Sacris ibidem Episcopus daret operam, factum est, ut a novo Capitulo Sedes illi Pontificalis et Solium de more attolleretur. Deinde rebus omnibus ad exitum deductis Bosam remeavit, quin ob eius discessum Cathedram Episcopalem ab Ecclesia Collegiata Capitulum amoveret. In cuius rei notitiam ubi post aliquot annos ventum est, numquam destitit Episcopus Canonicos Collegiales hortari, immo etiam iussu cogere ne diutius sinerent Sedem Episcopalem et Solium in illorum Ecclesia retineri; sed frustra: imperanti siquidem Episcopo acriter restiterunt dictitantes consuetudinem, licet paucorum annorum, sibi liquido suffragari. Quare quum nulla iam spes Episcopo superesset futurum ut aliquando reluctantes suae parerent auctoritati, Sardiniae Regni Vice-Regem in opem imploravit; qui invitos Canonicos ad obedientiam adegit. Interim vero Episcopus Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit, ut ex huius certo iudicio quid in posterum sibi agendum sit innotescat; videlicet:

1. An Cathedram seu Solium ob Episcopi adventum in Collegiata Ecclesia suae Dioecesis erectum, illo quoque absente et in suam residentiam reverso, in eadem Collegiata Ecclesia retinere liceat?

2. Num in adductis rerum circumstantiis ob consuetudinem generalis lex alicui exceptioni subiiciatur?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, perpensis libratisque omnibus, praesertim iis quae iam sancita fuere per Decreta in Ugentina sub die 23 Iulii 1661 et in Naulen. sub die 11 Iulii 1711, exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddito praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Dom. Cardinalis D. Placidi Zurla Ponentis, respondendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nimirum: ad primum, Negative; ad secundum, Legem generalem in casu nulli subiici exceptioni ».

Et ita decrevit et servari mandavit. Die 26 Aprilis 1834.

2713. CUSENTINA. (4722)

Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicarunt Parochi loci Meliti Dioecesis Cusentinae, quatenus dignaretur mentem suam aperire super dubio quod enodandum eidem proponunt, conceptum ut sequitur: An Sacerdos simplex seu ad titulum Patrimonii ordinatus possit in Ecclesiis parochialibus vel Filialibus vel Ruralibus, Missam cum cantu vel de Sancto vel de Requiem celebrare in diebus festivis aut ferialibus, invito et contradicente Parocho, et postea facere absolutionem prout de more?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, propositoque dubio mature considerato, rescribendum censuit: « In Ecclesiis parochialibus et succursalibus requiritur consensus Parochi; in aliis Ecclesiis consensus Rectoris ». Die 26 Aprilis 1834.

2714. IMOLEN. (4723)

Quaestio orta quum sit inter nonnullos de Clero Imolen. an liceat Missam celebrare quin in Sacra Hostia appareat Imago Iesu Christi Cruci affixi? eaque ad Sacrorum Rituum Congregationem deducta, haec in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, referente R. P. Secretario, respondit: « Servetur consuetudo ». Die 26 Aprilis 1834.

2715. ORDINIS (4726)
MINORUM CONVENTUALIUM
ARCHIDIOECESIS THEATINAE.

Sacrae Rituum Congregationi supplicarunt humillime Alumni Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Theatinae pro manutentione privilegii, quo gaudent privativo iure, celebrandi Festum Sancti Antonii Patavini cum praecedenti quaestione eleemosynaria, a quo quidem privilegio deturbantur in praesentiarum; nam contra Decreta a Sacra ipsa Congregatione alias prolata idem Festum cum quaestua praecedenti celebratur in Ecclesiis secularibus memoratae Civitatis. Antequam vero quidquam super re decerneret, Sacra Congregatio Reverendissimum Archiepiscopum Theatinum audiendum esse duxit pro informatione et voto. Reverendissimus itaque Archiepiscopus, re diligenter examinata, comperuit nonnullis abhinc annis eiusdem Festi celebrationem invectam fuisse in Ecclesia Deo dicata in honorem Sancti Antonii Abbatis, verum in Dominica infra octavam Sancti Antonii Patavini; pro qua Dominica Indulgentia etiam concessa fuit ab hac Sancta Apostolica Sede. His positis, quae pro iniuncti muneris exequutione manifestanda duxit Reverendissimus Archiepiscopus;

Sacra Rituum Congregatio, sub infrascripta die ad Vaticanum in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, iuxta Decreta alias edita, ac praesertim in Uritana die 22 Martii 1710, decrevit: « Fratres Minores Conventuales manutenendos esse in possessione celebrandi Festum Sancti Antonii Patavini die natali vel Dominica infra octavam; ac propterea in Ecclesia Sancti Antonii Abbatis Festum idem celebrandum Dominica post octavam, iniuncto onere Parocho, vel aliis quibuscumque, omittendi praecedentem quaesitionem eleemosynarum ».

Atque ita rescripsit ac in posterum servari mandavit. Die 26 Aprilis 1834.

2716. DECRETUM GENERALE. (4730)

Quum ab anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horae-Diurnae, Missalia, Officia-Parva Beatissimae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae Maioris, Ritualia aliaque id genus, quae denuo praelo mandantur, non amplius praeseferant Reverendissimorum Ordinariorum Attestationes, queis declaretur haec Exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramitem Bullarum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum fuit declarari: Utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae, et an transgressores poenas inibi inflictas incurrerent? praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata exemplaria prae oculis in cusione habita sint; et eo vel magis quod secus non parum torquerentur conscientiae tum eorum qui lucrum ex Liturgicorum Librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum illi nullibi reperiantur hisce Attestationibus muniti; proptereaque demum concedi, ut sine ulla

dubitatione quis horum Librorum usum sibi permitti valeret.

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub die 7 Aprilis anno 1832 coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta et omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit, ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.*

Huiusmodi Declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt; et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16 Martii 1833 coacta, Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re iudicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas Aedes iuxta morem eadem Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque iam tertio audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit: *Detur Generale Decretum iuxta mentem.* Mens est, ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici Libri sine Attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta; et quoad illos, qui huiusmodi Attestatione destituuntur, et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod exemplar ex supradictis examini probatae Personae Ecclesiasticae subiiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe iuxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini, ac Missali anno 1826 praelo De-Romanis cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis, tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare, illiusque revisioni subiicere, et Attestatione eiusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit ac servari mandavit. Die 26 Aprilis 1834.

2717. OSTUNEN. (4731)

In Cathedrali non minus, quam in nonnullis aliis Ecclesiis Dioecesis Ostunen., in Festo Sacratissimi Cordis Iesu assolet Missa Solemnis celebrari cum cantu ante Sanctissimum Sacramentum solemniter expositum. Hodiernus itaque Cathedralis ipsius Archipresbyter Sacrorum Rituum Congregationi supplicavit humillime ut declarare dignaretur: Anne in memorata Missa solemni de Sacratissimo Corde Iesu apponi debeat commemoratio Sanctissimi Sacramenti? et quatenus affirmative, an ista locum habeat sub unica conclusione?

Et Sacra eadem Congregatio, ad Quirinale sub infrascripta die in Ordinario Coetu coadunata, omnibus mature perpensis et infrascripto Secretario referente, rescribendum censuit: « Commemorationem in casu esse omittendam ». Die 6 Septembris 1834.

2718. LAURETANA. (4733)

Sacerdos Archangelus Polidori Canonicus itemque Choro Praefectus Basilicae Lauretanae humillimis datis precibus enixe supplicavit, ut a Sacrorum Rituum Congregatione declaretur: Utrum in Responsoriis post Lectiones, quando duplex apponitur asteriscus, dicto versu, repetenda sint verba a primo asterisco ad versum usque, et post *Gloria Patri* repetitio incipere debeat a secundo asterisco ad versum usque, uti opinantur Cavalieri et Merati; an prima repetitio post versum prosequi debeat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum usque pro secunda repetitione, veluti Rubrica ad praxim redacta praescribit in Responsoriis Dominicae primae Sacri Adventus, et in Responsorio: *Libera me Domine,* Officii Defunctorum, uti fieri assolet in Ecclesiis Urbis, ac servandum praecipit orator in Basilica Lauretana, cuius sanctionis, veluti praxi conformis, confirmationem exposcit.

Huiusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta sub die habitis, reque mature perpensa, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi hodiernam consuetudinem in Choro Basilicae Lauretanae constitutam confirmarunt, ac proinde rescribendum cen-

suerunt: « Dividatur, et recitetur Responsorium prout in precibus ». Die 6 Septembris 1834.

2719. TARVISINA. (4735)

Reverendissimus Episcopus Tarvisinus Sebastianus Soldati Sacrae Rituum Congregationi Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Praefecto sequentes dedit litteras, nimirum: Binas factorum species, quas modo sum expositurus, ea de caussa, iudicio atque auctoritati Tuae subiiciendas curavi, Eminentissime et Reverendissime Princeps, tum ut, Te decernente, cognoscerem quid de iis sentiendum sit, tum ut ea augear potestate, qua me carere sentio.

Quaero igitur primo: An Episcopus licite possit extra actum dedicationis Ecclesiae immutare diem anniversarium dedicationis eiusdem, praecedenti Decreto iam constitutum ac firmatum; eo quod experientia demonstravit Oppidanos Paroeciae non posse ad Ecclesiam convenire ob impedimentum illa ipsa die quotannis incidens?

In casu negativo opportunam postulo facultatem.

Quaero secundo: An Episcopus successor rite lustrans pro munere suo pastorali Ecclesiam a Praedecessore suo ante annos multos dedicatam, licite possit iure ordinario prohibere, ne eadem Ecclesia in posterum duplici appelletur titulo in solemni dedicatione usurpato, tum quia novit Curiam episcopalem ipsosque Oppidanos loci quinquaginta ferme annorum spatio unico tantum titulo usos fuisse in Ecclesia appellanda, altero relicto; tum quia certo scit ex duplici hoc titulo post annos sane multos adhiberi coepto, iurgia, discordias, simulationes secuturas esse cum Oppidanis alterius Paroeciae eiusdem Oppidi, quae eadem gaudet appellatione?

In casu negativo, ad quaestiones ac lites praecavendas, etiam atque etiam postulo ut ex Apostolica speciali potestate mihi liceat ex duobus nominibus in dedicatione, minus fortasse prudenter adhibitis, illud supprimere, quod longa seculorum possessione, ad alteram Oppidi eiusdem spectat Ecclesiam.

Huiusmodi instantia per infrascriptum Secretarium relata in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perspecta diligenterque examinata, rescribendum censuerunt: « Negative in omnibus ». Die 6 Septembris 1834.

2720. ALEXANDRINA. (4737)

Quum Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium enodandum proposuerit Capitulum Cathedralis Alexandrinae Ecclesiae; nimirum: An ritus et formula dandi benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria post Missam Solemnem iuxta formulam praescriptam Episcopis, substitui possit ritui et formulae dandi benedictionem solemnem iuxta Caeremoniale Episcoporum: adeo ut dicto *Placeat,* omissa benedictione solemni, impertiri possit benedictio Apostolica, ut supra?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunati, ad relationem Secretarii, rescribendum censuerunt: « Negative; et servetur ritus ac forma in Romano Pontificali praescripta ». Die 23 Maii 1835.

2721. AQUAEPENDEN. (4738)

Archipresbyter et Clerus Oppidi Farnesii intra limites Dioecesis Aquaependen., ad propellendam omnem ambiguitatem quoad celebrationem Festi praecipui Patroni, Sacrae Rituum Congregationi supplicarunt humillime pro declaratione insequentium dubiorum; nimirum:

1. An post electionem et confirmationem Apostolicam Sancti Isidori Agricolae in Patronum praecipuum memorati Oppidi anno 1815 factam, incolae Oppidi ipsius teneantur adhuc ducere sub praecepto festivum diem nonum Novembris, in quo occurrit Festum Dedicationis Sanctissimi Salvatoris, cuius sub titulo erecta reperitur Ecclesia matrix, uti antea fieri solebat? et quatenus negative,

2. An hoc Festum titularis cum ritu competenti instituere debeant ipsa die IX Novembris; vel potius Dominica tertia Iulii, in qua Officium occurrrit Sanctissimi Redemptoris?

Huiusmodi dubiis per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature accurateque perpensis, rescribendum duxerunt.

Ad 1. « Non teneri ».

Ad 2. « Festum titularis in casu esse

Festum Transfigurationis Domini, ac proinde octavo Idus Augusti instituendum ».

Et ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 23 Maii 1835.

2722. LUCIONEN. (4743)

Ad removendam quamcumque dubitationem circa cultum praestandum Sanctissimae Crucis Ligno fidelium venerationi exposito, hodiernus Vicarius Generalis Lucionen. Dioecesis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia discutienda proposuit; videlicet:

1. An Caeremoniae in Missa coram Sacrae Crucis Ligno palam exposito, differant ab iis quae in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur.

2. Quum coram Sanctissimo Sacramento palam exposito omnes in Choro stant nudo capite, nec transeunt ante medium Altaris, quin genua flectant; quaeritur: Anne idem observari debeat coram Ligno Sanctae Crucis palam exposito?

3. Quum in hac Dioecesi, sicut in multis Galliarum Dioecesibus, Sacerdos benedicendo populum cum Sanctissimo Sacramento dicat cum cantu verba: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater etc.;* quaeritur: An possit aut debeat idem ritus servari etiam in benedictione cum Ligno Sanctissimae Crucis?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione ».

Ad 2. « Negative, ad utrumque; sed tantum unico genu in transitu ».

Ad 3. « Neutrum licere; iuxta Decretum in una Caputaquen. diei 9 Februarii 1762 ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 23 Maii 1835.

2723. MEXICANA. (4744)

Quum in Mexicanae Dioecesis Ecclesiis solemnis expositio Sanctissimi Sacramenti Quadraginta Horarum quatuor complectatur dies, dubitari assolet in qua ex duabus integris diebus celebrari debeat Missa votiva solemnis pro pace; quapropter ad omnem dubitationem eliminandam Sacrae Rituum Congregationi supplicatum est pro opportuna declaratione.

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi animadvertentes in Instructione Clementina, quoad modi expositionem § XIII, nil sancitum fuisse pro qualitate huiusmodi Missae votivae, ibidemque praescriptum fuisse Missam pro Pace celebrandam donec aliter Summus Pontifex constituat; probe censuerunt in Dioecesibus ab Ordinariis Locorum constituendum quae et quando Missa votiva tali occasione celebrari debeat: ac proinde in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta ad propositam quaestionem Dioecesis Mexicanae, respondendum censuerunt: « Arbitrio Episcopi, quoad qualitatem Missae votivae et assignationem diei, vel secundae vel tertiae ». Atque ita rescripserunt. Die 23 Maii 1835.

2724. ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI. (4747)

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit R. P. Iacobus Spratt Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, hodiernus Prior Collegii Sanctae Mariae in Posterula Urbis; nimirum:

1. Quando in Missa vel Officio dicuntur plures Orationes sub unica conclusione, et in prima Oratione vel secunda, non autem in ultima, nominatur Spiritus Sanctus; quaeritur: An in conclusione dici debet *in unitate eiusdem Spiritus Sancti etc.?*

2. An item dicendum *Per eumdem Dominum nostrum,* quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex praecedentibus tantum, fuerit nominatus?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, respondendum censuerunt: « Negative, ad utrumque ». Die 23 Maii 1835.

2725. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE HELVETIAE. (4748)

Sacram Rituum Congregationem supplex adivit R. P. Isidorus a Valesia Sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Provinciae Helvetiae, ac insequentia dubia declarari expetiit; nimirum:

1. An consuetudo benedicendi populum

cum sacra Pyxide, quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda; vel potius benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in Rituali Romano et in una Urbinaten. diei 26 Ianuarii 1793? et quatenus affirmative ad primam partem,

2. An tunc dicendum sit: *Benedicat vos etc.?*

3. An servanda sit consuetudo dandi benedictionem cum Ostensorio, quando cantatur versus: *Sit et benedictio;* vel potius impertienda sit benedictio, expletis Hymno et Oratione, uti habetur in Rituali Romano, Caeremoniali Episcoporum atque Decretis S. R. C. in Sabinen. die 5 Februarii 1639, et in Caputaquen. die 9 Februarii 1762?

4. An consuetudo pro Expositionibus minus solemnibus in Throno collocandi sacram Pyxidem et deinde cum ea benedicendi populum, possit licite observari, non obstantibus Ecclesiae prohibitionibus toties renovatis?

5. An consuetudo dicendi in Communione fidelium: *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* idiomate vulgari sit sustinenda; vel potius eliminanda, utpote contraria Rituali et Missali Romano?

6. An, praesente cadavere, liceat celebrare Missam privatam de Requiem in Ecclesiis ruralibus et aliis ubi Missa non solet cantari, diebus quibus permittitur unica Missa Solemnis de Requiem, praesente cadavere?

7. An Sabbato Sancto, celebrata Missa Solemni, liceat alteram Missam solemnem de Requiem celebrare, praesente Cadavere?

8. An in Responsorio *Libera me Domine* Officii Defunctorum, possint aut debeant repeti verba: *Quando caeli,* dicto iam ℣. *Tremens?* et an idem servandum sit, quoties in Officio Divino similis occurrit repetitio?

9. An formulae benedictionum, quae inveniuntur in libris ab Ordinariis tantum locorum; et non ab Apostolica Sede approbatis, retinendae sint; adeo ut in benedictionibus perficiendis, iisdem uti valeant Sacerdotes cotta et Stola induti?

10. Licet ne similibus benedictionum formulis vel aliis ab Rituali vel Missali depromptis benedicere, ac privatim exorcizare notorie haereticos vel protestantes qui ad Sacerdotes accedunt id enixe efflagitantes, ut liberentur a variis languoribus quibus opprimuntur? Notum est tales benedictiones ipsis quoad corpus et quoad alia temporalia proficuas fuisse et plerumque esse. Verum ratio dubii est, quod in praefatis formulis plerumque dicatur quod credant et confidant in Deum, Sanctorum protectionem etc.; quum tamen notorium sit ipsos veram Fidem Catholicam non habere?

11. In quibusdam Parochiis ad arcendas inundationes fluviorum Processio instituitur; et quum perventum fuerit ad ripam fluminis seligitur lapillus, qui immergitur in Cereo Paschali liquefacto et deinde a Sacerdote functionem sacram peragente proiicitur in torrentem: alibi quaedam guttulae liquefacti Cerei Paschalis effunduntur in flumen ad eius tumescentiam compescendam. Quaeritur: An haec vel similes praxes possint licite observari, quamvis videantur superstitiosae et ridiculae?

Huiusmodi dubiis ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis S. R. C. Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, omnibus mature perpensis et consideratis, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; iuxta Rituale Romanum, et Decretum Urbinaten. diei 26 Ianuarii 1793 ».

Ad 2. « Iam provisum in primo ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Consuetudinem esse eliminandam ».

Ad 6. « Iuxta alias decreta, non licere ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Dici debere ».

Ad 9. « Detur Decretum in Ariminen. diei 7 Aprilis 1832 ad dubium 4, nec aliae adhibeantur; dummodo non constet ab hac Sacra Congregatione fuisse approbatas ».

Ad 10. « Recurrat ad Sacram Inquisitionem ».

Ad 11. « Ut ad proximum ».

Atque ita Sacra Congregatio propositis dubiis respondendum censuit et declaravit. Die 23 Maii 1835.

2726. ORDINIS (4749) MINORUM REFORMATORUM S. FRANCISCI.

Ut uniformitas servaretur in divinis persolvendis laudibus sancitum est ab hac Sacra Rituum Congregatione ut uno eodemque die, nimirum quarto Nonas Iulii, Officium institueretur Dedicationis omnium Ecclesiarum trium Ordinum Sancti Francisci;

hinc hodiernus Guardianus Ordinis Reformatorum Sancti Francisci Civitatis Venusin. eamdem Sacram Rituum Congregationem requisivit humillime pro declaratione insequentis dubii; nimirum:

An quarto Nonas Iulii instituendum sit Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quum constet illam consecratam fuisse sexto Idus Octobris 1728, qua quidem die celebrandum esset quotannis Festum Dedicationis sub ritu duplicis primae classis cum octava?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, infrascripto Secretario referente, animadvertentes ab hac Sancta Sede id consilii potissimum captum fuisse, ut uniformitas induceretur in Calendario Seraphico, rescribendum censuerunt: « Officium Dedicationis propriae Ecclesiae faciendum die quarta Iulii ».

Atque ita servandum mandarunt. Die 23 Maii 1835.

2727. VERULANA. (4755)

Precibus Canonici Vespasiani Collegiatae Ecclesiae Frusinatis intra limites Dioecesis Verulanae, exquirentis: An ipse qui Canonicatum in ipsa Collegiata resignavit, retentis insignibus et stallo, possit celebrare Missam Conventualem?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii, rescribendum censuit: « Posse, consentientibus omnibus ». Die 23 Maii 1835.

2728. CUSENTINA. (4756)

Dum publicis in supplicationibus, cadaverum associatione aliisque eccclesiasticis functionibus, praecedentibus aevis interfuere Alumni Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum in Civitate Cusentina una cum Alumnis Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum, praecedentiam super Reformatos sibi iure vindicarunt, iuxta sancitas Leges a s. m. Gregorio Papa XIII, per Bullam *Exposcit pastoralis* editam octavo Calendas Sextiles Anno 1583 aliamque Urbani Papae VIII, quae incipit: *Nuper pro parte,* publici iuris factam XV Calendas Ianuarias anno 1637. Quum autem ob temporum calamitates aliquantisper Coenobio cedere debuissent Capuccini, post eorum reditum, occasione capta Patres Reformati vindicare sibi autumarunt ius praecedendi in iisdem functionibus ob quasi possessionem. Quaestione autem inter utramque partem circa ipsam praecedentiam exorta, dum illam privatim et amicabiliter, ut par erat, componere datum non fuit; Sacram Rituum Congregationem adivit R. P. Thomas a Treia Ordinis Reformatorum Procurator Generalis, atque in caussam ac iudicium vocavit R. P. Cherubinum a Mormanno Capuccinorum Ordinis Procuratorem itidem Generalem. Hinc coram R. P. D. Secretario concordato sequenti dubio: An, et cui competat praecedentia publicis in Processionibus, cadaverum associatione aliisque publicis functionibus in casu?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Ioannis Francisci Marco y Catalan Ponentis, omnibus mature riteque perpensis, consideratisque rationibus monumentisque hinc inde productis, rescribendum censuerunt: « Praecedentiam dandam esse Patribus Ordinis Capuccinorum ».

Atque ita rescripserunt et in casu servandum esse mandarunt. Die 8 Augusti 1835.

2729. BISINIANEN. (4757)

Quum hodiernus Archipresbyter Terrae Lutiorum Dioecesis Bisinianen. Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione proposuerit, nimirum: Num Diaconus superpelliceo et Stola indutus possit, de consensu Parochi, benedicere domos in Sabbato Sancto?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die habito, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuerunt: « Negative ». Die 8 Augusti 1835.

2730. DUBIUM. (4758)

Quidam Archiepiscopus, cuius Dioecesis non habet Suffraganeos, Pontificalia exercens Dominica Pentecostes in Ecclesia alienae Dioecesis de licentia Ordinarii, Pallio, Magistro Caeremoniarum suadente, usus est. Hinc quaerit utrum possit in posterum uti Pallio in designatis diebus extra suam Dioecesim, de licentia tamen Ordinarii loci?

Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, ad relationem Secretarii rescripsit: « Negative ». Die 8 Augusti 1835.

2731. MONTIS REGALIS (4760)
PROVINCIAE PEDEMONTANAE.

Septimo Idus Iunii quotannis in Ecclesia Cathedrali Montis Regalis Provinciae Pedemontanae celebranda venit, ex legato, Missa Solemnis de die cum cantu et assistentia Canonicorum; quae anticipari assolet praecedenti die, occurrente Dominica. Hisce positis hodiernus Archidiaconus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium enodandum proposuit; nimirum: An occurrente Vigilia Pentecostes, cantari possit dicta Missa, iuxta ritum pro Missis privatis praescriptum, cum Introitu *Quum sanctificatus fuero;* aut differenda vel anticipanda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale sub infrascripta die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Die 8 Augusti 1835.

2732. TARVISINA. (4763)

Reverendissimus Tarvisin. Episcopus, Sacram Rituum Congregationem humillimis adiens precibus, rogavit solutionem insequentis dubii; nimirum: An Episcopus, qui ex Apostolico indulto bis in anno solemnem Pontificiam benedictionem populo dare potest, quoties rationabili ex caussa Missam celebrare nequivit, possit pro illa die et vice censeri praeditus eadem delegata auctoritate populo benedicendi?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die coadunata, ad relationem Secretarii rescripsit: « Negative ». Die 8 Augusti 1835.

2733. EUGUBINA. (4765)

Ut animabus, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur, levamen obveniat, mos invaluit in Ecclesia parochiali Oppidi vulgo *Costacciaro*, et in alia Ecclesia ipsius Oppidi Ordinis Minorum Conventualium, intra fines Dioecesis Eugubinae, quatuor instituendi pro Defunctis Officia generalia per quatuor immediatas Ferias insequentes Dominicam quartam Quadragesimae; ad hunc enim finem erogantur eleemosynae a fidelibus oblatae ipsa Dominica quarta. Quum autem in praesentiarum dubitetur an celebrari valeat Missa Solemnis de Requiem ut in Anniversario, Officio aliquo ritus duplicis occurrente; hodiernus Archipresbyter Nicolaus Alberti Sacrae Rituum Congregationi duo sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. An praedicta Officia generalia habenda sint ut Anniversaria, ac proinde celebranda sit Missa de Requiem cum cantu, etiam occurrente Officio ritus duplicis, exceptis duplicibus primae et secundae classis? et quatenus negative: An liceat servare invectam consuetudinem?

2. Posito autem quod enunciata Officia transferenda sint ad dies ritus semiduplicis, quaeritur quae Missa tunc celebranda erit?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; ad secundam, sine indulto non licere ».

Ad 2. « Servetur particularis Rubrica ».

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt. Die 8 Augusti 1835.

2734. ALBEN. (4766)

Quum in Civitate Alben. dispositio sacrarum functionum Ecclesiae Sanctimonialium Ordinis Praedicatorum demandata sit Sacerdoti Cosmae Damiano Montanaro, Canonico Cathedralis ac in earumdem Sanctimonialium Asceterio Confessario Ordinario; ipse sui muneris esse duxit Sacrae huic Rituum Congregationi duo sequentia dubia pro opportuna solutione proponere, nimirum:

1. An liceat Feria V in Coena Domini in Altari Sacri Sepulchri apponere velum album, quod e magna Cruce descendens cooperiat Eucharistiam?

2. An Decretum Sacrae Rituum Congregationis, in una Dubiorum ad 6, sub die 17 Septembris 1822, prohibens pro Celebrante Sedem cameralem loco scamni cooperti tapete, comprehendat etiam ritum Dominicanum?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Affirmative ». Die 8 Augusti 1835.

2735. ORDINIS (4767)
MINORUM CAPUCCINORUM
PROVINCIAE ETRURIAE.

Rev. P. Antonius ab Aqua Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Etruriae

Sacram Rituum Congregationem humillimis datis precibus supplex adivit, ac circa insequentia dubia opportunas declarationes enixe efflagitavit; nimirum:

1. Quum aliqui Conventus Etruriae Titularem habeant Sanctum Martyrem vel Confessorem vel Virginem cum Officio et Missa propria, et in die octava desiderentur Lectiones secundi et tertii Nocturni propriae; quaeritur: An ipsa die octava omnia desumenda sint ab Officio diei Festi; vel potius Lectiones ipsae esse debeant de Communi?

2. Aliqui Sancti habent in tertio Nocturno Lectiones proprias, sed in particularibus Rubricis non dicitur an nona Lectio coniungenda sit cum octava, occurrente Homilia Vigiliae, Feriae vel Dominicae, aut etiam Lectione Sancti simplicis; hinc quaeritur an huiusmodi unio semper fieri debeat?

3. Dum Hebdomadarius in Choro pergit ad legendam Homiliam sive Lectiones tertii Nocturni, debet ne ad Evangelium tenere manus super Breviarium; vel potius iunctas ante pectus?

4. An in lectione Martyrologii annuncianda sint Officia votiva persolvenda insequentibus diebus?

5. An item annuncianda sint Officia per accidens translata?

6. Utrum Sanctimoniales Ordinis Capuccinorum, quae Ordinis ipsius Calendario utuntur, possint omittere Officia propria Ordinis ut persolvant Officia Dioecesis, aut vice versa?

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, omnibus mature perpensis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Lectiones secundi et tertii Nocturni in casu desumantur ex Octavario Romano ».

Ad 2. « Debent iungi si sint historicae; secus, possunt convenientius ».

Ad 3. « Ad libitum Hebdomadarii ».

Ad 4. « Affirmative, iuxta Rubricas et alias decreta ».

Ad 5. « Ut ad proximum ».

Ad 6. « Iuxta alias Decreta, praeter Officia Patroni principalis loci atque Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, non teneri nisi ad Officia, quae indulta sunt utrique Clero; nec debere, quoad alia, dimittere Calendarium Ordinis, quo utuntur ».

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt. Die 8 Augusti 1835.

2736. CASALEN. (4768)

Beatissime Pater.

Ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provoluti Praepositus et Canonici Collegiatae insignis Sanctae Mariae Novae Oppidi vulgo *Lu* Casalensis Dioecesis, devotissime exponunt a suprema benignitate Benedicti Papae XIV fel. rec. Praedecessoris Tui indultum obtinuisse vestiendi in quibuslibet functionibus capparum insignia ormesini violacei coloris, ut ex Bulla V Calendas Maii MDCCXLVIII.

Ast (qua de causa nescitur) Canonici tunc temporis loco ormesini violacei coloris, serico coloris cremisini, ad instar Cathedralis, usi sunt, idque servarunt usque in hodiernum diem; atque sic induti pluries adstiterunt, tam coram Episcopo quam coram Canonicis Cathedralis, nemine contradicente aut impugnante.

Occasione vero pastoralis visitationis anno elapso peractae, Canonici Cathedralis recursum porrexerunt Episcopo actu visitanti: quo istanter petierunt, ut Canonici perstringantur ad utendum colore violaceo in Bulla concessionis signato, et cremisinum deponendum.

Quamvis Canonici Collegiatae praescriptionem ab immemorabili allegare possent, attamen iurgia devitare cupientes apud Sanctitatem Tuam suppliciter expostulant, ut loco ormesini violacei coloris, colorem purpureum, ut ex signo hic apposito, benigne permittere digneris, quemadmodum conspicitur fieri in pluribus Pedemontanae Ditionis Collegiatis, Episcopo et Canonicis Cathedralis consentientibus.

Huiusmodi precibus ab infrascripto Secretario relatis in Ordinariis Comitiis Sacrae Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habitis; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: « Servetur dispositio Brevis s. m. Benedicti XIV ». Die 8 Augusti 1835.

2737. HIERACEN. (4774)

Precibus Sacerdotis Iacobi Barillon exquirentis ut a Clero Communitatis vulgo *Serra* Dioecesis Hieracen., cuius ipse est Procurator, continuari valeat usus sacrarum supellectilium ex gossypio confectarum;

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario

Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, rescripsit: « Episcopo, ut veris existentibus narratis, indulgeat, ut intra biennium supellectilia renoventur ad tramites Generalis Decreti, permisso interim earum usu quae nunc habentur ». Die 12 Martii 1836.

2738. LUCANA. (4775)

In universa Dioecesi Lucana Dominica V post Pentecosten fit Officium Sacri Cordis Beatae Mariae Virginis, quod in Ecclesia Clericorum Regularium Matris Dei celebratur magno populi concursu, sed ritu duplici maiori, ut in Calendario Dioecesis. At in Dominica praedicta quandoque cadit solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, aut Sancti Paulini Patroni principalis, utraque Festa primae classis cum octava; quapropter supradictum Officium Sacri Cordis pro iisdem etiam Clericis Regularibus transferendum est. Utroque tamen in casu unica Missa Solemnis canitur de Sacratissimo Beatae Virginis Corde; quod asseritur fieri posse ex Rubricis Missalis de Translatione Festorum titulo VI, quamvis plurimi contradicant.

Hinc proposito dubio a Clericis Regularibus Congregationis Matris Dei Lucae degentibus, quaeritur quid S. C. sentiat?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, ad relationem Secretarii, rescribendum censuerunt: « Secluso speciali indulto abusum esse et eliminandum ». Die 12 Martii 1836.

2739. TARVISINA. (4776)

Reverendissimus D. Sebastianus Soldati Episcopus Tarvisinus sequens dubium humillime proponit; nempe:

An Episcopus gaudens, prout est de more, privilegio Altaris portatilis, licite possit, si forte aliquando sit morbo impeditus, iubere ut aliquis ex Sacerdotibus sibi benevisis super idem Altare portatile, decenter collocatum iuxta cubiculum suum, Sacra peragat ad devotionis solatium? et quatenus negative, idem Episcopus enixe deprecatur pro huiusmodi indulto valituro, pro quocumque casu eveniente, usque ad eiusdem Episcopi obitum.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit: « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, indulto non indigere ». Die 12 Martii 1836.

2740. TRIDENTINA. (4777)

Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit R. P. Uldericus a Grigno Sacerdos Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum Provinciae Tridentinae, ut insequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. Quum iuxta Decretum Generale Sacrae Rituum Congregationis in responsione ad dubium 6, sub die 31 Martii 1821, eliminanda sit consuetudo apponendi Sanctorum Reliquias pictasque Imagines super Tabernaculo in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum Tabernaculum inserviat pro basi; quaeritur: An hoc Decretum valeat etiam pro Reliquiis Sanctissimae Crucis vel alterius Instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositis?

2. An iis in Ecclesiis, in quibus ob Sacerdotum defectum Celebrans in Hebdomada maiori decantare cogitur partem Passionis, illam decantare debeat in Cornu Evangelii?

3. An in Missa Conventuali, sive cantata sive plana, Passio legi debeat in Cornu Epistolae?

4. An reprobanda ac proinde eliminanda sit consuetudo, Feria sexta in Parasceve, de sero in Ecclesia et ad proprium Altare cum luminaribus, iterum collocandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

5. An liceat, eadem Feria sexta in Parasceve, in loco ubi asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro hac Feria, statim post Caeremonias ipsius Feriae, exponere publicae venerationi Reliquiam Sanctissimae Crucis, et ibi retinere usque crastinum, ad horam solemnis functionis, expositam? (1)

6. An in Provincia Tridentina, quae ab Imperatore Leopoldo I inter Provincias Germaniae adnumerata est, ab alumnis Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, absque Ordinarii licentia, praeter consuetas usuque receptas Sanctissimi Sacramenti expositiones, fieri possint extraordinariae, quae in illis Provinciis ex inveterata consuetudine introductae sunt?

7. An in Missa Conventuali plana omittenda sit in duplicibus secundae classis com-

(1) E. Dub. 6.

memoratio Simplicis, quando ratione Solemnitatis altera Missa cantatur?

8. An Litaniae Sanctorum, iuxta praescripta Rubricarum pro Nostratibus ex indulto Apostolico rite dispositae, sint modo de praecepto ita recitandae in Festo Sancti Marci et in Rogationibus?

9. An in dictis Feriis Missa Rogationum sit de praecepto celebranda, quae in hac Provincia ex inveterata consuetudine non est in usu?

10. An in diebus anniversariis Electionis et Coronationis Summi Pontificis, Collecta in Missa pro Eodem adiungenda sit de praecepto?

11. An toleranda sit vel eliminanda consuetudo inveterata, qua Sacerdos qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit vel ab eo recedit, sic sacris vestibus Sacrificii indutus et prae manibus Calicem tenens, ascendat in transitu ad Altare, in quo adest Sanctissima Eucharistia, ut ibi sacram Communionem fidelibus distribuat? et quatenus non sit toleranda: An, depositis Planeta et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba et Stola?

12. An Stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam esse debeat coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam esse possit alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ceu multi censent Doctores?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunati, singulis mature perpensis diligenterque examinatis, referente infrascripto Secretario, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « In Missa solemni tantum ».

Ad 4. « Abusum esse eliminandum ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Negative ».

Ad 7. « Negative, in casu ».

Ad 8. « Affirmative ».

Ad 9. « Affirmative, si fiat Processio Rogationum ».

Ad 10. « Affirmative ».

Ad 11. « Ad primam partem: Si adsit necessitas, posse tolerari; ad secundam, Provisum in prima ».

Ad 12. « Affirmative, ad utrumque ».

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. Die 12 Martii 1836.

2741. VALENTINA. (4778)

Sacerdos Spiritus Gustavus Iouve Canonicus et Eleemosynarius Episcopi Valentini quaerit:

1. Num teneatur ferre super habitu chorali Stolam, quando assistentiam praestat Episcopo, dum in Oratorio privato aut alibi Missam celebrat? et quatenus negative,

2. Num sibi liceat, absque violatione Rubricarum, Stolam ferre in casibus supradictis?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subsignati Secretarii, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Obstant Decreta ». Die 12 Martii 1836.

2742. ANAGNINA. (4779)

Quum hodiernus Praepositus Cathedralis Ecclesiae Anagninae (non obstante Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 21 Aprilis 1736, quo edicitur in una Anagnina in responsione ad dubium 9, praedicto Praeposito non deberi paramenta sacra et nobiliora in loco distinctio a ceteris Canonicis) praesumat hanc ipsam distinctionem sibi vindicare: nonnulli ex Canonicis ipsius Cathedralis ad Sacram Rituum Congregationem huiusmodi factum reclamarunt.

Et Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subsignati Secretarii, rescribendum censuit: « Episcopo administratori, qui ad tramites Decreti in Anagnina sub die 21 Aprilis 1736, provideat ». Die 12 Martii 1836.

2743. RHEDONEN. (4780)

Quum Reverendissimus Rhedonen. Episcopus animadverterit suae Dioecesis Parochos in nonnullis administrandis Sacramentis quoad quasdam caeremonias haud penitus inter se convenire, nec eam aeque ab omnibus servari uniformitatem, quam ipse maxime optaret; pro eo quo praestat studio ac diligentia ad rectum ordinem in Ritibus ac Caeremoniis Ecclesiae servandum, Sacrae Rituum Congregationi humillime sequentia dubia enodanda proposuit ad hunc finem aliquando obtinendum; videlicet:

1. Anne, ultra pedum pars superior, inferior quoque ungenda sit in Sacramento Extremae Unctionis?

2. Utrum in Nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio annuli?

3. Quaenam servari debeant caeremoniae et preces, quando supplendae sunt cum adulto Catholico valide post nativitatem baptizato, omissis tamen caeremoniis quae, iuxta Rituale, Baptismum praecedere vel sequi debent? an scilicet illae quae in Rituali assignantur pro Baptismo adultorum, vel quae pro Baptismo infantium?

4. Quaenam ex his Caeremoniis servari debeant, quum adultus ab haeresi ad Fidem Catholicam conversus baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi ipsi a Ministro haeretico collati?

5. Utrum Indulgentia pro defunctis assignata iis applicari possit in Missis in Altari privilegiato celebratis, quando, ex statuto, celebratur de die aut festo in iis diebus, in quibus occurrit Missa de festo simplici, aut propria de feria occurrente?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddito praeloque cuso, ad relationem Emi et Rmi D. Card. Caroli Mariae Pedicini Episcopi Praenestini, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii, eidemque S. C. Praefecti et Causae huius Ponentis, rescribendum censuit: Iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nimirum:

Ad 1. « Nihil innovandum ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Caeremoniae et preces serventur, quae in Rituali assignantur pro Baptismo infantium ».

Ad 4. « Quatenus supplendae sint vel supplendae credantur caeremoniae, ut in dubio, illae supplendae sunt, quae pro adultorum Baptismo sunt praescriptae ».

Ad 5. « Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2744. LUCERINA. (4781)

Capitulum et Canonici Regiae Cathedralis Lucerinae, superioribus annis, novo illius Ecclesiae splendori et ornamento prospicientes Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI humillime supplicarunt, ut memoratum Templum antiquitate ac maiestate celebre Basilicae Minoris titulo insignibusque decorare dignaretur, ipsosque Canonicos Pontificalium usu ad instar Abbatum in sacris peragendis officiis ornare. Benigne clementerque a Sanctitate Sua excepto supplici libello, per Apostolicas Litteras in forma Brevis expeditas die 8 Augusti 1834, Cathedrale Templum Lucerinum Basilicae Minoris Titulo fuit decoratum; sed Pontificalium usus Sacrae Rituum Congregationis auctoritati et iudicio ab Eadem Sanctitate Sua subiectus fuit.

Et S. R. C., in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes die 6 Septembris eiusdem anni 1834 coadunata, re mature diligenterque discussa: « Negative » rescribendum censuit.

Quum autem in recensitis Litteris generice sermo instituatur de privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae Basilicae Minores utuntur, harum Litterarum Secretarium Canonici adiverunt, postulantes ut sibi significaretur quidnam privilegiorum, gratiarum ceterorumque praemissorum nomine veniat, quibus dum Titulo Basilicae Minoris Ecclesia aliqua decoratur, illius Canonici honestantur. Nulla apposita declaratione recepta, per alium supplicem libellum Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicarunt, ut sibi significaretur quod eorumdem verborum seu vocum nomine veniret: hoc potissimum fine, ne, aut concessionis fines ipsi excederent, aut aliquid sibi ex concessis adimerent.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis iterum ad Vaticanas Aedes die 12 Martii vertentis anni coadunata rescriptum supplici libello fuit: « Dilata; et exquiratur votum Magistri Caeremoniarum ». Omnibus propterea rite postmodum dispositis, redditoque huiusmodi Magistri Caeremoniarum voto, quod fuit etiam typis cusum ut prae omnium manibus haberetur; in Ordinario demum Coetu ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunato, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Iacobi Brignole Ponentis, re mature diligenterque discussa ac rite librata, rescribendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum, excepta palmatoria; declaravit nimirum nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum ceterorumque similium, quae continentur in Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis favore alicuius Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire: Conopaeum, omni tamen auri et argenti ornato ab eo excluso, tintinnabulum et usum cappae magnae ».

Atque ita declaravit ac servari mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2745. VERONEN. (4782)

Ut omnia quae Dei cultum respiciunt ad aedificationem et secundum ordinem fiant, quo sacris concilietur reverentia, excitetur in populis fides, servetur mysteriis gratia et maiestas, alte animo defixum habens, Reverendissimus Veronen. Episcopus Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, nonnulla exponens dubia per eiusdem oraculum solvenda: ut et corrigantur, si quae emendanda in sua Dioecesi reperiuntur; et ea omnia quae ad praxim Sacrorum Rituum et Rubricas observandas concurrere possunt, magis magisque innotescant.

Et S. R. C., in Ordinario Coetu ad Vaticanas Aedes die 12 Martii vertentis anni coadunata, rescribendum censuit: « Ponatur in Folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum ».

Hisce omnibus de more servatis, iterum proposita sunt eiusdem Episcopi pro opportuna solutione sequentia dubia; nimirum:

1. Quid dicendum de consuetudine a doctis piisque Sacerdotibus, Ordinariis non contradicentibus, usurpata?

2. Dum ex Constitutione Benedicti XIV Summi Pontificis die 13 Decembris 1740, conceditur Indulgentia in memoriam Agoniae Domini Nostri Iesu Christi pro singulis sextis Feriis, quaeritur: An pulsatio Campanae fieri debet hora tertia post meridiem, ut innuit laudata Constitutio, horologii italici; vel hora vigesima prima, uti vult libellus Romae editus anno 1834, inscriptus: *Raccolta di Orazioni e pie opere ecc.* Typis Perego-Salvioni?

3. Utrum benedictio Apostolica pluries impertiri possit novo mortis periculo redeunte?

4. Utrum liceat simplici Sacerdoti superpelliceo et Stola induto post Vesperas, Litanias et Preces immediate Altare ascendere et populum dimittere, eum benedicendo nuda manu per verba: *Benedictio Dei omnipotentis etc.* ut praescribitur a Rituali post Communionem extra Missam?

5. Utrum verbum *Deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus Ritualis rubro charactere impressum, omittendum sit?

6. Quum in quibusdam Ecclesiis occasione Orationis Quadraginta Horarum suspendatur Oratio a Vesperis usque ad unam vel duas horas post solis ortum diei sequentis, ne nocturno tempore scandala oriantur; quaeritur: Utrum ab aurora usque ad Eucharistiae expositionem in Missis dici possit Collecta de Sacramento; an solum tempore Expositionis, hoc est per unicum spatium quadraginta horarum interruptarum? (1)

7. Quum Parochus noverit sacrum Viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti proximo, nisi celebret in Oratorio domestico indulto Apostolico erecto domui infirmi; quaeritur: Num possit a privato Oratorio Sanctissimum Sacramentum deferre? et quatenus affirmative: Num in tali casu celebrare possit etiam indultario absente?

8. Potest ne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quae ad Sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant Altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?

9. Utrum Officiis alicui Dominicae assignatis, puta Puritatis, Maternitatis Beatae Mariae Virginis etc. in Dioecesano Calendario, in aliqua peculiari Ecclesia Festo maioris ritus perpetuo impeditis, debeat assignari alia dies fixa; an perpetuo omitti?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, mature diligenterque omnibus perpensis, praesertim iis quae allata sunt in exquisita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Ioannis Francisci Marco y Catalan Ponentis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Recurrat in casibus particularibus ».

Ad 2. « Ad Sacram Congregationem Indulgentiarum ».

Ad 3. « Ut ad proximum ».

Ad 4. « Affirmative, si adsit consuetudo ».

Ad 5. « Ad Sacram Universalem Inquisitionem ».

Ad 6. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 7. « Affirmative, etiam absente indultario ».

Ad 8. « Affirmative, urgente necessitate ».

Ad 9. « Ad primam partem, Negative; ad secundam, Affirmative; nisi supplicetur pro translatione ».

(1) E. Dub. 7, 9 et 12.

Atque ita respondit, decrevit ac servari mandavit.

Die 27 Augusti 1836.

2746. CAPUANA. (4784)

Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Serra Cassano Archiepiscopus Capuanus Sacrae Rituum Congregationi sequentem porrexit supplicem libellum, pro declaratione nonnullorum dubiorum; ut infra:

Quum a Sacra Rituum Congregatione concessa fuerint pro hac Archidioecesi Capuana Officia Sanctorum Summorum Pontificum Romanorum sub ritu duplici, et quum nequeant nonnulla celebrari diebus propriis ob occurrentiam aliorum Sanctorum tam Dioecesis quam Regni, et haud valeant eadem transferri ob dierum deficientiam, sequentia dubia declaranda proposita sunt; videlicet:

1. An liceat anticipare perpetuo Officia praedicta noviter concessa, assignando ipsis dies circa initium anni?

2. An occurrente Festo duplici ex praedictis in semiduplicibus, liceat ista perpetuo instar simplicium celebrare, ne prorsus omittantur?

3. An semper liceat nonnulla Festa semiduplicia instar simplicium celebrare?

Sacra Rituum Congregatio, coadunata ad Quirinale in Ordinariis Comitiis, referente infrascripto Secretario, respondit: « Negative in omnibus ».

Die 27 Augusti 1836.

2747. LUCIONEN. (4785)

Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, quum ab infrascripto Secretario acceperit pro parte Magistri Caeremoniarum Reverendissimi Episcopi Lucionen. requiri: An Reliquia Sanctissimae Crucis Domini Nostri Iesu Christi, fidelium venerationi exposita, iisdem caeremoniis honorari debeat, quibus honoratur Sanctissima Eucharistia, pariter solemniter exposita; quumque compererit alias, et praesertim in una Varsavien. in responsione ad dubium septimum sub die 7 Maii 1746, sancitum fuisse, ut ante ipsum Lignum Crucis genuflectatur unico genu, et ut in thurificatione Sacerdos non genuflectet; rescribendum censuit: « Detur Decretum in Varsavien. in responsione ad dubium septimum, die 7 Maii 1746 ».

Atque ita rescripsit, servarique mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2748. MINORICEN. (4787)

Ut in ecclesiasticis Caeremoniis sacrisque Ritibus singula ex ordine procedant, Rmus Episcopus Minoricen. sui muneris esse duxit Sacram hanc Rituum Congregationem adire, ac insequentium dubiorum declarationem efflagitare; nimirum:

1. An in Missa Sancti Vincentii Levitae Martyris, de quo in Regno Hispaniarum Officium quotannis persolvitur, ex Apostolico indulto diei 5 Iulii 1819, sub ritu duplicis secundae classis cum octava, dicendum sit Symbolum Nicaenum?

2. Quum ob elevationem ritus memorati Officii Sancti Vincentii, alia die instituendum sit Festum Sancti Anastasii Martyris, quaeritur: An pro Officio Sancti Anastasii, assignari possint ad libitum Lectiones tertii Nocturni et Missa de Communi?

3. An item liceat in quolibet Officio assignare ad libitum Missam de Communi, quae est primo loco et Homiliam quae in eodem Communi habetur, vel secundo, vel tertio loco, vel e converso?

4. An observanda sit Rubrica, quae in aliquibus Breviariis praecedit Evangelium *Nolite arbitrari* et Homiliam, scilicet pro Martyre non Pontifice, quando dicitur Missa *In virtute tua;* vel ea quae habetur pro Martyre non Pontifice? (1)

5. Quum pro nonnullis Sanctis propriis Regni Hispaniarum, de quibus recitatur Officium ritu duplici minori, habeantur Lectiones primi Nocturni de Communi, pro aliis vero de Scriptura occurrente, quaeritur: Quae certa regula sequi debeat quoad memoratas primi Nocturni Lectiones in Officiis duplicibus minoribus?

6. An quoad easdem Lectiones primi Nocturni in duplicibus minoribus standum sit dispositionibus Directorii vel Breviarii?

7. An licitum sit in duplicibus minoribus et etiam semiduplicibus Lectiones primi Nocturni pro lubitu desumere vel de Communi vel de Scriptura; quando diversitas extat inter dispositionem Directorii et Breviarii?

8. An illa Festa, quae prius concessa fuere aliquibus Ecclesiis vel Dioecesibus cum Lectionibus primi Nocturni propriis

(1) E. Dub. 5.

vel de Communi, et quorum deinde concessa fuit extensio pro omnibus Hispaniarum Regnis vel pro toto Clero cum Lectionibus propriis, retinere debeant Lectiones primi Nocturni proprias vel alias sumere de Communi.

9. An in omnibus Festis in quibus habentur Responsoria propria, semper in Nocturno Lectiones sumi debeant de Communi?

Eminentissimi itaque et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, re mature diligenterque examinata acceptaque ab infrascripto Secretario fideli relatione, singulis propositis dubiis satisfacientes respondendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative, ex concessione ».

Ad 2. 3. et 4. « In casu dicendam esse Missam *In virtute,* cum Evangelio *Si quis venit.* In similibus, supplicetur particulariter ».

Ad 5. « Lectiones primi Nocturni in casu esse de Scriptura, nisi diversae in indulto expresse assignentur ».

Ad 6. 7. et 8. « Iam provisum in proximo ».

Ad 9. « Affirmative ».

Atque ita rescripsere ac servandum omnino mandarunt. Die 27 Augusti 1836.

2749. SOANEN. (4789)

Ab immemorabili et numquam interrupta consuetudine illud est in more positum penes Capitulum Cathedralis Soanen. Ecclesiae, ut quoties Canonicus (qui ob paucitatem Sacerdotum insimul munus exercet Parochi in Ecclesia sub titulo Beatae Mariae Virginis eiusdem Civitatis) Hebdomadarii officium in Choro diebus Festis, quibus tantum in recensita Cathedrali Chorus agitur, exercere debeat, toties in praedicta Ecclesia parochiali Hebdomadarii officium peragat eiusdem Cathedralis Praepositus. Hodiernus autem Praepositus, quin plausibilis ei excusatio suffragetur, in praesentiarum hoc praestare renuit. Ad parochianorum ita assistentiae providendum vitandasque controversias et dissidia, ac pacem quoad fieri potest inter Sacerdotes servandam, Paulus Febri Canonicus Parochus Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia humillime proposuit pro opportuna solutione; nimirum:

1. An supradicta vetusta consuetudo, tamquam vim legis habens, debeat et possit sustineri?

2. An Dioecesanus Episcopus reluctantem Praepositum ad eamdem consuetudinem retinendam cogere possit et quomodo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, attenta potissimum enunciata consuetudine ac Reverendissimi Episcopi informatione et voto, rescribendum censuit ad utrumque dubium: « Affirmative in omnibus, ad formam consuetudinis ». Die 27 Augusti 1836.

2750. VALVEN. SULMONEN. (4791)

Festum Visitationis Deiparae ex Apostolico indulto in Regno utriusque Siciliae instituitur sub duplici praecepto. Quum vero huiusmodi Festum vulgari titulo nuncupetur *Gratiarum;* Reverendissimus Episcopus Valven. Sulmonen. anceps haerebat quodnam Officium recitandum esset die secunda Iulii, illudne Visitationis an aliud Beatae Mariae Virginis Gratiarum? Ad tollendam quocirca dubitationem omnem, humillimas porrexit preces Sacrorum Rituum Congregationi, opportunam exposcens declarationem;

Et S. R. C., in Ordinario Coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit: « Servetur Festum de praecepto cum Officio Visitationis Beatae Mariae Virginis ». Atque ita in posterum servandum esse mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2751. VENUSINA. (4792)

Precibus Parochorum Civitatis et Dioecesis Venusinae reclamantium ius canendi Missam in funebribus suorum Parochianorum, quod quidem ius controvertitur a Cappellanis Confraternitatum in quarum Ecclesiis defunctorum cadavera efferuntur;

Sacra Congregatio Rituum, inhaerendo alias statutis, rescribendum censuit: « Detur Generale Decretum Urbis et Orbis, diei 11 Ianuarii 1704 ad dubium 20; dummodo defunctus sit parochianus ». Die 27 Augusti 1836.

2752. CONGREGATIONIS MISSIONIS. (4793)

Quod iugiter in votis habuerunt Presbyteri Congregationis Missionis Provinciae Neapolitanae, ut sibi nimirum concederetur altera Domus, tum pro Tyronibus instruendis

tum pro spirituali recessu eorum qui ad Sacros promoventur Ordines; illud denique Deo adiuvante concessum est, et adsignatum Coenobium in ipsa Civitate Neapolitana olim Ordinis Discalceatorum Sancti Augustini, ac novissime a Carthusianis dimissum. Quoniam vero penes eamdem Congregationem illud in more positum est, ut quando intra eamdem Civitatem binae sint constitutae domus, eiusdem Alumni ad Superioris nutum alterutram incolant; proptereaque Visitator eiusdem Congregationis et Provinciae ad uniformitatem obtinendam, utque nova haec Domus omnia illa assequatur, quae ex privilegio, gratia et indulto ceterae habent, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut Tyrocinii Domus Neapolitana (olim Coenobium Sancti Nicolai) in praesentiarum Congregationis Missionis, sequenti indulto gaudeat; nimirum:

1. In Nocte Nativitatis Domini intra Missarum Solemnia sacram Synaxim ministrandi Clericis, Confratribus et Familiaribus Congregationis non solum, verum etiam Clericis externis, praesertim Congregationis Conferentiae, qui Ecclesiam ea nocte frequentare consuescunt;

2. Canendi in Choro Vesperas sicut infra octavam Corporis Christi Dominica ipsius Festum conseguente; etsi per accidens aliud occurrat Officium ritus duplicis;

3. Celebrandi Feria V in Coena Domini, ianuis clausis, unicam Missam lectam ante Solemnem; in qua ministretur Sacra Eucharistia Confratribus qui ministeriis domus temporalibus addicti sunt.

4. Ut Sanctus Vincentius a Paulo Congregationis Missionis Institutor assumi valeat Contitularis novae Ecclesiae;

5. Ut, quoniam in huius Ecclesiae Ara principe nulla extat Icon, collocari ibidem valeat illa B. Mariae Virginis Conceptionis titulo, sed ad illam formam effigiata quam refert Numisma Parisiis anno 1830 cusum; (1)

6. Ut in hac Ecclesia assignari valeat Festum Sancti Vincentii a Paulo die octava, hoc est 26 Iulii, sub ritu duplicis secundae classis primisque cum Vesperis de eodem, etiam si concurrant secundae Vesperae Sancti Iacobi Apostoli, de quo hoc casu fiat tantum commemoratio;

7. Ut, quoniam praeter Aram maximam eiusdem Ecclesiae, etiam aliud Altare Icone destituitur, hoc in Altari collocari valeat Icon Sancti Vincentii a Paulo Fundatoris;

8. Denique, ut, quoniam Anniversarium Dedicationis huius Ecclesiae incidit in aliam diem ab ea, qua peragitur in alia Ecclesia veteris Domus; ut de eo agi valeat eadem die pro uniformitate cum primaria Ecclesia.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinario in Coetu coadunata, ad relationem subscripti Secretarii omnibus rite matureque libratis, respondendum censuit:

Ad 1. 2. et 3. « Pro gratia in omnibus; dummodo, quoad Vesperas in Dominica infra Octavam Corporis Christi, privatim recitent Vesperas diei qui ad Horas Canonicas tenentur ».

Ad 4. « Non expedire ».

Ad 5. « Negative; et apponatur Imago Sancti Nicolai Titularis ».

Ad 6. « Pro gratia ».

Ad 7. « Affirmative, iuxta modum; nimirum, ut quoniam in collocatione Iconis Sancti Nicolai in Ara principe duo remanent Altaria collateralia vacua, in his poni valeat Imago Sancti Vincentii ex una, et Imago Conceptionis Beatae Mariae Virginis ex altera parte iuxta veterem morem expressa, nusquam vero ad instar supradicti Numismatis; dummodo tamen iisdem in Altaribus collocetur in ovali figura super gradus candelabrorum etiam Imago illius Sancti, sub cuius titulo constat Altare fuisse consecratum, iuxta Decreta s. m. Alexandri Papae VII ».

Ad 8. « Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2753. PRAENESTINA. (4794)

Ut in ecclesiasticis functionibus sacrisque caeremoniis omnia rite procedant, Capitulum Cathedralis Basilicae Praenestinae Sacrae Rituum Congregationi sequentia proposuit dubia pro opportuna declaratione ac solutione; nimirum:

1. An Gubernator et Magistratus Civitatis dum vestibus Consularibus induti consuetis diebus ad Cathedralem accedunt, excipi debeant ab alterutro ex Canonicis vel Capitularibus cappa induto, qui aspergillo ipsis aquam benedictam porrigat?

2. An idem Magistratus possit tapete vel strato ornare proprium scamnum, situm in medio Ecclesiae, ac serica pulvinaria genuflexorio superimponere?

3. An Canonici aliique Capitulares, vel

(1) E. Dub. 6.

coniunctim vel seorsim, ad Chorum euntes vel redeuntes, teneantur exhibere actum reverentialem Magistratui stanti in proprio scamno? et in casu affirmative, quomodo?

4. An idipsum praestandum quoque sit a Celebrante et Ministris paramentis indutis?

5. An in solemni supplicatione Sanctissimi Corporis Christi, Gubernator et Magistratus cum intortitiis accensis incedere possint immediate post Sanctissimum Sacramentum ad instar Maiorum Magistratuum?

6. An Feria V in Coena Domini ad accipiendam sacram Synaxim accedere possint ad gradus Altaris? et quatenus negative: An saltem ipsis dispensari debeat Sanctissimum Sacramentum intra septa Presbyterii, scamno ad hoc parato?

7. An Gubernator Civitatis thurificari debeat triplici ductu; quum Dignitates, Canonici et reliqui de Magistratu duplici tantum ductu cohonestentur?

Huiusmodi itaque dubiis ab infrascripto Secretario propositis in Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis die 8 Augusti superioris anni 1835, antequam Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi quidquam rescriberent, sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris requirendam esse satius duxerunt; ac proinde rescribendum censuerunt: « Exquiratur super omnibus votum Magistri Caeremoniarum ». Ad tramitem quocirca enunciati Rescripti, habito huiusmodi voto, ac iterum proposita Causa in novo Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunato, re mature diligenterque perpensa, in omnibus iuxta votum ipsius Magistri Caeremoniarum propositis dubiis respondendum esse censuerunt:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Magistratui competere sedile ligneum sine suppedaneo, panno coopertum: lanea item, et non serica pulvinaria genuflexorio superposita, ut in una Baren. diei 2 Septembris 1690 ».

Ad 3. « Affirmative, capite detecto ».

Ad 4. « Affirmative, sed capite tecto ».

Ad 5. « Negative; ad tramitem Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 33, § 5 ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem ».

Ad 7. « Negative; sed duplici ductu tantum ».

Atque ita Sacra Rituum Congregatio rescripsit ac in omnibus servari mandavit. Die 27 Augusti 1836.

2754. FLORENTINA. (4795)

Ad preces Reverendissimi Archiepiscopi Florentini expetentis indultum, cuius vigore Canonicus suae Metropolitanae Ioseph Chiecchini, incumbens constructioni Processus Ordinarii Servae Dei Reginaldae Tosetti, participare valeat de distributionibus choralibus, quamvis hac de caussa Choro non intersit;

Sacra Rituum Congregatio rescripsit: « Non indigere; et detur Decretum in Neapolitana diei 23 Decembris 1817, quo declaratur Dignitates et Canonicos ubique locorum existentes, qui construendis Processibus Ordinariis vel Apostolicis operam dabunt, licet e Choro ea de causa absint, lucrari nedum quotidianas distributiones, verum etiam alias omnes, quocumque iure, titulo et nomine, et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes. Hoc autem indultum locum habere intelligitur iis tantum diebus, quibus conficiendis et adornandis Inquisitionibus incumbunt ». Die 27 Augusti 1836.

2755. SENOGALLIEN. (4796)

Contradicente altero ex Parochis loci Montis Novi in Dioecesi Senogallien. usui Stolae deferendae a Cappellano Confraternitatis Vexillariorum eiusdem loci; Sacrae Rituum Congregationi enixas dederunt preces Priores ipsius Sodalitatis pro consuetudinis manutentione, atque insuper pro declaratione: Num praedictus Cappellanus in publicis Processionibus, cadaverum associatione aliisque functionibus, quibus intervenit Confraternitas, Stola e collo pendente uti possit?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis, rescribendum censuerunt: « Iuxta alia Decreta, pro gratia ». Die 27 Augusti 1836.

2756. CIVITATIS CASTELLANAE. (4797)

Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis Civitatis Castellanae exponunt R̃mum Emygdium Mattei Canonicum et Vicarium Generalem eiusdem Civitatis atque Dioecesis, ab Urbe nuper reversum, vestes gerere nigri coloris, Protonotarii Apostolici proprias; quibus utens praesumit sequentes in posterum sibi deberi honorificentias; nimirum:

1. In Processionibus digniorem locum tenere ad dexteram Canonici Stola induti;

2. Caudam demittere in iisdem Processionibus, et caudatarium qui sibi inserviat habere;

3. Missam lectam vel cantatam extra Cathedralem celebrare, cauda demissa eaque per Clericum sustenta, nec non assistentibus sibi ad Missam lectam duobus Canonicis, plus quam binis candelis accensis in Altari, necnon ad istud Calice prius delato: quamobrem recurrentes humiliter rogant ut, necessariis adhibitis provisionibus, abusus supra recensiti impediantur, et omnia ad normam Decretorum Sacrae Rituum Congregationis ordinentur.

Cuiusmodi precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito, Eminentissimi et Reverendissimi Patres in voto fuere, ut scriberetur Episcopo ceu sequitur:

Rm̃e Dñe uti Frater.

« Quum ad hanc Sacram Rituum Congregationem pervenerint preces Capituli istius Cathedralis Civitatis Castellanae, quas Amplitudo Tua in hunc eumdem fasciculum coniectas reperiet; quumque Capitulum ipsum necessariam exposcat provisionem ad eliminandos nonnullos abusus, quos irrepsisse asserit ex quo hodiernus Vicarius Generalis Dioecesis ipsius inter Protonotarios Titulares adlectus fuit; hinc in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Serventur Decreta ac novissima Constitutio quoad Protonotarios Apostolicos s. m. Pii Papae VII.* Ad praecavendas vero quascumque dissensiones satius esse duxit ipsa Sacra Congregatio Amplitudini Tuae iniungere, ut provideat quoad singula, quae indebite ab ipsomet Vicario exquiruntur. Sancitum est enim pluries in similibus, quod si Processionibus intersunt Vicarii Generales (quod valet etiam de Protonotariis) et non occupent locum propriae receptionis, incedant quidem ultimo loco, verum distributiones amittant, ac longiores vestis talaris fimbrias extensas seu solutas gestare nequeant, quum non sint Functionarii. Quoad vero Sacri celebrationem, conformare se debent in omnibus memoratae Constitutioni s. m. Pii Papae VII Idibus Decembris 1818. Hanc itaque Sacrae Congregationis mentem Amplitudinis Tuae erit omnimodae exequutioni demandare, ea qua decet prudentia, ut cunctis in pace dispositis ac ordinatis, nec in minimo laedantur huius Sanctae Sedis quoad ecclesiasticas functiones providentissimae Sanctiones. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat. Romae 27 Augusti 1836.

2757. SANCTI MINIATI. (4798)

Ex quo parochialis Ecclesia Deo in honorem Sancti Donati dicata, loco vulgo *Castel-Martino,* Dioecesis Sancti Miniati ita seiuncta fuit a Plebania nuncupata *Cacina* ipsius Dioecesis, ut aquam pro administratione Baptismatis sibi comparare deberet ab Ecclesia matrici; populum inter et populum innumerae ortae sunt controversiae in praesentiarum vigentes: queis evellendis componendisque Reverendissimo Episcopo hoc unum opportunum satis remedium visum est, erigendi nimirum Fontem Baptismalem in parochiali Ecclesia Sancti Donati, a Parocho pro tempore statis diebus benedicendum; quin inde in aliquo laedantur iura Ecclesiae matricis, quae sarta semper et tecta esse debent. Apostolicum ad id indultum humillimis datis precibus a Sanctissimo Domino Gregorio XVI Pontifice Maximo expostulabat Parochus Sancti Donati; queis sua vota adiecit Reverendissimus Sancti Miniati Episcopus.

Sanctitas Sua, audita ab infrascripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, perpensisque rationum momentis ab eodem Reverendissimo Episcopo in suis testimonialibus litteris expositis: « De speciali gratia in exemplum non afferenda, benigne annuit iuxta petita, commisitque eidem Reverendissimo Episcopo, ut summa prudentia singula ad pacem componat ac diligentissime curet, ne vel in minimo praeiudicetur iuribus Ecclesiae matricis ». Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Septembris 1836.

2758. MASSEN. (4799)

Antequam Dioecesis Massensis canonice erigeretur, quod accidit novissimis temporibus, maxima pars locorum Dioecesim hanc in praesentiarum efformantium, etiam Ducatus Massae et Carrariae Principatus, subiiciebatur spirituali Episcopi Lunen. et Sarzanen. iurisdictioni; cuius Dioecesis quum praecipuus sit Patronus Sanctus Andreas Apostolus, Festum eius universa in Dioecesi, et Massae quoque et Carrariae, de praecepto servabatur; eo vel magis, quod idem Apostolus est Titularis Collegiatae Ecclesiae Carrariensis. Primus Dioecesis Massen. Epi-

scopus Franciscus Maria Zoppi, Cleri uniformitati et gregis spirituali bono prospiciens, Calendarii reformationem Festorumque reductionem obtinuit Decreto 11 Iulii 1827, et quum maxime percuperet suae Dioecesi Patronum assignare, exquisito Principum assensu, de Sanctae Sedis Apostolicae benignitate Sanctus Franciscus Assisiensis datus fuit Decreto diei 10 Septembris 1828; ea tamen lege, iuxta placitum Decretorum s. m. Urbani Papae VIII, ut celebratio Festi Sancti Andreae supradicti cessaret. Rebus ita dispositis, quisque per se facile animadvertere poterat, praesertim si quid Rubricarum praegustaverit, quo ordine essent haec Officia recitanda et Festum de praecepto servandum. Non omnibus vero res pariter arrisit; et pro parte Capituli et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Carrariensis Dioecesis Massen. Sacrae Rituum Congregationi proposita fuere sequentia dubia; nimirum:

1. Qui ritus debeat servari in Officio proprii Titularis?

2. Quodnam Festum cum integro praecepto servari debeat in Ecclesia Carrariensi? an Sancti Andreae Apostoli antiqui Titularis et Sancti Cechardi Patroni principalis; vel Sancti Francisci novi Titularis et Patroni?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes nono Calendas Iunii Anno 1835 Ordinariis in Comitiis coacta, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, respondendum censuit: « Ponatur in Folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum ».

Huiusmodi voto audito praelisque cuso, sexto Calendas Septembris insequente Anno 1836, iterum propositis supradictis dubiis ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Thoma Weld Relatore, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis accurateque libratis, rescribendum censuerunt: « Dilata, et scribatur Episcopo ad mentem. Mens fuit ut Episcopus Sacram Congregationem doceat: An, et quo iure Festum Sancti Andreae celebretur de praecepto, et quibus in locis Massen. Dioecesis celebretur Festum Sancti Cechardi; atque insuper exhibeatur Decretum diei 11 Iulii 1827 et Decretum ultimi Episcopi super uniformitate Calendarii et reductione Festorum ».

Habita demum Reverendissimi Massensis Episcopi super re plena et fideli informatione, visisque supradictis Decretis, iterumque exquisita sententia eiusdem Magistri Caeremoniarum;

Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanum infrascripta die in Ordinario Conventu coacta, ad relationem supradicti Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Thomae Weld Ponentis, omnibus mature discussis attenteque consideratis, rescribendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum », nimirum Clerus Civitatis Carrariae tenetur:

1. « Celebrare Officium Sancti Andreae Apostoli sub ritu duplicis primae classis cum octava, sicuti Titularibus Ecclesiarum convenit, sed sine Festo de praecepto ».

2. « Servare Festum Sancti Francisci Assisiensis Patroni Dioecesis universae principalis, et Sancti Cechardi Patroni Civitatis sub utroque praecepto ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11 Martii 1837.

2759. ANAGNINA. (4800)

Quum ad hanc Sacram Rituum Congregationem delata fuerit controversia praecedentiae vigens in Collegiata Ecclesia Filettini, quod est Oppidum Dioecesis Anagninae, inter Sacerdotes Beneficiatos Ioannem De Rubeis atque Antonium Octaviani; quia hic quamvis fateatur se praecedentem actum possessionis fecisse nullum, adeoque ad novam possessionem capiendam fuisse adactum, antianitatem tamen repetit supra eumdem De Rubeis, qui interim legitimum promeruit ascensum.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, universae rei natura perpensa, diligenterque examinatis etiam informatione et voto Reverendissimi Episcopi Administratoris Anagnini, referente infrascripto Secretario, respondendum censuerunt: « Sacerdoti De Rubeis competere antianitatem ». Die 11 Martii 1837.

2760. FIRMANA. (4801)

Novissima in rerum omnium perturbatione, quae pene omnes exagitavit, ac diutius Piceni Provincias, extinctis Religiosorum Ordinibus et ipsis Secularium Sodalitatibus, Reliquia Sacrae Spineae Coronae Domini Nostri Iesu Christi, quae sex abhinc ferme saeculis summo honore colebatur in Ecclesia Eremitarum Ordinis Sancti Augu-

stini Civitatis Firmanae, sub custodia Sodalitatis tituli a Sacra Spina, in Metropolitanam Ecclesiam translata et collocata fuit, venerationis et custodiae caussa. Aliquot post annos rebus iterum compositis, restitutisque Patribus Eremitanis et supradicta Sodalitate, horum votum fuit Sacram Reliquiam pristinam in sedem denuo transferendi. Renuentibus vero tum Metropolitanae Capitulo, cuius in Ecclesia ipsa Reliquia iam decenter et commodius colebatur; tum Firmano Magistratu, penes quem semper clavis Urnae Sacrae Reliquiae extiterat, ad eius identitati consulendum; recursui locus factus est supplexque libellus Sacrae Rituum Congregationi a Sodalitate porrectus, cui rescriptum fuit: *Instet, citata parte.* Praestituta die convenientibus Procuratoribus coram R. P. eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, quum unusquisque suum dubium pro aris et focis assereret ac sententiae non convenirent; communi voto statutum fuit, ut Sacra ipsa Congregatio decerneret quid foret disputandum.

Et S. eadem R. C., in Ordinario Coetu ad Quirinale die 27 Augusti praecedentis anni 1836 coacta, audita relatione Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Ioannis Francisci Falzacappa Episcopi Albanen. Ponentis, mandavit disputari dubium sequens: « An Reliquia Sacrae Spinae reportanda sit ad Ecclesiam Patrum Eremitarum Augustinianorum in casu? » Evocatis iterum omnibus in iudicium coram eodem R. P. Secretario, quo constitueretur Congregatio ad dubium idem disputandum, constabilitaque proxima, omnia fuerunt rite moderata.

Itaque in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanas Aedes sub infrascripta die coadunatis, proposito per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, loco et vice Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Falzacappa Relatoris absentis, suprascripto dubio;

Eadem Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, consideratis riteque libratis, rescribendum censuit: « Affirmative, servatis omnibus, prout erant ante translationem Reliquiae anno 1808 sequutam; et amplius ». Atque ita rescripsit. Die 11 Martii 1837.

2761. BAIOCEN. (4802)

Quum Reverendissimus Baiocen. Episcopus experientia compererit permulta incommoda oriri in celebratione Festorum Sanctorum Patronorum, si festivitates huiusmodi transferendae sint omnino ad subsequentem immediate Dominicam, non autem ad Dominicam proximiorem, quae potest etiam esse ante Natale Festum, uti antea fieri consueverat; ad haec eadem incommoda eliminanda, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut in sua Dioecesi Solemnitas Sanctorum Patronorum cuiuslibet Paroeciae celebrari valeat Dominica proximiori non impedita, sive ipsa Festum praecedat sive subsequatur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa auditaque relatione ab infrascripto Secretario facta, rescripsit: « Pro facultate transferendi Festa, de quibus in precibus, ad Dominicos dies non impeditos Festo altioris ritus vel privilegiatos, in quibus tamen permittitur Missa votiva solemnis de Festo translato; dummodo in Cathedrali Missa de Sancto occurrente non omittatur: quatenus vero Dominica proximior sequens sit impedita, tunc Festum, ut supra, fieri permittitur in Dominica proximiori praecedenti ». Atque ita rescripsit ac servari omnino mandavit. Die 11 Martii 1837.

2762. CONGREGATIONIS MISSIONIS. (4804)

Sexto Calendas Septembris superioris anni 1836 Sacrae Rituum Congregationis Decreto iniunctum fuit Alumnis Congregationis Missionis Civitatis Neapolitanae in Ara maiori Ecclesiae adnexae Domui Novitiatus ipsius Congregationis apponere Imaginem Sancti Nicolai Tolentinatis Titularis: quod difficile esse factu, iteratis precibus, hodiernus Visitator exposuit: siquidem Sanctus idem Nicolaus veneratur et colitur in apposita Aedicula. Quapropter supplicavit enixe, ut in ipso maiori Altare apponi possit Imago Conceptionis Deiparae.

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, nec non audita ab infrascripto Secretario relatione, rescripserunt: « Relinquatur Imago Sancti Nicolai propria in Aedicula, sed in Ara maiori ponatur Icon illius Sancti, in cuius ho-

norem est consecrata. In reliquis servetur Decretum diei 27 Augusti 1836 ». Die 11 Martii 1837.

2763. TIBURTINA. (4808)

Hodiernus Archipresbyter Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri et Parochus Sancti Ioannis Baptistae Oppidi Poli Dioecesis Tiburtinae, aegre ferentes Cappellanos Sodalitatum ibidem erectarum in Processionibus Stolam deferre, Sacrae Rituum Congregationi humillimas porrexere preces, ut declaretur: An invecta consuetudo isthaec sit licita ac proinde toleranda?

Et Sacra Rituum Congregatio, post acceptam informationem Reverendissimi Episcopi Tiburtini, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: « Iuxta alias Decreta licere Cappellanis Confraternitatum Stolam in Processionibus deferre ».

Atque ita rescripsit, ac in proposito casu omnino servandum esse edixit atque mandavit. Die 11 Martii 1837.

2764. VERONEN. (4809)

In Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, ab infrascripto Secretario iterum relato dubio a Reverendissimo Episcopo Veronen. hisce verbis proposito: Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum omittendum sit? Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita prius Sacrae Universalis Inquisitionis Congregatione, rescribendum censuerunt: « Nihil esse innovandum ». Die 11 Martii 1837.

2765. FERETRANA. (4811)

Quum hodiernus Aedituus Cathedralis Feretranae declarare Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit: Num servari possit consuetudo in eadem Cathedrali invecta, in Feriis nimirum secunda, tertia et quarta maioris Hebdomadae celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium in eodem Altari, in quo publicae fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunati, rescribendum censuerunt: « Consuetudinem tamquam abusum eliminandam ». Die 11 Martii 1837.

2766. ROMANA. (4812)

Ex pervetusta consuetudine ac traditione mos invaluit in Ecclesia Sanctimonialium Ordinis Cisterciensium, Deo in honorem Sanctae Susannae dicata hic in Urbe, Missam votivam de Spiritu Sancto celebrandi quoties aliqua Virgo ipsius Ordinis vel solemniter habitum assumit vel professionem emittit. Ast quum Apostolici indulti nullum Sanctimoniales ipsae invenerint monumentum; Sacrae Rituum Congregationi humillimas porrexere preces, ut invectam consuetudinem confirmare dignaretur.

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, re mature perpensa diligentique examine cribratis rationum momentis in supplici libello expositis, ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuerunt: « In casu solummodo, de quo in precibus, de speciali gratia nullo umquam tempore in exemplum afferenda, fiat commemoratio tantum Spiritus Sancti in Missa de Officio occurrenti; dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, aut Dominica privilegiata tum primae tum secundae classis ». Atque ita servandum mandarunt. Die 11 Martii 1837.

2767. TAURINEN. (4813)

R̃mus Taurinen. Archiepiscopus Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto humillimas quum dederit litteras;

Sacra Rituum Congregatio in hunc modum rescripsit:

Illm̃e et Rm̃e Domine uti Frater.

Simul ac Amplitudinis Tuae Epistolam datam undecimo Calendas Iunii vertentis anni accepimus super omissione traditionis Libri Evangeliorum, quae inconsulto accidit novissima in Ordinatione generali habita Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem; huiusmodi negotium illico demandatum fuit aliquibus huius Sacrae Rituum Congregationis Consultoribus Theologis; ut super re suam exponerent sententiam; quam etiam ex tempore Amplitudini Tuae nomine eiusdem Sacrae Congregationis communicamus, ut sciat quid in re sit agendum et dubiis forsan obortis

prudenter occurrendum. Sacra itaque Congregatio in suo et Consultorum sensu respondet: quod si Amplitudo Tua prudenter iudicet moram temporis, quae inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, tantam fuisse ut moralis coniunctio formae cum traditione materiae merito haud censeatur abrupta, Ordinatos huiusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum, et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis officium publice tuta conscientia (si aliud non obstet impedimentum) pro ratione sui status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum Auctorum interpretatione coniungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa Libri Evangeliorum simul protulit formam, sciat se posse acquiescere, et ita Ordinatos in suorum Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam Libri Evangeliorum sine forma; tutius erit, si pro Ordinatis huiusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu, si ad huiusmodi supplementum tempus proximae futurae Ordinationis a Canone constitutum expectari nequeat ob periculum scandali vel ob alias non levis momenti caussas et circumstantias, quas Amplitudo Tua probe noverit, nec aliud obstet impedimentum; poterit ab interstitiis dispensare et proximo quove Festo defectum praedictum prudenter et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat Seculares, de quibus prout in casu exponitur dubitatur an omissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit ut Ordinati huiusmodi innotescant; (quod non videtur tam difficile si Catalogum, quem apud se certe habebit, Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat) et eos in quos suspicio huiusmodi cadere potest, caute et secreto circa huiusmodi dubium interrogari faciat. Si quos igitur invenerit, quibus eadem contigit omissio, idem praestabit quod superius dictum est de duobus Religiosis; et si eos Ordinem Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repererit, a Censuris, quatenus opus fuerit, si nihil aliud obstet, absolvat, et ad eiusdem Ordinis ministerium et officium in posterum, quatenus opus fuerit exercendum, hoc est ad pie et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit. Quum per has responsiones omnibus a Te expositis fuerit opportune consultum, Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exoptamùs felicitatem.

Die 16 Iunii 1837.

2768. FIRMANA. (4814)

Novissimis Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis die 11 Martii vertente anno coadunatis in Caussa Firmana: Controversiarum inter Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini et Sodalitatem a Sacra Spina nuncupatam ex una, et Capitulum Metropolitanae Ecclesiae simul cum Magistratu partibus ex altera, discusso dubio: « An reliquia Sacrae Spinae reportanda sit ad Ecclesiam Patrum Augustinianorum in casu etc.? » eoque sequentem in formam resoluto: « Affirmative, servatis omnibus ut erant ante translationem Reliquiae anno 1808 peractam; et amplius »; illico controversia ipsa pro parte Magistratus Firmani finem recepit. Sed Metropolitanae Ecclesiae Capitulum ex adverso, non obstante clausula Rescripto addita, qua praecludebatur locus repropositioni Caussae, iterum penes Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Praenestinum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium et eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum institit, ut nova illi tribueretur facultas praesentandi saltem supplicem alterum libellum, quo aliquod honoris privilegium assequi valeret, antequam Reliquia Sacrae Spinae pristinum in locum reportetur. Eminentissimus Cardinalis Praefectus ex concessa sibi a iure facultate precibus morem gerens, die 10 Aprilis eodem hoc vertente anno rescripsit: « Pro gratia novae Audientiae, sed quoad honorificentias tantum, ut in precibus: proponatur autem in prima Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, ac partibus intimetur ». Rebus ad tramitem huius Rescripti dispositis, Sacrae Spinae Reliquia adhuc servabatur in Metropolitana Ecclesia, quousque decerneretur quid honoris in casu Canonicis oratoribus vellet Sacra Congregatio tribuere; quae Ordinariis in Comitiis iterum subscripta die apud Sanctam Mariam supra Minervam, loco Palatii Apostolici Quirinalis de mandato Sanctissimi coadunata, auditaque nova relatione ab Emi-

nentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ioanne Francisco Falzacappa Episcopo Albanen. Ponente, nec non rite expensis matureque consideratis iis quae ex utraque parte sunt allata, praesertim prae oculis habens expetitam clavis custodiae Sacrae Reliquiae consignationem, non tam honoris quam iuris praerogativam praeseferre, rescribendum censuit: « Negative quoad clavis concessionem: in reliquis statuatur lapis inscriptus in Ecclesia Metropolitana in memoriam custodiae Sacratissimae Reliquiae, non retardata interim reportatione; et amplius ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 23 Septembris 1837.

2769. MUTINEN. (4815)

Quum quamplura pro parte Caeremoniarum Magistri Reverendissimi Episcopi Mutinen. Sacrae Rituum Congregationi proposita essent dubia, quorum solutionem enixis precibus efflagitabat, ut debita auctoritate accedente, quaevis privata interpretatio de medio tolleretur, atque unus idemque ordo ab omnibus in posterum in sacris functionibus servaretur, licet pleraque ex eis eiusmodi sint quae ab ipsis declarentur Rubricis, vel a Decretis alias editis pendeant; de more tamen ab eadem Sacra Congregatione indictum fuit, ut exquireretur sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa. Proposita autem dubia sunt sequentia, nimirum:

I. Quum ex Rubrica Feriae V in Coena Domini pateat omnes de Clero dicta die Communionem sumere debere de manu Celebrantis, nihilominus nonnulli Sacerdotes non dubitant asserere haec dicta esse ob merum consilium, non vero de praecepto. Hinc quaeritur: An revera omnes de Clero inservientes Missae Pontificali, et praesertim Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi sacrorum Oleorum consecrationi assistentes, teneantur Sacram Communionem sumere de manu Celebrantis? (1)

II. Colligitur ex Decretis Sacrae Rituum Congregationis non posse fieri concionem, capite tecto, ante Sanctissimum Sacramentum palam expositum, non obstante quacumque contraria consuetudine. Hinc quaeritur: An id saltem liceat quando Sanctissimum Sacramentum est quidem expositum, sed velo serico obductum?

(1) E. Dub. II, III, VI et XI.

III. Dum Episcopus in Ecclesia benedictionem impertit cum Sanctissimo Sacramento, Canonici assistentes apud nos sistunt genuflexi in plano. Quaeritur:

1. An bene ita genuflexi sistere debeant, vel potius super infimum gradum Altaris aeque ac Episcopus?

2. Quo loco, et quomodo debeant genuflectere Ministri, sive parati sive non parati, in benedictione praedicta danda a Sacerdote quocumque?

3. An, in benedictione populo impertienda cum Sacra Pyxide, Sacerdos debeat illam venerari genuflexione duplici; vel simplici?

IV. Quum licitum sit Episcopo incedere cum mitra, quando defert Reliquiam Ligni Sanctissimae Crucis in Processionibus, quaeritur:

1. An possit Episcopus benedictionem solemnem populo impertire cum dicta Reliquia, retenta mitra?

2. An saltem cum pileolo?

3. An possit retinere mitram vel pileolum, cum benedicit populo cum aliqua insigni Reliquia alicuius Sancti?

V. Quum in Sacris peragendis statuatur ab Ecclesia colorem paramentorum esse vel album vel rubeum etc. pro diversitate festivitatum, quaeritur:

1. An paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocumque colore, nigro excepto?

2. Num paramenta confecta ex serico, variis coloribus et floribus intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari valeant mixtim, saltem pro albo, rubro et viridi?

3. Num Planetae, Stolae et Manipula possint confici ex tela linea vel gossypio, vulgo *Percallo,* coloribus praescriptis tincta aut depicta?

VI. Colligitur ex Rubrica quod Parochi, Sacerdotes aliique Ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt Processionibus, debeant deferre biretum sacerdotale. Hinc quaeritur:

1. An Clericus assistens Celebranti et alii Clerici qui dirigunt Processionem Rogationum etc. possint hoc facere?

2. An Parochi, qui intersunt Processioni Sanctissimi Sacramenti in Festo Corporis Christi et in aliis functionibus propriae Paroeciae, possint deferre Stolam supra mozzettam; vel saltem retinere pileolum?

VII. In Rubrica nihil habemus circa nomen Sancti nominati in Oratione *A cunctis* littera N. Auctores autem communiter docent intelligi Patronum vel Titularem Ecclesiae, Cappellae sive Altaris, in quo Sacerdos celebrat. Sacerdotes autem fere omnes nominant Patronum principalem Loci, vel Dioecesis. Quaeritur proinde:

1. Quisnam Sanctus nominandus sit in Oratione *A cunctis* sub littera N. a Sacerdote celebrante: Patronusne principalis loci aut Dioecesis; vel potius Titularis Ecclesiae, Oratorii etc. in quibus celebrat?

2. An in commemorationibus pro Suffragiis facienda sit commemoratio Titularis Dioecesis aut Paroeciae?

VIII. Fere omnes Confraternitates et piae Sodalitates in Civitate Mutinae carent, ob transactas praesertim vicissitudines, Ecclesia propria, ac proinde extant in Ecclesiis alienis sive Parochialibus sive non. Quaeritur modo:

1. An Sancti Titulares ac Patroni Confraternitatum vel Sodalitatum earumdem aequiparari debeant, saltem in eorum diebus Festis, Titularibus ac Patronis Ecclesiarum praedictarum iisdemque propterea frui privilegiis ac isti?

2. An Sacerdotes confluentes ad dictas Ecclesias in Festis Patronorum et Titularium, ut supra, debeant in Missa addere *Credo* et unicam dicere Orationem?

3. An occurrente Festo Patroni vel Titularis praedicti in Dominica privilegiata secundae classis, Missae privatae dici possint et debeant de Sancto cum commemoratione Dominicae et eius Evangelio in fine; vel saltem Missa tantum Solemnis?

4. Quid intelligatur verbis: *concursus populi ad celebrandum Festum*, qua ratione cani possit Missa Solemnis de Festo quod transferri debet; et anne in hac Missa dici debeat et possit semper *Credo?*

IX. Caeremoniale Episcoporum Lib. 2, cap. 11, § 1, in quo agit de Missa Pontificali pro Defunctis, et Exequiis ad castrum doloris, dicit: *Canonici parentur paramentis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.* Hinc idem Caeremoniarius supplicat declarari:

1. An, praeter Diaconum et Subdiaconum Missae, debeant assistere alii duo Diaconi assistentes prout in aliis Missis?

2. An in exequiis absolvendis pro Papa vel pro Principe, corpore non praesente, faldistorium Episcopi ponendum sit ad caput tumuli, vel ad pedes eius?

X. Fere in omnibus Ecclesiis apponi solet Feria VI in Parasceve Reliquia Sanctissimae Crucis et benedici populo cum ipsa. Ideo quaeritur:

1. An saltem in dicta Feria incensari debeat eadem Reliquia a Sacerdote genuflexo?

2. Cuius coloris debeat esse pluviale pro tali benedictione?

3. Num Oratio: *Respice quaesumus:* in eadem Feria VI recitanda sit ante benedictionem a Sacerdote erecto, vel genuflexo?

4. An admittendi sint fideles ad osculum dictae Reliquiae?

5. An in adoratione Crucis in dicta Feria VI etiam Diaconus et Subdiaconus debeant deponere calceamenta?

6. Utrum Reliquia Pretiosissimi Sanguinis publice exposita adoranda sit genuflexione simplici, vel duplici; et incensanda a Sacerdote genuflexo, vel erecto?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu subscripta die apud Sanctam Mariam supra Minervam, loco Sacri Palatii Apostolici Quirinalis, de mandato Sanctissimi coadunata, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Ioseph Della Porta Rodiani Ponentis, mature consideratis riteque discussis omnibus, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; et iam provisum per Generale Decretum diei 12 Septembris 1716, atque per Decretum in Seguntina diei 19 Septembris 1654 in responsione ad dubium primum ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. Quoad 1. et 2. « Genuflectant in infimo gradu simul cum Celebrante ».

Quoad 3. « Detur Decretum in Vilnen. diei 22 Decembris 1753 in responsione ad decimum: nimirum, genuflexione duplici adorandam esse Sacram Pyxidem palam expositam ».

Ad IV. Quoad 1. « Benedictionem, capite detecto, impertiendam esse in casu ».

Quoad 2. « Negative ».

Quoad 3. « Iam provisum in praecedentibus ».

Ad V. Quoad 1. « Negative ».

Quoad 2. « Pariter negative ».

Quoad 3. « Serventur Rubricae, et usus omnium Ecclesiarum; quae huiusmodi Casulas non admittunt ».

Ad VI. Quoad 1. « Negative ».

Quoad 2. « Negative; circa Stolae delationem; circa pileoli usum (iuxta alias decreta) Negative, in Processionibus Sanctis-

simi Sacramenti; in reliquis functionibus posse, ex universali consuetudine ».

Ad VII. Quoad 1. « Titularem Ecclesiae nominandum esse ».

Quoad 2. « Negative ».

Ad VIII. Quoad 1. 2. et 3. « Negative ».

Quoad 4. « Intelligitur concursus, qui sit extraordinarius, et relate ad Festa serventur Rubricae de Translatione Festorum; et a pari quoad Symbolum serventur Rubricae Missalis ».

Ad IX. Quoad 1. « Affirmative ».

Quoad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad X. Quoad 1. « Negative, iuxta Decreta alias edita ».

Quoad 2. 3. 4. 5. « Servetur consuetudo ».

Quoad 6. « Ad Sacram Congregationem Inquisitionis ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 23 Septembris 1837.

2770. BOVEN. (4816)

Quum ob nimiam aeris inclementiam, hyemali praesertim tempore, et glacierum ac nivium incommoda difficilis admodum reddatur accessus ad Cathedralem Boven. Ecclesiam, atque ob maximam loci humiditatem non parum valetudini obnoxia sit diutina in illa permansio; Reverendissimus hodiernus Episcopus haec serio perpendens, ac insimul habito respectu ad tenuitatem Praebendarum, id sumpsit consilii, ut iterum Chori servitium ad Sextiarias reduceret, uti antea fieri consuevit: nam a Praedecessore immediato in Sede sua Episcopali ad Tertiarias servitium ipsum adactum fuisse comperuit. Nulla interim interposita mora, Sacram Congregationem Eminentissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini interpretum supplex adivit idem Boven. Episcopus factique seriem exponens religiosissime, renovatae consuetudinis quoad Sextiarias veniam insimul et confirmationem expoposcit. Ast quum ex requisitis et exhibitis allegationibus compertum fuerit Sanctam Apostolicam Sedem alias, Decretis Sacrae Rituum Congregationis, Cathedralis eiusdem Capitulo benigne indulsisse, ut post Vesperas anticipare posset Matutinum cum Laudibus insequentis diei; ac deinde ut semel tantum in die ad Ecclesiam accederent Capitulares, Horis Canonicis Matutinis non minus quam Vespertinis ac Missae Conventuali satisfacturi sine interruptione; ad eamdem Rituum Congregationem iam praeventam res omnis definienda ordinandaque transmissa fuit. Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi serio perpendentes in casu, de quo agitur, validissimas urgere rationes ad confirmandum indultum ab Reverendissimo Episcopo suae Cathedralis Capitulo concessum, ac insimul constabiliendam certam methodum a Capitularibus omnino servandam, quin essentialiter recederent ab iis quae ab Antistite oratore indicantur, in Ordinario Coetu subsignata die coadunati apud Sanctam Mariam supra Minervam, loco Palatii Apostolici Quirinalis, de mandato Sanctissimi, infrascripto Secretario referente, statuerunt servitium Chorale a Capitulo Cathedralis Boven., ut hic adnotatur, in posterum servandum esse; nimirum:

I. « A mense Novembri ad integrum mensem Aprilis servitium Chorale a Capitulo Cathedralis praestabitur per Sextiarias, adeo ut Capitulares teneantur, persoluta in Choro Hora Tertiae, assistere Missae Conventuali. In Quadragesima vero et Vigiliis, in quibus duae Missae celebrandae veniunt, teneantur etiam persolvere in Choro tam Sextae quam Nonae Horas ».

II. « In Dominicis vero intra hos sex menses occurrentibus teneantur integrum Officium in Choro persolvere, ac sine interruptione Missam Conventualem celebrare; iterato ad Cathedralem accedentes, hora consueta, Vesperis cum Completorio satisfacturi ».

III. « In Festis autem solemnioribus, nimirum omnium Sanctorum, Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Nativitatis, Circumcisionis et Epiphaniae Domini, nec non Purificationis, Annuntiationis Deiparae et Sancti Ioseph Illius Sponsi integrum Capitulum teneatur ad chorale servitium, statis a Rubricis horis, a primis Vesperis inclusive ad Completorium insequentis diei ».

IV. « Idem observandum erit et omnino exequendum per integram maiorem Hebdomadam ac in die Paschatis et duobus insequentibus Feriis ».

V. « In reliquis vero mensibus servitium Chorale praestabitur pariter per Sextiarias more consueto: verum in Dominicis et Festis, tum primae tum secundae classis et per integram octavam Sanctissimi Corporis Christi, singuli de Choro integrum servitium praestare cogantur statutis a Rubricis temporibus sive horis ».

VI. « Tandem, ut omnis via praecludatur dissensionibus quae forte oriri possent ex imminutione servitii tempore hyemali, ni-

mirum per sex enunciatos menses, nulla vel minima omnino fiat variatio quoad Praebendas et Punctaturas: satis enim obeunda tunc temporis incommoda supplent choralis servitii imminutioni ».

Atque ita rescripserunt, sanxerunt ac quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, in posterum strictim servandum esse mandarunt. Die 23 Septembris 1837.

2771. MELITEN. (4818)

Quum sit in votis Sacerdotibus Congregationis erectae in Ecclesia Collegiata et parochiali Civitatis Conspicuae Meliten. Dioecesis ea qua par est sedulitate fideles coadiuvare, dum vel infirmitate laborant vel morti proximi reperiuntur, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicarunt, ut hisce in casibus in Missa addi possit collecta *pro infirmo* vel *morti proximo,* prout necessitas efflagitaverit.

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, apud Sanctam Mariam supra Minervam, loco Palatii Apostolici Quirinalis, de mandato Sanctissimi coadunati in Ordinariis Comitiis, referente infrascripto Secretario, rescribendum censuerunt:

« Pro gratia ; verum gravibus in infirmitatibus, a Consodalibus tantum et in Ecclesia Congregationis ». Die 23 Septembris 1837.

2772. NEMAUSEN. (4819)

Episcopus Nemausensis in Gallia, quamvis annum octogesimum septimum agat, bona tamen valetudine atque intellectualibus facultatibus integre gaudet ; quapropter ad Sanctitatis Tuae pedes provolutus, enixe exquirit : Utrum alio Sacerdote Missae Sacrificium celebrante, sibi in scamno sedenti suae Dioecesis Clericis Ordines Sacros conferre liceat, ne Clerici ipsi cum gravi incommodo adigantur ad conterminos Antistites accedere pro Ordinatione?

Et Sacra Rituum Congregatio ad Sanctam Mariam supra Minervam, loco Palatii Apostolici Quirinalis, de mandato Sanctissimi in Ordinario Coetu coadunata, referente infrascripto Secretario, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: « Non licere ». Die 23 Septembris 1837.

2773. ORIOLEN. (4820)

Perdurantibus belli civilis calamitatibus in Regno Hispaniarum, accidit ut Reverendissimus Oriolen. Episcopus superiori anno 1836 Olea sacra Feria V in Coena Domini consecrare nequiverit pro solemni benedictione Fontium Baptismalium parochialibus in Ecclesiis peragenda insequente Sabbato Sancto, neque eadem Olea a vicinioribus Episcopis Parochi habere potuerint: siquidem ob communia incommoda pene omnes Episcopales Sedes proprio sunt viduatae Pastore, ita ut communicationibus interceptis grex a Pastore, Filii a Parente, Ecclesia ab Episcopis non sine magno animarum salutis detrimento separentur. Huiusmodi in angustiis constituti Parochi Praebendati Oriolen. Dioecesis diversas inter se protulere sententias; et nonnullis negantibus, bene multi opinabantur benedictionem solemnem Fontium Baptismalium perfici posse adhibitis Oleis superiori anno consecratis. In qua opinionum et sententiarum varietate, id sumpsere consilii ut Sacram hanc Rituum Congregationem requirerent, ut certam sequerentur regulam in re tanti momenti; ac propterea insequentia dubia enodanda humillime proposuerunt, nimirum:

1. An talis benedictio Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto fieri debeat cum Chrismate et Oleo praecedentis anni ; vel potius omittenda sit infusio Chrismatis et Olei usque dum haec accipiantur recenter consecrata?

2. An in Baptismo solemni infantium utendum sit huiusmodi Aqua benedicta quidem cum reliquis Caeremoniis Missalis, sed absque consecratione seu mixtione sacrorum Chrismatis et Olei ; an vero Aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur?

3. Utrum supposito quod Aqua baptismalis benedicta iam fuerit cum veteribus Oleis, eo quod Olea recenter consecrata non haberentur; infundi debeat in Piscinam donec nova recipiantur Olea, et cum his alia benedicatur Aqua iuxta Caeremonias Ritualis Romani? an vero illa prima aqua conservari et uti debeat usque ad benedictionem in Vigilia Pentecostes, prout in Missali?

4. Utrum in Baptismo solemni ungendi sint infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni, dum recenter consecrata non habentur? an vero omittenda sit haec Caeremonia et postea supplenda, quum novum Oleum et novum Chrisma recipiantur?

Huiusmodi dubiis per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum habitis quinto Idus Martii vertentis anni, Eminentissimi et Reverendis-

simi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi nil decernere rati sunt, sed rescribendum censuerunt: « Ponatur in Folio, et scribat Magister Caeremoniarum ». Iterum proposita Causa in novo Ordinario Conventu Sacrorum Rituum subsignata die coadunato, ac proposito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddito, ac re mature perspecta diligentique examine cribrata, tandem Sacra eadem Congregatio mentem suam aperuit, ac propositis dubiis a Parochis Praebendatis Oriolen. Ecclesiae iuxta enunciatum votum rescripsit; nimirum:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad utrumque; sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis, ceu provisum in prima parte superioris dubii ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit. Die 23 Septembris 1837.

2774. ORDINIS B. M. V. DE MERCEDE. (4821)

Quum Alumni Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Apostolico gaudeant indulto sexto Idus Octobris quotannis Officio sub ritu duplicis primae classis cum octava recolere Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis ipsius; nonnulla dubia in praesentiarum excitata Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposuere, nimirum:

1. An praedictum Officium die decima Octobris persolvendum sit iis in Coenobiis tantum, in quibus certo constat adiectas Ecclesias fuisse consecratas; an vero in omnibus Ordinis Coenobiis, etiam si Ecclesiae adnexae non sint consecratae?

2. An in omnibus Coenobiis, sive certe sciatur sive non sciatur dies consecrationis seu Dedicationis Ecclesiae, persolvi debeat Officium consecrationis die decima Octobris fixe assignata pro Festo Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum coadunata quinto Idus Martii vertentis anni, nil rescribendum censuit quin antea exquireretur votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris. Quo habito voto in scriptis edito, relataque iterum instantia in novo Ordinario Coetu subsignata die coadunato, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita fideli relatione ab infrascripto Secretario facta, rescripsere: « Iuxta votum ipsius Caeremoniarum Magistri »: videlicet:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative; seu iam provisum in primo ».

Atque ita servandum mandarunt. Die 23 Septembris 1837.

2775. SPOLETANA. (4824)

Illme et Rme Domine uti Frater.

Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicarunt Prior et Archidiaconus, Dignitates istius Metropolitanae Ecclesiae Spoletanae, declarari utrum ipsis (qui ex Apostolicis Litteris in forma Brevis expeditis die 13 Aprilis anno 1802, accensentur albo et numero Praelatorum Domesticorum) vi iurium et privilegiorum Praelatis Domesticis inhaerentium, liceat uti non solum violaceis vestibus cum rochetto, sed etiam in ecclesiasticis functionibus Canone et palmatoria, tam intra propriam Ecclesiam et Dioecesim, quam extra illas. Proposito dubio si directe foret occurrendum, cuilibet facile pateret responsionem illuc tendere, ut permissum sit oratoribus uti ubique vestibus violaceis, non vero palmatoria et Canone, quae attribuuntur Collegiis nonnullis Praelatorum, minime vero singulis Praelatis. Sed quoniam Sacrae Congregationi innotuit ad hoc excitatum fuisse dubium, ut aliquo modo a supradictis Priore et Archidiacono cohonestetur usus Canonis et palmatoriae saltem intra propriam Ecclesiam, in qua iamdiu proprio marte haec adhibent; propterea ad abusum penitus eliminandum Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi in Ordinariis Comitiis subscripta die coadunatis satius duxerunt rescribere: « Scribatur Archiepiscopo iuxta mentem. Mens autem est, ut Amplitudo Tua, consideratis omnibus iuxta exposita iuris et privilegii principia, nomine eiusdem Sacrae Congregationis inhibeat praedictis Dignitatibus usum palmatoriae et Canonis, tam intra quam extra propriam Ecclesiam; quoniam eorum usus nullimode neque a iure neque ex privilegio neque ex indulto illis competit ». Adeo Sacra ipsà Congregatio de Amplitudinis Tuae pietate

ac religione confidit, ut certo credat omnia a Te ordinanda fore iuxta praefatas praescriptiones. Et Amplitudini Tuae diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 23 Septembris 1837.

2776. BURGI SANCTI DOMNINI. (4827)

Excitatis nonnullis controversiis, in Collegiata Ecclesia Deo in honorem Sancti Bartholomaei Buxeti in Dioecesi Burgi Sancti Domnini dicata, inter Caeremoniarum Magistrum Reverendissimi illius Episcopi solemniter Pontificalia ibidem exercentis et alterum ex Canonicis ipsius Collegiatae, super honorificentiis Episcopo deferendis in ecclesiasticis functionibus ac de aliquibus caeremoniis adimplendis, celebrante Episcopo Missam solemnem; idem Caeremoniarum Magister sui muneris esse duxit Sacrae huius Rituum Congregationis oraculum exposcere ad eliminandas ulteriores dissensiones ac certam regulam in posterum sequendam et constabiliendam. Pro opportuna itaque declaratione insequentia proposuit dubia; nimirum:

1. An duo primi Canonici, post primam Dignitatem sedentes, debeant assistere Episcopo celebranti in habitu Diaconali; vel potius unus servire debeat in officio Diaconi Evangelii et alter in officio Subdiaconi?

2. An Episcopus, sumptis paramentis in Presbyterio apud Sedem, debeat imponere thus in thuribulo antequam procedat ad Altare? (1)

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu apud Sanctam Mariam supra Minervam, loco Palatii Apostolici Quirinalis, de mandato Sanctissimi coadunati, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuerunt;

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, iuxta Caeremoniale ».

Atque ita rescripserunt ac servandum omnino mandarunt. Die 23 Septembris 1837.

2777. RHEDONEN. (4828)

Rme Domine uti Frater.

Gravissima quidem res est, quam Amplitudinis Tuae Litterae datae quartodecimo Calendas Augusti vertentis anni enarrabant; nimirum quamplurima Altaria parochialium Ecclesiarum huius Rhedonen. Dioecesis ita a Praedecessoribus tuis fuisse consecrata, ut in ipsis Sanctorum Martyrum Reliquiae vel penitus desiderentur vel, si appositae fuerunt, non tamen servatae sint rituales caeremoniae quae ab ecclesiasticis legibus sancitae reperiuntur. De hac ipsa re inter cetera negotia actum quum fuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis infrascripta die coadunatis;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serio perpendentes indulgeri omnino non posse, uti in votis erat Amplitudini Tuae, ut Altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, nil statuendum censuerunt, quin antea exposceretur oraculum Sanctissimi Domini Papae; ac propterea rescripserunt: « Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo ». Die 23 Septembris 1837.

Suo itaque munere fungens subscriptus Secretarius Sanctissimo Dom. Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo singula fideliter exposuit, mentemque Sacrae Congregationis aperuit. Ast quum Sanctissimus Dominus praeceperit ut ulterius per alterutrum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris conficeretur apposita Instructio pro Reverendissimo Rhedonen. Episcopo, hac tandem habita et a Sanctitate Sua probata, edixit ut per particulares Litteras huius Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae iniungeretur, ut ad tramitem omnino ipsius Instructionis huic fasciculo insertae, defectibus suppleat a Praedecessoribus suis admissis in consecratione Altarium, de quibus in precibus; atque ita absque admiratione et scandalo, ea qua par est sollicitudine et prudentia, singula ordinet et componat.

Ita Sanctitatis Suae et Sacrae Rituum Congregationis iussis obtempero mentemque aperio, ut singula exequutioni demandet. Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Romae die 6 Octobris 1837.

Tenor autem Instructionis adiectae est sequens.

Altare super quo celebratur Missa, sive fixum sit, sive portatile idest cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet; ac pro ipso Altare portatili sive petra sacra, praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro Reliquiae Sanctorum Martyrum iuxta verba Apo-

(1) E. Dub. 3.

calypsis: *Vidi sub Altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Iesum Christum caput Martyrum eiusque membra, iuxta Sancti Augustini verba: *Convenienter autem et quasi quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet ut qui propter mortem eius mortui fuerunt, sub Sacramenti eius mysterio requiescant.* Ideo Sacerdos post confessionem osculans Altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas ut in Altari sit sepulcrum Reliquiarum. Reliquiis enim non appositis et deficientibus, superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut Altare quodcumque, vel immobile vel portatile, evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem, vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset; ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem: ex quo etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in Altarium consecratione. Hinc si a ceteris ritibus observandis in nova Altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes Apostolica, nunquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic Sacra Rituum Congregatio Episcopo Augustano supplicanti pro facultate reconciliandi plurima millia Altarium (execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant) cum sola repositione Reliquiarum, iis tantummodo servatis caeremoniis quae in Pontificali Romano praescribuntur, respondit: « In hoc casu gratiam petitam posse concedi », quae a s. m. Clemente IX concessa fuit.

Si itaque hoc sequi exemplum Sanctissimo Domino placuerit, Reverendissimus Episcopus Rhedonensis posset dispensari ab integra consecratione facienda omnium Altarium, de quibus in precibus; attamen in eo quod respicit Reliquias, indulgeri nequit ut Altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, quin caeremoniae serventur ad hunc ritum ordinatae. Ut igitur res procedat absque omissione vel violatione ritus constanter servati, et absque strepitu vel scandalo quod oriri posset, Episcopus secreto in suo privato Oratorio procedat ad consecrationem cum omnibus caeremoniis a Pontificali Romano praescriptis petrarum cunctarum, in quibus Reliquiae desunt, vel quamvis appositae sint, non fuit tamen adhibitus ritus ordinatus; easque petras cum Reliquiarum sepulcris consecratas mittat ad Parochos, qui easdem unicuique mensae aptare poterunt. Qua functione caute ac prudenter peracta, nihil omnino admirationis vel scandali excitabitur, quum perpaucis patere queat. Ad hunc autem timorem vitandum, Episcopi conscientiae et prudentiae relinquitur statuendum illud temporis spatium, quod necessarium putabit ad praedicta omnia sedulo perficienda.

2778. ATRIEN. (4829)

In Sacrorum Rituum Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, quum a subscripto Secretario relectae fuerint humillimae preces Capitularium Cathedralis Atrien., qui ob aeris praesertim in hyeme inclementiam ac valetudinis quamplurium incommoda, requirunt Apostolicam dispensationem in Nocte Nativitatis Domini iterum in Aurora ad Ecclesiam ipsam accedendi pro persolvenda cum cantu Hora Primae et celebranda secunda Missa, quae sine Capituli interventu privatim a Parocho celebrari queat;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa cribratisque rationum momentis ab Reverendissimo Episcopo in suis informatione et voto expositis, quin petitam dispensationem concederent, extendere potius censuerunt indultum Cathedrali Pennen. concessum anno 1836, nimirum: « In Nocte Nativitatis Domini persolvendi absque cantu Laudes post primam Missam, ac celebrandi secundam Missam prima vel secunda hora post ortum solis ». Atque ita a Clero Cathedralis Atrien. in posterum servandum esse mandarunt. Die 19 Maii 1838.

2779. SENEN. (4831)

Hodiernus Rector Piae Sodalitatis adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti in Ecclesia Sancti Vigilii Episcopi erectae in Civitate Senarum, ad tollendas quaestiones quae saepe saepius excitantur, sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione subiecit, nimirum:

An in Ecclesiis, ubi aliquod Festum celebratur, cuius ratione Sancti Reliquiae sunt expositae, possit post Vesperas, festo durante, exponi Sacra Pyxis cum Sanctissimo Sacramento per breve temporis spatium ad recitandas nonnullas preces, quae cum benedictione Sanctissimi Sacramenti ab-

solvuntur, non remota eadem Reliquia; iuxta interpretationem Cavalieri ad Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 2 Septembris 1741, in responsione ad dubium primum in Aquen.?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: « Negative ». Die 19 Maii 1838.

2780. DERTONEN. (4833)

Ut primum Dertonen. Ecclesiae innotuit Sacrae Rituum Congregationis Decretum extensionis Officii in honorem Sanctae Catharinae Fliscae Adurnae Viduae Ianuensis, quoad ipsius Officii assignationem exortae sunt sententiarum diversitates. Ista siquidem Ecclesia speciali Apostolico gaudet indulto celebrandi etiam in Quadragesima cum octava Festum Sancti Benedicti; et quamvis indultum istud sit tantum temporis, nimirum pro Quadragesima, in qua octavae locum habere nequeunt ex Rubricis, attamen nonnulli opinantur intra eamdem octavam locum dandum non esse memorato Officio Sanctae Catharinae undecimo Calendas Aprilis, ac proinde Reverendissimus Episcopus Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut post octavam Sancti Benedicti Officium Sanctae Catharinae transferre dignaretur.

Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, re mature perpensa ac diligenter considerato Apostolico indulto anni 1816 quoad concessionem octavae Sancti Benedicti, nec non referente subscripto Secretario, respondendum censuerunt. « Non indigere; quum octava Sancti Benedicti non sit privilegiata ». Die 19 Maii 1838.

2781. REATINA. (4834)

Beatissime Pater.

Canonici Ecclesiae Cathedralis Reatinae consueverunt, ex usu inveterato, sacra assumere paramenta pro Missae celebratione, dummodo Episcopus Dioecesanus non esset praesens, in cornu Altaris. Hic usus paucis abhinc annis ab Episcopo tunc temporis huius Dioecesis sublatus fuit; eo quod existimaret id tantum iure competere Praelatis et Protonotariis Apostolicis. Hodiernus autem Episcopus Reatinus, speciali favore Capitulo prosequi cupiens, Sanctitatem Vestram humiliter exorat, ut usum praedictum perpetuo valiturum supradicto Capitulo concedere dignetur.

Huiusmodi precibus per subscriptum Secretarium relatis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Sacra Congregatio rescribendum censuit: « Obstant Decreta ».

Die 19 Maii 1838.

2782. SANCTI MARCI ET BISINIANEN. (4835)

Reverendissime Domine uti Frater.

Acceptis a Sacra Rituum Congregatione Amplitudinis Tuae informatione et voto, quae iuxta illius voluntatem dederas septimo Calendas Maii vertentis anni super supplici Libello dubiisque in eo propositis a Sacerdote Vincentio Campagna Canonico Theologo istius Cathedralis Ecclesiae Sancti Marci, super iisdem de more actum est in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis Comitiis ad Vaticanas Aedes subsignata die coadunatis. Ex omnium allegatorum examine, atque ex iis etiam quae peracta sunt apud Sacram Congregationem Patrum Concilii Tridentini Interpretum contra lividos recursus supradicti Canonici, Eminentissimi Patres ad rem omnem conciliandam satius duxerunt duplici forma rescribere; nimirum: ut Canonicus ad Amplitudinem Tuam recursum haberet super expositis, et ipsi Amplitudini Tuae scriberetur iuxta Mentem. Prudenti huiusmodi consilio via intercluditur Canonici Campagna livori ac odio contra primam eiusdem Capituli Dignitatem, atque Episcopalis dignitas et auctoritas sarta tectaque relinquitur; dum nullum recipit super dubiis directum responsum et lex illi iniungitur ad Ordinarium conveniendi, ut res componi queat atque ad debitum ordinem, quatenus opus fuerit, revocari. Mens itaque huius Sacrae Congregationis est, ut Amplitudo Tua pro sui muneris parte omnem sollicitudinem curamque omnem impendat, ut in Sancti Marci Capitulo debitus quoad Chorum servetur ordo, et si qui abusus forsan irrepserint de medio tollantur. Huius generis procul dubio esset, a pluribus Decretis iam interdicta consuetudo recitandi Sextam et Nonam, dum per cantores ex Organo expletur decantatio Missae, quae aliquando, ne tardior protraheretur hora Chori post meridiem, effecta est a Canonicis et Mansionariis in Choro posito post Altare maius. Nam omnis obligatio Chori successive semper et non simultanee est adim-

plenda, et iuxta praecitata Decreta; neque Amplitudo Tua amplius hoc permittat, omnemque facultatem super re Praefecto Chori adimat: adeo ut in posterum nullimode nulloque in casu initium habeat recitatio Horarum Sextae et Nonae in Choro, nisi perfecte expleta Solemni Missa. Nec dissimili modo ad observantiam revocanda est debita praesentia in Choro omnium inservientium, praesertim in Anniversariis celebrandis, quae idcirco dicuntur inter praesentes; super quo certe opus non est insinuare oneratam Amplitudinis Tuae conscientiam remansuram, si secus fieret: omnemque adhibendam esse diligentiam, ut res in aperto ponatur ne ulli querelae locus relinquatur. Eminentissimorum denique Patrum in voto fuit Amplitudini Tuae opportunum praebere consilium, ut quoniam novum omnino est ponere in Choro vas prunarum hyemali tempore, quod certe assertis incommodis locum praebere aliquando poterit, satius est ut removeatur a Choro, et iuxta omnium morem Ecclesiarum ponatur in Sacrario; ad quod pro opportunitate accedere poterunt omni secluso scandalo ii qui, vel per aetatem vel per infirmam valetudinem his opus habent. Summa religio, pietas ac Amplitudinis Tuae sollicitudo peculiaris ad decorem Domus Dei procurandum promovendumque Sacram Congregationem in spem erigunt, ut si quis forte abusus super assertis irrepserit Cathedrali in Ecclesia Sancti Marci, ille quantocius de medio tollatur. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat. Die 19 Maii 1838.

2783. PINEROLIEN. (4838)

Dubiis a Reverendissimo Episcopo Pinerolien., hisce conceptis terminis, Sacrae Rituum Congregationi propositis; nimirum:

1. An Episcopus debet prohibere morem nonnullorum Parochorum in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes Baptismalem Fontem benedicendi, quin Missam per se ipsos celebrent?

2. Utrum immemorabilis et universalis consuetudo a Parochis servata, quin Missam celebrent, benedicendi candelas, cineres, et ramos olivarum in diebus Purificationis Beatae Mariae Virginis, Feria quarta Cinerum et Dominica Palmarum, censenda sit legitima? Et saltem an tolerari possit?

Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes coadunata, audita subscripti Secretarii relatione, respondendum censuit:

« Ad utrumque iuxta alias decreta non licere, et Benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem ». Die 1 Septembris 1838.

2784. MECHLINIEN. (4839)

Quum in Metropolitana Ecclesia Mechliniensi nonnulla quoad celebrationem Festorum fieri consueverint, de quibus merito dubitatur an debita auctoritate fuerint aliquando inchoata, ne quid contra Rubricarum praescriptum aut Decreta Sacrae Rituum Congregationis in posterum contingat, Reverendissimus Mechlinien. Archiepiscopus praxim Metropolitana sua in Ecclesia et Civitate Mechliniensi vigentem Sacrae eidem Congregationi exponendam censuit; supplicans, ut si fieri possit, rite adprobetur, vel, si secus, statuatur quid in posterum sit agendum. Praxis autem est sequens.

I. Dominica prima mensis Iulii ab immemorabili in Ecclesia Metropolitana cantata fuit Missa votiva solemnis de Sancto Rumoldo, subsequente solemni Processione per Civitatem cum Reliquiis Sancti Rumoldi fieri solita. Attamen quum vi indulti pro reductione Festorum solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et solemnitas Sancti Rumoldi Patroni Ecclesiae Metropolitanae et Civitatis Mechliniensis in unam eamdemque Dominicam saepe incidant, et quidem Sancti Rumoldi festivitas ulterius transferri non possit: 1. quod eius Reliquiae iuxta antiquissimam consuetudinem expositae tantum sint triduo Dominicam primam Iulii subsequente: 2. quod Dominica secunda eiusdem mensis Mechlinienses speciali pietate ac festivitate colant Sanctum Libertum Concivem suum; idcirco duo maiores illae Festivitates Sanctorum Apostolorum ac Sancti Rumoldi simul occurrentes celebrantur per modum unius, dispositis Rubricis, ut sequitur:

1. In Missa Solemni, quam celebrare solet Illustrissimus Dom. Archiepiscopus additur commemoratio solemnitatis Sanctorum Apostolorum sub unica conclusione, quin altera Missa solemnis de Apostolis cantetur (quod illa die aegerrime fieri posset); sed in eodem casu ipsum Festum Sanctorum Apostolorum die sua propria XXIX Iunii cum maiori solemnitate celebratur.

2. Quum in aliis Ecclesiis Civitatis Mechlinien. non invaluerit consuetudo cantandi Missam votivam solemnem de Sancto Rumoldo, ac Sanctorum Apostolorum Festivitati praeferentia debeatur; hinc occur-

rente solemnitate Sanctorum Apostolorum cum solemnitate Sancti Rumoldi, in dictis Ecclesiis cantatur Missa solemnis de solemnitate Sanctorum Apostolorum, addita commemoratione Sancti Rumoldi sub unica conclusione.

3. Si contingat idem Festum Sancti Rumoldi, quod celebratur die 1 Iulii, coincidere cum solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, uti fit hoc anno 1838; Missa solemnis, tum in Ecclesia Metropolitana tum in aliis Ecclesiis Civitatis Mechlinien., cantatur de Festo Sancti Rumoldi, addita commemoratione Sanctorum Apostolorum sub unica conclusione; deinde sub distincta conclusione fit commemoratio octavae Sancti Ioannis Baptistae et Dominicae occurrentis, de qua in fine dicitur Evangelium.

II. In indulto pro reductione Festorum haec habentur: Sanctitas Sua mandat ut Anniversarium Dedicationis Templorum, quae in eiusdem Gallicanae Reipublicae Territorio erecta sunt, in Dominica, quae octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur. Aliunde haec habetur declaratio Eminentissimi Cardinalis Legati: Dominica, quae subsequitur diem octavam omnium Sanctorum, celebrabitur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum. Hinc ortum est dubium apud nonnullos, et introducta praxis diversa circa modum celebrandi praedictum Anniversarium. In Archidioecesi Mechliniensi et in omnibus fere Dioecesibus Belgii, omnes obligati ad Horas Canonicas, etiam illi qui nulli Ecclesiae sunt adscripti, vel qui adscripti sunt Ecclesiae non consecratae, uno eodemque die, nempe Dominica prima post octavam omnium Sanctorum, celebrant Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae seu Cathedralis, et omnium Ecclesiarum in cumulo sub ritu duplicis primae classis cum octava; ita ut per praefatum indultum censeantur suppressa omnia Decreta Sacrae Rituum Congregationis huic dispositioni contraria. Alibi Sacerdotes, qui non sunt adscripti alicui Ecclesiae consecratae, celebrant tantum Dedicationem Ecclesiae Cathedralis in Civitate cum octava, extra Civitatem sine octava, eadem illa Dominica quae a SSmo D. Pio VII Anniversario Dedicationis est assignata. Quaeritur:

1. Uter modus iste celebrandi Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum sit servandus?

2. An in alterutro casu illi, qui adscripti sunt alicui Ecclesiae consecratae, teneantur facere specialem commemorationem dedicationis Ecclesiae Metropolitanae vel Cathedralis, et quomodo?

III. Per Decretum datum pro Dioecesi Mechliniensi concessa est facultas celebrandi Festum Sacratissimi Cordis Iesu Dominica immediate sequenti octavam Solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi cum Officio proprio ac Missa pro Regno Poloniae et pro Archiconfraternitate in Urbe erecta adprobatis. Quum autem in illa Missa, cuius Introitus est *Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum*, non assignetur Tractus pro Missis Votivis post Septuagesimam, nec *Alleluia* cum ℣. pro tempore Paschali; hinc dubitatum est quid in casu occurrente sit faciendum, quum alii ad Missam Votivam de Sanctissimo Sacramento, alii ad Votivam de Passione Domini recurrant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata Ordinariis in Comitiis, audita relatione per infrascriptum Secretarium facta, omnibus mature perpensis riteque libratis, rescribendum censuit:

Quoad I. « Praxim introductam servari posse in omnibus ».

Quoad II. « Ad uniformitatem obtinendam, Anniversarium huiusmodi celebrandum esse ab omnibus ut in Cathedrali et Civitate Mechliniensi ».

Quoad III. « Tractum et Graduale post Septuagesimam et *Alleluia* cum ℣. tempore Paschali desumi posse ex altera Missa iam adprobata ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit a Clero Archidioecesis Mechliniensis. Die 1 Septembris 1838.

2785. MECHLINIEN. (4843)

Apostolicum indultum quo apud Belgas contrahitur numerus Festorum de praecepto, simulque praescribitur ut ieiunium Vigiliae praecedentis, quando servandum est, servetur Sabbato ante Dominicam, in qua Festum illud exterius apud populum agitur, hoc incommodi non raro patitur, ut quum nihil fuerit immutatum quoad Liturgiam consuetumque Horarum Canonicarum ordinem, eodem die quo in Choro solemniter celebratur Festum et Officium Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, eorumdem sit servanda Vigilia. Quum itaque ieiunium minus solemnitati convenire censeatur, propterea Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI enixe supplicavit Eminentissimus et Reverendissimus Domi-

nus Cardinalis Engelbertus Sterkx Mechliniensis Archiepiscopus (nomine etiam ceterorum Belgii Episcoporum ad perfectam uniformitatem obtinendam, nimirum Brugen., Gandaven., Leodien., Namurcen. et Tornacen., qui omnes Suffraganei sunt Mechliniensis Metropolitanae) quatenus iis omnibus Dioecesibus aliud concedere dignaretur indultum, ut ieiunium pervigilii Festi eorumdem Apostolorum, in posterum, servari valeat quarto Calendas Iulii, eadem scilicet die qua antea servabatur.

Sanctitas Sua, referente infrascripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, de speciali gratia annuit iuxta preces, quando natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli incidit in Sabbatum; ceteris vero annis servetur solitum iuxta praecedens indultum. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Septembris 1838.

2786. MELITEN. (4844)

Quum in Cathedrali Ecclesia Meliten. nonnulla in usu esse deprehenderit R. D. Carmelus Scicluna Caeremoniis Praepositus, quae vel a Sacrae Rituum Congregationis Decretis longe aberrant, vel ex illorum devia interpretatione derivant, pro sui muneris parte, ut omnia rite et recte dirigantur, per supplicem Libellum memoratae Sacrae Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum: (1)

1. An Sacerdos, quando benedicit populum Sacra Pyxide, debeat illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis, quemadmodum iubet Rituale Romanum in delatione Viatici, non tamen post Viaticum, sed in diversa occasione?

2. An Canonicus Dignitas, in Minoribus constitutus, possit in fine Officii in Choro intonare Antiphonam Titularis ac dicere Orationem?

3. An Vice-Parochus debeat habere praecedentiam super alios Sacerdotes, ipso in Ordinatione anteriores, non obstante aliqua consuetudine allegata non immemorabili?

Sacrorum vero Rituum Congregatio ad Vaticanas Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scriptis reddita praeloque cusa, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Iacobi Aloisii Brignole Ponentis, omnibus mature perpensis riteque libratis, rescribendum censuit in omnibus iuxta votum: nimirum:

Ad 1. « Deberi in benedicendo populo cum Sacra Pyxide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis ».

Ad 2. « Non posse ».

Ad 3. « Negative, praeter functiones in quibus exercet munus Vice-Parochi ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 23 Februarii 1839.

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4 et 8.

2787. BOVINEN. (4846)

R̃me Domine uti Frater.

In Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, per infrascriptum Secretarium relatis precibus nomine Amplitudinis Tuae, requirentis Missam votivam quotidie celebrandam a rudi imperitoque Sacerdote Tuae Dioecesis, ac etiam subsequentibus litteris cum informatione et voto ab Amplitudine pariter Tua datis octavo Calendas Februarii currentis anni, ac serio examine cribratis omnibus in gravissimo hoc negotio locum habentibus circumstantiis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi concordes in voto fuere quod Amplitudini Tuae scriberetur, ut Sacerdotem eumdem imperitum omnino suspendas, donec instructus appareat ad rite celebrandum, scandalo secluso. Hanc Sacrae Congregationis mentem Amplitudini Tuae aperio. Diu felix et incolumis vivat. Die 23 Februarii 1839.

2788. CONGREGATIONIS OBLATORUM B. M. V. (4847)

Hodiernus Praefectus Congregationis Oblatorum Beatae Mariae Virginis Civitatis Taurinen. a Sacra Rituum Congregatione petiit solutionem insequentium dubiorum; videlicet:

1. An Sacerdos, qui ex indulto quotidie celebrat Missam votivam Beatae Mariae Virginis, in Sabbatis et per octavas Festorum Deiparae addere possit Hymnum Angelicum *Gloria in excelsis Deo;* uti ex Decretis concessum est in Missis Votivis eiusdem Deiparae quae in Sabbato celebrantur?

2. An usus coloris caerulei in sacris Paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in Missis Beatae Mariae Virginis; vel potius pro violaceo?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunati, ad relationem infrascripti Secretarii respondere rati sunt:

Ad 1. « Affirmative, in Sabbatis; in reliquis, Negative ».

Ad 2. « Negative, in omnibus; et usum caerulei coloris, veluti abusum, eliminandum ». Die 23 Februarii 1839.

2789. BARDEN. (4852)

Precibus Reverendissimi Benedicti Flaget Episcopi Barden. requirentis:

1. Ut in Divinis persolvendis Laudibus deinceps conformare se possit in omnibus Calendario Cleri Secularis Urbis.

2. Ut in propria sua Missa, diebus non vetitis, ad libitum recitare queat quamcumque Collectam.

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Obstant Rubricae et Decreta huius Sacrae Congregationis ».

Ad 2. « Affirmative; sed ex iis quae extant in Missali ». Die 23 Februarii 1839.

2790. ANDRIEN. (4854)

Episcopus Andrien., de exacta Rubricarum et Decretorum observantia in sua Cathedrali Ecclesia valde sollicitus, apud Sacram Rituum Congregationem sequentia humiliter exponit:

1. Unoquoque anno in Ecclesia Cathedrali canendae sunt viginti duae Missae de Requiem, cui oneri satisfit diebus quibus per Rubricas licet.

2. In eadem Ecclesia Cathedrali singulis diebus, quibus Rubricae id permittunt, cani debet Missa pro defunctis, quae dicitur quotidiana, modo in Missali praescripto.

3. Qualibet feria II, quamvis Officium fiat ritu duplici, onus adest recitandi vel etiam canendi quaedam Responsoria Officii defunctorum in suffragium sive pie ita disponentium, sive omnium fidelium defunctorum generatim.

Praedicta vero onera ab immemorabili, nullo Episcopo pro tempore contradicente, hoc modo adimplentur:

Cum Laudes incipiunt, ex Canonicis et Sacerdotibus saltem quatuor a Choro discedunt (ceteris manentibus ad reliquas Horas canonicas, Missam Conventualem et Anniversaria aut pia legata, si quae sint, persolvenda) et adeunt Cappellam eiusdem Ecclesiae sive Oratorium, ut Missis assistant de quibus nn. 1 et 2 atque Responsoria recitent aut cantent de quibus n. 3 dictum est; quin confusio aliqua oriatur aut Chori perturbatio: satis enim Oratorium a Choro distat.

Quibus positis a S. R. C. humiliter orator quaerit:

Utrum hic usus ad praedicta onera adimplenda tolerari possit; aut potius ut abusus sit eliminandus, et omnes in Choro praefata onera adimplere teneantur?

Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

« In Choro post Primam satisfaciendum esse oneribus Capituli ». Die 3 Augusti 1839.

2791. BOBIEN. (4857)

Quum Reverendissimus Bobien. Episcopus constituerit quamprimum coadunare Synodum Dioecesanam, ut leges in ea condendae certo innitantur fundamento, Sacram Rituum Congregationem supplex adivit exposcens solutionem nonnullorum dubiorum, quae hisce concepta terminis ipse proposuit; nimirum:

1. An in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis Missae Conventuales, celebrandae cum cantu, legi queant absque cantu dum in Choro Horae minores recitantur? et quatenus affirmative: An in Calendario apponi possit: *Hodie cantantur duae Missae?*

2. An in benedictione populo impertienda cum Augustissimo Eucharistiae Sacramento permitti possit cantus alicuius versiculi vernacula lingua concepti; vel ante vel post ipsam benedictionem?

3. An Litaniis Lauretanis Beatae Mariae Virginis post *Regina Sanctorum omnium* addi possit alius versus scilicet: *Maria advocata nostra;* vel alius?

4. An Seminarii Episcopalis Alumni Choro assistentes cotta induti thurificandi sint?

5. An duo Canonici Episcopo assistentes, dum impertitur populo benedictio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, genuflectere debeant in actu benedictionis ipsius?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, probe sentientes Reverendissimi Episcopi oratoris eo tendere vota, ut omnia in sua Dioecesi recta procedant methodo, in Ordinariis Co-

mitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Missas Conventuales esse canendas, Choro praesente et post Horas Canonicas, iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Permitti posse, post benedictionem ».

Ad 3. « Negative, iuxta alias decreta ».

Ad 4. « Incensandos esse per modum unius ».

Ad 5. « Genuflectere in casu debere ».

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. Die 3 Augusti 1839.

2792. TRIVENTINA. (4861)

Ne ulterius progrediatur abusus iam invectus in Oppido vulgo *Agnona* Dioecesis Triventinae, ubi in una eademque solemni supplicatione Sanctissimi Corporis Christi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum defertur successive ab Archipresbytero et Parochis; quod quidem semel atque iterum prohibetur a Decretis Sacrae Rituum Congregationis: ut omnia in posterum legitime procedant, memorati Oppidi Archipresbyter eidem Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione insequentia duo dubia proposuit, nimirum:

1. An, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, intangibile sit ius Celebrantis in Solemnitate Sanctissimi Corporis Christi semper per se deferendi in publica supplicatione Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

2. An inveterata quaecumque in contrarium consuetudo derogare possit legi a Decretis Sacrae Congregationis praescriptae?

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, ad relationem infrascripti Secretarii, singulis maturo examine perpensis, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative, iuxta alias decreta ».

Ad 2. « Negative, iuxta pariter decreta ».

Atque ita decernendum ac servandum omnino edixere. Die 3 Augusti 1839.

2793. FIRMANA. (4862)

Precibus Parochorum loci vulgo *Monte Granaro* Archidioecesis Firmanae requirentium: An in extractione dotalium subsidiorum pro pauperibus puellis, quae ex dispositione testamentaria locum obtinet die XXV Iulii cuiusque anni in parochiali Ecclesia, a qua, dicta occasione, amovetur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, Hymnus *Veni creator Spiritus*, a testatore praescriptus, intonandus sit a Parocho cotta et Stola induto?

Et Sacra Rituum Congregatio respondit: « Dicatur a Praeside ut in Congregationibus, sine habitu sacro ». Die 3 Augusti 1839.

2794. BAREN. (4863)

Sacrae Rituum Congregationi insequentia duo dubia proposuit Sacerdos Iacobus Quarto Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sancti Nicolai in Civitate Barensi; nimirum:

1. Anne in ipsa Collegiata Canonico solemniter celebranti liceat assumere Beneficiatum, qui officio fungatur Presbyteri assistentis cum pluviali, palmatoriam deferendo?

2. Utrum Canonici, mitrae et crucis pectoralis privilegium habentes, uti possint etiam faldistorio, chirothecis, Dalmaticis, sandaliis, palmatoria, gremiali, baculo sine velo pendente, dum solemniter celebrant?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, referente Secretario, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Negative, in casu ».

Ad 2. « Strictim standum privilegio ».

Die 3 Augusti 1839.

2795. BURGI SANCTI DOMNINI. (4864)

Quum Reverendissimus Episcopus Burgi Sancti Domnini a Sacra Rituum Congregatione humillime indultum rogarit, cuius vigore a suo Clero Seculari, et etiam Regulari Dioecesano Calendario utente, Officium Translationis Sancti Nicomedis Martyris Calendis Iulii recitari queat;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, rescribendum censuerunt: « Officium Translationis conceditur in loco, ubi facta fuit Translatio, cuius memoria per illud Officium recolitur: ac proinde in casu: Negative ». Die 3 Augusti 1839.

2796. SENEN. (4865)

Ioseph Mancini hodiernus Archiepiscopus Senen. humiliter exponit quod Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, Apostolico Brevi sub die 5 Iulii proxime praeteriti, fa-

cultas facta est utendi palmatoria etiam in Missis cantatis aliisque ecclesiasticis functionibus: nam hoc privilegio iam gaudebant in Missis privatis. Nunc oritur dubium: A quonam sustinenda sit palmatoria, a Sacerdote nempe aut a Clerico? et an superpelliceo tantum, vel etiam pluviali induto?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum ac declarandum censuerunt:

« Palmatoria in casu, iuxta generalem consuetudinem, sustinenda est vel a Ministris vel a Magistro Caeremoniarum Missae Solemni inservientibus ». Die 3 Augusti 1839.

2797. MONTIS PESSULANI. (4868)

Etsi Rubricae Missalis ac plerumque Sacrae Rituum Congregationis Decreta, et praesertim Generale datum die 28 Februarii 1818, certas indubiasque leges proponant, quae strictim servandae sunt in celebrandis Missis pro Sponso et Sponsa; adhuc autem ulterius in re declarationes ab hac Sancta Apostolica Sede desiderare videtur Sacerdos Ludovicus Valade Vicarius Generalis in Dioecesi Montispessulani, cuius nomine proposita sunt insequentia dubia; nimirum:

1. Quando Nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debet ne fieri commemoratio Missae pro Sponso et Sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem?

2. Licet ne tunc recitare supra Sponsos preces seu Orationes in Missali positas post Orationem Dominicam et *Ite Missa est?*

3. Quando praedictae Orationes non sunt recitatae in Missa Nuptiarum, debent ne recitari extra Missam, elapso tempore prohibito?

Quae singula dubia sedulo de more perpendentes Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunati, auditaque fideli relatione ab infrascripto Secretario facta, respondendum censuerunt:

« Serventur Rubricae Missalis ac Generale memoratum Decretum, quo edicitur ut quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio Nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro Sponso et Sponsa in Missa occurrente; neque Orationes resumendae sunt extra Missam, tempore prohibito elapso ». Atque ita rescripserunt, declararunt ac servandum omnino mandarunt. Die 31 Augusti 1839.

2798. EISTETTEN. (4869)

Dum in suo Generali Decreto pridie Calendas Martii anno 1818 Sacra Rituum Congregatio edixit, ut Missae votivae privatae pro Sponso et Sponsa legantur sine *Gloria* et sine *Credo,* cum tribus Orationibus, *Benedicamus Domino* et Evangelio Sancti Ioannis in fine; Reverendissimus Eistetten. Episcopus Sacrae eidem Congregationi exposuit: In Bavaria, et praesertim in Paroeciis Pagorum huiusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus adsit Sacerdos; quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis sequens exhibuit dubium, nimirum:

An Missae pro Sponso et Sponsa, quando celebratur cum cantu, addi queat Hymnus Angelicus cum Symbolo Nicaeno?

Et Sacra ipsa Congregatio, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Negative ad dubium; in Paroeciis vero, ubi unus tantum est Sacerdos, Dominicis Festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro Sponso et Sponsa in casu ».

Atque ita servari mandavit. Die 31 Augusti 1839.

2799. TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI. (4870)

Quum R. P. Aloisius Galandrini Prior Tertii Ordinis Sancti Francisci in Oppido vulgo di *Monteloreto* Dioecesis Maceraten. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione insequentia dubia proposuerit; nimirum:

1. An in Ecclesiis ubi functiones maioris Hebdomadae fieri nequeunt, Feria V in Coena Domini celebrari possit Missa lecta?

2. An si huiusmodi Ecclesiae sint Regularium, id liceat, ut Superior communicare valeat suos Alumnos, pro adimplemento Paschalis praecepti?

3. An Sabbato Sancto Religiosi existentes in Coenobiis quae ultra milliare ab Oppidis distant, in sonitu Nolarum conformare se debeant Ecclesiae matrici?

4. An Religiosi ultra milliare ab Oppidis commorantes teneantur accedere ad supplicationes, quae in Ecclesia matrici instituuntur?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Quirinale subsignata die coadunati, ad relationem R. P. D. Secretarii, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Superior celebret in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem: et si desit Oratorium, fiat in Ecclesia ianuis clausis ».

Ad 3. « Affirmative, iuxta alias decreta ».

Ad 4. « Non teneri iuxta Decretum in Sulmonen. die 20 Decembris 1659, si distent a Civitate ultra medium milliare ».

Die 31 Augusti 1839.

2800. CATHAREN. (4872)

In Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, quum inter cetera negotia actum etiam fuerit de supplici Libello a Reverendissimo Episcopo Catharen. proposito, quo expetebat immutationes faciendas in Orationibus pro Imperatore Romano Feria VI in Parasceve; nam Franciscus Primus Austriae Imperator defunctus die 6 Augusti 1806 dignitati Imperatoris Romani renunciavit, et eius successor Imperator Austriae vocatur; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente Secretario, rescribendum censuerunt: « Negative ». Die 31 Augusti 1839.

2801. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM. (4874)

Saepissime quum contingat ut Alumni Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum ab uno ad aliud Coenobium transmigrare debeant; praesertim dum se conferunt ad Verbum Dei disseminandum, vel dum iter instituunt atque per aliquot dies et ad mensem etiam, extra Coenobium, cuius Familiae ex obedientia sunt addicti, commorantur; diversam unusquisque tenet praxim quoad pensum Divini Officii. Nonnulli siquidem in persolvendis Horis Canonicis Calendarium proprii Coenobii sequuntur a quo discedunt; nonnulli alterum sequuntur Coenobii ad quod perveniunt; praesertim quoad translationes varias quae necessario fieri debent diversae, iuxta Coenobii diversitatem, ut detur locus Officiis Patroni Loci et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis. Ut autem certa norma in posterum uniformiter sequenda tradatur, Extensor Calendarii recensiti Ordinis in magno Ducatu Etruriae, de consensu R. P. Ministri Provincialis, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Utrum Alumnus Familiae Capuccinorum iter faciens teneatur, extra Chorum, ad Officium quod recitatur in Choro Coenobii a quo discessit; an alterius ad quod pervenit?

2. Utrum tempore Quadragesimae Divini Verbi Praecones commorantes extra Coenobium teneantur se conformari Calendario Coenobii vicinioris; an eius ex quo discesserunt et ad quod redire post Pascha debent?

3. An eodem Quadragesimae tempore, quando fit Officium Feriale, cui adnexum est Officium parvum Beatae Mariae Virginis vel Psalmi Graduales aut Poenitentiales, haec additionalia anticipari possint die praecedenti post Completorium, si anticipetur Divini Officii Matutinum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii et omnibus mature consideratis, rescribendum censuit, iuxta alias decreta:

Ad 1. « In itinere sequatur Divini Officii Calendarium Coenobii ex quo discessit; dum pervenit et manet in altero Coenobio, etsi ad tempus, huius Calendarium sequatur ».

Ad 2. « Ad neutrum tenentur; sed se conformare debent ad Provinciae Calendarium, sine ulla diversitate, pro omnibus quolibet anno extensum ».

Ad 3. « Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in Choro tantum; quae non sunt anticipanda, quia sunt affixa diei ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 31 Augusti 1839.

2802. BARCINONEN. (4878)

Reverendissimus Barcinonen. Episcopus totis viribus optans ut Dei cultus in externis caeremoniis, tum in Sacrosancto Missae Sacrificio tum in Officio divino ab omnibus sub eadem norma iuxta Rubricas recte peragatur, sui muneris esse duxit sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi proponere pro opportuna dilucidatione; nimirum: (1)

(1) E. Dub. 1 et 6.

1. Usque nunc in Missa Translationis S. Eulaliae dicitur *Credo* ab omnibus Sacrum facientibus, etiam extra Cathedralem Ecclesiam ubi tantum Reliquiae asservantur. Retinenda ne est haec immemorabilis consuetudo?

2. Missae in Oratorio privato non possunt celebrari in Festo Titulari Parochiae, ubi Oratorium constructum est. Verum in Oratoriis privatis intra Civitatem constructis, debetur ne censeri prohibitum Sacrum facere etiam in die Titularis Civitatis, nempe die tertia Maii; vel tantum in die Titularis propriae Parochiae?

3. Coecutientes, privilegium habentes Missam Votivam dicendi Beatae Mariae Virginis, possunt ne in die Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi tres Missas votivas Beatae Mariae Virginis celebrare?

4. Iuxta Pontificale Romanum Episcopus post Ordinationem Presbyterorum iniungit eis obligationem celebrandi, post primam eorum Missam, unam de Spiritu Sancto, alteram de Beata Maria Virgine, et tertiam pro Defunctis. Ad hoc ut obligatio isthaec facilius adimpleatur, possunt ne dictae Missae in diebus duplicibus minoribus celebrari?

5. Dum duo Officia Passionis concurrunt, quaeritur: Utrum Vesperae debeant fieri de primo, vel de secundo?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite perpensis et examinatis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, etiam in Cathedrali, dummodo Reliquia non fuerit insignis; quo casu, Affirmative in Cathedrali tantum ».

Ad 2. « Prohibitum est tantum in Festo Patroni Civitatis vel Dioecesis, non in Festo Titularis; quod non inducit praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative, sed in diebus a Rubrica permissis ».

Ad 5. « Nihil de sequenti; dummodo non fuerit potioris ritus: tunc enim nihil de primo ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.
Die 11 Aprilis 1840.

2803. CAMERACEN. (4879)

Parochus Decanus Sancti Petri de *Douvai,* quod est Oppidum Cameracensis Dioecesis, sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

An debeant semper tres ad minus Orationes cantari, quando fit de Dominica, et celebratur Missa solemnis cum Diacono et Subdiacono: ratio dubitandi est, quod quaedam Directoria dicunt Missam solemnem commemorationem Simplicis excludere? vel sufficiat tunc unicam Orationem canere, si non intersit octava?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii et omnibus mature consideratis, rescribendum censuit: « In Missis Solemnibus duplicis primae et secundae classis tantum, omittuntur aliae Orationes ».

Atque ita rescripsit et declaravit.
Die 11 Aprilis 1840.

2804. FLORENTINA. (4881)

Plebana in Ecclesia Sancti Bartholomaei vulgo nuncupata a *Gagliano* Florentinae Archidioecesis erecta est Sodalitas titulo bonae Mortis. Ad utriusque sexus Sodalium saluti prospiciendum, praesertim dum in extremo mortis periculo sunt constituti, Sacrae Rituum Congregationi supplicavit Sacerdos Stanislaus Pozzi recensitae Ecclesiae Plebanus, quatenus ad Sancti Apostoli praedicti Aram valeat celebrari Missa pro infirmo in mortis articulo constituto (uti prostat in calce Missalis Romani) toties quoties quilibet Sodalium in hoc periculo versatur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit: « Pro Collecta tantum, in Missa diei ». Atque ita servari posse permisit; attamen servatis Rubricis.

Die 11 Aprilis 1840.

2805. HYDRUNTINA. (4882)

Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit Reverendissimus Hydruntin. Archiepiscopus illa in Provincia sensim Canonicos omnes sine speciali privilegio sibi vindicasse quaedam specialia honoris insignia quasi sibi debita, ex quo renunciantur Canonici; gestandi nimirum in galeris chordulas cum floccis et caligas violacei coloris, quosdamque ex ipsis etiam annulum. Propterea pro sui muneris parte quaesivit: An usus a Canonicis tum Cathedralium tum omnium Collegiatarum pluribus ab hinc an-

nis inductus deferendi sericos in galeris floccos et caligas violaceas, quae iam in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris aut personatus insignia, prohiberi debeat, vel tolerari? et quid item censendum sit de usu annuli, aut in quibus circumstantiis?

Sacra Rituum Congregatio ad Vaticanas Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite consideratis atque examinatis, rescribendum censuit: « Moderandam esse consuetudinem iuxta Constitutionem: *Decet Romanos Pontifices* s. m. Pii Papae VII, quarto Nonas Iulias 1823 editam: quoad vero annuli usum serventur Decreta pluries edita, quibus annuli delatio in Missa est vetita omnibus Sacerdotibus, etiam si sint Protonotarii Titulares, Dignitates et Canonici Cathedralis ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 11 Aprilis 1840.

2806. MUTINEN. (4884)

Quum in Ordinariis Comitiis Sacrae Rituum Congregationis ad Vaticanum subsignata die habitis relatae fuerint preces Parochorum Mutinen. exquirentium confirmationem invectae apud ipsos consuetudinis gestandi in supplicationibus Stolam super cottam atque mozzettam; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis etiam informatione et voto Reverendissimi Episcopi, rescribendum censuerunt: « Non expedire ».

Die 11 Aprilis 1840.

2807. ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM SANCTI FRANCISCI. (4886)

Quum superiori anno 1839, Alumni Ordinis Conventualium Sancti Francisci in Oppido vulgo *Bettone* Dioecesis Assisien., in supplicatione fieri solita die ipso Paschae Resurrectionis, contra invectam consuetudinem usi fuerint pluviali, freti Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 21 Martii 1699 in una Ordinis Minorum de Observantia; Capitulum Collegiatae illius Ecclesiae renuit accedere ad supplicationem; si quidem per pluvialis usum innovatio inducebatur, in hac ipsa supplicatione non minus quam in altera fieri solita in die Solemnitatis Sancti Iosephi. Quapropter apud Reverendissimum D. Episcopum Assisiensem controversia delata est ac eiusdem sententia requisita, tum super iure instituendi supradictas supplicationes, an scilicet competant Parocho, vel Ordini ipsi Conventualium; tum super usu pluvialis in iisdem supplicationibus nunc primum adhibiti. Reverendissimus autem ille Antistes, edicens ius quoad ipsas supplicationes competere Alumnis Ordinis Conventualium, decrevit ut super usu pluvialis contra invectam consuetudinem sententia requireretur Sacrae Rituum Congregationis.

Facti itaque specie et circumstantiarum serie per R. P. D. Secretarium expositis in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: « Servato Episcopi Decreto, stetur consuetudini incedendi sine pluviali et sine Ministris ».

Die 11 Aprilis 1840.

2808. TRIVENTINA. (4889)

Quum hodiernus Prior Congregationis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo loci *Capracotta* Dioecesis Triventinae Sacram Rituum Congregationem instanter rogavit, ut non obstante Generali Decreto prohibente deferri sub baldachino Sanctorum Imagines, id permitteret de speciali gratia eidem Congregationi quoad Simulacrum Beatae Mariae eodem sub titulo:

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunata, rescribendum censuit: « Servetur: Generale Decretum ».

Die 11 Aprilis 1840.

2809. VERCELLEN. (4890)

Quum Reverendissimus Vercellen. Antistes optaret in honorem Beatae Ludovicae a Sabaudia Deo consecrare succursalem Ecclesiam, quae modo construitur in Territorio Vercellensis Dioecesis; ac proinde Sacram Rituum Congregationem enixe efflagitarit opportunum ad id indultum;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ac ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, probe noscentes a Decretis omnino prohiberi in Beatorum honorem Ecclesias vel Altaria dicare, referente infrascripto Secretario, respondendum censuerunt: « Obstant Decreta ».

Die 11 Aprilis 1840.

2810. ROMANA. (4892)

Peractis in Patriarchali Vaticana Basilica a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI novissimae Canonizationis Solemniis, pro quibus rite explendis summo labore connituntur universi Sanctae Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistri, hisce nihil solemnius erat quam Sanctorum singulas Imagines in grati animi ergo accipere iuxta ius sancitum in nova Reformatione edita a sanctae memoriae Benedicto Papa XIV sub die 14 mense Aprili anno 1741. Sed insperato res contra accidit; et horum Supranumerarii animadvertentes seniores tantum, qui de numero sunt, pictis tabulis donatos a Postulatoribus fuisse, omni apud ipsos incassum adhibito studio ut a coepto desisterent, supplicem libellum porrexerunt Emo et Rmo D. Cardinali Carolo Mariae Pedicini Episcopo Praenestino, S. R. E. Vice-Cancellario et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, (qui una simul praeerat particulari coetui ab eodem Sanctissimo Domino Nostro deputato pro dirimendis quaestionibus quae oriri possent vel ante vel post Canonizationem) quatenus dignaretur opportune providere. Eminentissimus Cardinalis Praefectus cum facultatibus sibi attributis, Calendis Septembris superiore anno 1839 rescripsit: « Oratores Supranumerarios iuxta reformationem recensitam pictis tabulis donandos esse ». Attamen quum Postulatores hactenus moras trahant, ut scandalum de medio tollatur et ius quaesitum sibi vindicent, Sacrae Rituum Congregationi novas supplicationes porrexerunt ipsi Caeremoniarum Magistri Supranumerarii.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunata, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Praefecti, omnibus rite consideratis, unanimiter rescribendum censuit: « iuxta Benedictam Reformationem et allatum rescriptum diei 1 Septembris 1839, Oratoribus Caeremoniarum Magistris pictas tabulas a Postulatoribus Canonizationis deberi ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.
Die 11 Aprilis 1840.

2811. CAPUANA. (4894)

In novissima rerum omnium perturbatione, a prisca et recta Sacrorum Rituum observantia recesserunt Laicorum Sodalitates Civitatis Capuanae, dum in publicis supplicationibus funeribusque ducendis Sodalitii Vexillum nullo obductum velo, vel etiam hastatam Crucem gestabant. Ne consuetudo istiusmodi invalesceret, die 14 mense Maio anno 1831, Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Capuanus uniuscuiusque Sodalitii Moderatores literis commonere fecit, ut iuxta sancitas leges Vexillum velo obduceret; quod ultro factum est praeterquam a Sodalitate Caritatis, quae insuper autumans vel ex privilegio vel ex consuetudine ius sibi quaesitum fuisse deferendi hastatam Crucem, neque definitum terminum ad diem 16 mense Iulio anno 1838, neque Decretum sub die 17 mense Novembri insequente ad praxim deduxit; immo appellationem intermittens ad hanc Sacram Rituum Congregationem recursum instituit. Quum vero statuta die coram R. P. D. Secretario subscripto Procuratores partium multum dissiderent super ipsa dubiorum concordatione, eadem Sacra Congregatio die 3 mensis Augusti superioris anni sequens dubium, super quo disputandum hinc inde foret, proposuit, nimirum: « An, et quomodo sit servandum et exequendum Monitorium Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi in casu? » Per Defensores itaque tum Archiepiscopalis Curiae Capuanae ex una, tum Sodalitatis Caritatis partibus ex altera, productis iuribus iisque rite accurateque libratis et examinatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die habitis, post omnimodam et absolutissimam relationem ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ioanne Francisco Falzacappa Episcopo Portuensi Ponente factam, rescribendum censuerunt: « Affirmative in omnibus; seu Monitorium esse servandum et exequendum ». Atque ita rescripserunt ac omnino servandum mandarunt.

Die 12 Septembris 1840.

2812. APUANA. (4895)

Quum Reverendissimus Apuan. Episcopus non minus, quam Duces Militiae in Civitate Apuana indultum efflagitarint, ut in Sacello militaris domus Sacrosanctum Missae Sacrificium ut antea celebrari valeat, quamvis super Sacello lectuli militum ex necessitate reperiantur, constructa tamen super ipso duplici concameratione;

Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale subscripta die coadunata, attentis expositis ac audita ab infrascripto Secretario fideli relatione, respondendum censuit:

« Committatur Episcopo, ut veris existentibus narratis, adhibitisque praescriptis cautelis, pro suo arbitrio et prudentia indulgeat iuxta preces ».

Die 12 Septembris 1840.

2813. ARETINA. (4896)

Ad preces Iosephi Cardinali, civis Aretini, expetentis indultum ut, ex interiori domo sua campestri, aperire valeat ostium in Ecclesiam sui iuris affabre constructam in Territorio Aretino :

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, benigne commisit Reverendissimo Aretino Ordinario :

« Ut veris existentibus narratis, pro suo arbitrio et prudentia, indulgere valeat iuxta Oratoris preces, adhibitis tamen cautelis et conditionibus omnibus de iure et stilo servandis ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Septembris 1840.

2814. BRUGEN. (4897)

Nonnullas sua in Dioecesi animadvertens consuetudines Reverendissimus Brugensis Episcopus, quas certe a recta regula deflectere suspicari potest, ad omnem dubitationem avertendam firmandamque uniformitatem, Sacrae Rituum Congregationi sequentia proposuit dubia pro opportuna solutione; nimirum : (1)

1. Sacerdos celebrans in Oratorio publico vel privato quod non habet Sanctum Patronum vel Titularem, debeatne in Oratione *A cunctis* ad litteram N. nominare Sanctum Patronum vel Titularem Ecclesiae Parochialis, intra cuius limites situm est Oratorium, vel Sanctum Patronum Ecclesiae cui adscriptus est; vel potius omnem ulteriorem nominationem omittere?

2. Decretum in Mechlinien. sub die 1 Septembris 1838 in responsione ad Praxim II, praescribit ut Sacerdotes, nulli vel non consecratae Ecclesiae adscripti, propter uniformitatem Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum celebrent cum octava, ut in Cathedrali et in Civitate Mechliniensi. Quum hoc Decretum videatur solummodo applicandum Archidioecesi Mechliniensi, petitur ut propter eamdem rationem etiam extendatur ad Dioecesim Brugensem.

3. In Dioecesi Brugensi existit Confraternitas adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti, et dies anni ita distribuuntur ut singulae Parochiae et publicum Oratorium suum sortiatur, in quo a summo mane ad vesperam Venerabile Sacramentum patenter adorationi fidelium sit expositum. Nunc quaeritur: An sufficiens hic habeatur ratio ad indicendam Missam Votivam de Sanctissimo Sacramento pro re gravi?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis riteque libratis, rescribendum censuit :

Ad 1. « Patronum Civitatis vel Loci nominandum esse ».

Ad 2. « Pro gratia, instar concessionis factae Clero Mechliniensi die 1 Septembris 1838 ».

Ad 3. « Negative; nisi exponendum sit in forma Quadraginta Horarum ».

Atque ita rescripsit ac servari praecepit. Die 12 Septembris 1840.

2815. CENOMANEN. (4898)

Reverendissimus Episcopus Cenomanen. in Gallia Sacrae Rituum Congregationi quaedam humillime exposuit dubia, eorum solutionem supplex efflagitans; nimirum:

1. An ipsius consecrationis Anniversarium regulariter celebrari possit eo die quo evenit, nimirum Feria VI post Dominicam Passionis, in qua Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis recolitur ; vel potius die mensis, qua consecratio peracta fuit?

2. An Missa Pontificalis, quae solemniter tunc celebrari solet in Cathedrali, debeat esse Votiva pro Anniversario consecrationis Episcopi; aut propria de Compassione Deiparae cum Anniversarii consecrationis memoria per Orationem?

3. Si hoc Anniversarium necessario celebrari debeat die XXI Martii, qua die evenit; quidnam agendum quando haec dies incidit in unam ex Dominicis Quadragesimae vel in Dominicam Passionis? Licet ne solemnem celebrare Missam Pontificalem de Anniversario consecrationis cum memoria Dominicae per Orationem et ultimum Evangelium?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Quirinale sub infrascripta die coadunati, referente Secretario, respondendum censuerunt :

Ad 1. « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

(1) E. Dub. 1, 3, 5 et 7.

Ad 3. « In casu, Missam habendam esse de Dominica, addita Oratione pro Episcopo ».

Atque ita servari mandarunt.

Die 12 Septembris 1840.

2816. ORDINIS CARMELITARUM CALCEATORUM. (4901)

Quum Reverendissimus P. Prior Generalis Ordinis Carmelitarum Calceatorum Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit:

1. Ut declarare dignaretur num post datum Generale Decretum s. m. Innocentii Papae XI super Officio Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis, praeter Dominicam infra octavam Nativitatis ipsius Deiparae, Alumnis sui Ordinis liceat quater in Anno hoc ipsum Officium recitare, ut antiquitus fuerat indultum?

2. Ut approbare pariter dignaretur Praefationem propriam in honorem Sancti Eliae Prophetae.

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative. Et servetur Generale Decretum diei 17 Iunii 1684 ».

Ad 2. « Negative ».

Die 12 Septembris 1840.

2817. PISANA. (4902)

Metropolitanae Ecclesiae Pisarum Canonici, qui semper pro honestate vitae, zelo Domus Dei, Religionis honore, sana doctrina ac nobilitate generis, ex Sanctae huius Apostolicae Sedis indulto perantiquo, raro utuntur privilegio in ecclesiasticis functionibus et Choro induendi vestem, mozzettam et cappam rubri coloris: quod, Decreto lato pridie Idus Iulii Anno 1790, a s. m. Pio Papa VI, iterum instauratum fuit quoad vestem ob desuetudinem iam ab illis demissam. Verum quum peculiaris haec honorificentia suis coarctetur limitibus, intra nimirum propriam Ecclesiam ceterasque, quae utpote eidem unitae ab ea dependent; propterea Reverendissimus Pisanus Archiepiscopus, ut aliquod suae benevolentiae et existimationis testimonium erga Capitulum ostendat, Sacram Rituum Congregationem enixe rogat, ut Canonicis Primatialis et Metropolitanae Pisarum liceat eodem uti privilegio quotiescumque alia in Ecclesia, intra tamen eamdem Dioecesim solummodo, sacram peragunt functionem.

Et Sacra Rituum Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus rite consideratis:

« De speciali gratia benigne annuit iuxta Archiepiscopi oratoris preces; dummodo tamen strictim servetur clausula recensiti Decreti s. m. Pii Papae VI; nimirum quod vestis talaris sit ad formam in omnibus iuxta reliquos de Clero, scilicet sine cauda ».

Die 12 Septembris 1840.

2818. PISTORIEN. (4903)

Quum Sacerdos Antonius Raffanelli hodiernus Parochus Ecclesiae Sanctissimae Annuntiationis Deiparae in Civitate Pistorien. Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut confirmare dignaretur ibi invectam consuetudinem, etiam in Quadragesima, instituendi Festum Titulare cum octava de Annuntiatione Beatae Mariae Virginis;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati, audita ab R. P. D. Secretario relatione, rescribendum censuerunt: « Negative; et serventur omnino Rubricae ».

Die 12 Septembris 1840.

2819. URBANIEN. (4906)

Quum Cathedralis Urbanien. Canonici Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens proposuerint dubium; nimirum:

An Canonici Urbaniae gaudentes ab erectione Cathedralis iure duorum graduum in Choro, possint habere in Presbyterio Scamnum cum duobus gradibus, non secus ac in Choro quando Episcopus assistit in sua Sede collocata in Cornu Evangelii quatuor gradibus e terra erecta?

Et Sacra Rituum Congregatio ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

« Negative; et Episcopalis etiam Thronus, quoad gradus, uniformis sit institutis Caeremonialis Episcoporum Lib. 1, cap. 13, § 3 ».

Die 12 Septembris 1840.

2820. AVENIONEN. (4907)

Officiales Dioecesis Avenionen. simul et Canonicus Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae, ad opinionum differentiam de medio tollendam et uniformitatem

assequendam, humillimis precibus a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem postularunt; nimirum:

In Responsorio *Libera me Domine,* quod cantatur in absolutione Defunctorum, post dictum primum versum *Tremens factus sum,* quum resumitur pars Responsorii *Quando coeli movendi sunt,* sistendum ne est post haec verba *et terra,* ut in Responsorio primo Dominicae I Adventus, et iuxta usum receptum in his regionibus; vel more omnium Responsoriorum, prosequendum ne est usque ad finem Responsorium ad haec verba *per ignem,* antequam cantetur secundus versus *Dies illa?*

Et Sacra Rituum Congregatio, subscripta die ad Quirinales Aedes in Ordinariis Comitiis coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 12 Septembris 1840.

2821. CAMBERIEN. (4908)

Quum in Dioecesi Camberien. diversae circumferrentur opiniones circa personas adactas servare ieiunio in pervigilio Dedicationis Ecclesiae, Reverendissimus Episcopus Camberien. Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit ut declarare dignaretur a quibus sit idem ieiunium servandum?

Et Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Quirinalem subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunati, ad relationem R. P. D. Secretarii, respondendum censuerunt: « Missis opinionibus, servetur Decretum in Mechlinien. diei 29 Iulii 1780 ad primum, in quo haec habentur: Ieiunium a Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum qui petunt sibi Ecclesiam consecrari ».

Die 12 Septembris 1840.

2822. CONGREGATIONIS SACRORUM CORDIUM IESU ET MARIAE. (4909)

Reverendissimus Episcopus Chalcedonensis, uti Generalis Moderator Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, ad uniformitatem in divinis persolvendis Laudibus assequendam a suis Alumnis qui ad Horas Canonicas tenentur, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

I. Quum in Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae nec non et Adorationis perpetuae Sanctissimi Sacramenti Altaris, transferantur plura Festa propter usum Calendarii proprii a Sancta Sede concessi, aliquoties occurrit ut Festum Virginis tantum, ritus duplicis vel semiduplicis, incidat in Festum alterius Virginis tantum, ritus simplicis, velut Festum Sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis die 27 Maii quod translatum manet aliquoties in diem 21 Iulii Sanctae Praxedi Virgini sacrum. In dicta occurrentia Secreta et Postcommunio utriusque Missae praecise similes sunt. Sed et insuper ambae Missae de Communi Virginum tantum, ad quod recurrendum est, Missa *Dilexisti* et Missa *Vultum tuum* habent pariter eamdem Secretam et eamdem Postcommunionem. Verumtamen iuxta Rubricam non bis in idem nec eadem Oratio debet in una Missa bis inservire: quid igitur agendum in eo casu? Quaeritur proinde: 1. Licet ne Secretam et Postcommunionem ex Missa *Loquebar* de Communi Virginis et Martyris desumere, omittendo verba *Martyris* vel *et Martyre?* 2. Idem ne licebit quando occurret Festum nec Virginis nec Martyris cum Festo Virginis tantum, eo quod in tali occurrentia oritur difficultas supradicta?

II. Ex variis Decretis Sacrae Rituum Congregationis, Regulares tenentur ad Festum Patroni principalis Loci et Titularis Ecclesiae Cathedralis atque Protectoris Civitatis sine octava; sed in praedicta Congregatione movetur dubium circa sensum huius vocis *Loci.* Nam iuxta quosdam idem sonat ac Dioecesis, iuxta alios vero idem ac Civitatis vel Oppidi, iuxta nonnullos tandem etiam Pagi. Quaeritur 1. Quaenam ex illis sententiis amplectenda? 2. Quid intelligendum per Protectorem Civitatis? 3. Patronus ne Pagi idem est ac Patronus Parochiae, quum in Gallia Pagus et Parochia indiscriminatim sumantur ad designandam aliquot domorum vicinitatem, intra quas reperitur Ecclesia cui Parochus deservit: quatenus ut Regulares in Pago degentes non teneantur ad Festum Patroni Pagi, sicut non tenentur ad Festum Patroni Parochiae?

III. In Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum, in Breviario Romano legitur sequens Rubrica post Commemorationem Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; *De Patrono vel Titulari Ecclesiae fiant Commemorationes praedictae pro dignitate illius.* Sed quum Fratres dictae Congregationis Sacris Ordinibus initiati ad-

dunt in Suffragiis Commemorationem de Sacro Corde Iesu et de Sancto Iosepho Patrono peculiari eiusdem Instituti, quaeritur: 1. Tenentur ne ex Rubrica citata ad aliam commemorationem sive Patroni principalis loci, sive Titularis Ecclesiae Cathedralis, sive Protectoris Civitatis? 2. Similiter in Oratione *A cunctis* quum subiungi debeat nomen Patroni vel Titularis Ecclesiae nominibus Sanctorum Apostolorum in his vocibus *atque Beato N.,* tenentur ne ad addendum nomen vel Patroni principalis loci, vel Titularis Ecclesiae Cathedralis, vel Protectoris Civitatis, quum iam in praedicta Oratione praemittant Apostolis nomen Sancti Iosephi Patroni totius Congregationis? 3. Possunt ne praeterea in Oratione *A cunctis* subiungere nomen Patroni Cappellae propriae, si habeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature consideratis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam et secundam quaestionem, Affirmative; cum debita exceptione, videlicet exprimendo Virginem vel Martyrem tantum vel utrumque, iuxta Officii qualitatem ».

Ad 2. « Quoad primam quaestionem, intelligendus est praecipuus Patronus tantum vel Dioecesis, si habeatur, vel Oppidi similiter. Quoad secundam quaestionem, ut ad proximam. Quoad tertiam, Negative; ex decisis ».

Ad 3. « Quoad primam quaestionem, tenentur ad commemorationem Patroni vel Titularis, ut supra. Quoad secundam quaestionem, ut ad proximam. Quoad tertiam, Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1840.

2823. MECHLINIEN. (4911)

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Card. Engelbertus Sterckx Archiepiscopus Mechlinien., animo reputans generalium Missalis Romani Rubricarum dispositionem quoad Missam dicendam in Anniversario Electionis Episcopi, in quibus Titulo XI praescribitur illa in Missa addendum esse Symbolum Nicaenum; Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Num haec Rubrica sit intelligenda dumtaxat de Missa Solemni, quae ex praescripto Caeremonialis Episcoporum illa die celebratur in Ecclesiis Cathedralibus; an vero in omnibus etiam Missis privatis, in quibus tunc additur commemoratio praedicti Anniversarii, iuxta morem, tam in Archidioecesi Mechliniensi quam in aliis Belgii Dioecesibus receptum?

2. An Sacerdos, qui vellet Missam pro Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi legere ex devotione illa die, dum Rubricae non obstant, debeat in ea dicere *Gloria* et *Credo;* an vero utrumque vel alterutrum omittere; item an dicendae sint tres saltem Orationes, ut in Missis votivis?

3. Quid sit agendum in Missa Solemni, tam in Ecclesia Metropolitana seu Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Dioecesis, quando dies Anniversaria Consecrationis Episcopi incidit in Feriam V in Coena Domini, ut continget in Dioecesi Mechliniensi Anno 1841, vel in Sabbatum Sanctum? Item: An liceat in omnibus Missis, tam cantatis quam lectis, addere commemorationem pro Episcopo, si dies anniversaria eius consecrationis incidat in Dominicam aliquam ex privilegiatis primae classis, quae unicam tantum admittunt Orationem, vel, Festum primae aut secundae classis? et quatenus affirmative: An debeat illa commemoratio uniri Orationi diei sub unica conclusione; vel dici sub distincta conclusione?

Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes coadunata infrascripta die, audita relatione a subsignato Secretario facta, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « De Missa Solemni tantum, intelligenda est ».

Ad 2. « Haec Missa votiva, modo privato, nequit celebrari ».

Ad 3. « Commemoratio Anniversarii locum habet tantum in Dominicis et duplicibus secundae classis sub unica conclusione; in reliquis, omittenda ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 12 Septembris 1840.

2824. MUTINEN. (4912)

Quamvis ab immemorabili Parochi omnes Civitatis Mutinen. publicis in supplicationibus gestarent mozzettam et super ea Stolam assumerent, adeo ut propter veterem consuetudinem ius quaesitum haberent; novissime tamen Caeremoniarius ultimi Episcopi defuncti a Sacra Rituum Congregatione generatim exquisivit num Parochis liceret tali modo ea in occasione incedere; et Magister Caeremoniarum Apostolicarum,

qui suam de mandato ipsius Sacrae Congregationis in scriptis sententiam dedit, non abs re negativum dedit responsum; dum in facti specie neque indultum neque privilegium adductum fuerat, nec de consuetudine quis mentionem fecerat. Quae res cum ius de medio tolleret omnino, non sine omnium admiratione ludibrio Parochis ipsis cedebat; qui eapropter Sacram adivere Congregationem, ac preces praesidio consuetudinis, quae ius attribuit, fulciebant. Attamen Eminentissimi Patres Sacris Ritibus praepositi assertam solummodo consuetudinem, sed non ratam haberi non dubitarunt, tertio Idus Aprilis Anno vertente. Verum subscripta die de novo enixe institerunt Parochi, ut stante informatione et voto Reverendissimi Mutinensis Episcopi, qui indubiam fidem facit in omnium esse opinione pene ab immemorabili positum eosdem Parochos verum efformare Collegium, ab iisdem Congregationes statas coadunari, earumdem acta in regestis inseri, sigillo communi uti in rebus Collegium spectantibus, ac semper simili modo indutos eos publicis in Supplicationibus incessisse (quae omnia enunciati Collegii institutionem satis ostendunt) saltem Sacra Congregatio annuere dignaretur idem indultum oratoribus concedere, quod iisdem rationum momentis ductus s. m. Pius Papa VII quintodecimo Calendas Octobris Anno 1822 Parochorum Collegio Ravennaten. concessit.

Eminentissimi itaque et Reverendissimi Patres in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes coadunati, ad relationem infrascripti Secretarii, expositis omnibus rite libratis matureque consideratis, attentisque potissimum Reverendissimi Mutinensis Episcopi informatione et voto, de speciali gratia rescripserunt: « Iuxta preces, et ad instar concessionis factae Parochis Ravennatibus, sed solum dum collegialiter incedunt ».

Die 12 Septembris 1840.

2825. CAIETANA. (4913)

In Oppido Valliscursae Reverendissimi Caietani Episcopi iurisdictioni subiecto tres institutae sunt Paroeciae, una sub invocatione Sanctae Mariae in Coelum Assumptae, altera Sancti Michaelis Archangeli, tertia Sancti Martini Episcopi: atque unaquaeque suos habet Canonicos, qui una simul Oppidi eiusdem Collegiatam constituunt. In sacris vero functionibus peragendis cum conventu omnium Canonicorum quaedam servatur methodus; vi cuius functiones ipsae, quae toto anni decursu fieri solent, ita sunt unicuique praedictarum Ecclesiarum attributae, ut liberum non sit unicuique Ecclesiae quae velit, sed quae ex praescripto debentur, peragere. Haec omnia ex Capitularibus Legibus seu Constitutionibus profluunt. Istarum porro inobservantia, dum multa alia iura et praerogativas sibi invicem vindicant Parochi, multis controversiis locum fecit; quae quum in conciliationis viam componi nequirent, iterato auditis informatione et voto Reverendissimi Episcopi, per Rescriptum diei 31 mensis Martii anni 1837, a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI deputata fuit Congregatio Sacrorum Rituum particularis, ut omnibus rationum momentis, quae scripto sunt exhibita praeloque cusa, consideratis libratisque, per suam sententiam dissidia de medio tolleret omnino iuridice. Huiusmodi Congregatio particularis, servatis omnibus de iure, stilo et consuetudine servandis, concordatisque, praesentibus Procuratoribus legitimis, coram subscripto Secretario septem dubiis, coadunata fuit infrascripta die penes Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium eidemque Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, qui uti Relator sequentia concordata dubia proposuit; nimirum:

1. An Constitutiones Ecclesiarum Oppidi Valliscursae, communi Cleri consensu confirmatae, sint adamussim servandae?

2. An sit danda manutentio Ecclesiis Sancti Michaelis et Sanctae Mariae erigendi Cereum Paschalem, cuius solemnis benedictio et erectio competit Ecclesiae Sancti Martini?

3. An, et quomodo Festa Translationis Sancti Martini Dominica IV Iulii et Dolorum Beatissimae Mariae Virginis Dominica III Septembris debeant celebrari?

4. An, deficientibus Archipresbytero Sancti Martini atque Abbatibus Sancti Michaelis et Sanctae Mariae, in functionibus unicuique Ecclesiae competentibus, succedant eorum Canonici?

5. An Processionibus infra octavam Corporis Christi, Apparitionis Sancti Michaelis Archangeli, Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae et aliis in quibus integrum intervenit Capitulum, sit erigenda unica Crux Sancti Martini?

6. An, et cui competat ius ferendi Stolam in Processionibus generalibus?

7. An Archipresbytero Sancti Martini competat ius exercendi iura parochialia super militibus, vectigalium ministris et in carceres inclusis; ac infra sex menses a die eorum adventus super domo Gubernatoris et super advenis, licet inhabitent intra limites aliarum Parochiarum?

Propositis dubiis auditis, omnibusque rite matureque consideratis, Congregatio particularis deputata sic rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta modum: scilicet eo modo, quo Constitutiones exhibitae sunt Anno 1725; et in iis, quibus in posterum legitime derogatum non sit ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative; et ad Mentem. Mens est ut Officium et Missa Translationis Sancti Martini, quae contingit die 4 Iulii, transferatur ad IV Dominicam eiusdem Mensis sub ritu duplici maiori. Si vero occurrat Festum altioris ritus, tunc idem Officium et Missa transferatur iuxta Rubricas; et ipsa IV Dominica cantetur unica Missa Solemnis eiusdem Translationis, quin omittatur Missa cum cantu, quae eodem die contigerit. Officium vero et Missa Beatissimae Mariae Virginis doloribus transfixae, loco Dominicae III Septembris, fiat Dominica IV ipsius mensis sub ritu duplici maiori, cum conditionibus ut supra ».

Ad 4. « Affirmative; ad formam Constitutionum Anni 1725 ».

Ad 5. « Affirmative; ut supra, ad formam Constitutionum ».

Ad 6. « Ius ferendi Stolam in Processionibus Generalibus ex gratia speciali tribus Parochis conceditur ».

Ad 7. « Affirmative, quoad Domum Gubernatoris, Advenas, Vectigalium Ministros et Milites extra stationem degentes; ad formam Constitutionum Anni 1725. Quoad Milites vero in statione commorantes et carceribus detentos, ius exercendi iura parochialia competere Parochis, in quorum Paroeciis sint statio Militum et Carceres ».

Atque ita rescripsit et ab Ecclesiis et Canonicis Collegiatae Valliscursae servari in omnibus mandavit.

Die 22 Ianuarii 1841.

2826. AMBIANEN. (4914)

Quum Reverendissimus Ambianen. Episcopus in Galliis animadvertat Rubricas Pontificalis Romani in consecratione Altarium portatilium loqui tantum de consecratione unius Altaris; Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit, ut quando plura consecranda veniunt Altaria huius generis, praefatae Rubricae ad praxim sequenti modo reduci valeant; nimirum:

1. In Rubrica de Altaris portatilis consecratione legitur quod consecratio fieri debeat ieiuno stomacho. Quaeritur: Num ratione habita plurium Altarium liceat Pontifici ea consecrare non ieiuno?

2. Ex iisdem Rubricis haec verba: *Sanctificetur et consecretur haec tabula in nomine etc.* quinquies proferri debent super singulam Tabulam. Quaeritur: An liceat Pontifici, ne nimium protrahatur consecratio, ea verba semel tantum proferre pro unaquaque Tabula, dum supra eam format quinque Cruces cum aqua benedicta?

3. Num idem liceat, quando Altaria inunguntur cum Sacro Chrismate et Oleo Catechumenorum?

4. Num praedictae Unctiones fieri possint cum stilo ligneo spongia quadam munito, ut mos est in Unctionibus Baptismi et Extremae Unctionis, non autem cum pollice nudo, ne iste, unctionibus multiplici vice supra petram repetitis, laceretur?

5. Ex Rubricis, Episcopus sepulcrum propriis manibus claudit: licet ne postquam Reliquias in sepulcro propria manu collocaverit Pontifex, alicui Sacerdoti assistenti committere curam sepulcrum signandi cum cera, Episcopo praesente et iubente?

6. Item, circa ea quae immediate sequuntur: *manu dextera confricans, liniens et perungens,* quaeritur: Num cura liniendi et confricandi Sacerdoti assistenti demandari possit, postquam Episcopus propria manu consperserit Oleo sancto totam Altarium superficiem?

7. In Rubricis legitur quod Pontifex: *propria manu ex ipso incenso quinque Cruces format.* Quaeritur: An possit postquam aliquot grana incensi super quinque Cruces propria manu sparserit, alicui assistenti committere curam ea in modum Crucis disponendi?

8. Addunt Rubricae, quod Episcopus *ponit unam Crucem de subtili candela factam super quamlibet Crucem thuris.* Quaeritur: Num possit unam tantum Crucem ponere, relinquendo aliis ministris curam ceteras disponendi?

9. Quid de casu in quo sepulcrum, ubi Reliquiae conduntur, confractum sit? Amittitne Altare portatile suam consecrationem?

Et Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini

Episcopus Portuen. Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, omnibus mature perpensis, rescribi mandavit: « Servandam omnino esse in omnibus formam a Romano Pontificali praescriptam ».

Die 22 Maii 1841.

2827. AMBIANEN. (4915)

Reverendissimus Ambianensis Episcopus comperit, quod in sua Dioecesi ex usu fere generali Sacerdotes bis celebrent Missam diebus Dominicis ac Festis. Hic quidem usus ex eo praesertim invaluit quod plerumque per agros Ecclesia aliqua sit adnexa Ecclesiae parochiali, in qua residet Parochus; qui proinde in ea iterum celebrat ut fideles ibi domicilium habentes faciliorem habeant aditum ad sacra mysteria. Unde latius extenditur usus praefatus, ut nonnullis in locis bis celebretur etiam super idem Altare, aut super Altaria diversa, sed sine gravi necessitate. Ut ambiguitas omnis e medio tollatur, Episcopus Sacram Rituum Congregationem exposcit super sequentibus dubiis:

1. Utrum liceat Parocho in agris constituto iterare Missam diebus Dominicis et Festis, etiam super idem Altare?

2. An liceat Parocho in urbe constituto iterare Missam iisdem diebus super diversa quidem Altaria, sed tantummodo ad consulendum parochianorum commoditati; v. gr. ut celebretur Missa hora octava, quando iam celebratur variis horis, videlicet hora sexta, septima, nona et decima?

3. Utrum posito quod sint illicitae duae praefatae consuetudines, teneatur iis obsistere Episcopus; an vero eas tolerare possit, ut vitentur murmurationes tum populi tum Cleri?

Et Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius ac Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI tributarum, rescribi ad omnia mandavit: « Sine speciali Apostolico Indulto non licere; et teneri Episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare ».

Die 22 Maii 1841.

2828. CAMERACEN. (4916)

Quum Reverendissimus Cameracen. Episcopus Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur:

Num Canonicis, quatenus a tempore Concordatus 1801 in Galliis instituti sunt, incumbat obligatio non tantum assistendi in Choro celebrationi divinarum Laudum, prout in respectivis Capitulis est instituta, sed etiam cantandi Horas Canonicas in Choro; ita ut Canonicus in Galliis, assistens quidem in Choro, sed non decantans publicas preces canonicas, peccet mortaliter, et teneatur ad restitutionem partis fructuum omissioni correspondentis?

Emus et Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Episc. Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae eidem Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, rescribi mandavit: « Canonicum in casu, iuxta alias decreta, obligationi non satisfacere ».

Die 22 Maii 1841.

2829. CIVITATIS PLEBIS. (4917)

Quum Regulares totius Dioecesis Civitatis Plebis dubitent num vi Decreti Sacrae Rituum Congregationis, quo indicitur Officium cum Lectionibus propriis Sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum Titularium Cathedralis Civitatis Plebis, fieri debere de praecepto in Civitate et Dioecesi ab utroque Clero, adigantur etiam ad instituendam octavam eorumdem Sanctorum; ac proinde Sacram ipsam Rituum Congregationem humillime rogaverint opportunam dubii declarationem;

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae eidem Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifice Maximo tributarum, scribi mandavit: « Iuxta alias Decreta, Regulares in casu non teneri ad octavam ».

Die 22 Maii 1841.

2830. CORCYREN. (4918)

Duplicem consuetudinem invectam fuisse in Cathedrali Ecclesia Corcyren. Sacrae Rituum Congregationi exponunt nonnulli ipsius

Ecclesiae Canonici opportunam declarationem efflagitantes:

1. Num Feria V in Coena Domini, postquam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reconditum est in sepulcro, clavis Tabernaculi huius sepulcri tradenda sit a Canonico Assistente Priori Sodalitatis Sanctissimi Sacramenti inibi erectae, qui eam deferat ad collum appensam usque ad sacras functiones insequentis Feriae VI in Parasceve, uti in praesentiarum fieri assolet?

2. Num servari itidem possit alia consuetudo, nimirum ut idem Prior deferat Umbellam associando Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tum in eadem Feria V in Coena Domini usque ad absconditam custodiam ubi Pyxis cum Particulis praeconsecratis adducitur, tum etiam quando Eucharistiae Sacramentum in Ostensorio adducitur pro solemni Supplicatione Sanctissimi Corporis Christi?

Super quibus, exquisito prius pro informatione et voto Reverendissimo Corcyren. Archiepiscopo, etsi ipse efflagitet ut utraque immemorabilis consuetudo servetur, Eminentissimus tamen et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, rescribi mandavit: « Iuxta alias decreta, clavem, in casu, nulli esse omnino tradendam: quoad umbellam vero servari posse consuetudinem extra presbyterium, et solum arbitrio Reverendissimi Archiepiscopi ».

Die 22 Maii 1841.

2831. LEOBIEN. (4919)

Dum superiori anno 1840 tertio Idus Aprilis in Sacrorum Rituum Ordinariis Comitiis approbatum fuit Calendarium perpetuum Ecclesiae Secoviensis, indultum fuit ut idem Calendarium adhiberet Ecclesia Leobiensis, durante praesenti administratione, exceptis tamen Officiis Titularis et Patroni ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quae recitanda sint de propria Ecclesia. Huiusmodi sanctionem grato reverentique animo excipiens Reverendissimus Secovien. Episcopus, Administrator Ecclesiae Leobiensis, anceps adhuc permanet quoad Officium Sancti Andreae Apostoli Titularis et Patroni Cathedralis Leobiensis. Hoc enim Officium quum pro populo institui nequeat, nisi insequenti Dominica, quae semper est vel prima vel secunda Sacri Adventus, Clerus Leobien. usque ad Annum 1808 in morem habuit die 30 Novembris commemorationem instituere Sancti Andreae cum Officio de Communi Apostolorum, praeter Orationem et Missam propriam ritu duplicis secundae classis, atque Dominica post octavam Omnium Sanctorum solemnitatem ipsius Sancti Andreae Titularis celebrare ritu duplicis primae classis cum octava. Quum vero ab Anno 1809 Ecclesia Leobiensis sine ulla mutatione adoptaverit Ordinem Divini Officii Ecclesiae Secoviensis, Episcopus orator, iteratis precibus, Sacram Rituum Congregationem rogavit ut decernere dignaretur:

1. Num Officium Sancti Andreae in Ecclesia Leobiensi modo supradicto; vel quo alio modo debeat celebrari?

2. Num Officium Sancti Aegidii, Titularis et Patroni Ecclesiae Secoviensis, pro Dioecesi Leobiensi, durante Administratione, retineri debeat vel possit, et quo ritu?

Et Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, omnibus mature perpensis diligentique examine libratis, rescribi mandavit:

Ad 1. « Firmo remanente Officio cum Missa Sancti Andreae in die propria, sicuti actum est ab Anno 1809; pro gratia unius Missae Solemnis ad populum, ut in Festo eiusdem Sancti Andreae, Dominica II sacri Adventus ».

Ad 2. « De speciali gratia ritu duplicis minoris, ad uniformitatem assequendam; quae iam servatur in Festo Dedicationis Ecclesiarum ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Maii 1841.

2832. MELITEN. (4922)

Intra septa Coenobii Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci Civitatis Vallettae erectum reperitur Oratorium Sodalitatis Conceptionis Deiparae inibi institutae; in quo quidem Oratorio ab Episcopo approbato et benedicto, Sodales aliique Fideles conveniunt sacra exercitia explentes et Mis-

sae Sacrificio pro praecepto adimplendo adstantes. Ast quum nonnulli dubitarint num omnes fideles satisfaciant praecepto audiendi Missam in memorato Oratorio, Sacrae Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces a Moderatoribus Sodalitatis ipsius pro opportuna declaratione; nimirum :

An omnes fideles adstantes Missae in memorato Oratorio, ab Episcopo approbato et benedicto, praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro satisfaciant?

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum , Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius ac eidem Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifice Maximo tributarum, rescribi mandavit : « Affirmative ».

Die 22 Maii 1841.

2833. MELITEN. (4923)

Precibus Carmelitarum antiquae Observantiae Civitatis Vallettae Dioecesis Meliten. exquirentium confirmationem conventionis initae cum Sodalitate Beatae Mariae Virginis ibi erectae, in qua statuitur ut clavis Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti Feria V in Coena Domini tradatur custodienda Priori eiusdem Sodalitatis;

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum , rescribi mandavit. « Obstare Decreta huius S. Congregationis ». Die 22 Maii 1841.

2834. DERTONEN. (4924)

Quum Dertonensis Cathedralis Capitulum septemdecim tantum Canonici constituant, ex quibus alii iam iubilatione donati, alii vel annorum pondere vel infirmae valetudinis incommodis praegravati Choro interesse nequeunt, atque proinde reliquis grave admodum et onerosum servitium Chorale extat; ipsius Capituli nomine Sacrae Rituum Congregationi enixae datae sunt preces, queis instanter Canonici efflagitant :

1. Ut a Festo omnium Sanctorum ad Pascha usque Resurrectionis inclusive, anticipare queant in Choro, post Vesperas et Completorium, Matutinum cum Laudibus insequentis diei.

2. Ut quando plures decantandae sunt Missae, una tantum celebrari valeat cum cantu, reliquis lectis, praesente tamen Capitulo.

3. Ut in diebus Ferialibus Vesperas persolvere liceat sine cantu.

4. Ut intra annum quisque ex Canonicis per bimestre, vel continuum vel interpolatum, a Choro abesse possit absque distributionum amissione, etiam honestae animi relaxationis caussa; servatis quidem de iure servandis.

Humillimas huiusmodi preces, queis Reverendissimus Dertonen. Episcopus lubenti animo assentitur, immo ut exaudiantur instantissime precatur, serio perpendens Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, rescribi mandavit :

Ad 1. « Pro gratia; a Festo tamen omnium Sanctorum usque ad Pascha Resurrectionis exclusive ».

Ad 2. « Pro gratia ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Recurrant ad Sacram Congregationem Concilii ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 22 Maii 1841.

2835. TRIVENTINA. (4926)

Precibus Reverendissimi Triventin. Episcopi requirentis an tolerare possit vel eliminare teneatur invectam in sua Dioecesi consuetudinem, ut in una eademque supplicatione Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum deferatur per plures Sacerdotes, qui sibi invicem succedant;

Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuensis, Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI tributarum, rescribendum censuit : « Consuetudinem tamquam abusum eliminandam ».

Die 22 Maii 1841.

2836. VIVARIEN. (4927)

Reverendissime Domine, uti Frater.

Dum in Sacrorum Rituum Congregatione expendebantur dubia Amplitudinis Tuae nomine exhibita Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI, litteris De-La-Valette Vicarii tui Generalis datis Vivarii die 20 Iulii 1840, ac iam duo Consultores Theologi fuerant requisiti ut suum emitterent votum circa validitatem Ordinationis cuiusdam Presbyteri, in qua incaute vitiata fuit forma collationis potestatis remittendi vel retinendi peccata; certum nuncium pervenit a Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis sub die 27 Maii 1840, casum apprime similem discussum ac definitum fuisse, accedente etiam ipsius Sanctissimi Domini Nostri approbatione et Apostolica confirmatione. Itaque tunc emissam resolutionem Amplitudini tuae de verbo ad verbum communicantes, ut sequitur; nimirum :

Feria IV die XXVII Maii 1840.

« In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, propositis precibus Dominicanorum Bononiae, quibus exponebant eius Religiosum N. N., dum Ordinationem Presbyteri recipiebat, a R. P. D. Episcopo monitum fuisse ipsum perturbavisse formam adnexam postremae manuum impositioni, dicendo: *Quorum remiseris peccata retenta sunt, et quorum retinueris remissa sunt:* propositis item Actis Curiae Episcopalis ad stabiliendam veritatem expositorum una cum voto unius ex Dominis Consultoribus, quod distributum fuerat per manus; propositis item Dominorum Consultorum suffragiis, Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt: « Sub conditione in privato Oratorio, quovis anni tempore, suppleatur a quovis Episcopo induto de more tertia manuum impositio, et forma respectiva: *Accipe Spiritum Sanctum,* non tamen repetendo Caeremonias accidentales antea adhibitas ». Quibus eadem die ac Feria in solita Audientia relatis per Reverendissimum Patrem Commissarium Sancti Officii, Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI resolutionem Eminentissimorum approbavit ».

Vigore facultatum Nobis ab eodem Sanctissimo D. Nostro Gregorio Papa XVI specialiter tributarum; concedimus, ut quae enunciatae Ordinationi desunt vel vitiata fuerunt, omnino suppleantur ad tramitem memorati Decreti Sacrae Universalis Inquisitionis quacumque anni die ab Episcopo quovis induto de more, ut in Ordinatione, et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante enunciato Presbytero sacerdotalibus vestimentis pariter induto; et sic suppleatur tertia manuum impositio, et respectiva forma: *Accipe Spiritum Sanctum,* quin repeti debeant Caeremoniae accidentales, quae antea adhibitae fuerunt.

Haec dum Amplitudini Tuae committimus et iniungimus, diu felix et incolumis vivat.

Romae 22 Maii 1841.

2837. BALTIMOREN. (4928)

Decimo Kalendas Decembris superioris anni 1840, ad enixas preces Patrum IV Synodi Provincialis Baltimoren. Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI impertitus est pro omnibus Foederatae Americae Septentrionalis Dioecesibus nonnulla intra annum Officia Sanctorum; quae dum in Calendariis ordinabantur, nonnulla excitata sunt dubia, ad quorum solutionem Sacrae Rituum Congregationis sententiam requirendam constituit alter ex Directoribus Seminarii Sanctae Mariae Baltimorensis, cui cura commissa est nonnulla Foederatae ipsius Americae Calendaria efformare pro regulari iisdem in Dioecesibus divinorum Officiorum celebratione. Proposita itaque dubia sunt sequentia; nimirum :

1. Concessum est Officium Sancti Irenaei Episcopi Martyris, nulla assignata die qua recitari debeat. Quum autem hoc Festum in Martyrologio pronuncietur die XXVIII Iunii, quaeritur: An de eo fieri debeat hac ipsa die XXVIII Iunii, Festo Sancti Leonis II ad diem VII Iulii fixe translato?

2. In indulto Apostolico exprimitur Officium Sancti Irenaei simpliciter. Porro ea fuit mens Patrum Concilii Baltimorae ut hoc Officium, sicuti Lugduni in Gallia, celebretur. Iam vero ex quibusdam Romani Breviarii editionibus videtur quod id Festum Lugduni celebretur de Sanctis Martyribus Irenaeo Episcopo et Sociis eius. Quaeritur itaque: Utrum in hisce Foederatae Americae Dioecesibus faciendum sit de Sancto Irenaeo tantum; vel de Sanctis Martyribus Irenaeo Episcopo et Sociis eius?

3. Si Officium sit de Sancto Irenaeo tantum, undenam desumendae sunt Lectiones II et III Nocturni, ac Missa?

4. Si fiat de Sancto Irenaeo et Sociis eius, possunt ne tamquam approbatae haberi illae Lectiones quae in Gallia recitantur ab illis qui Romano Breviario utuntur?

5. In Seminario et Collegio Sanctae Mariae Baltimorensis die XXVIII Iunii fit de die octava Sancti Aloisii. Posito igitur quod de Sancto Irenaeo vel de Sanctis Irenaeo et Sociis eius hac die fieri debeat in Provincia Baltimorensi, quaeritur: Num in praedicto Seminario et Collegio Festum Sancti Irenaei vel Sanctorum Irenaei et Sociorum eius transferri possit ad diem III Iulii, et Sancti Leonis Festum ad diem VII eiusdem mensis?

6. Sanctitas Sua benigne concessit sequentia Officia singulis Feriis VI Quadragesimae ad libitum recitanda sub ritu duplicis maioris; nempe Sacratissimae Passionis Domini Nostri Iesu Christi, Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, Sacrorum quinque Vulnerum, Pretiosissimi Sanguinis. Si autem in dictis diebus occurrat Festum altioris ritus, quaeritur: An supramemorata Officia transferri possint ad primas dies non impeditas intra Quadragesimam tantum?

7. Inter Officia nuper concessa omnibus Foederatae Americae Septentrionalibus Dioecesibus, sunt Officia tum Sanctissimi Sacramenti in Feriis V, tum Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis per annum. Porro haec eadem Officia iamdudum a s. m. Pio Papa VI concessa fuerunt Baltimorensi et quibusdam aliis Dioecesibus, cum eo privilegio ut iis Presbyteris qui in praedictis Feriis iter aliquod suscipere deberent pro visitandis Catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Adventus, quatuor Temporum et Quadragesimae. Quaeritur: An recenti concessione supramemoratum privilegium revocatum sublatumque fuerit vel adhuc perseveret? et posito quod perseveret, Utrum ad omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioeceses extendatur et pertineat?

Aliud dubium. Utrum in Anniversariis creationis et coronationis Summi Pontificis pro tempore regnantis, in universa Ecclesia dici possit vel debeat in Missa Oratio *Deus omnium fidelium?* et quatenus affirmative: An haec Oratio dicenda sit in Festis primae vel secundae classis?

Eminentissimus itaque ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Carolus Maria Pedicini Episcopus Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius et Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Dom. Nostro Gregorio XVI Pontifice Maximo tributarum, omnibus maturo examine cribratis, rescribi mandavit:

Ad 1. « Servetur dies Martyrologii Romani ».

Ad 2. et 3. « De Sancto Irenaeo tantum, cum Lectionibus et Missa approbatis die 21 Aprilis 1784 ».

Ad 4. « Iam provisum ».

Ad 5. « Utrumque ad primam diem non impeditam ».

Ad 6. « Affirmative; et intra Quadragesimam tantum ».

Ad 7. « Praecedens indultum manet in suo robore; nec tamen extendi potest sine nova concessione ».

Ad aliud dubium: « Collecta pro Summo Pontifice in diebus creationis et coronationis dici debet, et sub unica conclusione in duplicibus secundae classis ».

Et ita respondit. Die 22 Maii 1841.

2838. PROVINCIAE LATII (4929)

seu

Alatrina, Anagnina, Caietana, Ferentina, Ostien. et Veliterna, Signina, Tarracinen., Setina et Privernen., Verulana.

Rm̃e Domine, uti Frater.

Ut debitae misericordiarum Patri et totius consolationis Deo grates agerentur et perennis perstaret memoria omnimodae eversionis perditorum illorum hominum, qui impune crassantes integram Latii Provinciam, ab annis bene multis, latrociniis coedibusque vexabant, s. m. Leo Papa XII undecimo Calendas Iunii anno 1826 per suum extraordinarium in memorata Provincia Delegatum edixit, ut sexto Calendas Novembris quotannis singuli utriusque sexus fideles adigerentur adstare Sacro, utque in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus et in Ecclesiis Regularium hora, qua ad unamquamque Ecclesiam frequentior populus accurrit, persolveretur Hymnus Ambrosianus *Te Deum* cum consuetis Orationibus atque Antiphona *Salve Regina* cum Oratione *Defende.* Verum decursu temporis compertum est hanc ipsam praescriptionem quoad Sacri auditionem parvi adeo pendi, ut communiter eius omittatur observatio non absque exiguo animarum dispendio. Quod sedulo perpendentes nonnulli per

memoratam Latii Provinciam Reverendissimi Antistites Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pont. Max. iteratas dedere preces, efflagitantes ut de Apostolica Benignitate solvere dignaretur fideles ab hoc vinculo adstandi Sacro; atque insuper ad Dominicam immediate sequentem post sexto Calendas Novembres enunciatas Orationes seu gratiarum actiones transferre, ut in praecedenti concessione diei 22 Maii 1826.

Haec singula, vigore facultatum Nobis ceu Sacrae Rituum Congregationi Praefecto tributarum, dum sedulo expendebamus; satius consilium sumpsimus rem omnem iterum fideliter eidem Sanctissimo Domino Notro aperire, instanter efflagitantes ut Episcoporum vota admittere dignaretur. Et Sanctitas Sua de speciali gratia benigne annuens edixit, ut per particulares Litteras Sacrae Rituum Congregationis Reverendissimi memoratae Provinciae Antistites monerentur, ut, sublato onere adstandi Sacro die XXVII Octobris, ad proxime insequentem Dominicam transferant Orationes indictas die 22 Maii 1826, eodem modo ac forma, sicut fieri fuerat mandatum sexto Calendas Novembris.

Dum haec ad Sanctitatis Suae mentem Amplitudini Tuae communicamus, diu felix et incolumis vivat.

Amplitudinis Tuae, uti Frater.

Die 22 Maii 1841.

2839. NAMURCEN. (4930)

Debitum ordinem ex Rubricarum notitia descendentem pro divinis Officiis rite recteque disponendis servare maximopere percupiens Editor Calendarii Ecclesiae et Dioecesis Namurcensis, accedente assensu et annuentia illius Reverendissimi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposuit sequentia dubia; nimirum:

Dubia circa Missas de Communi variandas.

Gavantus, de Rubricis Missarum Communis Sanctorum num. 2, dicit: « Est liberum cuicumque recitare Missam quam maluerit ex eodem Communi ubi sunt plures Missae, et multo magis Epistolam et Evangelium ex ibidem assignatis, ut habetur in Rubricis ante Commune unius Martyris non Pontificis et ante Missam de pluribus Martyribus tempore Paschali ».

Quaeritur itaque: 1. An haec facultas locum habeat in Festis Sanctorum in Calendario Romano descriptorum, pro quibus in proprio Missali assignatur aliqua Missa de Communi; an scilicet Sacerdos quilibet in tali Festo celebrans possit Missam de altero Communi legere, atque Epistolam et Evangelium sumere ex alia Missa? v. g. in Festo Sanctorum Martyrum Eustachii et Sociorum, Celebrans possit ne loco Missae *Sapientiam*, quae pro praedicto Festo in Missali die XX Septembris assignatur, legere Missam *Intret in conspectu*, de eodem Communi; vel saltem legere Missam assignatam *Sapientiam*, sed cum Evangelio Missae *Intret*? et quatenus affirmative,

Quaeritur 2. Poteritne, immo debebit ne idem Sacerdos, loco Homiliae pro tali Festo in proprio Breviario assignatae, legere aliam de eodem Communi Homiliam correspondentem Evangelio, quod lecturus est in Missa?

Dubia circa Evangelium Missae *In virtute*.

Circa Evangelium in Missa *In virtute tua* legendum et Homiliam correspondentem in Officio recitandam, plura Sacrae Rituum Congregationis Decreta habemus in authentica Collectione; attamen adhuc dubitatur circa expressa in sequentibus dubiis:

Quaeritur 3. An in Missa *In virtute* legi possit Evangelium *Nolite arbitrari* in Festis Sanctorum Martyrum, pro quibus Missale assignat aliud Evangelium de Communi cum Missa *In virtute* legendum. Exempli gratia, pro Sancto Wenceslao die XXVIII Septembris in Breviario assignatur Homilia in Evangelium *Si quis vult;* et in Missali, Missa *In virtute* cum eodem Evangelio *Si quis vult*. Anne igitur posset pro praedicto Sancto Wenceslao legi Missa *In virtute* cum suo Evangelio *Nolite arbitrari*, et consequenter in Officio legi Homilia aliqua Octavarii Romani in Evangelium *Nolite arbitrari*? puta Homilia Sancti Hieronymi, quae incipit *Supra dixerat;* quae in Octavario Romano reperitur secunda die infra Octavam? Hanc Homiliam Breviaria in nostris Regionibus impressa ut plurimum insertam habent (1).

Dubia circa Epistolam Missae *Cognovi*.

Quaeritur 4. In Missali Romano pro nec Virgine nec Martyre habetur Missa *Cognovi* cum Epistola *Mulierem fortem*, et in fine Missae assignatur Epistola *Viduas honora*, sub Rubrica sequenti: *Item alia Epistola pro Vidua*. Anne quando in proprio San-

(1) E. Dub. 4.

ctorum occurrit Festum Sanctae Viduae, pro qua Missale assignat simpliciter Missam *Cognovi,* et de Epistola silet, (quemadmodum fit die IX Martii pro Sancta Francisca Vidua Romana) tunc legenda erit Epistola *Viduas honora?* vel saltem utralibet pro Sacerdotis arbitrio eligi potest?

Dubia circa ordinationem Officiorum occurrentium tempore Paschali, quae transferuntur extra tempus Paschale.

Quaeritur 5. An si Festum Sancti Martyris, habens Missam de Communi tempore Paschali, transferri contingat extra tempus Paschale, silente Missali circa Missam in tali casu legendam, sit liberum Calendaristae assignare vel cuicumque privato Sacerdoti recitare Missam, quam maluerit, de Communi extra tempus Paschale, primo vel secundo loco positam? et quatenus negative,

Quaeritur 6. Quaenam, in casu praefato et aliis similibus, regula servanda sit pro determinatione Missae, Evangelii et Lectionum?

Quaeritur 7. Si contingat Festum Sancti Georgii, die XXIII Aprilis occurrens, transferri extra tempus Paschale, quomodo ordinandum erit Officium, signanter quoad Lectiones secundi et tertii Nocturni?

Dubia circa quasdam Lectiones Breviarii Romani.

Quaeritur 8. Dum in Communi Confessorum non Pontificum ad Capitulum quaedam recentiores editiones Breviarii Romani habent *nec speravit in pecunia et thesauris;* aliae vero habent *nec speravit in pecuniae thesauris:* quomodo ergo legendum?

Quaeritur 9. In Communi Virginum, Nocturno primo, ad Antiphonam tertiam *Revertere, revertere,* legendum ne est *Sunamitis,* vel *Sulamitis?*

Praedicta dubia a subscripto Secretario proposita in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes pridie idus Septembris superiori anno coadunatis, Eminentissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus consideratis, rescribendum censuerunt: « Exquisito voto Magistri Caeremoniarum, ponatur in Folio ». Quum itaque alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum votum emiserit praelo cusum, ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Aloisio Lambruschini Relatore denuo iisdem propositis dubiis in altero Sacrorum Rituum Ordinario Coetu; Sacra Congregatio, omnibus mature consideratis, riteque libratis, rescribendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; nimirum:

Ad 1. 2. et 3. « Negative ».

Ad 4. « Negative, nisi aliter ex concessione constet ».

Ad 5. « Officium et Missa sumantur de Communi Martyrum extra tempus Paschale, retentis Lectionibus, Oratione et si quid aliud habet in proprio ».

Ad 6. « Regulam servandam esse ex ipso Evangelio vel Oratione, si sit de Communi, quae indicant utrum sumpta sint ex primo vel secundo loco ».

Ad 7. « Iam provisum in praecedentibus ».

Ad 8. « Legendum *in pecunia et thesauris* ».

Ad 9. « *Sunamitis* dicendum est ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11 Septembris 1841.

2840. ARIANEN. (4931)

Quum per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub die 10 Maii 1839 Sanctissimus Dominus Noster Gregorius Papa XVI indulserit, ut etiam in Dioecesibus utriusque Siciliae Regni citra Pharum Festum Sancti Francisci de Paula Confessoris deinceps institueretur Dominica secunda a Paschate Resurrectionis, quumque in Dioecesi Arianen. hac ipsa Dominica interdum occurrat Festum praecipui Patroni; hinc Reverendissimus Episcopus Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit indultum instituendi memoriam Sancti Francisci de Paula cum Officio et Missa, ut antea, quarto Nonas Aprilis.

Eminentissimi vero et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis coadunati, quin preces Reverendissimi Episcopi Arianen. admitterent, annuendum potius censuerunt, ut iis in Dioecesibus, in quibus interdum Festum Sancti Francisci praepeditur in assignata Dominica secunda post Pascha ad tramitem concessionis in enunciato Brevi Apostolico factae, transferri possit iuxta Rubricas etiam ad aliam Dominicam non impeditam. Contrariis non obstantibus.

Die 11 Septembris 1841.

2841. NAMURCEN. (4932)

Quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die coadu-

natis ab infrascripto Secretario, inter cetera, propositae fuerint etiam preces Reverendissimi Episcopi Namurcen. hisce conceptae terminis; nimirum:

Beatissime Pater.

Episcopus Namurcen. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter exponit dies Festos, in quibus obligatio audiendi Missam per Decretum Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Caprara die 9 Aprilis 1802 sublata fuit, communiter a fidelibus suae Dioecesis servari; omnesque Regni Belgici Episcopos anno 1834 Litteras Encyclicas ad populos sibi commissos dedisse, in quibus eosdem hortabantur, ut praedictis diebus divinis Officiis sedulo interessent aliisque bonis operibus pro posse incumberent.

Quum autem in pluribus locis Dioecesis Namurcensis etiam maioribus, ob Sacerdotum penuriam Missa solummodo diebus Dominicis et Festis de praecepto celebretur; idem Episcopus, ad fovendam fidelium devotionem piisque eorum votis satisfaciendum, Sanctitati Vestrae enixe supplicat pro facultate ut Presbyteris, quibus in hac Dioecesi diebus Dominicis et Festis de praecepto bis celebrare ab Ordinario, auctoritate Apostolica, permittitur, eamdem licentiam concedere possit pro Festis per supramemoratum Decretum abrogatis: prout in Dioecesibus Leodiensi et Tornacensi servari noscitur. Et Deus etc.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, rescribendum censuerunt: « Non expedire ».

Die 11 Septembris 1841.

2842. ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA S. FRANCISCI. (4933)

Ex pervetusto Privilegio decimo Calendas Augusti in Ecclesia Sancti Laurentii in Pane et Perna Urbis, a Sanctimonialibus Ordinis Sanctae Clarae adiecti Asceterii Festum Sanctae Birgittae Viduae celebratur devota cum pompa et apparatu, ipsa siquidem die, qua huius Sanctae transitus memoria in Martyrologio adnotatur. Ast quum in sequenti die immediate occurrat Officium Sancti Francisci Solano, quod in Calendario Seraphico obtinet ritum duplicis secundae classis, frequens exoritur opinionum varietas, ad decernendum de quo ex enunciatis duobus Officiis decantandae sint Vesperae ipsa die XXIII Iulii in publica Ecclesia, postquam Sanctimoniales in Choro persolverint Vesperas Sancti Francisci Solano. Haec singula Sacrae Rituum Congregationi exposuit R. P. Fr. Bernardinus a Mariano, Ordinis sui et Sanctimonialium Calendarii Director, opportunam declarationem humillimis precibus rogans.

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit: « Ratione Festi dici possunt Vesperae de Sancta Birgitta, recitatis tamen in Choro Vesperis currentibus ».

Die 11 Septembris 1841.

2843. ROMANA. (4935)

Quintodecimo Calendas Maii natalis Sancti Aniceti Papae et Martyris plerumque tempore Paschali occurrit, cuius Officium quum sit ritus simplicis in Breviario, adest unica Lectio pro Nocturno, atque in Missali assignatur Evangelium ex capite XVI Sancti Ioannis: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis.* Controversia autem nunc orta est inter illos, qui, quum privilegio gaudeant agendi Officia Sanctorum Summorum Pontificum ritu duplici, animis haerent quodnam Evangelium cum respondente Homilia sit legendum, quando Festum Sancti Aniceti occurrit extra Tempus Paschale: Num scilicet supradictum Sancti Ioannis, quod a pluribus uti ipsius Festi proprium consideratur, vel alterum ex capite XVI Sancti Matthaei: *Si quis vult,* de Communi unius Martyris extra illud tempus paschale, cuius respondentem Missam ex eodem Communi *Sacerdotes Dei* omnes conveniunt legendam esse. Super eadem re, etsi levissima, magis magisque dubia sunt adaucta ex eo quod nonnulli Calendaristae Basilicarum Urbis, in casu, Evangelium Sancti Ioannis assignent, nonnulli autem illud Sancti Matthaei: quare patet indicium, omnes in unum sensum non convenire.

Ad quaestionem omnem dirimendam dubium delatum est ad Sacram Rituum Congregationem, quae in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes infrascripta die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, visis allegationibus ex utraque parte deductis et rite matureque examinata peculiari Rubrica Missalis, cuius dispositionem sequitur Gavantus in Octavario Romano, ab hac ipsa Sacra Congregatione approbato, rescri-

bendum censuit: « Dicendum in casu Evangelium *Si quis vult* ». Atque ita rescripsit ac ab omnibus servari mandavit.

Die 11 Septembris 1841.

2844. IANUEN. (4937)

Epistola ad Eminentissimum et Reverendissimum Archiepiscopum Ianuensem.

Eme et Rme Domine Observandissime.

Propositum dubium huic Sacrae Rituum Congregationi a Canonico Pistone Caeremoniario Eminentiae Vestrae Reverendissimae super occurrentia Festorum Sancti Georgii Martyris Praecipui Patroni et Sanctae Catharinae Viduae itidem Patronae, quae hoc anno incidit in Dominicam IV post Pascha; quoad licuit ob temporis angustiam, et exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, fuit rite expositum ac examinatum, perpensis propterea omnibus quae peti poterant, tum ex Rubrica tum ex qualitate patronatus. Quandoquidem enim externa solemnitas substantiam non respicit nec rationem ullam suppetit; praecedentia omnimode competit Festo Sancti Georgii uti praecipui Patroni. Nec abs re erit animadvertere propositum dubium, non occurrentiam, bene vero concurrentiam spectare debere. Festum enim Sancti Georgii occurrit die XXIII Aprilis et Festum Sanctae Catharinae Dominica IV post Pascha, quae hoc anno incidit in diem XXIV eiusdem mensis; atque ideo Vesperae erunt disponendae modo supra recensito. Haec pro Officii mei munere Eminentiae Vestrae significanda erant, quae appositis Litteris ad Supplicem Libellum votum Caeremoniarii commendavit. Et Emin. V. manus humillime deosculor.

Romae die 9 Aprilis 1842.

2845. AESERNIEN. (4939)

In Ecclesia olim Cathedrali Civitatis Venafri Dioecesis Aesernien. Canonicali Praebenda iamdiu potiebatur Sacerdos Ioannes Baptista Menichetti, qui quum novissime optavit atque consequutus est pinguiorem in eadem Ecclesia Praebendam, praeter ibi invectam consuetudinem conformem Sacrae Rituum Congregationis Decretis, antiquum stallum retinere praesumpsit. Quod aegre ferentes Canonici, eamdem Sacram Rituum Congregationem supplices adivere; et factum Canonici Menichetti incusantes, ingenue testati sunt hanc semper inter eos regulam viguisse, ut Canonicus Praebendam immutans ultimum occuparet stallum. Quod si aliquando Capitulum indulsit, ut aliquis Canonicus Praebendam immutans antiquum stallum retineret; id evenit ex peculiaribus circumstantiis, vel quia merita aut aetas longaeva permutantis id exigebant, vel quia physica incommoda impediebant quominus permutans Canonicus Pontificalibus deservire posset. Antequam vero Sacra ipsa Congregatio huic controversiae definiendae manum imponeret, partibus auditis, pro informatione et voto Reverendissimum Aesernien. Episcopum requisivit; qui Sacrae Congregationis mandata exequens, capitulariter Canonicos Venafri congregavit singulosque de sententia requirens, praeter duos (qui Canonici Menichetti sunt consanguinei) omnes reperisse testatur in voto, ut Canonico ipsi Menichetti denegaretur praecedentia, et iuxta solitum adigeretur ad ultimum in Choro stallum occupandum; veluti et ipse Reverendissimus Antistes exquirit, ne antiqua consuetudo vel in minimo turbetur.

Proposita quocirca causa in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die coadunatis, referente infrascripto Secretario, adductis rationum momentis sedulo perpensis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: « Iuxta alias decreta, praesertim in Sutrina Praecedentiae diei 11 Iunii 1701, Canonico Menichetti competere stallum secundae possessionis ». Atque ita rescripserunt ac servandum omnino mandarunt.

Die 16 Aprilis 1842.

2846. MILETEN. (4944)

Quum Collegiata in Ecclesia Sanctae Mariae Maioris Oppidi Montisleonis Dioecesis Mileten. multi sint Canonicatus diversae erectionis, novissime Philippus Morsilli, dimissa Canonicali Praebenda, qua nonnullis ab hinc annis potiebatur, novam obtinuit vacantem per mortem Canonici Gregorii Giusti. In actu possessionis huius novi Canonicatus Sedem in Choro adivit, quam primitus ratione antianitatis obtinebat. Tunc ut tempore sacrae functionis nulla in populo admiratio vel inter Clerum in Templo Dei dissensio obveniret, ne unus quidem ex Canonicis obstitit. Postquam vero unusquisque penes Sacrarium se recepit, illico Canonicus Morsilli fuit admonitus se per novam possessionem occupare debere ultimum in Choro stallum. Ille autem consiliis non ac-

quiescens Sacram Rituum Congregationem adivit; quod per supplicem libellum praestitit Capitulum pariter. Quamobrem coram R. P. D. Secretario Calendis Iunii anno vertente, de more praesentibus Partibus seu Procuratoribus deputatis, sequens concordatum dubium fuit suo tempore disputandum; nimirum: An sit locus dimissioni veteris stalli, vel potius manutentioni in casu?

Adventante demum disputationis momento, in Ordinariis scilicet Sacrorum Rituum Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coactis, nullam pro se Canonicus Morsilli rationem attulit, immo nec Procurator eius pro defensione comparuit; sed quum Capitulum recensitae Collegiatae desideret quaestiones abrumpere, omnia ordinate componere et sibi in posterum regulam iuxta legem praescribi, humillime Sacram Rituum Congregationem rogavit pro dubii solutione.

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, audita plena relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Constantino Patrizi Urbis Vicario et Ponente facta, attentis consideratisque rationum momentis omnibusque quae ad facti speciem attinent mature libratis, rescribendum censuerunt: « Pro Informante »; locum nimirum esse pro dimissione veteris stalli.

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt in Choro Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae Maioris supradictae.

Die 24 Septembris 1842.

2847. MUTINEN. (4946)

Praeclarissimae Cathedralis Mutinensis Ecclesiae Dignitatibus et Canonicis s. m. Clemens Papa XI per Apostolicas Litteras in forma Brevis datas pridie Calendas Octobris anno 1713 indulsit, ut antiquo habitu chorali demisso, rochettum cum suis manicis et cappam magnam violaceam cum pellibus, tam intra quam extra Ecclesiam, etiam in Processionibus, Funeralibus et functionibus publicis quibusvis anni temporibus, et iuxta temporum opportunitatem etiam rochettum solum sine cappa deferre et gestare, illisque libere et licite uti perpetuo possent. Huiusmodi indultum, ex summa erga praedictam Ecclesiam et Capitulum benevolentia concessum antiquitus, dissidii modo et quaestionis non levis causa est. Dignitates siquidem et Canonici autumant rochettum et cappam gestare posse etiam in adsistendo Vesperis Missaeque pontificali, quae ab Episcopo celebrantur, nec non in aliis pontificalibus functionibus et in omnibus solemnibus supplicationibus, ne illa quidem excepta Sanctissimi Corporis Christi; ac eo magis in sententia simili persistunt et usum conservare contendunt ob consuetudinem centenariam et amplius introductam, atque, uti asseritur, pacifice servatam.

Sed Reverendissimus Episcopus quum asserat istiusmodi perpetuum cappae usum non tribui per supradictum Clementinum indultum, immo potius adversari legibus Caeremonialis Episcoporum Decretisque alias latis, de communi consilio et consensu, ad quaestionem componendam remque omnem ordinate disponendam, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium enodandum proposuerunt; nimirum:

An vigore praedicti indulti assertaeque centenariae consuetudinis rochettum et cappam magnam, tum in Pontificalibus tum in solemnibus supplicationibus, nulla excepta, gestare valeant Mutinenses Dignitates et Canonici; vel potius Episcopi voluntati conformare se debeant?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres, Ordinariis in Comitiis penes Quirinales Aedes subscripta die coadunati, percepta relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Carolo Acton Ponente facta, omnibus mature consideratis accurateque libratis, exquisitoque voto ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto reddito praeloque cuso, rescribendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum; *nimirum:* Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Mutinensis suffragari Clementinum indultum quoad usum cappae et rochetti in iis tantum functionibus, pro quibus aliter non disponatur a Caeremoniali Episcoporum et a Decretis Sacrae huius Congregationis ».

Atque ita rescripserunt et a praedicto Capitulo servari mandarunt. Die 24 Septembris 1842.

2848. LIMBURGEN. (4948)

Quum Reverendissimus Episcopus Herinensis Vicarius Apostolicus Vicariatus Limburgensis Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus rogavit, ut declarare dignaretur dubium, quod hisce terminis conceptum proposuit; nimirum: Utrum Dominica prima Septembris sit eadem pro Festo Sanctorum Angelorum Custodum, ac pro historia de Scriptura occurrente, quando nempe Calendas Septembris antecedit?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Pro Festo Sanctorum Angelorum eam esse quae incidit Calendis Septembris vel post eam diem ». Et ita declaravit.

Die 24 Septembris 1842.

2849. NUCERINA. (4949)

Quum Sacerdos Natalis Bellocchi Parochus Ruris vulgo *Serradica* Dioecesis Nucerinae, praeter suam parochialem Ecclesiam Deo in honorem Sancti Gregorii dicatam, uti Rector, gubernare et praeesse debeat vi canonicae institutionis alteri eiusdem Ruris Ecclesiae, scilicet Sancti Paterniani; quumque anceps haereat, an teneatur etiam Sancti Paterniani titularis Officium persolvere sub ritu titularibus competenti, Sacram proinde Rituum Congregationem humillimis precibus de sententia requisivit; atque insimul rogavit ut declarare dignaretur: An in Missa Beatae Mariae Gratiarum, cuius sub titulo peculiare Festum instituitur in memorata Sancti Paterniani Ecclesia decimoseptimo Calendas Ianuarii, apponi debeant Hymnus Angelicus et Symbolum Nicaenum?

Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinale subsignata die coadunata, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem infrascripti Secretarii, rescribendum censuit: « Teneri ad Officium Sancti Paterniani Episcopi die XII Iulii; et quoad peculiare Festum et Officium in honorem Beatissimae Virginis Mariae Gratiarum, exhibeat concessionis Apostolicae indultum ».

Die 24 Septembris 1842.

2850. NEAPOLITANA. (4950)

Quum Sacerdos Ioseph Pignatelli Neapoli degens Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione insequentia proposuerit dubia; nimirum:

1. An Sacerdos seipsum signans cum Hostia et Calice consecratis ante sumptionem Sanctissimi Sacramenti ad verba: *Iesu Christi* debeat caput inclinare?

2. An Sacerdos post sumptionem Pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem Sacrae Hostiae?

3. An Sacerdos pergens ad exhibendam Communionem extra Missam debeat per se vel per Ministrum deferre bursam in qua Corporale recluditur?

4. An Sacerdos celebrans ad Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, quoties in Missa dicenda sunt verba: *Flectamus genua,* debeat genuflectere erga Sanctissimum Sacramentum, an vero more solito?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Serventur Rubricae ».

Ad 3. « Decere ut a Sacerdote deferatur ».

Ad 4. « Exquiratur votum Magistri Caeremoniarum ».

Atque ita rescripsit.

Die 24 Septembris 1842.

2851. ANICIEN. (4952)

Pro sua qua praestat sollicitudine in rite ordinateque explendis iis omnibus quae pastorale munus respiciunt, Sacram Rituum Congregationem efflagitavit Reverendissimus Anicien. Episcopus, ut sua auctoritate declarare dignaretur, utrum in Ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi quam Sacerdotum praescripta a Pontificali fieri debeat non tantum intra haec verba: *Oremus fratres dilectissimi* usque ad *Flectamus genua*, sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit *Exaudi nos* usque ad Praefationem; ita ut genuflexio interrumpat tantummodo non autem cessare faciat illam.

Ratio dubitandi pro sententia affirmativa fundatur: primo, quia nonnisi post absolutam Orationem *Exaudi nos*, praescribitur alius manuum habitus; unde usque tunc perseverare debet praecedens: secundo, quia si haec extensio manuum sit materia et Oratio *Exaudi nos* forma, ut volunt quidam, inter quos Sanctus a Ligorio, decet utramque simul coexistere: tertio, quia ita expresse et formiter animadvertit et docet Reverendissimus Episcopus Bellicensis in suo Rituali recens edito *tom. 1 de Sacr. Ordinat. Sect. 3*, nixus tum Canoni III Concilii Carthaginiensis IV, tum Sacramentario Sancti Gregorii Magni, tum Commentario Catalani in Pontificale *tom. 1, pag. 130*: quarto, quia praxis contraria, si existat, nihil probaret utpote de re non necessaria absolute, sed congrua tan-

tum, in qua ex infirmitate humana irrepere potest error: quinto, quia passim in Liturgia genuflexio interrumpit praecedentem manuum habitum, sed non cessare facit, ut in Evangelio et in Collectis Feria VI in Parasceve.

Ratio autem pro sententia negativa haec una, quia, ut queritur idem Episcopus, saepe fit aliter.

Et Sacra Rituum Congregatio, Ordinariis in Comitiis apud Quirinales Aedes coadunata die 24 Septembris superiori anno 1842, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: « Ponatur in Folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum ».

Quod quum factum fuerit, omnibus praelo cusis, in altero Ordinario Coetu infrascripta die habito ad Vaticanas Aedes, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Constantini Patrizi Urbis Vicarii et Ponentis, omnibus rite matureque libratis, etiam quoad expositas dubitandi rationes, uti fuse in voto exprimuntur, rescribendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nimirum in Ordinatione Presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae, quae manus Ordinandis imponit in prima tantum Oratione: OREMUS FRATRES CHARISSIMI ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 18 Februarii 1843.

2852. ANICIEN. (4953)

Ut in pastorali suo munere exequendo Reverendissimus Anicien. Episcopus ea qua decet reverentia erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem incedat, a Sacra Rituum Congregatione humillime requisivit, ut declarare dignaretur quid reapse intelligatur pro Festis de praecepto, in quibus Ordinationes extra Tempora expleri debent ab Episcopis, qui hac facultate pollent; et per consequens an sibi liceat Ordinationem Clericorum perficere in Festo Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae, etsi in Gallia Festum istud non sit amplius de praecepto?

Humillimis hisce precibus per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, memores anno 1831 pridie Idus Novembris Sacram ipsam Congregationem in una Marsorum ad dubium primum edixisse Ordines Sacros conferri posse in diebus Apostolorum ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis ac in iisdem Festis, verum de mane tantum conferri etiam posse Ordines Minores; precibus memorati Episcopi Anicien. rescribendum censuerunt: « Detur Decretum in una Marsorum diei 12 Novembris 1831 ad dubium primum ».

Die 18 Februarii 1843.

2853. BRUGEN. (4954)

Quum Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Caprara a Latere Legatus in Galliis in eo esset ut exequutioni mandaret quae a s. m. Pio Papa VII per Litteras Apostolicas in forma Brevis praescribebantur quoad Paroeciarum circumscriptionem, Archiepiscopis et Episcopis facultatem attribuit Paroecias ipsas extendendi, nec non eorum titulos extinguendi, ac tandem novos titulos assignandi Ecclesiis quae in Paroecias erant erigendae. Huiusmodi facultate suffultus tunc temporis Gandaven. Episcopus, cui suberat Ecclesia loci Sancti Andreae, praefatam Ecclesiam in succursalem erexit, illique in Patronum titularem Sanctum ipsum Andream assignavit. Verum quum Rector supradictae Ecclesiae, quae in praesentiarum ad Dioecesim Brugensem spectat, apud Reverendissimum Brugen. Episcopum indubie comprobarit Ecclesiam ipsam ab immemorabili Patronam titularem venerasse Sanctam Annam Dei Genitricis Matrem, atque insimul exposuerit commune votum incolarum esse hanc ipsam Sanctam, ut antea, propriae Ecclesiae titularem habere; Reverendissimus ille Antistes, pro ea qua praestat religione et erga Sanctam Apostolicam Sedem obsequio, Sacram Rituum Congregationem humillime requisivit:

1. Utrum, semel assignato titulari Patrono alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex caussa illum in alium immutare? et quatenus negative,

2. Enixe efflagitat, ut ex Apostolico indulto haec sibi facultas in casu elargiatur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, omnibus maturo examine perpensis, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit:

Ad 1. « Non licere ».

Ad 2. « Pro gratia assumendi Sanctam Annam in Contitularem cum Sancto An-

drea Apostolo, facto verbo cum Sanctissimo ».

Die 18 Februarii 1843.

Super quibus omnibus, facta postmodum die 11 Martii eiusdem anni 1843 per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus approbavit et confirmavit.

2854. CENOMANEN. (4956)

Dum Reverendissimus Cenomanen. Episcopus in id potissimum intendit ut pastoralis sibi commissi muneris partes omnes expleat, ea qua par est sedulitate ac vigilantia, reperit in universa sua Dioecesi permultas vivificae Crucis Domini Nostri Iesu Christi Reliquias, quae quamvis vix sensibiles sint, attamen in Crucibus vel argenteis vel deauratis occluduntur, ac fidelium venerationi publice exponuntur, ferme ad instar Sanctissimi Sacramenti, nec non cum iisdem solemniter benedictio impertitur more pro benedictione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti usitato; praecipuis tamen in honorem Sanctissimae Crucis precibus adhibitis. Quae singula dum serio perpendit Episcopus orator ac iuxta sancita a Sacrosancto Concilio Tridentino Sessione XXV tit. *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum,* in earumdem recognitione et approbatione invigilat pro sua Dioecesi circa memoratarum Reliquiarum cultum, certas indubiasque leges praefinire exoptat ab omnibus in re non exigui certe momenti religiose servandus. Hinc Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, enixe rogavit ut quidquid hac ipsa in re alias definitum fuit indicare dignaretur.

Enixis huiusmodi precibus, per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt: « Dentur Decreta super re edita »; ac proinde declararunt cum Reliquia Sanctissimae Crucis benedicendum esse populum dum ea reponi debet in custodia postquam processionaliter delata fuit aut publicae venerationi exposita, sicuti decretum fuit in una Brixien. sub die 15 Septembris 1736 ad dubium 1; et successive in una dubiorum sub die 31 Maii 1817 ad dubium 11, illud etiam definitur quod benedictio isthaec semper sit impertienda, etiam si Sacerdos qui functionem explet non sit Canonicus; nam haec ipsa dubia proponebantur nomine Capituli unius Cathedralis Ecclesiae: in una vero Lucionen. sub die 23 Maii 1835 ad dubium 3, in actu talis benedictionis, omnino interdicitur cantus cuiuscumque versus vel precis, uti iamdiu cantus iste fuerat interdictus etiam in benedictione cum Sanctissimo Sacramento in una Caputaquen. sub die 9 Februarii 1762. Quoad autem hanc Processionem cum vivificae Crucis Ligno, Sacra Rituum Congregatio declaravit licitum esse hanc Sacrosanctam Reliquiam capite detecto deferre etiam sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis; verum his tantum in locis, ubi adest immemorabilis consuetudo. Quod spectat vero ad incensationem Reliquiae Sanctissimae Crucis, sancitum fuit in Brixiensi superius enunciata ad dubium secundum et in Mutinen. sub diei 23 Septembris 1837 ad dubium XIV quaest. 1, hanc fieri debere a Sacerdote non genuflexo, sed stante, etiam Feria VI in Parasceve; et in ipsa Brixien. ad dubium tertium illud fuit etiam decretum quod Capitulum et Clerus transeundo processionaliter ante Altare, in quo Sanctissimae Crucis Reliquia reconditur, haud genuflectere debeat. Verum si loco principe Reliquia Sanctissimae Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam, uti decretum fuit in una Varsavien. sub die 7 Maii 1746 ad dubium septimum, unico genu usque ad terram flexo venerare debent; diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita sit in custodia. Insuper in Missa coram Sacratissimae Crucis Ligno palam exposito in eadem Lucionen. sub die 23 Maii 1835 ad dubium primum, edicitur Caeremonias omnino differre debere ab iis quae adhiberi solent coram Sanctissimo Sacramento publicae fidelium venerationi exposito; nam in casu coram Reliquia Sanctissimae Crucis genuflectendum est tantum in accessu et recessu ab Altare, et quoties Sacerdos transit per medium Altaris seu de latere ad latus ut in incensatione: atque ibidem ad dubium secundum definitur necesse non esse in hac expositione ut qui in Choro stant habeant caput detectum; quod omnino requiritur coram Sanctissimo Sacramento palam exposito, neque ut in transitum genuflectant utroque sed tantum unico genu. Quod si agatur de expositione Reliquiae Sanctissimae Crucis Feria VI in Parasceve, Sacra Congregatio in eadem Mutinen. diei 23 Septembris 1837 ad dubium XIV quaest. 2, 3, 4, 5 et 6, declaravit servandam esse vigentem consuetudi-

nem, tum quoad colorem pluvialis in benedictione; tum quoad modum recitandi Orationem : *Respice quaesumus Domine,* a Sacerdote vel genuflexo vel stante; tum quoad admittendos fideles ad osculum huius Sacratissimae Reliquiae ; tum demum quoad Sacros Ministros, Diaconum nimirum et Subdiaconum, accedentes ad adorationem Reliquiae SS. Crucis: siquidem necesse non est ut et ipsi calceamenta deponant. In Generali tandem Decreto a Sacra Rituum Congregatione sub die 6 Maii 1826 lato, et a s. m. Leone Papa XII confirmato die 27 eiusdem mensis et anni, dum admittitur seu toleratur consuetudo deferendi in Processionibus sub baldachino Reliquiam Sanctissimae Crucis ; id edicitur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in Reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis Locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, Decreti ipsius observantiam solertissime urgeant ac pro viribus adlaborent, ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem Theca Lignum Sanctissimae Crucis occlusum permaneat.

Haec, quae a Sacra Rituum Congregatione hucusque circa cultum et venerationem Reliquiarum Sanctissimae Crucis Servatoris Nostri Iesu decreta, stabilita vel per modum generalis regulae tradita fuere et communiter in Ecclesiis Urbis servantur, ad mentem Sacrae eiusdem Congregationis summatim communicantur Reverendissimo Episcopo Cenomanen., ut ea prae oculis habeat in efformandis pro sua Dioecesi regulis in cultu et veneratione ipsius Sanctissimae Crucis Reliquiae servandis.

Die 18 Februarii 1843.

2855. CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS SOMASCHAE. (4957)

Etsi Generali Decreto sub die 26 Aprilis 1834 Sacra Rituum Congregatio certas statuerit leges quoad Breviaria, Missalia, Officia parva Beatae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae maioris aliaque huius generis, quae ab anno praesertim 1788 ac deinceps praelo fuerunt commissa, quin praeseferant Ordinariorum attestationes, queis declaretur in cusione servatas fuisse regulas in Bullis Summorum Pontificum Romanorum Sancti Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII indictas et in suo robore plenissime perseverantes ; atque insimul commendatum maxime fuerit iisdem Reverendissimis Locorum Ordinariis ut in posterum pro suo munere invigilarent, ut Bullae ipsae ac subsequentia Decreta omnino servarentur in huiusmodi Librorum cusione ; attamen pro parte Reverendissimi Patris Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae duo haec dubia pro opportuna solutione exhibita fuere eidem Sacrae Rituum Congregationi; nimirum:

1. An liceat uti Breviariis, Missalibus, aliisque huius generis Sacris Libris, qui non praeseferunt requisitas a Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per praescriptionem in contrarium memoratae Constitutiones censeri debeant non amplius in suo robore permanentes?

2. An enunciatis Breviariis, Missalibus aliisque huius generis libris licite quis uti possit, si Ordinarii locorum, praevia revisione a se instituta, declarent eosdem plene concordare cum aliis Romae cusis et de more revisis et approbatis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a subscripto Secretario facta, perpendens in memorato Generali Decreto utrumque dubium contemplatum fuisse, quin ipsis directe satisfaceret, rescribendum edixit : « Servetur Generale Decretum diei 26 Aprilis 1834 ».

Die 18 Februarii 1843.

2856. FLORENTINA. (4958)

Quum in Ecclesia Sanctae Mariae a Iesu nuncupata in Oppido vulgo *San Casciano in Val di Pesa* intra fines Archidioecesis Florentinae ubi erecta reperitur Sodalitas Suffragii, dum pro defunctis in genere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium venerationi exponitur, ante benedictionem et *Tantum ergo* recitetur Antiphona *Exultabunt* cum Psalmo *Miserere* et in fine *Requiem aeternam* ac Oratio *Fidelium Deus*, vel *Deus veniae largitor;* quumque huiusmodi praxis ab aliquibus non approbetur, immo etiam contradicatur, Sacerdos Ioannes Baptista Borboni, nomine etiam memoratae Sodalitatis, Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit, ut quatenus ipsa praxis reapse sit interdicta, ipsam tamen confirmare dignaretur aut tolerare saltem in memorata Ecclesia ; nam Sodalitas ipsa in id potissimum intendit, ut ex piis exercitiis levamen obveniat animabus, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, respondit: « Praxim seu consuetudinem, quatenus revera existat, tolerari posse censuit ». Die 18 Februarii 1843.

2857. EUGUBINA. (4960)

Quum Deputati piae Unionis Propagationis Fidei Civitatis Eugubinae Sacram Rituum Congregationem enixe rogarint, ut declarare dignaretur: Num in Ecclesia ubi memorata Sodalitas erecta reperitur, deinceps Festum Sancti Francisci Xaverii ceu Patroni ipsius Unionis institui queat sub ritu duplicis primae classis cum Symbolo Nicaeno in Missa;

Sacra Rituum Congregatio rescripsit: « Negative ». Die 18 Februarii 1843.

2858. ANAGNINA. (4961)

Precibus Sacerdotis Antonii Sibilia Canonici Cathedralis Anagninae et in praesentiarum Vicarii Generalis in Civitate Ferentina, exquirentis ut insignia concessa Capitulo Cathedralis Anagninae gestare etiam valeat dum Choro assistit in memorata Civitate Ferentina,

Sacra Rituum Congregatio rescripsit: « Iuxta alias decreta incedere debere in habitu Vicariali ». Die 18 Februarii 1843.

2859. NEAPOLITANA. (4962)

Quum Sacerdos Ioseph Pignatelli Neapoli degens Sacram Rituum Congregationem humillime rogarit ut declarare dignaretur: An quando Missa celebratur in Altare, super quo publicae fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit *Flectamus genua,* genuflexio isthaec fieri debeat erga Sanctissimum Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica praescribitur? quumque Sacra Congregatio in Ordinario Coetu ad Quirinale habita octavo Calendas Octobris superioris anni 1842 edixerit, ut in re exquireretur votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, iterum proposita instantia in novis Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum, nimirum in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas generales titulo de Oratione num. IV ». Atque ita servandum mandarunt.

Die 18 Februarii 1843.

2860. HISPALEN. (4963)

Summa genuum debilitate ob non firmam valetudinem diu laborans Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Archiepiscopus Hispalen. ab hac Sancta Apostolica Sede speciale indultum obtinuit Sacrum faciendi continuo sedendo. Verum maxime percupiens necessitatibus suae Archidioecesis occurrere, quae urgentiores evadunt ob frequentes vicissitudines, quae Hispaniarum Regnum modo perturbant, praesertim ob Episcoporum pene omnium deficientiam, Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XVI humillime supplicavit pro extensione indulti, conferendi nimirum Sacros Ordines, et conficiendi sacra Olea Feria quinta in Coena Domini etiam pari modo sedendo. Sanctitas Sua preces ad Sacrorum Rituum Congregationem remisit, quae exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in Ordinariis Comitiis apud Vaticanas Aedes subscripta die coadunatis, ad relationem subscripti Secretarii, rescribendum censuit: « In casu de quo agitur, attentis peculiaribus gravissimis circumstantiis, iisdemque perdurantibus, annui potest de speciali gratia, dummodo privatim fiant Ordinationes et Benedictiones Oleorum Feria quinta in Coena Domini cum assistentia trium saltem Sacerdotum, facto verbo cum Sanctissimo ».

Die 18 Februarii 1843.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Maximo per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit de speciali gratia, nullo umquam tempore in exemplum afferenda.

Die 11 Martii eiusdem anni 1843.

2861. SYRACUSANA. (4965)

Augustae, quae Civitas extat in Dioecesi Syracusana, non sine exiguo fidelium praesertim infirmorum dispendio, ad annum usque 1718 unica erat parochialis Ecclesia, ac uni eidemque Parocho animarum cura committebatur; cui meliori modo procurandae tunc primo, Sanctae Mariae Paroecia dismembrata, altera Sancti Sebastiani constituta fuit, adeo ut utriusque Ecclesiae Parochus in sui muneris officiis explendis, alter ab altero omnino non dependeret. Novissime, anno

nimirum 1821, Ecclesia Matrix Sanctae Mariae *de Benignitate* nuncupata de benignitate huius Sanctae Sedis Apostolicae Capitulo Collegiatae fuit cohonestata; quae dum iure privilegiorum, et iuxta invectam praxim communemque consuetudinem, debita sibi praecedentia pacifice fruebatur, restitit hodiernus Parochus Ecclesiae Sancti Sebastiani Sacerdos Sebastianus Pignato, et Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut iuxta proprium placitum et expositum provideretur. Exquisitis propterea illius Vicarii Capitularis, Sede Syracusana vacante, informatione et voto; deinde iuxta adiectam legem, coactis tum Collegiatae Capitulo tum recensito Parocho ad sua iura in scriptis penes ipsam Sacram Congregationem deducenda: ad certa capita summatim singulae controversiae perstrictae sunt, atque insequentia enodanda dubia ad utriusque preces proposita fuere; nimirum:

1. An Capitulo Collegiatae Ecclesiae Civitatis Augustae aliquod ius competat in parochiali Ecclesia Sancti Sebastiani Civitatis ipsius, adeo ut Parochus ipse Sancti Sebastiani in ecclesiasticis functionibus et parochialibus muniis explendis sit aliqua ratione eidem Capitulo subiectus?

2. An eidem Capitulo collegialiter incedenti in generalibus Processionibus praecedentia competat super Parochum Ecclesiae S. Sebastiani?

3. Cui debeatur praecedentia in incessu per vias occasione associandi Funus; an scilicet Capitulo Collegiatae collegialiter intervenienti, vel Parocho ipsius defuncti?

4. An in Funeribus et Processionibus unica sit erigenda Crux Capituli Collegiatae in casu, ita ut omnes associantes funus, ac etiam Parochus Sancti Sebastiani, sub hac ipsa unica Cruce incedere debeant?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu apud Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Gabriele Ferretti Ponente facta et omnibus mature consideratis riteque libratis, rescribendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum »: nimirum:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative; iuxta alias decreta ».

Ad 3. « Capitulo Collegiatae; dummodo sit vel a Parocho vel ab haeredibus defuncti invitatum ».

Ad 4. « Unicam Crucem, et ipsam Collegiatae ».

Atque ita rescripserunt et in Civitate Augustae Syracusanae Dioecesis servari mandarunt. Die 17 Iunii 1843.

2862. FANEN. (4966)

Sacerdos Ignatius Rossi Cathedralis Ecclesiae Fanen. Caeremoniarum Magister Sacrae Rituum Congregationi exposuit: Episcopum quemdam de commissione proprii Ordinarii octavo Idus Novembris anno superiore perfecisse consecrationem Ecclesiae Oppidi Sancti Georgii in eadem Dioecesi. Qua in actione etiam si fuerint omnia rite peracta iuxta Pontificalis Romani Rubricas, videtur tamen quamdam exceptionem pati posse Altare eodem actu consecratum; ex eo potissimum, quod eiusdem mensa non ex integro lapide sed ex parvis sex lapidibus ad formam unius unitis constructum est, ac insuper lignea corona mensam hanc per gyrum devincit et cum stipite coniungit; super qua sacri Olei unctiones fuere peractae, sicuti et in angulis mensae separatorum lapidum. Hac ipsa in actione ac consecratione Ecclesiae et Altaris, iisdem cum formulis fuit etiam Altare portatile consecratum, quod vulgo nuncupatur *Pietra Sacra*, ibidem apposito loco praeparatum, omisso omnino ritu proprio in Pontificali Romano praescripto, titulo *De Altaris portatilis consecratione*. Ex his itaque Caeremoniarius supradictus occasionem nactus est sequentia dubia proponendi pro solutione; nimirum:

1. An hoc Altare, exposito modo constructum, censendum sit consecratum? et quatenus negative,

2. Quid de Ecclesiae consecratione sentiendum, quum ex Pontificali Romano nequeat sine consecratione Altaris Ecclesia consecrari?

3. Quid in posterum sit faciendum similibus in circumstantiis?

4. Utrum, nec ne, valida et licita sit consecratio Altaris portatilis tali modo peracta?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis duodecimo Calendas Martii proxime praeteriti coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuit: « Ponatur in Folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum ». Quo elaborato typisque cuso, in sequenti Ordinario Coetu eodem loco coacto subscripta die, propositis supradictis dubiis per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Carolum Acton Rela-

torem, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus mature riteque libratis, rescribendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; nimirum:

Ad 1. « Reiterandam esse Altaris consecrationem, dummodo mensa ex integro lapide constituatur; alioquin si hoc commode fieri non possit, parvus lapis medius collocatus consecretur ad instar Altaris portatilis ».

Ad 2. « Ecclesiam fuisse rite consecratam ».

Ad 3. « Iam provisum in superioribus ».

Ad 4. « Affirmative, pro hoc casu; dummodo una cum formulis omnia fuerint super hoc Altare peracta sicuti praescribit Pontificale Romanum: et non afferatur in exemplum ».

Atque ita rescripserunt ac omnino servari mandarunt. Die 17 Iunii 1843.

2863. ORDINIS (4972)
SANCTI BENEDICTI
CONGREGATIONIS CASSINENSIUM.

Ea est conditio Patriarchalis Ecclesiae Sancti Pauli Apostoli via Ostiensi et adnexi Monasterii Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensium, ut aestivo tempore Monachi ob aeris insalubritatem adigantur illud Monasterium deserere, et loco Hospitii se recipere ad Aedes quae adnexae sunt Ecclesiae Sancti Callisti Papae penes Basilicam Sanctae Mariae Trans Tyberim. Quo tempore perdurante, nonnulli ex Monachis pergunt per turnum mane tantum Officia sacrasque functiones peracturi recensita in Patriarchali, dum Vesperis in Choro Sancti Callisti ceteris cum Monachis assistunt, et hoc Vesperale Officium satisfit ac si recitaretur in Ecclesia Sancti Pauli. Quum itaque istae Ecclesiae adeo inter se sint unitae, ut una prorsus censeatur; hinc a centum et ultra annis factum est, ut in natali die Sancti Callisti Papae Martyris Titularis huius secundae vel Hospitii Ecclesiae, in Patriarchali de eodem sit recitatum Officium sub respondenti ritu primae classis, ac Monachi (qui huic inserviunt mane ad sacra facienda) difformes essent vespere a ceteris in Divinis persolvendis Laudibus. Huic tamen consuetudini refragatur Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 6 Octobris 1697; propterea eidem Sacrae Congregationi humillime supplicavit Reverendissimus Abbas recensiti Monasterii, ut, attenta hac centenaria consuetudine, supradictis Monachis liceat praxim hanc servare quoad Officium Sancti Callisti Papae Martyris.

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis apud Vaticanas Aedes coactis die 18 Februarii anno vertente, audita relatione a subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: « Audiatur Magister Caeremoniarum ». Elaborato itaque super re voto ab alterutro ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, illoque in sequenti Ordinario Sacrorum Rituum Conventu subscripta die coadunato, Eminentissimis Patribus communicato, quoniam votum non fuit praelo cusum, in communi sensu fuere remittendum esse ad Dominum Assessorem, qui videat. Omnibus denique debito modo visis et examinatis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Patres in casu rescripserunt: « Iuxta votum; nimirum servari posse consuetudinem quoad Officium Sancti Callisti, usque dum hoc Monasterium naturam Hospitii induat, ac restrictus sit Monachorum numerus ».

Atque ita rescripserunt, ac servari posse mandarunt. Die 17 Iunii 1843.

2864. ABELLINEN. (4973)

Certum exploratumque quum sit in unaquaque Dioecesi, elapso anno a die novissimae Visitationis peractae ab ultimo Episcopo defuncto, posse Vicarium Capitularem legitime electum hanc ipsam Visitationem per Dioecesim instituere, Sede adhuc vacante; non abs re ab aliquibus dubitatum est, quo modo et ritu Vicarius sit a Clero excipiendus hac in actione, quaeque ab eodem Clero obsequia illi sint praestanda; oportet enim ut minora sint illis quae Episcopo exhibentur. Propterea attento Liturgicorum hoc in proposito silentio, volens omnia ordinate instituere Reverendissimus Vicarius Capitularis Abellinensis, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Quo ritu excipiendus sit Vicarius ad valvas uniuscuiusque Ecclesiae Dioecesis?

2. An omnes de Clero et etiam Canonici de Capitulo accedere debeant ad praestandam obedientiam?

Et in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 16 mense Aprili anno 1842, Sacra Rituum Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, rescribendum censuit: « Exquiratur votum Magistri Caeremoniarum ». Quo elaborato

praeloque cuso, iterumque propositis recensitis dubiis ab Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Carolo Acton Relatore, in altero Ordinario Sacrorum Rituum Conventu ad Quirinales Aedes subscripta die coadunato, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, omnibus accurate libratis riteque consideratis, rescribendum censuere: « Dilata et ad mentem. Mens est ut Eminentissimus Cardinalis Praefectus cum Sanctissimo agat de necessitate supplendi hac in re defectui Caeremonialis ». Atque ita rescripsit.

Die 16 Septembris 1843.

Super omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI Pontifici Maximo per Eminentissimum et Reverendissimum Dom. Card. Carolum Mariam Pedicini Episcopum Portuensem, Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarium et Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum fideli relatione, die 8 Novembris eodem anno 1843, Sanctitas Sua benigne annuit; et praedicto defectui supplendum esse mandavit iuxta modum a Magistro Caeremoniarum in suo voto propositum, videlicet: « Vicarius Capitularis procedat ad Ecclesiam Cathedralem veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum vel alia insignia Canonicalia, si sit Canonicus, eidemque biretum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Praecedente Cruce Capitulari, ceterisque de Clero, recta statim inter duos Digniores ex Capitulo perget ad Sacellum ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis Dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem petet Aram et, brevi oratione super infimo gradu peracta, sedebit in camerali Sede ante latus Epistolae super Altaris suppedaneum praeparata, ceterisque in propriis subselliis consedentibus, et caput bireto cooperiens tradet, si moris est, Cancellario Visitationis Edictum legendum, et deinde proponet caussas adventus sui ut habetur in Pontificali Romano *(Ordo ad visitandas Parochias)*. His absolutis ab Altare descendet et in plano extra latus Epistolae stans, supra superpelliceum, vel rochettum si eo utatur, Amictum, Stolam et pluviale nigrum induat eique duo Sacerdotes assistent. Interim Sedes ab Altare amovebitur, cuius frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans iuxta Altare in cornu Epistolae versus ad populum incipit Antiphonam: *Si iniquitates*. Cetera peragantur ut in Pontificali Romano, loco citato ».

Quam methodum Sanctitas Sua firmitate sua communivit.

2865. MASSILIEN. (4975)

Pro resolutione dubiorum super usu novarum candelarum ex *Stearina* confectarum.

Instantibus nonnullis Episcopis permultisque cereorum Fabricatoribus cum R̃mo Episcopo Massilien., ac referente Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Cosimo Corsi Ponente, rescriptum fuit: « Consulantur Rubricae ».

Die 16 Septembris 1843.

2866. OPPIDEN. (4976)

Quum Reverendissimus Oppiden. Episcopus praenoscat ob gravem suam aetatem non sine considerabili valetudinis dispendio perficere haud posse iuxta formam in Pontificali praescriptam imminentem Consecrationem novae suae Cathedralis Ecclesiae, ac proinde Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium XVI Pontificem Maximum enixe rogarit indultum hanc ipsam sacram Caeremoniam exequendi duobus consecutivis diebus; Sanctitas Sua, referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario: « De speciali gratia ita annuit benigne, ut uno eodemque die peracta omnino consecratione Ecclesiae et Altaris maioris ab ipso Episcopo, poterit per alium Sacerdotem Missa celebrari, qua finita Episcopus solemniter populum benedicet, Indulgentiam publicabit et diem anniversariam ad recolendam consecrationem assignabit. Alia vero die quacumque consecrari poterunt cetera Altaria, strictim servatis omnibus a Pontificali Romano praescriptis ». Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 24 Maii 1844.

2867. LUCAN. (4978)

Cappellani Beneficiati Collegiatae Ecclesiae Sancti Michaelis in Foro Civitatis Lucanae alte animo defixum habentes Apostoli monitum, ut nimirum omnia honeste et secundum ordinem fiant in omnibus, praecipue vero quoad ea quae sacras Caeremonias respiciunt, per supplicem libellum Sacram Congregationem legitimis cognoscendis Ritibus praepositam humillime rogarunt,

ut per suum oraculum sequentia dubia solvere dignaretur; nimirum:

1. An Celebrans diebus Dominicis Chorum aditurus ad aspergendum Clerum aqua lustrali, accedere debeat per latus Epistolae atque circulum perficiens post aspersionem redire debeat ad Altare per latus Evangelii; vel potius ire ac redire debeat per latus Evangelii?

2. An canente Missam Canonico seu alia Cleri Dignitate, praeter Diaconum et Subdiaconum, locum habeat tertius assistens pluviali indutus?

3. An Magister Caeremoniarum Reverendissimi Domini Canonici Decani, eidem ad Ecclesiam Collegiatam Sancti Michaelis in Foro, in qua ipsa est prima Dignitas, Canonicis sequentibus, accedenti pro re divina peragenda in pontificalibus seu pro assistentia Missae ac Vesperis solemnibus, teneatur aspersorium in pilam aquae benedictae immergere, exhibere Canonico digniori eiusdem Collegiatae ab eoque illud, exacta per Canonicum Decanum aspersione, recipere; vel potius haec praestare teneatur Magister Caeremoniarum Collegiatae?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Gabrielis Ferretti Ponentis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddito praeloque cuso et omnibus attente consideratis matureque libratis, rescribendum censuere: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; nimirum:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative; et dentur Decreta, praesertim in Cortonensi diei 10 Septembris 1701 ad dubium 14 ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripserunt servarique mandarunt.

Die 7 Decembris 1844.

2868. CENOMANEN. (4979)

Summo studio et cura quum invigilet Reverendissimus Cenomanen. Episcopus, ut in omnibus quae sacras functiones respiciunt, praesertim vero solemnem Ecclesiarum Dedicationem seu consecrationem, Romani Pontificalis dispositiones sub omni respectu impleantur; atque exorto quodam dubio circa genuinum sensum horum Pontificalis verborum: *Celebrandaeque sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni et matutinae Laudes in honorem Sanctorum;* dum nonnulli protuentur sententiam in hisce Vigiliis recitandum esse Officium de ipsa Dedicatione, licet Altaris solummodo peragenda sit consecratio, et incipiendum a primis Vesperis etiam in satisfactionem oneris divini Officii: nonnulli e contra alteram defendunt sententiam consonam verbis Pontificalis, in Vigiliis scilicet Nocturni canendi in honorem Sanctorum per Psalmos et Officium de Communi, quin tamen hi Nocturni oneri divini Officii currentis satisfaciant; Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit pro illius solutione.

Et Emi ac Rmi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, ad relationem Emi et Rmi Dom. Cardinalis Ioannis Serafini Ponentis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis edito praeloque cuso, atque omnibus attente consideratis riteque libratis, rescribendum censuere: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nimirum: Iuxta alias decreta, praesertim in Mechlinien. diei 29 Iulii 1780, Vigilias faciendas iuxta Pontificale; Officium vero Dedicationis Ecclesiae, non Altaris, solum inchoandum esse peracta consecratione ab Hora minori Tertia ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 7 Decembris 1844.

2869. ALBANEN. (4981)

Quum in solemni supplicatione in honorem Sancti Pancratii Martyris Patroni praecipui Civitatis Albanen. vertente anno ibi instituta, contra invectam consuetudinem et Decreta Sacrae Rituum Congregationis, concentus musicus, vulgo *la Banda,* locum sumpserit Clerum Regularem inter et Secularem; Religiosorum Ordinum Conventualium, Carmelitarum et Capuccinorum ibi degentium Superiores, ne scandala in populo orirentur, cum suis Alumnis eidem supplicationi interfuerunt; sed interim Sacram ipsam Rituum Congregationem rogarunt, ut declarare dignaretur, quid aliis in circumstantiis similibus sit exequendum, ne vel in minimo laedantur ecclesiasticae sanctiones.

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, referente subscripto Secretario, rescribendum censuerunt: « Ab Episcopo assignetur locus in Processionibus musico concentui; verum ante utrumque

Clerum». Atque ita rescripserunt ac in similibus servandum omnino mandarunt.

Die 7 Decembris 1844.

2870. CALLIEN. (4982)

Precibus Calendaristae Dioecesis Callien. exquirentis num in nonnullis peculiaribus Officiis, praeter Lectiones et Orationes, legi etiam debeant alia quae propria approbata sunt pro aliis Dioecesibus, quamvis extensionis indultum id non exprimat;

A S. R. C. rescriptum fuit: « Negative, in omnibus; sed iuxta indultum ».

Die 7 Decembris 1844.

2871. COSTANTIEN. (4983)

Quum Reverendissimus Constantien. Episcopus compererit sibi commissos Christifideles non paucos abscedere ab Ecclesia, expleta Missa Pontificali, etiam in duabus Solemnitatibus, queis Episcopus ipse nomine Romani Pontificis populo benedicere debet cum Plenaria omnium peccatorum Indulgentia; a Sacra Rituum Congregatione humillime expetiit, ut in hac ipsa benedictione dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve delegationis Apostolicae, ac liceat simpliciter annunciare Plenariam Indulgentiam, ne populus abscedat;

Et Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente infrascripto Secretario, rescribendum censuit: « Iuxta Pontificale Romanum ». Die 7 Decembris 1844.

2872. MECHLINIEN. (4985)

Editor Calendarii Liturgici Archidioecesis Mechlinien. de consensu et approbatione illius Reverendissimi Vicarii Generalis, cupiditate flagrans rectae et uniformis dispositionis divini Officii ac celebrationis Missarum in praefata Archidioecesi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit:

Dubium I. Quum iuxta Rubricas Generales Breviarii Titul. VII de Octavis, Officium faciendum sit de Patrono vel Titulari Ecclesiae, et quum varia dentur Decreta Sacrae Rituum Congregationis quoad personas, a quibus illud Officium est recitandum, hinc diversa est praxis inter Sacerdotes Archidioecesis Mechliniensis.

Quaeritur ergo 1. An Sacerdotes Seculares, qui censentur alicui Ecclesiae adscripti quia Missas ibidem celebrant, Confessiones excipiunt aut aliud quodcumque sacrum Ministerium exercent, possint Officium recitare de Patrono vel Titulari eiusdem Ecclesiae (qui non sit Patronus Civitatis vel Loci), ut habeatur uniformitas inter Sacerdotes illos et Pastorem ac Vicepastores Ecclesiae, qui celebrant Festum Titularis eiusdem sub ritu duplici primae classis cum octava, etiamsi nulla adsit obligatio ad Chorum?

Quaeritur 2. An illi Sacerdotes, si possint recitare praedictum Officium, ad illud etiam teneantur, ita ut non satisfaciant obligationi sequendo Directorium suae Dioecesis?

Quaeritur 3. An iidem Sacerdotes recitare etiam possint et debeant alia Officia propriae Ecclesiae, cui adscripti sint: v. g. de Reliquia insigni alicuius Sancti, si vel ex speciali indulto Apostolico, vel ex legitima consuetudine recitari ibidem soleant a Pastore et Vice-Pastoribus? (1)

Dubium II. Vi indulti pro reductione Festorum diei 9 Aprilis 1802, Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum celebratur in Belgio in Dominica, quae octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, et quidem ritu duplici primae classis cum octava iuxta Rubricas.

Quaeritur quomodo ordinari debeant Vesperae quando Festum Patroni principalis Ecclesiae vel Loci, ex. gr. Sancti Martini Episcopi, occurrit pridie vel postridie Anniversarii praedicti? an scilicet integrae persolvendae sint de festo Dedicationis cum sola commemoratione Patroni; vel sint dimidiandae iuxta Decreta Sacrorum Rituum Congregationis?

Dubium III. Quando ad Matutinum duobus asteriscis est divisum Responsorium, ex. gr. post VIII Lectionem si fit de Dominica per Annum, item in Festo Epiphaniae Domini etc.; prima repetitio debet fieri a primo asterisco usque ad versum, non vero usque ad secundum asteriscum tantum: secunda vero repetitio, quae fit post ℣. *Gloria Patri,* non comprehendit nisi verba quae habentur post secundum asteriscum, ut dicitur in Commentariis Merati et in aliis Tractatibus liturgicis.

Quaeritur, an hoc quoque observandum sit quando in eodem Responsorio plures habentur versus, ut in primo Responsorio Dominicae primae Adventus et in ultimo Responsorio Officii Defunctorum, quando di-

(1) E. Dub. II, III, IV, VI et IX.

cuntur novem Lectiones; ita ut in primo casu, post versum *Quique terrigenae*, dici debeat *Ite obviam ei, et dicite * Nuntia nobis, si tu es ipse* : * *Qui regnaturus es in populo Israel.* Et post versum *Qui regis Israel,* prima parte repetitionis omissa, dicatur: *Nuntia nobis si tu es ipse,* * *Qui regnaturus es in populo Israel:* in secundo autem casu post versum: *Tremens factus sum ego etc.*, ponatur: *Quando coeli movendi sunt, et terra:* * *Dum veneris iudicare saeculum per ignem:* ita ut non sufficiat repetitionem Responsorii facere usque ad secundum vel tertium asteriscum tantum, omittendo verba sequentia usque ad versum?

Dubium IV. Constat servandam esse peculiarem Rubricam Breviarii quoad secundas Vesperas in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quando sequenti die fit Officium de Sancto Paulo in Ecclesia propria. Hoc tamen parit difficultatem in Dioecesi Mechliniensi, praesertim pro secundis Vesperis propter sequens Festum Sancti Rumoldi Dioecesis Patroni;

Hinc quaeritur: An in illis Ecclesiis, ubi Conversio Sancti Pauli colitur tamquam Titulus ritu duplici primae classis cum octava, alterum Festum eiusdem Sancti Apostoli, scilicet Commemoratio eius die 30 Iunii habeat ritum duplicis primae classis; vel duplicis maioris tantum, tamquam Festum secundarium Patroni?

Dubium V. Datur Decretum Sacrorum Rituum Congregationis in Einsiedeln. diei 5 Maii 1736 (Alia dubia in responsione ad 2.), iuxta quod Festa a die obitus translata, quae sortita sunt aliam diem fixam, annuncianda sint iisdem diebus et verbis in Martyrologio Romano descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, potest nuntiari Festum illius Sancti, de quo solemnis memoria agitur sequenti die. Quaeritur:

1. Quomodo legi possit Martyrologium, si huiusmodi Festa translata a die obitus celebranda sint perpetuo in aliqua Dioecesi vel Ecclesia, non illa die qua celebrantur in Ecclesia universali et annuntiantur in Martyrologio, sed alia die?

Hoc locum habet in Festo S. Thomae a Villanova, cuius Elogium occurrit in Martyrologio sexto Idus Septembris, additis his verbis: *cuius Festum decimo Calendas Octobris celebratur;* dein decimo Calendas Octobris rursum fit mentio eiusdem Festi, tamquam a die natali translati. Porro in Dioecesi Mechliniensi Festum Sancti Thomae a Villanova perpetuo est translatum ad diem 25 Septembris quae est prima dies non impedita. Anne illud Festum annunciari debet decimo Calendas Octobris, ut in Martyrologio; vel, omissa eius mentione illa die, annuntiari debet septimo Calendas Octobris, quae est dies fixa pro eius celebratione?

2. Sanctus Petrus Damianus migravit ad Christum octavo Calendas Martii, ut legitur in eius Officio Lectione VI.: quum autem ea die fiat Officium de Cathedra Sancti Petri Antiochiae, Festum Sancti Petri Damiani celebratur die sequenti, idest septimo Calendas Martii ex Decreto Urbis et Orbis Calendis Octobris 1828. Quaeritur igitur qua die eius Elogium inseri debeat Martyrologio die 22 aut 23 Februarii? vel bis de Sancto Petro Damiano facienda sit mentio?

Dubium VI. Legitur in Missa Festi Assumptionis Beatae Mariae Virginis: *Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea in aeternum.* Quaeritur An haec verba intelligantur de Beatissima Virgine, an de Maria de qua in Evangelio huius diei: et consequenter: An caput sit inclinandum ad prolationem Nominis Mariae, nec ne?

Dubium VII. Quum in Belgio Festa Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, et Sancti Iosephi, quatenus sunt Patroni Patriae, olim fuerint Festa in populo; quaeritur:

1. An sublata iam obligatione abstinendi ab operibus servilibus, et audiendi Sacrum, licitum sit in praedictis Festis cantare Missam de Requiem praesente corpore; tum si celebrentur haec Festa solemniter, tum si non solemniter?

2. An idem liceat in Festo Patroni minus principalis alicuius loci, si ex privilegio vel ex consuetudine celebretur ritu duplici primae classis, aut etiam in Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Dominica prima post octavam omnium Sanctorum, quum sit Festum duplex primae classis, etiam si cum minori solemnitate celebrari soleat, quam quaedam aliae Festivitates?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione a subscripto Secretario facta et omnibus attente consideratis riteque libratis, respondendum censuit:

Ad Dubii I. quaestionem 1. « Iuxta alias decreta, Negative; non enim censeri, sed revera esse debent adscripti stricte servitio Ecclesiae, uti Parochus et Vice-Parochus ».

Ad quaestionem 2. et 3. « Iam provisum in praecedenti ».

Ad Dubium II. « Integras esse persolvendas de Dedicatione iuxta alias decreta ».

Ad Dubium III. « Prima vice, integrum legendum Responsorium; post versum, usque ad secundum asteriscum; post *Gloria Patri,* a secundo asterisco ad finem, iuxta alias decreta et ut notatur in Breviario ».

Ad Dubium IV. « Nisi constet de speciali indulto quoad ritus elevationem, ritu tantum duplici maiori gaudet ».

Ad Dubii V. quaestionem 1. « Martyrologium legendum esse uti iacet: pridie autem, uti ex consuetudine aliarum Ecclesiarum, annunciatur *Festum Sancti Thomae etc. de quo agitur etc.* ».

Quaest. 2. « Quum primo inserendum sit hoc Elogium, ponendum esse die 23 Februarii ».

Ad Dubium VI. « Inclinationem capitis non esse faciendam ».

Ad Dubii VII. quaestionem 1. et 2. « Iuxta qualitatem ritus, servetur Rubrica ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 7 Decembris 1844.

2873. NARNIEN. (4986)

Sacerdos Ioannes Giubilei Canonicus Cathedralis Ecclesiae Narniensis, cupiens ut in ecclesiasticis functionibus omnia recte peragantur ac nonnulli abusus, si qui irrepserint, de medio tollantur, Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit pro solutione sequentium dubiorum; nimirum:

1. Num apponi valeat Sigillum in ostiolo ubi Feria V in Coena Domini reconditur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum?

2. Num, ut communiter appellatur, nominandum sit Sepulcrum?

3. Num, recondito hoc modo Sanctissimo Sacramento, cantari possit: *Sepulto Domino etc.?*

4. Cuinam tradenda sit Clavis ostioli supradicti?

5. Num Lumen Christi, expleta Sabbati Sancti functione, removendum sit ab Ecclesia?

6. Utrum, nec ne, servandae sint antiquae consuetudines cuiusque Ecclesiae, quando hae non sint Rubricis contrariae?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta et omnibus attente consideratis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Iuxta consuetudinem ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Iuxta alias decreta, Canonico vel Sacerdoti in crastinum celebraturo ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Explicet quae sint consuetudines, et recurrat in casibus particularibus ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 7 Decembris 1844.

2874. NULLIUS MONTIS CASSINI. (4987)

Quum Reverendissimus P. Abbas Ordinarius Nullius Montis Cassini Sacram Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur num Regulares acciti ad publicas supplicationes et funera, e Coenobiis egredientes et illuc redeuntes, possint sub hastata Cruce incedere?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, referente Secretario, rescribendum censuerunt: « Non obstant Decreta; dummodo Crux a Religiosis in funeris pompa non afferatur ».

Die 7 Decembris 1844.

2875. REATINA. (4989)

Precibus Sacerdotis Sebastiani Ricci Canonici Cathedralis Reatinae Ecclesiae, exquirentis an removere debeat Stemma gentilitium familiae suae impressum, tam Ostensorio quam nobilibus aliis suppellectilibus a se donatis Cathedrali ipsi Ecclesiae, ut expositio Sanctissimi Sacramenti in Cathedrali ipsa solemniori apparatu fiat, quam quidem remotionem indixit Reverendissimus Episcopus?

Sacra Rituum Congregatio, pro informatione et voto audito eodem Episcopo, et omnibus maturo examine perpensis, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit: « Quum non obstent Decreta, nihil esse innovandum ».

Die 7 Decembris 1844.

2876. VIVARIEN. (4990)

Pastoralem Visitationem Ecclesiarum suae Dioecesis explens Reverendissimus Vivarien. Episcopus, animadvertit non pauca reperiri Altaria portatilia quorum sepulcra tractu temporis confracta fuere, ac insimul reperit similia portatilia Altaria in novissimis perturbationibus per simplices Sacerdotes con-

secrata fuisse, Reliquiis minime appositis. Queis incommodis qua praestat vigilantia ac religione occurrere exoptans, Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, enixe rogavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum :

1. An memorata Altaria quorum Sepulcra confracta sunt debeant denuo consecrari; vel sufficiat in illis novas Sanctorum Reliquias inducere sigilloque muniri ?

2. An Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari queat super Altaribus secundi generis a simplicibus Sacerdotibus consecratis absque appositione Reliquiarum; vel et ista debeant iterum consecrari, Sanctorum Reliquiis appositis?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, quum a subscripto Secretario compererit usque ab anno 1837 nono Calendas Octobris pro Dioecesi Rhedonensi sancitum fuisse ut similia Altaria iterum consecrarentur, appositamque instructionem Rmo Rhedonensi Episcopo transmissam fuisse, propositis dubiis a Rmo Vivarien. Episcopo rescribendum censuit: « In utroque casu Altaria esse denuo consecranda, ut in Rhedonen. die 23 Septembris 1837 ».

Die 7 Decembris 1844.

2877. VENUSINA. (4991)

Quum Capitulum Cathedralis Venusinae Ecclesiae Sacrae Rituum Congregationi sequentia duo dubia pro opportuna solutione proposuerit; nimirum :

1. An in Choro et Processionibus quae capitulariter aguntur, Canonicus, cui ob Magisterium et Lauream aut Licentiam in Disciplinis Theologicis vel Sacris Canonibus facultas conceditur deferendi biretum cum quatuor apicibus, possit eodem bireto uti?

2. An iste, contradicente propter hoc Capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat; quam alius Sacerdos, quadraginta ab hinc annis iam defunctus, in eadem Ecclesia usus fuerit tali facultate et nemo contradixerit?

Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, propositis dubiis occurrens rescribendum censuit:

« Negative ad utrumque; nimirum nec uti posse in ecclesiasticis functionibus tali bireto; nec si utatur, amittere distributiones; siquidem biretum non est chorale indumentum ».

Die 7 Decembris 1844.

2878. URBEVETANA. (4993)

Urbevetanae Ecclesiae ut primum renunciatus fuit Episcopus R. P. D. Ioseph Maria Archiepiscopus Vespignani, pastoralis sui muneris partes suscipiens illud animadvertit conveniens minus, immo universali praxi et Rubricarum sanctioni contrarium, quod in Ecclesiis ubi Fons Baptismalis reperitur, ipsius Fontis benedictio semel tantum per annum, Sabbato nimirum ante Resurrectionem Domini peragebatur, quin eadem benedictio iteraretur Sabbato etiam ante Pentecosten. Immemorabili huic in sua Dioecesi consuetudini quum suffragare compererit Synodales leges, quin pro suo arbitrio quidquam in re decerneret, memoratus Praesul Sacram Rituum Congregationem humillimis datis precibus adivit, eique rem ipsam exponens enixe rogavit ut declarare dignaretur: Num immemorabili huic consuetudini standum sit?

Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita relatione a subscripto Secretario facta, attentis Rubricarum sanctionibus ac aliis Decretis, praesertim in Lucana die 12 Aprilis 1755 in responsione ad primum, in quo dilucide edicitur Parocho, Fontem Baptismalem Sabbatis diebus Paschatis et Pentecostes benedicere debere; respondendum censuerunt: « Consuetudinem, velut abusum et Rubricis contrariam, esse eliminandam ».

Atque ita exequendum mandarunt.

Die 7 Decembris 1844.

2879. BRIXIEN. (4994)

Rme Domine, uti Frater.

Expositum fuit Sacrae Rituum Congregationi ex parte R. D. Sacerdotis Andreae Bonetti Parochi Oppidi Pratisvici istius Amplitudinis Tuae Dioecesis, quamdam paucis ab hinc annis introductam fuisse consuetudinem eadem in Regione publicis in supplicationibus, quae ducuntur in Festo et per octavam Sanctissimi Corporis Christi, deferendi veteris Testamenti Arcam, Mensam cum Propositionis panibus, Candelabrum cum septem luminaribus et alia id genus, quae fuerunt per Moysem illa in Lege instituta, et nunc a iuvenibus, instar huius Legis indutis, deferuntur. Quum autem huiusmodi novitates cum murmurationibus ac disputationibus occasionem scandali praebeant; ad

omnia praecavenda praedictus Parochus rationes in genere assignavit, quibus quisque pro sua parte consuetudinem tuetur vel improbat, ut super eadem retinenda vel eliminanda de more decernatur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis adunata, audita relatione a R. P. D. Secretario subscripto facta et omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: « Dentur Decreta iam alias edita, nimirum: in una Urbis die 5 Martii 1667 et in Mediolanensi die 5 Novembris eodem anno, atque in una Venetiarum die 17 Iunii 1684, quibus prohibetur expresse ne pueri illis in supplicationibus deferant vel instrumenta Dominicae Passionis vel aliud repraesentans huius Mysteria vel Sanctorum Martyria, utpote quae ex sui natura animum avertant ab adoratione Sanctissimi Sacramenti, quod unice in iisdem intenditur; ac proinde scribendum Amplitudini Tuae, quatenus pro sua religione ac prudentiae incumbat, ut omnia illa de medio tollantur, et iuxta laudabilem ceterarum regionum consuetudinem supplicationes huiusmodi in posterum, sine ullo accessorio praedicto et pro sola devotione, ducantur ».

Hanc Sacrae Congregationis sententiam et voluntatem ut omnia recto ordine procedant, Amplitudini Tuae dum communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7 Decembris 1844.

2880. SANCTI FLORI. (4997)

Sacra in visitatione quam per suam Dioecesim diligentissime instituit Reverendissimus Episcopus Sancti Flori in Gallia, occurrerunt illi per varias Ecclesias Altaria portatilia, de quorum consecratione olim facta certo quidem constabat, sed quorum tumulus seu Reliquiarum sepulcrum modo caret Sanctorum Lipsanis, quae casu exciderunt. Percupiens autem ut omnia recto ordine procedant, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. Num Altaria illa suam consecrationem amiserint, amittendo Sanctorum Reliquias ibidem reconditas?

2. Num sufficiat, absque nova consecratione, in illis tumulare alias Reliquias authenticas?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii et omnibus attente consideratis, rescribendum censuit iuxta alias decreta:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative; et esse denuo consecranda ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 7 Decembris 1844.

2881. SUTRINA. (4998)

Rme Domine, uti Frater.

E vivis nuper erepta quum fuerit Anna Graziani Patrizi e Burgo Sancti Sepulcri, locus factus est illius testamentariae dispositioni, ut nimirum, peracto funere, Collegiata in Ecclesia Roncilionis, quod est Oppidum istius Amplitudinis Tuae Dioecesis, Tumulum haberet in Ecclesia Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum eiusdem loci. Absolutis Exequiis, Capitulum recensitae Collegiatae Ecclesiae cadaver deposuit iuxta morem ad valvas Ecclesiae eorundem Regularium; qui, servatis servandis, illud tumularunt. Deinde a Parocho et a Capitulo eodem expostularunt quod illis obvenit hac occasione, quartam nimirum funeris. Sed renuentibus Parocho Archipresbytero et recensito Capitulo, immo asserentibus nihil Capuccinis deberi, recursum isti habuerunt ad hanc Sacram Rituum Congregationem, ut pro sua sapientia super controversia decerneret. Quum autem haec omnibus nota sint, et pluries fuerit decretum: Quartam Funerariam spectare ad Ecclesiam tumulantem; propterea Eminentissimi et Reverendissimi Patres, in Ordinariis Comitiis hodiernis ad Vaticanas Aedes coadunati, satius duxerunt Amplitudini Tuae esse scribendum, ut pro sua prudentia controversiam, iuxta morem, ad pacem assequendam ac sine strepitu componat, adigatque Capitulum ad praestandum Alumnis Capuccinis, quod illis debetur a iure statutum. Hanc Sacrae Congregationis voluntatem et Decretum dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam ex animo exopto felicitatem.

Romae 7 Decembris 1844.

2882. OLINDEN. (4999)

Franciscus Cordis Mariae Cardaso e Castro Canonicus Regularis Pernambucensis, verius Olindensis Dioecesis, Sacrae Rituum Congregationis precator humilis, eiusdem irrefragabili iudicio sequentes tres quaestiones devotissime subiicit, nec non solutionem exposcit, quae tutam agendi rationem praebeat:

1. An Parochis competat ius exigendi, ut Presbyteri, in Missa solemni ad Evangelium de licentia Episcopi praedicantes, a Parocho celebrante benedictionem petant? et quatenus affirmative,

2. An Canonicus, a Parocho quamvis non Canonico, praedictam benedictionem petere debeat?

3. An Canonicus, qui Abbatum insignibus utitur ex privilegio seu concessione Apostolica, consentiente Dioecesano Episcopo in habitu praelatitio praedicans, memoratam benedictionem a celebrante Parocho non Canonico petere debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente Secretario rescripsit: « Negative in omnibus; et dentur Decreta ».

Die 7 Decembris 1844.

2883. PATAVINA. (5000)

Sacerdos Leopoldus Zotti, in Cathedrali Patavina Ecclesia Caeremoniarum Magistri munere fungens, quum animadverterit nonnulla ibi occurrere, quae universali omnium Ecclesiarum praxi vel istius Sacrae Rituum Congregationis Decretis non sunt integre conformia, eidem Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum: (1)

1. Duae Reliquiae in Cathedrali Patavina coluntur ut insignes, sicque enunciantur in Calendario, quorum una Sancti Sebastiani Martyris constat ex duabus partibus fortasse eiusdem ossis ex minoribus, quae partes unciarum quatuor vix aequant mensuram; altera Sancti Laurentii Levitae Martyris exhibet extremam partem sinistri pedis cum quatuor prioribus digitis carne superindutis, quae quidem Reliquia quaqua versus considerata, duarum unciarum non excedit mensuram. Quum enunciatae duae Reliquiae habeantur ut insignes a ducentis et ultra annis, Missis eorumdem Sanctorum additur *Credo* ratione insignium Reliquiarum. Hinc quaeritur: Num in invecta consuetudine perseverare liceat, etsi Reliquiae ipsae non praeseferant conditiones a Decretis requisitas, ut earumdem ratione ponatur in Missa *Credo*?

2. In Cathedrali Patavina ex immemorabili consuetudine in publica administratione Sacramenti Poenitentiae Sacerdotes Confessarii abstinent ab usu Stolae a Rituali Romano praescriptae. Quaeritur: An standum sit huiusmodi consuetudini?

3. An, praeter casum a Rituali Romano praevisum Titulo V, Cap. I, de Sacramento Extremae Unctionis num. 3., in quo de sacro Oleo adhibendo in hoc Sacramento haec habentur: « *Id tamen, si forte intra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest* »; liceat umquam sacris Oleis Feria V in Coena Domini benedictis aliam Olei non benedicti quantitatem addere? An haec additio saltem fieri possit eadem Feria V in Coena Domini, adeo ut pars tantum Olei subiiciatur benedictioni et immediate misceatur cum oleo non benedicto?

4. Quum in Pontificali Romano praescribatur ut in Sacris Ordinibus quisque ex Ordinandis offerat Episcopo Ordinanti cereum post Offertorium; quaeritur: An tolerari possit consuetudo ut cerei offerantur extincti; vel potius offerri debeant accensi, ut in ipso innuitur Pontificali?

5. In Wratislavien., Decreto dato sub die 10 Decembris 1857 in responsione ad dubium secundum, et postea ex mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papae XIII publicato die 13 Augusti 1763, sancitum fuit ut Episcopo Suffraganeo praesenti in Choro, etiam si non sit Dignitas Capituli, competat thurificatio terno ductu, absente proprio Episcopo Dioecesano. Quaeritur: An haec dispositio valeat etiam pro Canonico Episcopo non Suffraganeo?

6. Ex Apostolico indulto s. m. Benedicti Papae XIV tertia Feria VI mensis Martii in tota ditione, olim Veneta, sub ritu duplici primae classis recitatur Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi. Si haec Feria, uti et imminenti anno 1845, sit Feria VI in Parasceve, quaeritur: An hoc Officium omitti debeat; vel potius transferri possit post Pascha?

Eminentissimi vero ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, infrascripto Secretario referente, singulis propositis dubiis rite de more perpensis ac diligenti examine consideratis, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Negative; quum non sint Reliquiae insignes ».

Ad 2. « Negative; sed standum omnino Rituali et aliis Decretis ».

Ad 3. « Negative; sed in casu tantum

(1) E. Dub. 1.

necessitatis fieri potest additio, uti in Rituali praescribitur ».

Ad 4. « Sufficit ut unus in quolibet Ordine accensum offerat cereum, iuxta consuetudinem ».

Ad 5. « Iuxta consuetudinem ».

Ad 6. « In casu omittendum; nisi impetretur indultum transferendi ».

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. Die 7 Decembris 1844.

2884. REATINA. (5001)

Rm̃e Domine, uti Frater.

Quum Sacerdos Dominicus Maroni Rector et Administrator Confraternitatis Sanctae Caeciliae et Beatae Mariae Virginis de Succursu, in Suburbiis istius Reatinae Civitatis, Sacrae Rituum Congregationi exposuerit, quod Parochus Ecclesiae Sancti Michaelis Archangeli, intra cuius Paroeciae fines Sodalitatis Ecclesia erecta reperitur, praetendat sacras functiones exercere in eadem Sodalitatis Ecclesia, illam ut filialem reddere praesumens, contra sancita ab hac Sancta Apostolica Sede;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum subscripta die coadunati, audita relatione ab infrascripto Secretario fideliter facta, perpendentes alias ac praesertim in Decreto Urbis et Orbis usque ab anno 1703 sub die 10 Decembris sancitum fuisse Parochis nullum ius competere in publicis Sodalitatum Ecclesiis erectis intra fines Parochialium suarum Ecclesiarum, quoad ecclesiasticas functiones non Parochiales; quin aliud precibus ipsis directe responderent, satius duxerunt consilium Amplitudinem Tuam super expositis certiorem reddere, ut iuxta alias decreta provideat; eo vel magis quia memoratum Generale Decretum per suam Constitutionem, quae incipit *Ad debitum:* confirmavit s. m. Clemens Papa XI, ut dissensionibus et iurgiis radicitus finem imponeret. Amplitudinis itaque Tuae partes erunt Parochum Sancti Michaelis ad tramitem supradicti Decreti omnino adigere, ut a quavis in re praesumptione abstineat. Et Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Romae 7 Decembris 1844.

2885. IANUEN. (5002)

Quum Sacerdos Antonius Sanmichele Civitatis vulgo *Chiavari* in Archidioecesi Ianuensi Sacram Rituum Congregationem enixe rogarit, ut super propositum dubium sententiam suam aperire dignaretur; nimirum:

An liceat Sacerdoti celebranti in Oratorio privato, sive domus piae familiae sive communitatis religiosae, Missae celebrationem interrumpere, ut statim post calicis sumptionem, Sanctissimam Eucharistiam, non ad modum Viatici, sed pro communione ex devotione, afferat aegroto in eadem domo degenti, cubiculo tamen ab Oratorio ita distanti, ut ad aliam contignationem domus vel deambulacrum diversum ab eo in quo Oratorium situm est, transire oporteat?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, respondit: « Non licere; iuxta Decretum in Florentina diei 19 Decembris 1829 ad primum dubium: sed si necessitas urgeat, id fiat absoluta Missa ».

Die 7 Decembris 1844.

2886. CENOMANEN. (5008)

Etsi Decreto huius Sacrae Rituum Congregationis nuperrime lato sub die 7 Decembris anni 1844 declarata fuerint dubia a Reverendissimo Cenomanen. Episcopo proposita quoad Consecrationem Ecclesiarum; quum tamen idem Episcopus compererit ambiguitates adhuc oriri quoad qualitatem Officii seu Nocturnorum cum Laudibus in Vigiliis ante sacras Reliquias in Altari reponendas persolvendis; nimirum: An Officium ipsum nominatim sumendum sit ex Communi Martyrum, vel potius celebrandae sint Vigiliae per totam noctem, cantando vel recitando Hymnos, Psalmos aliasque preces; ac proinde iteratis precibus Sacram ipsam Congregationem rogarit ut dilucidam regulam in praxi servandam sibi tradere dignaretur ad omnem disputationem praecidendam, ac rite intelligendum quid strictim praecipiant Pontificalis Romani haec verba: *Celebrandae sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni ac matutinae Laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae recondendae sunt;*

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, referente Secretario et omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt: « Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliae cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi, sine nomine expresso, quum non sint

partes Officii diei ». Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt.

Die 14 Iunii 1845.

2887. FLORENTINA. (5009)

Quum R. P. Rodulphus Bacci Sacerdos Congregationis Scholarum Piarum Florentiae degens Sacram Rituum Congregationem enixe rogarit declarationem insequentium dubiorum; nimirum :

1. In Archidioecesi Florentina quum pro Clero Seculari tantum habeantur privilegiatae octavae, tum Sanctissimi Corporis Christi tum Assumptionis Beatae Mariae Virginis, quaeritur: An Clerici Regulares Scholarum Piarum Florentiae morantes et Calendario Dioecesano utentes teneantur in memoratis octavis ad huiusmodi privilegium?

2. Clerus Secularis et Regularis Dioecesano Florentino Calendario utens gaudet privilegio recitandi Officium Conceptionis Beatae Mariae Virginis in omnibus Sabbatis per annum, etiam in Quadragesima. Quaeritur: An Clerici Regulares Scholarum Piarum in Dioecesi Florentina degentes, et habentes privilegium recitandi Officium Sanctissimi Nominis Mariae semel in Hebdomada, exclusa Quadragesima, possint potius recitare Officium Sanctissimi Nominis Mariae in die Sabbati etiam in Quadragesima et Adventu?

3. Clericis Regularibus Scholarum Piarum cessat octava Nativitatis Beatae Mariae Virginis post Nonam Sabbati eiusdem octavae ob solemnitatem Sanctissimi Nominis eiusdem Beatae Virginis, quae occurrit Dominica infra eamdem octavam sub ritu duplicis primae classis cum octava, veluti Patronae praecipuae totius Ordinis Scholarum Piarum. Quaeritur: An, non obstante hac cessatione, debeat recitari Officium Nativitatis Deiparae in die octava, aut illa die reponi aliquod Officium translatum, vel fieri potius de die infra octavam Sanctissimi Nominis Mariae?

4. Clerici Regulares Scholarum Piarum Florentiae degentes assolent Feria VI in Parasceve ad populi venerationem exponere Reliquiam Sanctissimae Crucis immediate post adorationem Crucis ipsius, et ante Missam Praesanctificatorum. Quaeritur: Num sit retinenda consuetudo; vel potius, post eamdem Missam et consummationem Sanctissimi Sacramenti, supradicta Reliquia exponenda sit?

Et Sacra ipsa Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, singulis propositis dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit :

Ad 1. « Negative; sicut provisum est pro Regularibus ».

Ad 2. « In Sabbatis tantum per annum posse; exclusis semper Quadragesima, Adventu et Sabbatis quatuor Temporum ».

Ad 3. « Ob cessationem octavae, cessandum etiam a die octava, admittendo Officium translatum ».

Ad 4. « Posse; dummodo Reliquia inclusa sit Crucis talis mensurae, ut poni queat inter Candelabra Arae maioris ».

Atque ita rescripsit servandumque mandavit.

Die 14 Iunii 1845.

2888. LIMBURGEN. (5010)

Sacerdos Carolus Klein Sacrae Theologiae Doctor ac Reverendissimi Episcopi Limburgen. Caeremoniarum Magister, quum animadverteret in Caeremoniali Episcoporum s. m. Benedicti XIV iussu edito *lib.* 2, *cap.* 11, § 10. praescribi: « *Si Sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante absolutionem accedat Sermocinaturus vestibus nigris indutus sine cotta, et facta oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia vel genuflexione, pro qualitate personae, ascendat Pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis facit sermonem* »; ut ab hac Caeremonialis praescriptione quaecumque ambigua interpretatio amoveatur, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur:

1. An praenotatis verbis Caeremonialis, *vestibus nigris,* etiam Stola comprehendatur, ita ut Sermocinaturus in laudem Defuncti (extra Urbem) Stola super veste talari vel alia dignitati suae competenti, indui debeat?

2. An laudata dispositio Caeremonialis in Ecclesiis Cathedralibus tantum; vel etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat?

Et S. R. C., ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem Secretarii, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « In omnibus Ecclesiis servandam ».

Die 14 Iunii 1845.

2889. LEODIEN. (5011)

Quum Reverendissimus Leodien. Episcopus Sacram Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur: Num Calix et Patena suam amittent consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem Secretarii, rescripsit: « Affirmative; amittere nimirum, et indigere nova consecratione, iuxta exposita ».

Die 14 Iunii 1845.

2890. MACERATEN. (5012)

Sacerdos Antonius Madugnini Canonicus in Collegiata Ecclesia Sancti Urbani loco vulgo *Apiro* in Dioecesi Maceraten. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. An in Ecclesiis Collegiatis, ubi quotidie in Quadragesima post Nonam canitur ferialis Missa (quae Missa poenitentiae esse videtur) adhibenda sint ceroferaria et apponendum incensum?

2. An Cereus Paschalis ponendus sit super Candelabrum; vel super Cornucopium? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative in omnibus ».

Ad 2. « Super distincto Candelabro, posito in plano, a cornu Evangelii ».

Die 14 Iunii 1845.

2891. GADICEN. (5013)

Sacerdos Antonius Ioachim Perez in Cathedrali Gadicen. Ecclesia Caeremoniarum Magistri munere fungens Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia proposuit, enixe efflagitans ut illa declarare dignaretur; nimirum: (2)

1. An Canonici, Dignitates et Portionarii, parati vel non parati, dum accipiunt solemnem benedictionem ab Episcopo nomine summi Pontificis impertitam, debeant se inclinare; vel genuflectere?

2. An, Feria V in Coena Domini, in qua post Completorium fit Mandatum seu lotio pedum, et postea concionatur fidelibus in hac Ecclesia Gadicensi, locus Concionatoris, vulgo *Pulpito,* ornari debeat, ut moris est, colore albo; vel potius debeat esse nudus absque ullo ornatu?

3. Utrum nocte Feriae V in Coena Domini, in qua concionatur fidelibus Sermo de Passione Domini, locus Concionatoris, vulgo *Pulpito,* ornatus esse debeat colore nigro vel violaceo; an potius absque ullo ornatu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1. « Pro qualitate Personae, vel inclinare vel genuflectere ».

Ad 2. « Sine ullo prorsus ornatu ».

Ad 3. « Ut ad proximum ».

Die 14 Iunii 1845.

2892. MONASTERIEN. (5014)

Alte cordi quum insideat Reverendissimi Episcopi Monasteriensis, ut in Sacris agendis omnia recto ordine procedant, atque ad eliminandas controversias passim super nonnullis insurgentes, quae Clerum ex utraque parte scindunt; pro concordia assequenda ac discordia eliminanda, Sacrae Rituum Congregationi sequentia exposuit, ut iuxta sancitas leges quoad omnia opportune provideatur. Ita porro efflagitabat et exponebat; nimirum: (3)

1. Saepius in eius Dioecesi contingit propter latitudinem Parochiarum, quod in iis Sacella inveniantur, ubi Dominicis et Festivis diebus, sive ex fundatione sive ex contractu Parochi et parochianorum, Missa celebrari debeat pro incolarum ab Ecclesia parochiali remotorum, imprimis seniorum et infirmorum, necessitate vel commoditate. Viget autem consuetudo quod si per fundationem vel contractum de applicando Sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in eiusmodi casibus Celebrans pro alio stipendio applicet, vel ad propriam intentionem. Quaeritur num haec consuetudo, de cuius legalitate dubitatur, pro futuro sit permittenda; et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis qui bona fide ea uti sunt?

2. Per Epistolam Encyclicam s. m. Benedicti Papae XIV cautum est, ut omnes et singuli qui actu curam animarum exercent, non solum Parochi et Vicarii Seculares, verum etiam Regulares, omnibus Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto Missam

(1) E. Dub. 3. — (2) E. Dub. 1. — (3) E. Dub. 1.

parochialem pro populo applicare teneantur. At duplex de huius Constitutionis sensu dubium exortum est: Num non solum Parochi et qui Parochi vices fungentes curam *primariam* exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cura *subsidiaria* fungentes ad applicandum pro populo diebus Festis obligentur? Contra hanc extensionem, quam pauci aut nulli sequuntur, nobis vox *Missa parochialis*, quae tamen solum unicum et ex sensu communi Sacrum solemne significat, rationem fundatam porrigere videtur. Denique dubitatur num etiam in illis diebus Festis, qui iam pridem, auctoritate Sedis Apostolicae interveniente, hic locorum sunt abrogati, et hodie, ut dicunt, non in Foro sed solum in Choro celebrantur, quamvis obligatio fidelium ad audiendum Sacrum sit sublata, adhuc obligatio Parochi ad applicandum pro populo Sacrum perseveret? Antiqua Constitutione Episcopi Monasterien. anni 1772, quae in desuetudinem abiit vel numquam in praxim deducta est, statutum fuit quod antiqua obligatio applicandi pro populo, abrogatione Festorum, non tolli intendatur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, audita relatione ab subscripto Secretario facta et omnibus attente riteque libratis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Posse permitti ».

Ad 2. « Quoad primam partem, solum teneri qui animarum curam *primariam* exercent; quoad secundam partem, iuxta alias decreta, teneri etiam in Festis legitime abrogatis ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 14 Iunii 1845.

2893. MONASTERIEN. (5015)

Dum anno 1843 D. Ioannes Henricus Afphippe ex Parochia Warandorf intra fines Dioecesis Monasterien. Apostolicum rogavit indultum, ut in suo publico Sacello Deo in honorem Sancti Ioannis Baptistae dicato, in Dominicis aliisque Festis diebus, a sibi beneviso Sacerdote Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, quin vel in minimo parochialia iura laedantur, Sacra Rituum Congregatio ipsius preces pro informatione et voto Reverendissimo Monasterien. Episcopo transmisit; nam ex ordinaria Antistitis facultate indultum ipsum pendebat, et nec sibi persuadere poterat a religiosissimo Praesule absque legitima causa huiusmodi licentiam denegari. Prudens consilium istud pergratum admodum fuit Monasteriensi Episcopo, ut in suis Litteris datis pridie Calendas Maii vertentis anni apparet; queis quidem Literis Sacram ipsam Rituum Congregationem certiorem reddit ingenue privilegium Oratorii concessum a se ideo ad Dominicas Festosque dies de praecepto non extendi, quia sine praeiudicio et detrimento Ecclesiae parochialis neutiquam remotae, in enunciato Sacello Missa celebrari non potest; ex eo potissimum, quia fideles in casu concionem negligerent ac cetera parochialia exercitia, veluti pluries oratori ipsi communicatum fuit: et insimul iniunctum, ut singulare ecclesiasticum Beneficium pro ipsius Sacelli dote fundaret. Quae quidem rationum momenta ab eodem Reverendissimo Episcopo proposita adeo gravia Sacra ipsa Congregatio agnovit, ut, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, referente Secretario, rescripserit: « Iuxta votum Episcopi; id est, expetitum indultum oratori denegandum omnino existimavit ».

Die 14 Iunii 1845.

2894. NETEN. (5016)

Rm̃e Domine, uti Frater.

Etsi a prima institutione Collegiatae Ecclesiae SSm̃i Crucifixi in Civitate Neti ab anno 1670 facta cautum fuerit, ut ipsa sub Cruce incederet alterius Collegiatae Ecclesiae matricis a Sancto Nicolao nuncupatae: quam quidem conditionem fideliter admodum servavit, quamvis Collegiata ipsa Sanctissimi Crucifixi anno 1698 formiter Insignis declarata fuerit; attamen in praesentiarum, quum per Apostolicas Litteras in forma Brevis superiori anno 1844 Idibus Maii expeditas Collegiata Sancti Nicolai in Cathedralem fuerit erecta, Capitulum Sanctissimi Crucifixi anceps haeret de propriae Crucis erectione, dum novae Cathedralis Capitulum sub propria Cruce illud deinceps excipere nequit. Sacram proinde Rituum Congregationem humillimis precibus adeuntes Canonici Sanctissimi Crucifixi, Sacri huius Consessus sententiam rogarunt ac provisionem instanter efflagitarunt.

Quapropter Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum hodierna die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita a Secretario fideli relatione, perpendentes pluries sancitum fuisse quid in casu servandum sit, satius sumpsere consilium ad sensum

Decretorum, Amplitudini Tuae opportunas tribuere facultates, ut per modum regulae deinceps omnino servandae decernas Capitulo Insignis Collegiatae Ecclesiae liberum esse propriam erigere Crucem, sub qua Clerus ipsius Ecclesiae Collegiatae non minus, quam reliquus Clerus Secularis Civitatis, incedere debet per ordinem, ac proinde praecedentiam concedere Seminario Netino, cuius Alumni ceterique in casu incedant sub Cruce Cathedralis. Quod si vero Capitulum Collegiatae Sanctissimi Crucifixi interdum sub Cruce Cathedralis incedet, tunc etiam, iuxta alias Decreta, Seminario Cathedralis Clero unito, praecedentiam cedere tenetur. Quae singula Sacrae Congregationis nomine Amplitudini Tuae communico, ut, qua praestas prudentia ac religione, rem omnem componere valeas. Diu felix et incolumis vivas.

Die 14 Iunii 1845.

2895. OPPIDEN. (5017)

Reverendissimus Oppiden. Episcopus quum id potissimum in votis habeat, ut in sacris functionibus et in ecclesiastica Liturgia omnia iuxta sancitas leges ordinentur, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut insequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. An in Festo Sancti Francisci de Paula Confessoris, modo cum octava in utriusque Siciliae Regno celebrando, Officium a Clero persolvendum esse debeat proprium pro Ordine Minimorum approbatum; vel desumendum ex Breviario et Octavario Romano?

2. An Praefatio in Missa eiusdem Sancti dici possit propria, ut in ipso Ordine?

3. An Episcopus assistens Missae Solemni, quae in Ecclesia celebratur cum cantu, deponere debeat pileolum a Consecratione ad Consummationem inclusive; idemque dicendum de mitra dum assistit cum pluviali? et an assistens cum cappa et mozzetta deponere debeat biretum tantum, retinens pileolum?

4. An quatenus declaretur Episcopum posse cum pileolo assistere, ut supra, idem pileolum retinere pariter possint Canonici in Choro et Solio assistentes, dum descendunt ad Circulum ad *Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei*?

5. An Canonici, utcumque Episcopo ministrantes in sacris functionibus, debeant semper id praestare capite detecto et absque pileolo?

6. An iidem Canonici Episcopo ministrantes dum Sacrum peragit, saltem possint retinere pileolum usque ad Consecrationem, illudque resumere sumptione peracta?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente Secretario, propositis dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit:

Ad 1. « Officium, ex Breviario Romano; et per octavam, desumendum ex Octavario itidem Romano ».

Ad 2. « Negative; sed illam quae prostat in Missali Romano ».

Ad 3. « Sine mitra et sine bireto tantum ».

Ad 4. « Negative; in omnibus expressis circumstantiis ».

Ad 5. « Semper sine pileolo ».

Ad 6. « In sacris functionibus numquam eos pileolo uti posse ».

Atque ita rescripsit servandumque mandavit.

Die 14 Iunii 1845.

2896. MANDELEN. (5019)

Dubiis propositis a Capitulo Cathedralis Mandelen. Ecclesiae hisce terminis conceptis; nimirum:

1. Num Missa Conventualis sit ex iure celebranda a solis Canonicis, vel a Mansionariis quoque seu a Beneficiatis ad turnum?

2. Num prima Dignitas in Capitulo seu Archipresbyter Parochus, praeter Missas Conventuales celebrandas in anni curriculo, nec non applicandas solemnioribus diebus Festivis, teneatur ad turnum pro Missis uti ceteri Canonici?

3. Num Canonici Cathedralium, in quibus nulla adhuc invecta est consuetudo aut particularis institutio, et ubi Praebendae Canonicales nullimode sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales et Subdiaconales, teneantur ex iure ministrare pro Diacono et Subdiacono Archipresbytero, qui est prima Capituli Dignitas post Episcopalem, solemniter Missam Conventualem celebranti?

Sacra Congregatio Rituum, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata, per modum provisionis rescribendum censuit: « Iuxta votum Episcopi, donec efformetur novum Capituli Statutum » nimirum:

Ad 1. « A solis Canonicis ».

Ad 2. « Non teneri ad turnum ».

Ad 3. « Affirmative ».

Die 14 Iunii 1845.

2897. PLATIEN. (5020)

Canonicos inter Cathedralis Ecclesiae Platiensis controversia orta est, quae nonnullorum animos diversas in partes scindit. Quam quidem controversiam ad formam dubii proponit pro opportuna dilucidatione R. D. Calogerus Crea recensitae Cathedralis Canonicus Theologus; nimirum: An Canonicus in Choro Diaconus, sed charactere Ordinis Presbyteralis, omnibus annuentibus Canonicis possit in Choro facere Hebdomadam? dum ipse affirmativam protueri sententiam profitetur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes hac die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, inhaerendo Decretis alias super re editis ac perenni consuetudini aliis in Ecclesiis laudabiliter servatae, rescribendum censuit: « Affirmative; dummodo Praebendae non sint fixae et in Choro per antianitatem ascendatur ad Ordinem Presbyteralem ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14 Iunii 1845.

2898. SYRACUSANA. (5021)

Etsi cautum fuerit pluries a Sacra Rituum Congregatione ut in Collegiatis Ecclesiis solemnis benedictio fontis perficiatur a Canonico Hebdomadario, idque servetur in Collegiata Sanctissimae Annunciationis loci vulgo *Comiso* intra fines Dioecesis Syracusanae, in qua Parochus alterius matricis Ecclesiae curam animarum exercet, quin in sacris functionibus locum ullum ex inita conventione obtineat;

Sacra Rituum Congregatio, quum iterum requisita fuerit de ulteriori in re declaratione, ut futuris quibusve temporibus ordo et uniformitas habeatur, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, iuxta alias decreta rescripsit: « Fontis benedictionem, statis diebus, in Collegiata spectare ad Hebdomadarium ».

Atque ita omnino servandum in Collegiata Oppidi *Comiso* mandavit.

Die 14 Iunii 1845.

2899. SUTRINA. (5022)

Superiori anno a vivis erepta quum fuerit mulier Anna Graziani Patrizi e Burgo Sancti Sepulcri, locus factus est testamentariae illius dispositioni; ut nimirum, peracto funere in Collegiata Ecclesia Roncilionis, quod est Oppidum in Sutrina Dioecesi, eius Cadaver tumularetur in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum loci eiusdem. Ad tramitem praedictae dispositionis exequuta omnia quum fuerint, incassum iidem Regulares quartam funerariam sibi debitam expectarunt, licet formiter et a Capitulo Collegiatae et ab Archipresbytero Parocho illam exquisivissent; quin immo requisitio isthaec tamquam indebita fuit ab iisdem reiecta. Eapropter R. P. Guardianus eiusdem Conventus, contra repulsam Capituli et Parochi, recursum habuit ad hanc Sacram Rituum Congregationem, quae in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die 7 mense Decembris anno 1844 coadunata, ad relationem subscripti Secretarii satius duxit, in re omnibus nota pluriesque decreta, Reverendissimo Episcopo particulariter committere, ut pro sua prudentia controversiam iuxta morem ad pacem componeret assequendam, ac sine ullo strepitu iudicii Capitulum adigeret ad praestandum Alumnis Ordinis Capuccinorum, quod illis debetur a iure statutum. Attamen eiusdem Reverendissimi Episcopi consilium, qui noverat postea recursum habitum fuisse a Patribus Capuccinis penes Sacram Congregationem Concilii, acceptis iis litteris aliisque Sacrae Congregationis Eminentissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini interpretum super re informationem requirentibus, in illud intendit, ut omnia Capitulo supradicto patefaceret, susceptisque allegationibus in scriptis, Sacram utramque Congregationem certiorem redderet super controversia componenda. Interim Sacra Congregatio Concilii allegata omnia a Reverendissimo Episcopo accepta, ad hanc Sacram Rituum Congregationem praeventam transmisit; quae denuo in Palatio Apostolico Vaticano Ordinariis in Comitiis hac die coadunata, auditaque super omnibus fideli relatione ab subscripto Secretario facta, post maturum accuratumque examen, prae oculis potissimum habens legem Patribus ex Ordine Capuccinorum favere, adductamque distinctionem a Capitulo super Sepulcro stabili seu gentilitio, vel ex testamentaria dispositione electo, in iure nullibi reperiri, nec posse quemquam compelli iure suo cedere, si quis forte alias sponte cesserit, unanimi sensu rescribendum censuit: « Iuxta alias decreta, in casu praestandam esse quartam funerariam Ecclesiae tumulanti ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14 Iunii 1845.

2900. ORDINIS PRAEDICATORUM. (5023)

Quum Reverendissimus P. Angelus Dominicus Ancarani, iam Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, maxime exoptet ut quaecumque ambiguitas excludatur penitusque elimineiur in explenda directione Calendarii sui Ordinis, Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, sequentium dubiorum declarationem enixe rogavit: nimirum:

1. An Superior Generalis Ordinis Praedicatorum, ad hoc ut a Sancta Sede obtineat pro toto Ordine novum Officium vel elevationem Officii iam habiti, indigeat consensu Superiorum inferiorum eiusdem Ordinis vel Capituli Generalis?

2. An, obtento et acceptato a Superiore Generali novo Officio vel ritus elevatione, de quibus supra, sit in facultate Superiorum inferiorum illa acceptare, nec ne?

3. An sequens Superior Generalis respuere possit praedictum novum Officium vel ritus elevationem a suo Antecessore obtentam et acceptatam?

4. Supposito quod Superior Generalis absque aliorum consensu possit a Sancta Sede novum Officium vel elevationem ritus obtinere, et quod Successor Superior Generalis ac Superiores inferiores nequeant praedictum novum Officium vel ritus elevationem respuere; quaeritur: An unusquisque pro adimplemento oneris divini Officii strictim adigatur praefatae concessioni se conformare?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, audita ab infrascripto Secretario fideli relatione maturoque examine perpensis tum propositis dubiis, tum peculiari approbata Rubrica Breviarii Ordinis Praedicatorum § XXXI, n. 2, tum tandem alias datis in similibus a Sacra Congregatione Decretis, praesertim sub die 13 Ianuarii 1631 in una Urbis et Orbis, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Iuxta praecitatam Rubricam § XXXI, n. 2, non indigere ».

Ad 2. « Negative; sed teneri acceptare ».

Ad 3. « Non posse ad tramitem praedicti Decreti diei 13 Ianuarii 1631 ».

Ad 4. « Affirmative, in omnibus ».

Atque ita declarandum, rescribendum ac omnino in Ordine Praedicatorum servandum edixere. Die 14 Iunii 1845.

2901. RIPANA. (5024)

In Oppido vulgo *Montebrandone* intra fines Dioecesis Ripanae erecta reperitur Ecclesia a Sacerdote Ioanne Sacri aedificata in honorem Beatae Mariae Virginis a Spe nuncupata atque necessaria dote ditata; in qua, annuentibus Episcopis, ecclesiasticae functiones quae iuris non sunt parochialis atque solemnes per annum supplicationes, ab Episcopis ipsis ordinariae declaratae, institutae sunt. Quum vero in praesentiarum hodiernus Praepositus ius aliquod sibi vindicaret in ipsis functionibus et supplicationibus; Sacerdoti oratori anno 1830 iniunctum fuerit ab Episcopo, ut veniam impetraret ab eodem Praeposito, ipse grave admodum hoc experitur, ex eo potissimum quia innumeris Decretis Sacrae Rituum Congregationis iniunctio isthaec opponitur; ac proinde eamdem Congregationem humillimis precibus rogat, ut declarare vel potius decernere dignetur: An deinceps in memorata sua Ecclesia supplicationes ceteraeque ecclesiasticae functiones, quae parochialia iura vel in minimo non laedunt, exerceri et institui valeant de venia tantum Episcopi; ut simili modo contentiones ac iurgia penitus amoveantur.

Eminentissimi itaque ac Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, rescribendum censuerunt: « Posse in casu, de consensu tantum Episcopi, iuxta alias decreta ».

Die 14 Iunii 1845.

2902. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA. (5025)

Quum R. P. Carolo Antonio ab Arce Grimalda, Alumno Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Provinciae Sancti Hieronymi in Dalmatia, cura demandata sit disponendi Ordinem divini Officii persolvendi ac Missae celebrandae in Ecclesiis sui Ordinis et Provinciae; ne deinceps ambiguitas ulla occurrat quoad nonnulla peculiaria Officia, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. An Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, in tertia ex Feriis VI mensis Martii, sub ritu duplici primae classis occurrens, quando simul Feria VI in Parasceve incidit, eo anno omitti

debeat; vel potius transferri, etiam intra tempus Paschale?

2. An idem Officium occurrens die Annuntiationis Deiparae transferri possit?

3. An hoc ipsum Officium sit transferendum, quoties occurrit cum Festo Patroni vel Titularis Ecclesiae sub ritu duplici primae classis?

4. An Officium Sacrorum quinque Vulnerum Domini Nostri Iesu Christi primae ex Feriis VI mensis Martii assignatum sub ritu duplici maiori, incidens in duplici secundae classis, transferri possit, etiam ad tempus Paschale, deficiente die libera intra Quadragesimam?

5. An enunciata duo Officia in casu impedimenti sub ritu iam concesso, anticipari queant in aliis Feriis VI, etiam mensis Februarii?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, propositis dubiis maturo examine de more perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Omittendum in casu ».

Ad 2. « Transferendum, intra Quadragesimam tantum, si adsit indultum ».

Ad 3. « Praeferendum Officium Patroni vel Titularis ».

Ad 4. « Servandas regulas in Tabellis occurrentiae et concurrentiae expositas; et Officium Sacrorum quinque Vulnerum non est transferendum ultra Quadragesimam, sed in casu omittendum ».

Ad 5. « Negative; sed servandum indultum ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 14 Iunii 1845.

2903. ROMANA. (5028)

Collegiata in Basilica et Parochiali Ecclesia Sancti Marci Urbis mos invaluerat Paschali tempore inter gradus ex utraque parte Arae principis positos, per quos ad Chorum et ad Aram ipsam ascenditur, collocandi Altare portatile, et super illo Tabernaculum, in quo recondebatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, pro commoditate communicantis populi; adeo ut ex his rerum adiunctis illud inconveniens exurgeret ut Altare ipsum Aediculam pro repositione Sanctissimi Sacramenti non efformaret ad tramitem Caeremonialis Episcoporum lib. 1, cap. 12, § 8, nec decentiae illius satis consuleretur: ex eo potissimum quod mensa Altaris portatilis plano Chori plene coaequaretur, et in huius conspectu passim celebraretur Sacrum, ac Sacra Synaxis petentibus et accedentibus ministraretur, contra ius passim editum in Decretis Sacrae Rituum Congregationis. Eapropter hoc advertentes Canonici hodierni Sacristae, decorem Domus Dei sedulo quum provehant, ut omnia recto ordine eadem in Ecclesia serventur, atque ut offendiculum unius vel alterius dissentientis et pro consuetudine servanda stantis, decenti modo declinare valeant, de consensu R. P. D. Praesulis Basilicae, Vicarii Eminentissimi et Reverendissimi D. Card. Titularis; eidem Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicarunt, quatenus pro sua auctoritate ad futuras praecavendas quaestiones super expositis decerneret.

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, Ordinariis in Comitiis apud Vaticanas Aedes septimo Idus Decembris anno superiori coadunati, visis omnibus, rescribendum censuere: « Exquisito voto Magistri Caeremoniarum, ponatur in Folio ».

Quum autem praedicti Canonici suis in allegatis addidissent votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quod ex sui natura controversiam omnem de medio tollit; propterea iterato propositae sunt preces; quibus in altera Ordinaria Congregatione hac die apud ipsas Vaticanas Aedes coacta, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi, ad relationem subscripti Secretarii, consideratis omnibus attenteque libratis, rescribendum censuerunt:

« Iuxta Decreta alias edita et praescriptum Caeremonialis Episcoporum, reponatur in casu Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro commoditate communicantis populi in alterutra ex lateralibus Aediculis, quae non sit e conspectu Chori ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt in praedicta Collegiata Basilica.

Die 14 Iunii 1845.

2904. NEAPOLITANA. (5029)

Sacerdos Petrus Aloisius De Licteriis, Praepositus Ecclesiae Regalis Sodalitatis Peregrinorum Civitatis Neapolis, exposuit eadem in Ecclesia per annum consuetas peragi sacras functiones peculiari illa diligentia quae rem divinam deceat; atque ab immemorabili consuetudinem illam vigere, ut post matutinum Officium Feriae V in Coena Domini clavis capsulae in qua reconditur Sanctissimum Sacramentum tradatur Primicerio Sodalitatis eiusdem. Percupiens vero ut con-

suetudo isthaec legitima firmetur auctoritate, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit pro indulto consequendo.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes Ordinariis in Comitiis septimo Idus Decembris anno superiore coadunata, ad relationem Secretarii, rescribendum censuit: « Audiatur, Sede vacante, Ordinarius ».

Quum vero ex accepta informatione eruatur ita se res habere in recensita Ecclesia eadem Feria V, expleta iam solemni Missa repositoque Sanctissimo Sacramento in capsula ad publicam venerationem; allatamque consuetudinem licet immemorabilem tradendi capsulae clavem vel Gubernatori cuicumque vel alteri Laico, reprobatam fuisse a pluribus Decretis, contra quae, lege pariter in iisdem lata, nulla valet regionum consuetudo;

Emi et Rmi Patres in altera Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, ad Vaticanas Aedes pariter coacta, simili relatione super omnibus accepta a R. P. D. Secretario ceterisque considerandis mature consideratis, rescribendum censuere: « Iuxta alias decreta, assertam non valere consuetudinem; et Sacri Sepulcri Clavem tradendam Sacerdoti in crastinum celebraturo ».

Atque ita rescripserunt ac in eadem Eclesia servari mandarunt. Die 14 Iunii 1845.

2905. MELITEN. (5030)

Praeter Calendarium pro Seculari Clero, aliud Melitae in lucem editur pro Sacerdotibus Collegiatae Ecclesiae Cryptae (sic nuncupatae) Sancti Pauli Apostoli in Suburbio Civitatis Notabilis, et pro Sanctimonialibus nec non Sacerdotibus Equestris Ordinis Hierosolymitani Civitatis Vallettae. Postremi huius Calendarii Director R. D. Ioannes Gott-Said visus sibi est nonnulla reperire in primo Secularis Cleri Calendario edito anno vertente, super quibus ipse contrariam sequi opinionem candide fatetur. Cavens autem ne quidquam proprio marte decerneret, Sacram Rituum Congregationem adivit et sequentia dubia proposuit pro opportuna solutione; nimirum: (1)

1. In Dioecesi Melitensi, celebratur octava privilegiata Conversionis Sancti Pauli Apostoli, cum clausula *de nullo etc.* Hinc quaeritur: Quodnam Officium peragendum sit die 28 Ianuarii? an de die infra octavam iuxta consuetudinem; vel de Sanctissimo Nomine Iesu? Et quatenus de Nomine Iesu, petitur pro gratia translatio eiusdem in diem 8 Februarii. Et rursus, quatenus negative, quaeritur: De quonam agendum erit Officium in Ecclesia sacrae Cryptae die 28 Ianuarii? an de occurrente die octava Sancti Publii Episcopi Martyris; vel de Sanctissimo Nomine Iesu?

2. An Ordinarius Collegiali Ecclesiae sacrae Cryptae Sancti Pauli et Monialibus Hierosolymitanis Sanctae Ursulae, quibus unum idemque est Calendarium, possit aliquid praecipere in praeiudicium eiusdem Calendarii?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die coadunata, ad relationem Emi et Rmi Domini Cardinalis Acton Ponentis, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis reddita praeloque cusa, rescribendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; nimirum:

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam: quoad expetitam translationem non expedire: et quoad ordinandum Officium die 28 Ianuarii in occursu diei octavae Sancti Publii Episcopi Martyris et Sanctissimi Nominis Iesu, servandas esse Rubricas ».

Ad 2. « Posse; quando vel Rubricarum Breviarii Romani, vel Sacrorum Rituum Congregationis, vel Sanctae Sedis Apostolicae Decretorum seu Concessionum custodia requirat ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 6 Septembris 1845.

2906. SANCTI ANGELI IN VADO. (5033)

Legis latae per Generale Decretum, editum die 31 Martii 1821 in responsione ad sextum, qua interdicitur apponi vel Imagines vel Reliquias Sanctorum super Tabernaculum ubi reconditur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, bene conscius R. D. Paulus Antonius Marchi Canonicus Cathedralis Sancti Angeli in Vado, Sacrae Rituum Congregationi humillime supplicavit, ut saltem ante eiusdem Tabernaculi ostiolum collocari possit alicuius Sancti Reliquia, die qua eiusdem Festum recolitur, maxime quum vigeat super hoc ipso immemorabilis consuetudo.

Et Sacra Rituum Congregatio, hac die Ordinariis in Comitiis ad Quirinales Aedes coadunata, ad relationem subscripti Secretarii

(1) E. Dub. 1 et 2.

et omnibus attente consideratis, ac praesertim Decreto in una Congregationis Montis Coronae edito die 22 Ianuarii 1701 ad dubium 10, quo prohibetur collocare et retinere vel vas florum vel quid simile ante praedictum ostiolum Tabernaculi, rescribendum censuit: « Non licere; et assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 6 Septembris 1845.

2907. BAHIEN. IN BRASILIA. (5035)

In votis quum maxime habeat Reverendissimus Bahien. Episcopus in Brasilia, ut omnia accurate fiant in ecclesiasticis functionibus, cum recto ordine rectaque disciplina; Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit, nimirum:

1. Num Parochus quisque populo enunciaturus Verbum Dei tempore Missae solemnis, vel in sua Ecclesia vel in altera intra limites suae Paroeciae, veniam aut benedictionem a Celebrante expetere debeat, etiam si hic non esset Episcopus?

2. Num Praelati Regulares, qui usu Pontificalium insigniti sunt, in Ecclesiis sui Instituti praedictam veniam, ut in praecedenti, petere debeant praedicaturi?

3. Utrum Abbates Ordinis Sancti Benedicti vel aliarum Congregationum, qui pariter usu Pontificalium sunt insigniti, possint, annuente tamen loci Ordinario, Missam solemnem in Pontificalibus celebrare, extra propriam Ecclesiam vel ceteras eiusdem Instituti Ecclesias; praesertim quando iidem Abbates in Apostolico indulto benedictionem receperint ad formam Pontificalis Romani? (1)

4. Num Regulares qui, ad tramitem Constitutionis Ordinis proprii, assequuti sunt gradum Doctoris in Sacra Theologia, valeant, legitime dimisso Religionis habitu, honoribus titulo Doctoris adnexis gaudere?

5. Num Sacerdotes qui gradus sunt assequuti in aliqua Academia vel Universitate facultatem tribuente gestandi annulum, hoc gestare queant in digito, sicut Praelati gestant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes hac die Ordinariis in Comitiis coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis riteque consideratis, rescribendum censuit:

Ad 1 et 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative in omnibus; sine speciali Apostolico indulto ».

Ad 4. « Inter Regulares tantum ».

Ad 5. « Permittitur, praeterquam in ecclesiasticis functionibus, iuxta alias decreta ».

Et ita rescripsit ac servari mandavit. Die 23 Maii 1846.

2908. BISINIANEN. (5036)

Quum ea sit positio Parochialis Ecclesiae loci vulgo *Acri* in Dioecesi Bisinianen., ut ad fideles per agros dissitos ac ad plura milliaria distentos Sacrum Viaticum, dum ipsi infirmantur, deferri nequeat nisi summa cum difficultate ob viarum asperitatem ac ventorum, nivium glacierumque incommoda; inde fit ut animarum dispendia necessario eveniant et semper maiora timeri debeant. Queis incommodis occurrere, quoad fieri potest, exoptantes hodierni Parochus et Oeconomi Oppidi ipsius, atque invectae in enunciata Paroecia consuetudini huiusmodi in casibus deferendi Sanctissimum Sacramentum capite pileo cooperto et equitando se conformare vellent quidem, sed formidant, quia nulla usque nunc intercessit Apostolica venia. Sacram proinde Rituum Congregationem, enixis precibus adeuntes, consuetudinis ipsius confirmationem instanter rogarunt, quod et ipse Reverendissimus Episcopus Sancti Marci et Bisinianen., pro informatione et voto requisitus, efflagitat, utpote ex propria notione in Sacra Visitatione, quae enunciantur incommoda expertus.

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta omnibusque rationum momentis mature perpensis, rescribendum censuit: « Attentis circumstantiis in supplici libello expressis, commisit Reverendissimo eidem Episcopo, ut, pro suo arbitrio et prudentia, indulgeat quod deinceps Parochus et Oeconomi *Acri* huiusmodi in circumstantiis equitantes ac capite pileo cooperto Sacrum Viaticum deferre valeant: comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente ». Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Maii 1846.

2909. LINGONEN. (5040)

Quum Reverendissimus Lingonen. Episcopus Liturgiam Romanam in sua Dioecesi

(1) E. Dub. 4.

induxerit, anceps haeret, num adhibere possit habitum violaceum cum longa cauda, scilicet cappam magnam, quo habitu communiter utuntur Episcopi; ac de opportuna declaratione Sacram Rituum Congregationem enixe rogat.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes subscripta die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente Secretario, respondendum censuit: « Posse ad tramitem Caeremonialis Episcoporum ».

Die 23 Maii 1846.

2910. ORITANA. (5041)

Dum s. m. Pius Papa VII pro Regno utriusque Siciliae sub die 10 Aprilis 1818 contraxit numerum Festorum sub utroque praecepto servandorum, edixit ut quoad Ecclesiasticum ritum, nimirum quoad Officia, Missas et Vigilias, eadem Sanctorum et Solemnitatum Festa abrogata servarentur ut antea; siquidem reductionis causa unica fuit exemptio fidelium ab utroque praecepto servando. Verum quum interdum eadem abrogata Festa incidant in Dominicis per annum privilegiatis vel cum Festis mobilibus dignioribus occurrant, ac proinde ex Rubricarum praescripto eorum Officia sint transferenda; non una est Cleri Oritani sententia circa Chorale servitium a Capitularibus praestandum; ac proinde Sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio proposita fuit pro opportuna declaratione, nimirum: « An ob occurrentiam Dominicae privilegiatae vel alterius solemnitatis maioris ritus vel dignitatis, translatis ad aliam diem Officiis Festorum abrogatorum, in die repositionis Clerus adigatur Choro interesse, sicut in diebus propriis, ut supra impeditis, queis reapse interest, quamvis ex alia causa? »

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes in Ordinario Coetu hodierna die coadunata, audita a subscripto Secretario fideli relatione ac singulis rationum momentis sedulo perpensis, declarandum censuit: « Clerum ad iteratam Chori assistentiam ex solo titulo translationis Festorum abrogatorum nullatenus teneri »; ac proinde rescripsit: « In die propria tantum ».

Die 23 Maii 1846.

2911. SANCTI FLORI. (5043)

Rm̃e Domine, uti Frater.

In Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis apud Vaticanas Aedes coactis decimo Calendas Iunii anno vertente ab R. P. D. eiusdem Sacrae Congregationis Secretario subscripto relatae fuerunt sequentes preces, nomine Amplitudinis Tuae porrectas; nimirum:

Plurimorum Altarium portatilium in pluribus Ecclesiis Dioecesis Sancti Flori in Gallia exciderant sive excidisse videbantur Sanctorum Reliquiae; timebatur quoque ne Sepulcra quorumdam aliorum licet pice seu cera obsignata et sigillo Episcopali non munita, effossa fuissent et Sacris Reliquiis carentia. Quum autem crederetur non ideo execrata fuisse illa Altaria, et satis esse ut novae in illis tumularentur Sanctorum Exuviae; inde factum est ut in decursu visitationis aliisve circumstantiis, Episcopus Sancti Flori seu Vicarii Generales ipsius, visitatis illis praedictis Altaribus, mandaverint omnino Sepulcra Altarium omnium, de quibus supra, ibidem per novas Reliquias authenticas tumulari. At recens innotuit declaratio Sacrae Rituum Congregationis, docens Altaria, quorum Sepulcrum effossum est esse execrata. Quum autem difficillimum sit discernere Altaria, de quibus in precibus, quia Episcopus consecravit quaedam Altaria portatilia et eorum Sepulcra eodem sigillo consignavit; ideo enixe supplicat Episcopus Sancti Flori ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, ut Sanctitas Vestra benigne mederi dignetur defectui supra enunciato; et concedere ut, non obstante defectu, celebrari possit super huiusmodi Altaribus, quae certo olim consecrata fuerant. Quod Deus etc.

Et Sacra Rituum Congregatio, hisce omnibus perceptis attenteque consideratis, in ea fuit concordi sententia ut Amplitudini Tuae iniungeretur, quatenus iuxta servatum morem, posset eadem Amplitudo Tua consecrare, non parvo tamen numero, Altaria portatilia ad supplendum necessitati in respectivo enunciato casu; atque iterum, si opus fuerit ex deficientia Altarium consecratorum, quoniam omnia praedicta ex tali defectu consecrationem amiserunt, supplicandum Sanctissimo pro expetita facultate.

Die 23 Maii 1846.

Super quibus omnibus tempore opportuno, idest die 3 Iulii 1846, ab eodem R. P. D. a Secretis facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX, Sanctitas Sua, probe cognoscens novum esse et contra legis statuta locum petitioni dare, maluit ex necessitate onus potius imponere facili negotio obeundum, quam dispensationem impertiri; nimirum ut consecrato portatilium Altarium

non parvo numero, ut supra, haec paulatim loco aliorum non consecratorum ponantur, ac sublata iterum consecrentur; et haec sic perperam habilitata ad Sacrum faciendum dignosci poterunt vel ex qualitate signi noviter impressi vel ex Diario Sacrae Visitationis, quod certe referre debet locum et Altare tali modo noviter dispositum. Haec Sanctissimi Principis mandata dum Amplitudini Tuae communico, diuturnam Tibi ex animo exopto felicitatem.

2912. SENEN. (5044)

Quum Equites Marcus et Alexander Saracini in Oppido Castrinovi vulgo *della Berardenga* in Archidioecesi Senensi e fundamentis excitarint parochialem Ecclesiam; ut ecclesiasticas sanctiones adimplere adamussim valeant, Sacram Rituum Congregationem enixe rogarunt, ut declarare dignaretur: Num super omni Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, apponi omnino debeat Baldachinum?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente subscripto Secretario, comperiens usque ab anno 1697 sub die 27 Aprilis in una Cotronen. sancitum fuisse, ut Baldachinum omnino apponatur super Altare, in quo augustissimum Sacramentum asservatur rescribendum censuit: « Detur Decretum in una Cotronen. diei 27 Aprilis 1697 ».

Atque ita rescripsit. Die 23 Maii 1846.

2913. SYRACUSANA. (5045)

Ex Apostolicis Litteris in forma Brevis usque ab anno 1818 die 10 Aprilis expeditis super reductione Festorum in Regno utriusque Siciliae, s. m. Pius Papa VII edixit ut Officio ac Missae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die 29 Iunii adderetur commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum et omnium Sanctorum Martyrum. Verum quum interdum hoc Sanctorum Apostolorum Festum occurrat ipsa die octava Sanctissimi Corporis Christi, Reverendissimus Syracusan. Antistes Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur, num huiusmodi in occursu, enunciata commemoratio Sanctorum Apostolorum et Martyrum, utpote Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli adnexa, fieri debeat ante commemorationem diei octavae Sanctissimi Corporis Christi?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: « Quum nihil praescribatur in enunciato Apostolico Brevi, praecedere debet commemoratio octavae Sanctissimi Corporis Christi ». Atque ita servandum mandavit. Die 23 Maii 1846.

2914. GANDAVEN. (5049)

Ut in Ecclesiastica Liturgia ea habeatur certa indubiaque regula, quae uniformitatem inducat ac privatis opinionibus locum adimat omnino, Sacerdos De-Mulder, Cathedralis Gandavensis Ecclesiae Canonicus ac in Episcopali Seminario Sacrae Liturgiae Professor, Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adiens enixe rogavit, ut super exhibitas quaestiones mentem suam aperire ac dubia inde sequentia diluere ac rite definire dignaretur; nimirum:

I. Quum s. m. Pius Papa VI anno 1798 decimo quinto Calendas Iunii indulserit, ut in Festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli tertio Calendas Iulii adderetur commemoratio omnium Sanctorum Apostolorum in Vesperis, Laudibus ac Missa; atque commemoratio omnium Sanctorum Martyrum apponeretur in Officio et Missa Sancti Stephani Protomartyris septimo Calendas Ianuarii; in Belgio varia est praxis quoad memoratas Commemorationes. Alii siquidem contendunt faciendas esse sub unica, alii sub diversa conclusione; proindeque quaeritur: An in praedictis Festis Oratio pro commemoratione uniri debeat in Missa Orationi Festivitatis sub unica conclusione; vel potius dicenda sit sub distincta conclusione?

II. Vi indulti reductionis Festorum quinto Idus Aprilis anni 1802 signati, etiam in Belgio quorumdam Festorum solemnitas ad Dominicam proxime sequentem translata est cum Missa solemni de Festo translato in omnibus Ecclesiis Parochialibus more votivo cum unica Oratione. Hinc quaeritur: 1. An huiusmodi Missa solemnis cantari etiam debeat, vel saltem possit, in Ecclesia Regularium et Monialium? et quatenus affirmative, quaeritur 2. An praefata Dominica in his Communitatibus, in quibus Missa Conventualis legitur, non autem cantatur, haec Missa Conventualis legi debeat vel possit de Solemnitate; vel potius dici debeat de Officio occurrente?

III. Plures Parochi in Dioecesi Gandaven. primarium suae Ecclesiae Titularem vel etiam Patronum praecipuum habent Sanctum Ioannem Baptistam, cuius Solemnitas vi praenotati indulti ab octavo Calendas

Iulii transferri debet ad insequentem Dominicam; in qua quoties occurrit Solemnitas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, dubitatur de quo prius agendum sit. Nam iuxta alias decreta a Sacra Rituum Congregatione, solemnitas inferioris dignitatis ad sequentem Dominicam transferenda est; ac proinde in casu quaeritur: Utra ex praenotatis solemnitatibus sit inferioris dignitatis ac per consequens ad Dominicam proxime sequentem transferenda?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinario Coetu coadunata, audita a subscripto Secretario fideli relatione ac serio examine singulis perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Quoad primam quaestionem, servetur indultum; quoad secundam, quoties in indulto comprehendantur Ecclesiae Regularium et Monialium, Missa Solemnitatis semper celebranda erit cum cantu; nam Missa Conventualis semper esse debet de Officio occurrente ».

Ad III. « Prius agendum de Sancto Ioanne Baptista ».

Atque ita rescripsit, definivit ac servandum esse mandavit. Die 23 Maii 1846.

2915. TUDEN. (5050)

Ut in Sacra Liturgia ecclesiasticisque caeremoniis debitus ubique servetur ordo, ac proinde nihil omnino exequatur quod vel in minimo a praefinitis discrepet legibus; Sacerdos Petrus Reynaldo et Conde Caeremoniarum Magister in Collegiata Ecclesia Sancti Petri *de Creciente* intra fines Dioecesis Tuden., Sacrae Rituum Congregationi sequentia proposuit dubia, ut super iisdem mentem suam aperire eaque definire dignaretur; nimirum:

1. An in Ecclesiis parochialibus, in quibus nullus extat Clerus, sed solum Parochus, possit vel debeat iste facere benedictionem candelarum, cinerum, palmarum, novi ignis, Cerei Paschalis, Fontis Baptismalis et ceterorum huiusmodi; necnon instituere Officium Feriae V in Coena Domini et Feria VI in Parasceve, sine cantu et solum privata voce, prout celebratur Missa privata?

2. Sub die 12 Novembris 1831 in una Marsorum ad dubium 35 Sacra Rituum Congregatio decrevit: « In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari vel adest solus Parochus, in Festo Sancti Marci ac in triduo Rogationum, etiamsi occurrat Festum duplex, si fiat Processio, legenda est Missa Rogationum; secus de Festo cum commemoratione earumdem ». Quaeritur ergo: Si post Processionem legatur Missa Rogationum, debentne in ea fieri commemoratio Festi occurrentis, et omnes aliae commemorationes quae dicendae essent in Missa diei? vel his omnibus omissis, dicendae sunt secunda et tertia Orationes, quae in Missa Rogationum dicendae praescribuntur in Missali?

3. An omnes Ecclesiae parochiales, in quibus adest solus Parochus, vel Vicarius pro servitio parochianorum sed subiectus Parocho in alia Ecclesia commoranti, teneantur ipsi vel possint celebrare Officium ac Missam de Festo Titulari Ecclesiae, et quidem sub ritu primae classis cum octava; etiam si de suo Sancto Titulari Festum celebretur alia die, vel numquam in toto anni decursu in aliis Ecclesiis Dioecesis?

4. Ista Ecclesia Collegiata habet quatuor alias Ecclesias sibi subiectas et totidem Sacerdotes, unum ab alio independentem pro servitio harum quatuor Ecclesiarum. Sed isti Sacerdotes in suis respective Ecclesiis, dumtaxat pro commoditate populi concurrentis, Missam celebrant, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta administrant, Concionem habent, Catechismum explicant et alia ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum Baptismi, Communionem Paschalem, Viaticum infirmis, Sepulturam defunctis dare, neque habere Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti. Unde fideles his quatuor Sacerdotibus subiecti tenentur adire Ecclesiam Collegiatam ut in Paschate satisfaciant praecepto annuae Communionis, ut infantes baptizentur et infirmi Sacro reficiantur Viatico, ut fiat Officium Sepulturae et tumulentur defuncti. Quaeritur ergo: An ii quatuor Sacerdotes sint veri Parochi? Et an istae Ecclesiae possint celebrare Officium cum Missa de suo respective Sancto Titulari, tamquam Ecclesiae parochiales, et quidem sub ritu duplici primae classis cum octava; vel potius dicendae sint Cappellae publicae, in quibus iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 12 Novembris 1831: « Festum Titularis... non debet celebrari sub ritu duplici primae classis cum octava, neque cum *Credo?* » (1).

(1) E. Dub. 5, 7 et 16.

5. An omnes Sacerdotes celebrantes, dum in Canone Missae Papam nominant, debeant caput inclinare, prout Rubrica faciendum praescribit, quum in Oratione nominatur?

6. Anne in Missa Solemni, dum Chorus cantat *Credo,* quoties ad verba *Et incarnatus est* usque ad ea *et homo factus est,* Celebrans et Sacri Ministri genuflectunt ante Altare, debeant simul caput inclinare; vel sufficiat sola genuflexio, sine ulla capitis inclinatione?

7. Celebrans in Missa solemni, dicto *Agnus Dei* et prima ex tribus Orationibus, conversus ad Diaconum et complectens eum, dat ei pacem sinistris genis sibi invicem appropinquantibus. Rubrica vero non dicit an Diaconus vicissim debeat Celebrantem complecti. Pater Gavantus super hanc Rubricam dicit quod Diaconus supponit brachia sua sub brachiis Celebrantis. Nihilominus aliqui Ecclesiastici, dum Diaconi officio in Missa solemni funguntur, non supponunt brachia sua brachiis Celebrantis; sed accipiunt pacem ab isto tenentes manus iunctas ante pectus. Quaeritur: An Diaconus accipiens pacem a Celebrante debeat simul supponere brachia sua brachiis Celebrantis, uti faciendum docet Pater Gavantus; vel debeat stare manibus iunctis ante pectus, ut in praxi alii contendunt? Et similiter: An idem facere debeat Subdiaconus accipiens pacem a Diacono, ut iuxta eumdem Patrem Gavantum, debeat quoque supponere brachia sua brachiis Diaconi?

8. In sepultura defunctorum, dum cadaver e sua domo defertur ad Ecclesiam cum assistentia Parochi et Ministris sacris pluviali, Dalmatica et Tunicella indutis, Ministri isti sine amictu neque alba neque cingulo superimponunt Dalmaticam et Tunicellam soli cottae seu superpelliceo. Quaeritur: An talis consuetudo possit sustineri; vel cogendi sint Ministri sacri, ut simul cum Dalmatica et Tunicella induant amictum, albam et cingulum?

9. Cadavera Sacerdotum in hac Dioecesi deferuntur induta paramentis sacerdotalibus atque prae manibus habentia Calicem cum Patena intra cuppam elevata. Sunt qui contradicunt, volentes quod cadavera Sacerdotum perinde ac cadavera laicorum habeant dumtaxat manus ante pectus coniunctas interque digitos parvam Crucem cum imagine Crucifixi. Quaeritur: An liceat consuetudo in hac Dioecesi servata ponendi Calicem cum Patena in manibus cadaverum Sacerdotum, dum a domo sua deferuntur ad Ecclesiam et in ea explentur Exequiae; vel talis consuetudo eliminanda sit?

10. In funeribus huiusmodi Sacerdotum, finita Missa, cantantur ad Tumulum tria Responsoria et ter, id est pro singulis Responsoriis, cadaver aspergitur aqua benedicta atque thurificatur a Celebrante circumeundo Tumulum et cadaver. Quaeritur: An talis consuetudo continuari possit; vel potius abolenda, cantando tantum unum Responsorium?

11. In die depositionis aliquorum defunctorum, cantato Officio et Missa de Requiem praesente cadavere, mos invaluit in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis, quod etiam in duplicibus minoribus et etiam aliquando maioribus, adhuc praesente cadavere, cantentur iterum duo vel tres Nocturni defunctorum atque totidem Missae de Requiem; ita ut una eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus, de die tertia, septima et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur: An talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus vel maioribus, adhuc praesente cadavere; vel sit tollenda utpote contraria pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis?

12. In absolutione ad Tumulum post Missam de Requiem praescribit Rubrica cantandum Responsorium *Libera me, Domine, de morte etc.;* et haec est praxis generalis. Nihilominus aliqui volunt adhuc in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum licitum esse cantare aliud quodlibet responsorium ex novem, quae sunt in Officio defunctorum. Quaeritur: An hoc revera liceat?

13. An in diebus duplicibus minoribus ac maioribus liceat cantari Nocturnum defunctorum ac etiam totum Officium, non quidem ex fundatione, sed ex sola pia voluntate petentium, quin immediate post cantetur Missa; vel, si postulata, cantetur de Festo aut de die occurrente?

14. Officium et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis cum Sancto Ioseph recitatur in hac Dioecesi die XXVI Novembris, et in eis fit commemoratio Sancti Ioseph ante alias omnes commemorationes. A multis tamen non fit talis commemoratio, quam dicunt licitum non esse facere sine speciali concessione istius Sanctae Sedis. Quapropter quaeritur: An revera omittenda sit commemoratio Sancti Ioseph in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa Desponsationis

Beatae Mariae Virginis iuxta Decretum, quod profertur istius Sacrae Rituum Congregationis in una Einsiedeln ad Titulum de Commemorationibus sub die 5 Maii 1736 emanatum? Et si revera omittenda est, orator humillime postulat pro illius concessione saltem ad Dioecesim Tudensem, ob specialem fidelium pietatem erga Sanctum Ioseph Sponsum Beatae Mariae Virginis.

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, audita a subscripto Secretario fideli relatione propositisque dubiis maturo examine perpensis atque cribratis, respondendum censuit:

Ad 1. « Servetur parvum Caeremoniale a s. m. Benedicto Papa XIII ad hoc editum ».

Ad 2. « Faciendam esse commemorationem Festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum ».

Ad 3. « Ad Officium Sancti Titularis teneri Parochum tantum ».

Ad 4. « Negative ad utrumque; et servetur Decretum diei 12 Novembris 1831 ».

Ad 5. « Affirmative, iuxta Rubricam ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Servandam esse in casu Patris Gavanti dispositionem in omnibus ».

Ad 8. « Servandam dispositionem Ritualis Romani, quod in casu excludit sacras vestes ibi non memoratas ».

Ad 9. « Tolerandam esse, utpote antiquitati conformem ».

Ad 10. « Servandam in casu dispositionem Ritualis Romani ».

Ad 11. « Tolerandam, quoad Officium defunctorum; tollendam, quoad Missas; quae unica esse debet, iuxta Decreta alias edita ».

Ad 12. « Negative; sed servandas Rubricas ».

Ad 13. « Tolerari posse ».

Ad 14. « Etsi fieri nequeat commemoratio Sancti Ioseph in Officio et Missa Desponsationis Beatae Mariae Virginis, ubi non est concessa; attamen Sacra Congregatio Rituum de speciali gratia annuit ut deinceps a Clero Civitatis ac Dioecesis Tuden., ante omnes alias quascumque commemorationes, in memorato Officio et Missa Desponsationis Deiparae, Sancti Ioseph eius Sponsi commemoratio apponatur ».

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit servarique mandavit.

Die 23 Maii 1846.

2916. ORDINIS (5051) PRAEDICATORUM.

Cum propositum fuerit penes S. R. C. sequens dubium; videlicet: (1)

An Decreta a Sacra Rituum Congregatione emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita a subscripto Secretario fideli relatione, expositisque rationum momentis et diligenter consideratis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Maii 1846.

2917. ORDINIS (5052) MONACHORUM CISTERCIENSIUM.

Quum Reverendissimus P. Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium iteratis humillimis precibus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX Pontificem Maximum enixe rogavit, ut instar concessionis usque ab anno 1764 tertio Nonas Augusti factae Ordini Sancti Benedicti Congregationis Olivetanae, ac in sequentibus annis ad Camaldulenses et Cassinenses extensae, de Apostolica benignitate indulgere dignaretur omnibus et singulis personis Ecclesiasticis ac Secularibus servitio Monasteriorum Ecclesiarum ac *Granciarum* sui Ordinis addictis, nunc et pro tempore existentibus, aliisque intra claustra eorumdem Monasteriorum assidue habitantibus et cum Monachis conviventibus; ut donec et quousque in servitio praedicto seu in convictu intra claustra cum Monachis perduraverint, si divinum Officium Horasque Canonicas recitare teneantur, absque ullo conscientiae scrupulo Officium divinum Horasque Canonicas iuxta Ritum ipsius Ordinis Cisterciensium seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi degunt seu servitio addicti reperiuntur, non solum in Choro cum Monachis, sed etiam (si in Choro una cum aliis Monachis minime praesentes

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5 et 6.

sint) seorsim et separatim recitare possint et valeant;

Sanctitas Sua, referente subscripto Secretario, de speciali gratia : « Benigne annuit pro extensione supraenunciati indulti; dummodo tamen Sacerdotes aliique Ecclesiastici Seculares aliquo Beneficio, speciale officium requirente, non sint provisi ; et consensu proprii Ordinarii sint muniti ».

Die 28 Augusti 1846.

2918. SANCTI FLORI. (5053)

Dum Reverendissimus Episcopus Sancti Flori accepit Sacrae Rituum Congregationis et Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX voluntatem esse ut loco expetitae sanationis quoad usum Altarium, de quorum consecratione dubitabatur ob Reliquiarum deperitionem vel sigillorum deficientiam, consecrarentur Altaria portatilia non parvo numero, paulatim substituenda iis de quorum legitima consecratione non constaret ; illico animadvertit Sacratissimi Principis mentem executioni demandari non posse absque notabili detrimento, siquidem in Diario Visitationum neque alibi mentio facta est Altarium, quae per novam repositionem Reliquiarum vel sigillorum impressionem habilitata fuere ut super ipsis Sacrosanctum Missae Sacrificium litari valeret ; ac proinde pro conscientiae tranquillitate ex iure omnia iterum essent Altaria consecranda, vel quingentis Ecclesiis et Sacellis essent Arae portatiles distribuendae, quorum neutrum exequi potest absque populi admiratione et Cleri dispendio. Eapropter, iteratis precibus, rogavit Sanctitatem Suam idem Episcopus Sancti Flori, ut de Apostolica benignitate concedere dignaretur indultum, cuius vigore, quocumque sanato defectu, super iisdem Altaribus celebrari valeat ; nam decursu temporis paulatim singulorum Altarium sigilla destruentur ac tumuli effodientur, et tunc iterum Altaria ipsa consecrabuntur.

Sanctitas Sua, referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis aliisque peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus : « De speciali gratia, in exemplum non afferenda, benigne annuit pro petita sanatione ; dummodo vero nullimode, neque ex attestationibus Parochorum, erui valeat Altaria non fuisse denuo consecrata. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Die 25 Septembris 1846.

2919. ROMANA (5054)
COLLEGII ANGLORUM.

Beatissime Pater.

Thomas Grant Rector Collegii Anglorum ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit quod suscitatum est dubium an Edmundo Pomer alumno eiusdem Collegii valide fuerit collata prima clericalis Tonsura, eo quod capilli, non capitis sed comae fictitiae, quam gestare solebat, ei fuerint detonsi ; quare ad cautelam et quatenus opus sit, a Sanctitate Tua expostulat ut ritus Tonsurae praedicto alumno iteretur.

Sanctissimus, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis super Tonsura peracta, benigne annuit pro sanatione, quatenus opus sit, a quocumque defectu, adeo ut nihil sit ulterius innovandum. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Septembris 1846.

2920. ROMANA. (5055)

Beatissime Pater.

Simon Percovich Canonicus Decanus Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Hieronymi Illyriorum Urbis ad pedes Sanctitatis Tuae demisse exponit quod in aetate 65 annorum constitutus, a pluribus annis arthrytide laborat, ut patet ex medicorum attestatione, et ob colli incurvationem non tantum prohibetur caput erigere sed etiam quovis modo illud vertere, unde fere impotens factus est ad sumptionem Sacratissimi Sanguinis in Missa, etsi calicem apposite confectum adhibeat. Quare enixe a Sanctitate Tua expostulat ut clementer eidem indulgeatur usus fistulae ad sorbendum Sacratissimum Sanguinem in Missae celebratione.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, referente subscripto S. R. C. Secretario, de speciali gratia benigne commisit Eminentissimo Card. Urbis Vicario, ut quatenus preces veritate nitantur, et orator valeat ex propria conditione indultum Oratorii privati assequi, eidem facultatem tribuat in ipso Oratorio tantum Sacrum faciendi cum usu fistulae pro sumptione Calicis ; constito tamen prius per legitimum documentum et experimentum, quod nihil inde vel indecentiae vel periculi oriri possit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Novembris 1846.

2921. NICOSIEN. (5056)

Beatissime Pater.

Crux Bongiovanni Sacerdos loci vulgo *Leonforte* Dioecesis Nicosien. in Sicilia Sanctitati Tuae demisse exponit partiali se laborare paralysi; ob quam, licet expeditum habeat usum loquelae et aliorum corporis membrorum, ad Hostiae tamen elevationem in Missa brachium sinistrum attollere non potest. Quare Sanctitatem Tuam supplex exorat ut Missam eidem celebrare liceat adhibendo tantum dexteram manum in Hostiae elevatione necnon in aliis Missae caeremoniis.

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, attentis expositis ac referente subscripto S. R. C. Secretario: « De speciali gratia benigne annuit iuxta preces; dummodo privatim celebret cum assistentia alterius Sacerdotis ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 20 Novembris 1846.

2922. FERENTINA. (5057)

Dum Pastoralis Visitationis curis detineretur Reverendissimus Ferentini Episcopus, in Oppido vulgo *Supino* suae Dioecesis, illud reperit minus consonum Ecclesiasticae Hierarchiae quod in Collegiata illa, nuperrime erecta in Ecclesia Sanctae Mariae, nulla praeeminentia praestetur Canonico Archipresbytero Sancti Petri, neve Abbatibus Sanctae Mariae ac Sancti Nicolai, queis animarum cura demandata est quique iuxta sancita in Apostolicis Litteris erectionis Collegiatae datis pridie idus Augusti anno 1836, inter Canonicos accensiti, tenere debent in Choro, in Processionibus aliisque ecclesiasticis Capitularibus functionibus possessionis suae locum, propterea quod in Bulla ipsa praescribatur quod nulla adscita in dicto Capitulo Dignitate, omnique alia prorsus seclusa praeeminentia, possessionis tantum ordo inter Capitulares servandus sit. Quod omne pro suo munere ingenue exponens Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo idem Reverendissimus Episcopus instanter rogavit, ut Parochiali dignitati consulere de Apostolica benignitate dignaretur; ac tribus Canonicis, queis animarum cura commissa est, praecedentiam in Choro, in Processionibus aliisque Capitularibus functionibus supra reliquos Canonicos tribuere; siquidem reliquo Clero iam praecedebant, antequam Collegiata institueretur.

Humillimas hasce preces Sanctitas Sua peramanter excipiens, ac referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, sedulo perpendens singulas circumstantias in casu, de quo agitur, locum habentes: « De speciali gratia benigne in omnibus annuit iuxta Episcopi oratoris preces; illique commisit, ut non obstantibus iis quae praescripta sunt in Apostolicis Litteris expeditis pridie Idus Augusti anno 1836, quoad ordinem sedendi in Choro ac procedendi in Processionibus aliisque Capitularibus functionibus faciendis a Canonicis Collegiatae Ecclesiae Oppidi *Supino* nuncupati in sua Dioecesi, praecipiat et indulgeat, ut Archipresbyter et Abbates Canonici trium Ecclesiarum habeantur quasi Dignitates Capituli sequenti ordine: nimirum, primus Archipresbyter Sancti Petri, secundus Abbas Sanctae Mariae, tertius Abbas Sancti Nicolai; deinde ceteri Canonici iuxta praefixam regulam in iisdem Apostolicis Litteris; et hic ordo semper servetur sequentibus futuris temporibus in perpetuum ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Decembris 1846.

2923. ORDINIS (5058)
MONACHORUM SANCTI BASILII.

Quae a s. m. Alexandro Papa VII usque ab anno 1659 quinto Calendas Octobris in Congregatione Sacrorum Rituum coram se habita sancita fuere circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus concessorum, quaeque insequenti anno 1660 decimo tertio Calendas Sextiles de ipsius Sacrae Congregationis consulto magis etiam declaravit, in responsionibus datis dubiis a Procuratore Generali Congregationis Cassinensium propositis, confirmans quae praescripta sunt anno superiori 1659, praeter ea quae habentur num. V, VI, VII, VIII ac XVII, in quibus ob peculiares rationes, in aliquibus dispensavit Alumnos Congregationis ipsius; adeo semper rata habuit Apostolica haec Sancta Sedes, ut singulis successive propositis dubiis, Alexandri VII Decretis standum esse rescripserit Sacra Rituum Congregatio. Immo s. pariter m. Benedictus Papa XIV, praeter alia in rem definita, edixit ut memorata Alexandrina Decreta iterum typis cuderentur, ac eorumdem exemplar transmisit ad omnes per Orbem Episcopos et Archiepiscopos cum apposita sua Epistola data pridie Calendas Aprilis 1744, in qua singulis commendavit eorumdem De-

cretorum observantiam; atque omnes monitos voluit ut pro munere incumberent atque urgerent, ne quidquam fieret contra ea quae in Decretis ipsis sapienter iniuncta sunt. Neque insequentibus temporibus aliquid supradictis Decretis non apprime conforme declaravit Sacra ipsa Rituum Congregatio vel Summi Pontifices indulsere; immo immortalis memoriae Pius Papa VII, Constitutione sua *Decet Romanos Pontifices,* data quarto Nonas Iulii anno 1823, non modo ad observationem revocavit, et quatenus opus esset, iterum approbavit ac sancivit quae per Praedecessores suos, praesertim Alexandrum VII et Benedictum XIV, decreta fuere, vel alias a Sacrorum Rituum Congregatione praescripta; verum ibi Decretum confirmavit, quod memorata Congregatio Rituum ediderat sexto Calendas Septembris anno 1822 super declaratione privilegiorum circa usum insignium pontificalium, quibus ex Sedis Apostolicae indulto nonnullae gaudent Dignitates etc.

Haec singula prae oculis habens Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ac serio perpendens quae in supplici Libello exponebat Reverendissimus P. Visitator Generalis Monachorum Sancti Basilii, requirens num sui Ordinis Abbates revocare debeat ad observantiam Decretorum Alexandri VII circa usum Pontificalium, quum ex iisdem aliquis arbitretur Decreta ipsa forsan modificata, vel decursu temporis iis derogatum vel dispensatum saltem in parte fuisse; referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, eidem Visitatori Generali Ordinis Sancti Basilii, attentis expositis, potestatem fecit revocandi Abbates ad observantiam omnium Decretorum, quae super re edita fuere; praesertim ut non liceat eis Pontificalia exercere nisi in propria Ecclesia; et si ex speciali indulto huius Sanctae Apostolicae Sedis ex eis quisquam agere possit Pontificalia etiam extra propriam Ecclesiam, nullatenus liceat hoc privilegio uti, nisi de expresso Reverendissimi Ordinarii consensu. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Decembris 1846.

2924. ARETINA. (5059)

Beatissime Pater.

Ioseph Teoni Sacerdos Dioecesis Aretinae Sanctitati Tuae humiliter exponit quod manus sinistra eidem fuit amputata ob ustiones ex fortuita explosione globi pulveris pyrici. A die amputationis orator assidue studuit manu tantum dextera Missae caeremonias rite peragere, idque feliciter obtinuit; Episcopus enim testatur oratorem experimento probasse ita, absque alterius ope, paramenta assumere et deponere posse atque alias omnes Missae caeremonias peragere, ut nullam populi admirationem excitet. Supplex igitur a Sanctitate Tua expostulat ut attentis expositis benigne eidem indultum concedatur Missam celebrandi.

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis ac praesertim Reverendissimi Episcopi testimonialibus commendatitiis Litteris: « De speciali gratia benigne annuit iuxta preces; dummodo vero orator privatim celebret et cum alterius Sacerdotis assistentia ». Contrariis etc.

Die 18 Decembris 1846.

2925. MUTINEN. (5060)

Beatissime Pater.

Aloisius Reggianini Episcopus Mutinensis ob aetatem satis provectam et virium debilitatem Pontificales functiones etiam in praecipuis anni festis peragere nequit absque gravis damni periculo; demisse igitur Sanctitatem Tuam exorat ut Benedictionem Papalem impertire ipse valeat, licet Missam non celebret, sed eidem tantum assistat.

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis expositis: « De speciali gratia benigne annuit iuxta preces; quando revera Episcopus orator nequeat ob salutis incommoda Pontificalia exercere ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 Ianuarii 1847.

2926. ROMANA. (5061)

Beatissime Pater.

Ioseph Gasparetti Sacerdos Dioecesis Anconitanae, Romae residens, demisse Sanctitati Tuae exponit quod ob graves aegritudines quas passus est, aqua semper uti cogitur et a vino ita abhorret ut nec ipsius odor sustinere possit; ad vitandas igitur perturbationes stomachi quae in Missae celebratione ei accidere possent, Apostolicam dispensationem humiliter exposcit ut, peracta sumptione SS. Sanguinis, aqua tantum uti valeat pro Calicis purificatione.

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus referente subscripto S. R. C. Secretario, attentisque expositis: « De spe-

ciali gratia benigne commisit Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario, ut constito de veritate expositorum per authenticas probationes, petitum indultum oratori largiatur extendendum quoad eadem salutis perdurent incommoda ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 5 Ianuarii 1847.

2927. CONVERSANA. (5062)

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA ET CAPUCCINORUM.

Praecedentiae ius publicis in supplicationibus, licet saepe Apostolicis temperatum Constitutionibus et crebris Sacrorum Rituum Decretis praefinitum, sicuti semper uberem controversiis suppeditavit, sic novam in praesentiarum praebet disceptandi materiam Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, degentibus in Pago Rutiliani Conversanae Dioecesis et Fratribus Minoribus de Observantia duobus passuum millibus inde dissitis. Capuccini ius praecedendi sibi asserunt tum quod antiquiores ibi sint Coenobii fundatione, tum quod publicis in supplicationibus, ad quas tenentur accedere, semper obtinuerint priorem a Capitulo locum. Observantes autem, lege ob distantiam non adstricti intervenire, quando vero illis supplicationibus se iungere velint, sicuti accidit piaculari anno 1825 ac novissime anno 1843, idem ius sibi vindicant; tum quod absonum videatur filialem Ordinem anteire illum a quo originem duxit, tum quod dignior locus Capuccinis assignatus dum Observantes aberant, nullam istorum iuri noxam valeat irrogare. Controversia isthaec ad episcopalem Curiam primitus ventilata, quum per Decretum emissum ius fuerit Observantibus attributum, ab hac sententia appellationem ad Sanctam Sedem Capuccini interposuere, datisque precibus penes Sacram Rituum Congregationem, citata dein parte coram R. P. D. eiusdem Sacrae Congregationis a Secretis, sequens fuit dubium per deputatos Defensores concordatum : *An, et cui competat praecedentia in supplicationibus, et in casu praesenti?*

Proposito propterea eodem dubio in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinales Aedes subscripta die, ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Carolo Acton Relatore designato;

Sacra Congregatio, visis matureque libratis iuribus hinc inde deductis, utraque parte plenius informante ac respondente, omnibusque videndis rite consideratis, rescribendum censuit: « Praecedentiam in casu competere Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia ». Atque ita decrevit ac servari mandavit.

Die 27 Februarii 1847.

2928. ARETINA. (5063)

Sacerdos Aloisius Paci Caeremoniarum Magister Cathedralis Aretinae Ecclesiae summopere exoptans ut, in ecclesiasticis functionibus sacrisque ritibus explendis, omnia iuxta praefinitas regulas procedant, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum :

1. An Missa, quae in Ecclesiis Cathedralibus iuxta Generales Rubricas celebranda est pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis, qualibet prima die mensis vel Feria II non impedita, sit praeceptiva? et quatenus affirmative,

2. An praedicta Missa quotidiana possit applicari particulariter pro defunctis Episcopis et Canonicis illius Ecclesiae in qua celebratur, pro satisfactione generalis Praebendae illius qui Missam celebrat?

3. An praedicta Missa quotidiana dici possit cum unica tantum Oratione, quia in iisdem Rubricis Generalibus habetur, quod una tantum Oratio dicenda est quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur; vel dicenda sit cum tribus Orationibus uti habetur in Missali in Missis quotidianis, ut notat Merati de praedictis Missis mensualibus?

4. An praedicta Missa, occurrens temporibus Adventus, Quadragesimae et Paschae a Rubricis exceptis, sit remittenda?

5. An in Vesperis celebratis coram Sanctissimo Sacramento exposito, Celebrans ad Canticum *Magnificat* dum incensat Sacramentum, ante incensationem Altaris genuflectere debeat in infimo gradu Altaris; vel in suppedaneo?

6. An in expositione Sanctissimi Sacramenti, praesente Episcopo genuflexo, Celebrans dum pervenit ad Altare, debeat ei reverentiam praestare, et dum ascendit ad impertiendam fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, pro-

positis dubiis diligenter de more examinatis, iisdem respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Negative; sed pro Benefactoribus in genere ».

Ad 3. « Iuxta peculiarem Rubricam ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « In suppedaneo ».

Ad 6. « Negative, ad utrumque ».

Atque ita rescribere Sacra Rituum Congregatio rata est et declarare.

Die 27 Februarii 1847.

2929. AURIEN. (5064)

Ne in explendis ecclesiasticis caeremoniis divinisque laudibus persolvendis aliquid perperam agatur, sed Rubricae adamussim serventur, Sacerdos Ioannes Emmanuel Bedoya Canonicus Decanus Cathedralis Aurien. Ecclesiae, ac in praesentiarum totius Dioecesis Vicarius Capitularis, Sede illa vacante, Sacrae Rituum Congregationis sententiam humiliter expetiit super sequentibus dubiis pro debita solutione propositis; nimirum:

1. An in Officio proprio Sanctae Agnetis Virginis Martyris, quod est in Breviario Romano sub die XXI Ianuarii, in prima Antiphona ad Vesperas et Laudes liceat addere claritatis gratia, et ut plenior sensus habeatur *in sui custodiam,* ita ut sic integre legatur: *Ingressa Agnes turpitudinis locum, Angelus Domini in sui custodiam praeparatum invenit?*

2. An in omni Officio semiduplici et duplici minori Lectiones primi Nocturni desumendae sint de Scriptura occurrente in Proprio de tempore secundum regulam generalem Breviarii, omissis etiam (ut plus per annum legatur de Scriptura) Lectionibus, quae interdum assignantur de Communi, quin dicant specialem congruitatem cum Festo, vel quia extensum est Officium ad alias Ecclesias, ex aliis ubi gaudebant elevatiori ritu aut maiori solemnitate? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, audita a subscripto Secretario fideli relatione attenteque consideratis propositis dubiis, in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito, respondendum censuit:

Ad 1. « Nihil immutandum, vel innovandum ».

Ad 2. « Standum concessionis verbis ».

Atque ita rescribere, ac proposita dubia declarare existimavit.

Die 27 Februarii 1847.

(1) E. Dub. 3 et 4.

2930. BENEVENTANA. (5065)

Abbas Venerabilis Ecclesiae Collegiatae Sancti Spiritus in Civitate Beneventana, qui primam illius Collegii Dignitatem obtinet, inter alios honores quibus decoratur, gaudet etiam privilegiis, quae a s. m. Benedicto Papa XIII per suas Apostolicas Litteras, in forma Brevis datas septimo Calendas Octobris anno 1721, concessa fuerunt Abbati pro tempore Collegiatae ipsius Ecclesiae; qui proinde, tam intra propriam Ecclesiam quam in Civitate et Dioecesi Beneventana, in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus et divinis Officiis utitur mitra, baculo pastorali aliisque pontificalibus insignibus. Quae singula dum advertit Emus et Rmus Dom. Cardinalis Dominicus Carafa Traietto Archiepiscopus Beneventanus, illico deprehendit haec singula memorato Abbati competere vigore earumdem Litterarum, ac licite et libere ipsum exercuisse et gestasse quae ab Apostolica hac Sancta Sede donata fuere; verum quum dubitet decursu temporis huiusmodi concessiones, vel revocatas vel saltem coarctatas fuisse, hinc pastoralis sui muneris esse duxit sequentia dubia proponere Sacrae Rituum Congregationi, ut singula iuxta praefatas regulas procedant:

1. An Abbas memoratae Collegiatae Ecclesiae, gaudens usu mitrae, baculi pastoralis aliorumque Pontificalium insignium, uti possit mitra *auriphrygiata* et baculo episcopali; vel potius alterius formae et ab episcopali distinctis?

2. An frui possit huiusmodi privilegio Pontificalium intra suam Ecclesiam tantum; vel potius in omnibus Ecclesiis Civitatis et Dioecesis?

3. An induere possit, deferre et gestare mitram, baculum pastoralem aliaque insignia pontificalia, dum intervenit Processionibus aliisque divinis Officiis et functionibus ecclesiasticis, queis Archiepiscopus etiam intervenit?

4. An absente Archiepiscopo, sed interveniente Capitulo Metropolitanae, quod privilegio Pontificalium gaudet, Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus ac divinis Officiis, possit Abbas Sancti Spiritus gestare mitram et pastoralem; vel mitram tantum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata, audita relatione a subscripto Secretario facta, propo-

sitisque dubiis maturo examine perpensis, iisdem rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative; sed mitra tantum ex tela simplici, et baculo abbatiali cum velo ».

Ad 2. « In propria Ecclesia tantum; assignatisque diebus iuxta Constitutionem s. m. Pii Papae VII *Decet Romanos Pontifices* ».

Ad 3. « Negative in omnibus ».

Ad 4. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita servandum mandavit.

Die 27 Februarii 1847.

2931. CORISOPITEN. (5067)

Quum Reverendissimus Corisopiten. Episcopus Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuerit; nimirum:

1. An lectio Litterarum Apostolicarum, queis Episcopo conceditur facultas impertiendi solemniter benedictionem cum Indulgentia Plenaria in Cathedrali Corisopiten., quae est etiam Parochialis, fieri possit post decantatum Evangelium; non vero in fine Missae, uti iniungitur in scripto, cui titulus *Ritus et formula benedictionis Apostolicae?*

2. Utrum Apostolicae huiusmodi Litterae legi debeant latino, et vernaculo seu patrio sermone? et quatenus affirmative, idem Episcopus supplicat ut saltem latinam lectionem omittere possit, ne populus gravetur.

3. An lectio versionis huiusmodi Litterarum debeat esse integra, vel sufficiat exprimere Pontificem concedentem, Episcopum cui facultas impertitur et naturam gratiae seu Indulgentiae concessae?

Quae singula dubia dum Sacra Rituum Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata ad relationem infrascripti Secretarii sedulo perpenderet, satius sumpsit consilium ut ad Ecclesiam Corisopitensem extenderet indultum Ecclesiae Rhedonensi hac ipsa die concessum; nimirum: « Ut Apostolicae Litterae, quibus facultas conceditur impertiendi benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria, legantur integrae, sed tantum vulgari seu patrio sermone; attamen expleta Missa, et ad Secretarium cum Sanctissimo ».

Die 27 Februarii 1847.

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo per Secretarium fideli relatione die 5 Martii eiusdem anni, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum approbavit, atque Apostolica Auctoritate Sua in omnibus confirmavit.

2932. CONGREGATIONIS (5068)
CLERICORUM REGULARIUM
SANCTISSIMAE CRUCIS
ET PASSIONIS D. N. I. C.

Quum R. P. Bernardus a Virgine Maria Congregationis Clericorum Regularium Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi ex Recessu Reatino a Beata Maria Virgine de Succursu nuncupato, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dederit dubia; nimirum:

1. An semper adhibenda sit bursa cum Corporali, supra quo reponenda sit Sacra Pyxis toties quoties administratur Communio Christifidelibus extra Missam, uti innuitur in Ritualis Romani Rubrica, et clare docetur a Gavanto aliisque Sacrorum Rituum Expositoribus?

2. An Rituale Romanum, prout in casu, intelligendum sit, quod assumi debeat bursa cum Corporali, tantum quando Sacrum Viaticum defertur ad infirmos; an toties quoties extra Missam Sacra praebetur Synaxis?

3. An Rubrica Ritualis Romani sit, prout in casu, praeceptiva; vel tantum directiva et ad libitum?

4. Quum expletur Communio extra Missam, quaeritur: An tolerari debeat consuetudo utendi Palla, qua Calix tegitur in Missae Sacrificio, semper super Altaris mensa ante Tabernaculum manente?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, iuxta Rituale ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Praeceptivam esse ».

Ad 4. « Iam provisum in superioribus; seu Negative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Februarii 1847.

2933. DREPANITANA. (5070)

In Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis superiori anno 1846 decimo Calendas Iunias habitis, relatae quum fuerint preces Archipresbyteri et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri in Civitate Drepanitana erectae, queis exponebant ex immemorabili consuetudine in supradicta Collegiata Ecclesia, Archipresbyterum vel alterum Canonicum solemniter celebrantem, praeter Dia-

conum et Subdiaconum adhibere solere Presbyterum assistentem pluviali indutum; ac proinde enixe rogabant ut consuetudinem huiusmodi confirmare dignaretur;

Placuit Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis nil in re decernere, quin Reverendissimi Episcopi votum exquireretur; ac proinde rescriptum fuit: « Episcopo pro informatione, qui audito Capitulo doceat super asserta consuetudine ».

Sacrae itaque Congregationis mandatis religiosissime obsequens Episcopus, in scriptis et voce audito Capitulo ac rebus mature perpensis, Sacram Congregationem certiorem reddidit se numquam de tali formalem, vel utcumque, protulisse sententiam; verum ad calcem Directorii Divini Officii ipsius anni 1846 apposuisse aliqua Decreta Sacrae Rituum Congregationis, quae ad abusus ubicumque existentes radicitus evellendos condita fuerant, inter quae illa etiam accensebantur, quae Presbyterum assistentem prohibent; ut, legum facta facili cognitione, quisque ad leges ipsas apprime servandas prompto docilique animo excitaretur. Neque destitit idem Antistes curam omnem diligentiamque impendere in perquirendo Capituli Archivio ac etiam requirendo Reverendissimo Mazarien. Episcopo, intra cuius Dioecesis limites hodierna Drepanitana Dioecesis includebatur, si forte aliquod monumentum extaret indulti Capitulo Collegiatae Sancti Petri concessi pro Presbytero assistente in Missis solemnibus; sed incassa cessit quaecumque diligentia, ac proinde dilucide apparet omnino abusive consuetudinem huiusmodi fuisse inductam atque ad superiorem usque annum servatam; eo vel magis quia in Synodo Dioecesana Mazariensi celebrata anno 1735, saltem implicite, fuit abrogata. In illa siquidem Synodo statutum fuit, ut tam in Cathedrali Mazariensi quam in ceteris respective Ecclesiis (tunc temporis Drepanitanae hodiernae Dioecesis Ecclesiae includebantur in Dioecesi Mazariensi) omnimode servaretur Caeremoniale Romanum, omnem et quamcumque in contrariam consuetudinem abrogando; ac in Titulo *de Sacrificio Missae* inductum fuit, ut Sacerdotes nullos alios ritus aut Caeremonias in Missae celebratione adhiberent praeter eas quae in Missali Romano praescribuntur. Quae singula a Reverendissimo Antistite exposita una cum precibus Capituli Collegiatae Sancti Petri Ecclesiae, in novo Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habito, quum fideliter de more retulerit subscriptus Secretarius;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, dilucide comperuere abusive omnino et contra alias Decreta servatam fuisse consuetudinem Presbyteri assistentis in Collegiata Sancti Petri Ecclesiae Civitatis Drepani, ac proinde merito commendantes Reverendissimi Episcopi pastoralem vigilantiam ad convellendos quoscumque abusus, rescribendum censuerunt: « Servetur Decretum Episcopi, si adsit: alias serventur Decreta iam lata in voto eiusdem Episcopi ».

Die 27 Februarii 1847.

2934. MECHLINIEN. (5071)

Hodiernus Superior Abbatiae Sancti Bernardi in Bomhem inter fines Archidioecesis Mechliniensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. In praedicta Abbatia, olim Ordinis Praedicatorum ac in praesentiarum Ordinis Cisterciensium, extabat Ecclesia consecrata sub titulo Sanctissimae Crucis, quae anno 1840 penitus destructa fuit, eique alia nova substituta sub titulo Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae, nulla facta mentione Sanctissimae Crucis. Unde:

Quaeritur *a*) Utrum adhuc teneantur Monachi Cistercienses quotannis die tertia Maii recitare Officium Sanctissimae Crucis sub ritu duplicis primae classis cum octava, tamquam de titulo Ecclesiae? et quatenus affirmative, supplicant pro gratia redigendi illud Officium ad ritum Breviarii sine octava.

Quaeritur *b*) Utrum quotannis debeant adhuc celebrare Festum Dedicationis Ecclesiae destructae in pristina sua die, quae erat Dominica III Septembris? an vero die XXVII eiusdem mensis Septembris, qua novae Ecclesiae Dedicatio peracta est? et quatenus affirmative ad primam huius quaesiti partem, supplicant pro gratia transferendi in perpetuum Festum Dedicationis ad diem XXVII Septembris, tamquam ad diem propriam.

2. Abbatia Sancti Bernardi sita est intra limites Paroeciae ruralis de Bomhem, cuius Ecclesiae titulus est Beatae Mariae Virginis ad Sanctum Leodegarium. Quotannis Feria II post Festum Sacratissimi Rosarii celebratur Festum Sancti Leodegarii a Clero cum Officio ritus duplicis primae classis cum octava;

quod a populo tamquam Festum ex devotione, sed non sub praecepto ducitur; unde quaeritur: An Monachi Abbatiae Sancti Bernardi teneantur in dicta Feria II recitare Officium de Sancto Leodegario?

3. Quando Festum S. Marci Evangelistae occurrit intra Hebdomadam Paschae, in Dioecesi Mechliniensi transfertur ad Feriam IV post Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam. At quaeritur: Utrum Regularibus, proprio Calendario utentibus, adhuc licitum sit huic translationi sese conformare ob antiquam consuetudinem, quum nunc Festum Sancti Marci non amplius servetur in populo, sicuti quondam fiebat in Belgio?

Huiusmodi dubia quum infrascriptus Secretarius fideliter de more proposuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die habitis, Sacra Rituum Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, rescribere censuit:

Ad 1. « Ad utrumque: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative; sed teneri ad Officium Patroni Dioecesis ».

Ad 3. « Servetur particularis Rubrica Breviarii ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Februarii 1847.

2935. MASSEN. (5072)

Superiori anno 1846 a Sacra Congregatione Reverendissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini Interpretum ad hanc Sacram Rituum Congregationem transmissae fuerunt preces Reverendissimi Massen. Episcopi, queis exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, rochetto utatur (et hoc fortasse quia olim iurisdictioni Canonicorum Regularium Sancti Frigdiani subiectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsius) ac proinde huius Sanctae Apostolicae Sedis oraculum exquirebat: Num adhuc super hoc usu silentio insistendum sibi sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur; vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio?

De praemissis a subscripto Secretario fideli instituta relatione in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in voto fuere: « Non esse inquietandos ».

Atque ita rescribendum mandarunt.

Die 27 Februarii 1847.

2936. ROMANA. (5073)

Dum superiori anno 1846, Dominica secunda post Pascha Resurrectionis, ad proprii beneficii possessionem in insigni Basilica Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis immittendi erant duo novi Beneficiati, non una fuit Canonicorum in Capitulo congregatorum sententia pro designanda persona, cui iuxta Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis in Urbe Vicarii, Diaconali illo titulo vacante, Litteras pro Canonica immissione expeditas committebatur dandae possessionis actus; nam tantum in iis legebatur: *Dignior ex Canonicis*. Siquidem opinantibus nonnullis per huiusmodi verba designari seniorem inter praesentes Canonicos, contendebant nullimode spectare ad Archipresbyterum iuxta veterem praxim, quem de facto excludere non dubitarunt. Ne vero hodiernus Archipresbyter laederetur in iuribus sibi competentibus, se abstinuit ab interventu ad huiusmodi possessionem; ac deinde Sacrae Rituum Congregationi rem omnem exponens, institit ut formiter declararetur utrum *Dignior ex Canonicis* intelligatur Archipresbyter? ac proinde: An huiusmodi in casibus Archipresbytero omnino competat exequutioni demandare possessionum ad Praebendas Litteras, quoties in ipsis non designatur seu nominatur Canonicus aliquis particulariter, sicuti semper actum est. Interim quum ad memoratae Basilicae Diaconalem Titulum assumptus fuerit Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Ioannes Serafini, Archipresbyteri preces eidem Eminentissimo Viro transmissae fuerunt pro informatione et voto; ut praesertim doceret de Capituli Statuto ac de consuetudine in casu proposito. Iniuncti muneris partes explens ipse Eminentissimus Titularis, ingenue exposuit post aditum Capitulum, quod etsi in Constitutionibus Capitularibus nil enuncietur de Possessionibus, attamen ex iisdem dilucide evincitur Archipresbyterum usque a Capituli erectione, uti ex Apostolicis Litteris Leonis Papae X datis Calendis Maii 1513, esse unicam Capituli Dignitatem, adeoque semper et in omnibus praecedere debere Canonicos, praeter Canonicum Hebdomadarium. Imo uni Archipresbytero inhaerere Presbyteralem Ordinem, siquidem novem alii Canonici ex eodem Pontifice satis est ut

saltem sint in Ordine Clericali et in aetate annorum quindecim constituti; ad Archipresbyterum insuper spectare privative celebrationem Missarum cum cantu ac Vesperarum in Solemnioribus, et in aliis Festis per turnum cum aliis Canonicis, quibus una quotidianas percipit distributiones et ad punctaturas adigitur. Quoad vero consuetudinem, ipse Eminentissimus et Reverendissimus Titularis adnotat usque ad collationem Beneficiorum, de quibus in casu agitur, semper in Bullis collationis Praebendarum adhibita fuisse verba, ex quibus erui posset Archipresbyterum potissimum designari ad huiusmodi possessiones dandas; quod ius nullimode controversum fuit, uti apparet etiam ex recentioribus collationibus.

Quae singula subscriptus Secretarius inter cetera fideliter referens in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo diligentique examine perpensis, ab expositis indubie comperit in Basilica Sanctae Mariae in Cosmedin Urbis ex Institutione et Statuto digniorem inter Canonicos esse Archipresbyterum, ac proinde decrevit: « Iuxta votum Eminentissimi Cardinalis Titularis; nempe: ad Archipresbyterum praesentem spectare executionem Litterarum pro immittendis novis Capitularibus ad Praebendarum cuiuscumque gradus et generis possessionem, quoties ipsarum Litterarum exequutio Canonicis in genere et non nominatim committitur ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 27 Februarii 1847.

2937. TRANEN. (5076)

Quum in suis Apostolicis Litteris in forma Brevis s. m. Gregorius Papa XVI commiserit Reverendissimo Andrien. Episcopo administrationem Archidioecesis Tranensis cum adiecta Ecclesia Vigiliensi; ipse sibi Vicarium Generalem utpote suum Locumtenentem constituit, cui interdum ad Chorum accedenti praecedentia denegatur quoad stallum ab Archidiacono prima Capituli Tranensis Dignitate. Quod Sacrae Rituum Congregationi exponens idem Vicarius Generalis, enixe rogavit ut formiter declaretur: An Vicarius Generalis in Choro occupare debeat primum stallum ac proinde praecedere omnibus Dignitatibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, maturo examine perpensis expositis ac in similibus alias decretis respondendum censuit: « Iuxta alias Decreta Vicarius Generalis in Choro et in habitu Vicariali omnibus etiam Dignitatibus non paratis praecedit, excluso tamen Hebdomadario ».

Atque ita rescripsit ac in Metropolitana Tranensi Ecclesia servari mandavit.

Die 27 Februarii 1847.

2938. TOLENTINA. (5077)

Quum Sacerdos Petrus Bonelli Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Tolentinae Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit, ut declarare dignaretur: Num Ecclesia consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata; ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificale Romano praescripta?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, respondendum censuit: « Ad cautelam esse reconciliandam ».

Die 27 Februarii 1847.

2939. VICARIATUS RUREMUNDENSIS IN HOLLANDIA. (5079)

Sacerdos Hollandus Henricus Oomen Praeses Seminarii Ruremundensis quum a Sacra Rituum Congregatione enixe exquisierit solutionem insequentium dubiorum; nimirum:

1. Num post Missam depositionis, extra diem tertium, septimum et trigesimum, cantari possit Missa in ritu duplicis maioris, ut in die obitus cum unica Oratione, modo consanguinei defuncti ad eam conveniant?

2. Num Parochus teneatur ad octavam Sancti Titularis alicuius Cappellae, in qua hic et nunc celebratur Missae Sacrificium?

3. Num Professores nec non Seminaristae in maioribus constituti Ordinibus teneantur ad octavam Patroni Ecclesiae Seminarii, quae omnibus patet fidelibus; vel potius retinere Patronum Civitatis, in qua Seminarium situm est?

4. Num, quia Parochus hic et nunc aliquem substituit, qui die Dominica cantat Sollemne Sacrum; quod hic posse censetur per consuetudinem; Parochus ipse privatim celebrans possit applicare pro suis; vel teneatur applicare facere pro populo Sollemne Sacrum?

5. Num in Ecclesia Seminarii Ruremundensis, quae quamvis parochialis non sit,

tamen omnibus patet fidelibus, quaeque Titularem Patronum habet Sanctum Carolum Borromaeum; Festum huius Sancti, quarta Novembris die, per modum Festi Patronalis sub ritu duplici primae classis cum octava a Praeside, Professoribus atque Alumnis Seminarium inhabitantibus celebrari possit ac valeat; et, per annum, inter Suffragia ad Vesperas et Laudes de eodem Sancto Carolo, ut in Breviario, commemoratio fieri debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, omnibus maturo examine perpensis auditaque a Secretario fideli relatione, rescribendum censuit:

Ad 1. « Sine speciali indulto non posse ».

Ad 2. « Negative, iuxta Rubricas ».

Ad 3. « Teneri ad octavam Titularis Ecclesiae adnexae ».

Ad 4. « Posse, vel per se vel per alium; quin requiratur Missa solemnis ».

Ad 5. « Iam provisum in tertio dubio: fieri autem debere commemorationem in Suffragiis per annum, ad tramitem Rubricae ».

Atque ita rescribere rata est.

Die 27 Februarii 1847.

2940. CAMERINEN. (5080)

Canonici Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini in Oppido Sanctae Anatoliae intra fines Archidioecesis Camerinen. etsi ab anno 1645 sub die 16 Septembris ab hac Sacra Rituum Congregatione Decretum impetrarint, ut in Sabbato Sancto primi, etiam ante matricem Sanctae Anatoliae, pulsarent Campanas, quod quidem ius privative ad Collegiatam ipsam spectare tunc definitum fuit; attamen in praesentiarum, iteratis precibus, Sacram ipsam Congregationem rogarunt enixe, ut declarare dignaretur: An titulus matricis, non obstante huiusmodi definitione, possit usurpari a praedicta Ecclesia parochiali Sanctae Anatoliae?

Quas quidem preces quum Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu Sacrae Rituum Congregationis hodierna die ad Quirinale habito, Sacra ipsa Congregatio rescribendum censuit: « Etiamsi parochiali Ecclesiae Sanctae Anatoliae competat titulus Matricis, iuxta tamen Constitutionem s. m. Leonis Papae X et alias decreta ius pulsandi Campanas Sabbato Sancto competere ad Ecclesiam digniorem, nempe Collegiatam ». Atque ita rescripsit.

Die 27 Februarii 1847.

2941. LIMBURGEN. (5081)

Sibi commissae Dioecesis visitationem instituens Reverendissimus Limburgen. Episcopus, quamplurium invenit Altarium sepulcra, in quibus Sacrae Reliquiae vel aperte iacebant, adeo ut de earum authenticitate ob defectum tum sigillorum tum litterarum testimonialium non constet, vel nullae erant Reliquiae Sanctorum; ac proinde ex ecclesiasticis legibus super iisdem Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari nequit. Cui quidem malo pro viribus occurrere exoptans idem Reverendissimus Episcopus, iam pro Sacrarum Reliquiarum impetratione supplicavit enixe; sed interim Sacram Rituum Congregationem rogavit, ut indulgere dignaretur quod super iisdem celebretur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario: « Benigne annuit pro extensione indulti Episcopo Nannetensi alias concessi; nimirum, quemcumque sanans defectum, concessit ut super huiusmodi Aris celebretur, donec novae apponantur Sanctorum Reliquiae ».

Die 27 Februarii 1847.

2942. LIMBURGEN. (5082)

Quum praesenti anno 1847 Festum Sancti Marci occurrat Dominica III post Pascha Resurrectionis, in qua reponi debet Festum ad populum cum Missa Sancti Georgii Martyris Patroni integrae Limburgen. Dioecesis, hodiernus Cathedralis illius Vicarius et Calendarii Director Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia proposuit, ut in huiusmodi occurrentia certa praescribatur regula pro celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii. Dubia autem sunt ut infra; nimirum:

1. Quaenam Missa, num de Rogationibus, num de Sancto Georgio, an de Sancto Marco hac Dominica celebranda sit in iis Ecclesiis in quibus uno vel duo tantum sunt Sacerdotes celebrantes?

2. Quaenam in iis Ecclesiis, quarum Patronus Sanctus Marcus existit?

3. Quomodo in utroque casu Missa quoad commemorationem ordinanda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1. « Iuxta alias decreta, Missa de Patrono seu Titulari cum commemoratione Rogationum ».

Ad 2. « Ut ad primum ».

Ad 3. « Commemoratio de Rogationibus fit cum Oratione diei sub unica conclusione ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 27 Februarii 1847.

2943. PISTORIEN. (5086)

In Cathedrali Pistoriensi Ecclesia, alia extat Ecclesia subterranea in abside, ad quam accessus patet ex ipsa Cathedrali. Quum vero in hac subterranea Ecclesia, quae est prima Civitatis Paroecia, bis in anno solemnis Expositio Sanctissimi Sacramenti in forma Quadraginta Horarum locum habeat, Sacerdos Aloisius Agostini Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut formiter declarare dignaretur:

1. An, perdurante memorata Expositione Sanctissimi Sacramenti in praedicta Ecclesia subterranea, ad Cathedralem associari possint cadavera defunctorum, pro ipsis Exequiae institui cum Missa de Requiem ac tandem in semiduplicibus institui Anniversaria cum eadem Missa de Requiem?

2. An Missis Officii occurrentis, quae in Cathedrali celebrantur, addi possit commemoratio Sanctissimi Sacramenti, etsi Capitulum in Choro, ob nimiam distantiam ab Expositione Sanctissimi Sacramenti, sedeat capite cooperto?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, audita relatione a Secretario facta et omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: « In casu utrumque fieri posse; attamen servatis Rubricis ».

Die 27 Februarii 1847.

2944. PISTORIEN. (5087)

Quum die 4 Ianuarii Anniversarium occurrat Dedicationis parochialis Ecclesiae, Deo in honorem Sancti Andreae Apostoli Pistoriensi in Civitate dicatae; Sacerdos Aloisius Petrocchi Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit ut declarare dignaretur: Num ratione solemnitatis qua istud Dedicationis Festum instituitur, in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa omitti possit commemoratio diei octavae Sanctorum Innocentium Martyrum?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Quirinales Aedes hodierna die coadunata, subscripto Secretario referente, respondendum censuit: « Iuxta Rubricas et alia Decreta, faciendam esse expressam Commemorationem ».

Atque ita rescribere rata est ac declarare.

Die 27 Februarii 1847.

2945. REGNI SARDINIAE. (5090)

Quum Sacerdotes Cappellani Regiae Sardiniae Marinae grave admodum experiantur in itineribus, ut plurimum, ferialibus diebus abstinere ab incruento Missae Sacrificio celebrando, (nam in Festis Missam celebrare assolent in Sacellis positis in latere Navis supernatantis, ubi *Comito* etiam dormit); Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX Pontificem Maximum proprio et consodalium nomine rogavit Sacerdos Aloisius Mellini, ut Apostolicum elargire dignaretur indultum, cuius vigore ipsis deinceps liceat, dum in itinere maritimo versantur, Missam singulis diebus celebrare in proprio cubiculo, ubi de nocte dormire adiguntur.

Et Sanctitas Sua, referente subscripto S. R. C. Secretario: « De speciali gratia benigne annuit iuxta preces; secluso tamen omni periculo et dummodo debitae decentiae fuerit consultum. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Die 5 Martii 1847.

2946. SANCTI SEVERINI. (5091)

Quum Reverendissimus hodiernus Episcopus Administrator Ecclesiae Sancti Severini probe comperiat iuxta alias decreta a Sacra Rituum Congregatione sibi non licere in solemnibus Vesperis ac Missis in pontificalibus sedere in Cathedra sub baldachino, neque ibidem assistere Missis quae per alios celebrantur cum cantu, sed in primo casu uti debere faldistorio et in secundo sedere tantum in digniori Chori stallo; tamen proinde imminuatur splendor sacrarum caeremoniarum, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX Pontificem Maximum supplex adivit enixeque rogavit, ut de Apostolica benignitate indulgere dignaretur, ut ipse, tam in Pontificalibus quam in assistentia Missis solemnibus aliisque ecclesiasticis functionibus praestanda, sedere valeat in Cathedra sub baldachino.

Et Sanctissimus, referente subscripto S. R. C. Secretario: « Attentis peculiaribus circumstantiis ac praesertim quod novissimus Episcopus renunciationem Sedis emiserit, de speciali gratia in exemplum non afferenda, annuit iuxta Episcopi Administratoris preces ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

2947. CALAGURITANA. (5092)

Beatissime Pater.

Placidus Bruno de Gaudraundo, Sacerdos Secularis Oppidi vulgo *Manquèa* in Dioecesi Calaguritana, ad Vestrae Beatitudinis pedes provolutus humillime ex gratia postulat facultatem ad faciendam cum sola aqua purificationem Calicis, et ablutionem digitorum in Sacrificio Missae, propter repugnantiam ad vinum ob difficultatem digerendi illud, ob quas causas non utitur vino extra Missae Sacrificium.

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, referente subscripto S. R. C. Secretario: « De speciali gratia annuit; dummodo preces veritati nitantur ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 5 Martii 1847.

2948. ARETINA. (5097)

Ioseph Teoni Sacerdos Dioecesis Aretinae humiliter exponit sibi per Rescriptum SS. D. N. Pii IX die 18 Decembris 1846 facultatem factam fuisse Missam celebrandi: *dummodo Orator privatim celebret et cum assistentia alterius Sacerdotis.* Huiuscemodi conditionis adiectae ratio fuit, quod ille, manu sinistra carens, aliam sibi sumpserat affabre ita confectam ut inspicientium oculis ab integra manu dextera nil omnino differret; qua una usus parem se reddidit cunctis tuto ac rite implendis caeremoniis praescriptis: hostia quippe antea aptat ut dein facile in partes dividi possit. Expositae rei veritatem testantur Vicarius Foraneus et ceteri Parochi aut Sacerdotes qui hactenus illi celebranti adstiterunt; nec non ipse Episcopus Dioecesanus, affirmans illum Missam ita celebrando nihil prorsus admirationis praesentibus iniicere posse.

Quamobrem Ioseph Sacerdos, cum difficile sibi evadat adsistentem semper habere proprium Parochum (qui eo loci unicus exstat Sacerdos) ac insuper necessarium sibi sit pro sua sustentatione Missarum eleemosynas comparare, iterum SS. Dominum adit implorans ut facultas amodo fiat Missam celebrandi etiam publice ac sine adsistentia alterius Sacerdotis.

Et Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus, referente subscripto S. R. C. Secretario, attentis potissimum Reverendissimi Episcopi Litteris commendatitiis: « De speciali gratia benigne annuit iuxta preces; dummodo tamen prius Episcopus ipse experimentum coram se instituat, quo certior fiat locum revera non esse indecentiae et admirationi: caveatque ac stricte praecipiat ut nullimode sacramentales species cum manu fictitia pertractentur ». Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 13 Augusti 1847.

2949. ATREBATEN. (5099)

Paucis ab hinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus vestes ecclesiasticae Sacrificio Missae aliisque divinis Officiis inservientes conficiuntur. Earum textura ex gossypio aut simili materia solida componitur, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea, quae aurea certe dici valerent si ex vitro lux auro simillima produci posset; vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eodem ferme pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis nuncupatis; vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Quum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint et delabi in Calicem cum probabili periculo valetudinis illius Sacerdotis, qui has partes cum Iesu Christi Sanguine deglutiat; Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Hugo Robertus De la Tour d'Auvergne Lauraguais Episcopus Atrebatensis Sacrae Rituum Congregationi humillime sequens proposuit dubium enodandum; nimirum: An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subscripta die Ordinariis in Comitiis coadunata, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Constantino Patrizi Urbis Vicario facta, riteque consideratis iis quae ab exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris praelo cuso exponuntur, rescribendum censuit: « In voto Magistri Caeremoniarum seu Negative, ad propositum dubium; propterea que praedictis ornamentis uti non licere ».

Die 11 Septembris 1847.

2950. RAVENNATEN. (5100)

Simul ac R. D. Sanctes Valli Metropolitanae Ecclesiae Ravennatensis Archipresbyter illius Paroeciae curam animarum exercere assumpsit, quaestiones circa praecedentiam sustinuit; atque privilegia nonnulla super ceteros Parochos illius Civitatis sibi sumebat,

dum aliqua in Ecclesia conveniebant ad funera aliasque functiones sacras pro instituto adimplendas; Sacrorumque Rituum Congregationem super re praemonuit, exhibito etiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto. In controversiis vero, quum necesse sit ut utraque pars sua asserat iura, atque simul dum inter Ecclesiae Ministros malo fato excitantur, praestet Reverendissimum Antistitem audire; idcirco prima propositio sine resolutione haesit in eodem statu locumque haec omnia habuere vivente Archipresbytero; hic vero praemortuus qui successorem Parochum R. D. Ioachim Bezzi reliquit suarum controversiarum assertorem: praesertim quum is ex indulto s. m. Gregorii Papae XVI inter Canonicos eiusdem Metropolitanae Ecclesiae adlectus est.

Habita propterea informatione Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Ravennatensis, qui in scriptis Parochos super iisdem controversiis audivit, nec non prolato voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris;

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes coacta tertio Calendas Martii anno vertente, audita relatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Iosepho Mezzofanti Ponente, quum probe animadverteret non satis convenire sententias ab utroque Caeremoniarum Magistro expositas, satius duxit rescribere: « Dilata; et scribat alter Caeremoniarum Magister, communicato utroque voto ».

Dubia autem super exortis controversiis inter Canonicum Parochum Metropolitanae ceterosque Civitatis Parochos concordata, haec erant; nimirum:

1. An Canonicus Parochus Ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis, quum conventui Parochorum interest, ius habeat sedendi in distincto subsellio; vel potius sedere debeat in alio loco iuxta ordinem antianitatis?

2. Quibus vestibus ipse uti debeat in casu?

Super hisce itaque dubiis, tertia iam vice exquisito Magistri Caeremoniarum voto, Sacra Congregatio ad relationem eiusdem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Iosephi Mezzofanti in Ordinariis Comitiis ad easdem Quirinales Aedes subscripta die coadunata, omnibus rite examinatis riteque perpensis, quum certo nosceret a saeculis Conventum hunc Parochorum iure existere suasque Constitutiones a s. m. Iulio Papa II debito modo fuisse firmatas; neque ad praedictum Conventum associari quisquis actu Parochus existit, sed ei necessarium esse ut per preces admissionem assequatur; discussis libratisque omnibus ex utraque parte allegatis et exhibitis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad 2. « Servandas esse Constitutiones ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11 Septembris 1847.

2951. ANGELOPOLITANA. (5102)

Quum Sacerdos Florentius Ruiz, Magistri Caeremoniarum in Cathedrali Angelopolitana Ecclesia munere fungens, penes Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia enodanda proposuerit; nimirum:

1. Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die 27 Maii 1826 prohibitum fuit deferre sub baldachino Reliquias et Imagines Sanctorum; quia usus baldachini debetur tantum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Quaeritur: An in enunciata prohibitione comprehendatur etiam Episcopus dum Paroecias visitat et Monasteria? (1)

2. An assumenda omnino sit Stola ad private dicendum Responsum pro defunctis?

3. An sit omnino necessarium assumere Stolam, dum in Dominicis aspersio aquae benedictae fit sine pluviali?

4. Dum a Celebrante legitur Oratio *Communio* dicta, Canonici ac reliqui de Choro ex antiqua consuetudine stant. Quaeritur: An stare debeant; vel potius sedere?

5. An retinenda vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum Organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite Missa est?*

6. An in Processionibus, quae intra Ecclesiam cum Sanctissimo Sacramento fieri assolent, liceat erigere Altare portatile, quamvis super sepulcris sistat, ut in eo reponi tantisper valeat Sanctissimum Sacramentum, dum aliqua stropha vel Oratio canitur?

7. An Sacerdos caecutiens vel visus tenuitate laborans, habensque facultatem celebrandi Missam Votivam Beatae Mariae Virginis, teneatur in Festis ipsius Deiparae celebrare Missam de Festo occurrente; vel

(1) E. Dub. 2, 9, 14 et 18.

potius Votivam sine *Gloria*, exceptis sabbatis, et sine *Credo?*

8. A Rituali Mexicano praescribitur quod Parochus Sacrum Viaticum infirmo collaturus, prius quam illud conferat, de fide aegroti sciscitetur per quamdam Fidei professionem, quae ibi sicut in Toletano, continetur. Hinc quaestio est: An sumpta semel Eucharistia per modum Viatici, si aegrotus diutino letali morbo laborans rursus et iterum poscat Sanctissimo Sacramento refici, teneatur Parochus singulis vicibus praedictam Fidei professionem expetere; vel possit illam omittere, conferendo tantum per verba: *Accipe, frater, Viaticum?*

9. An in expositione Sanctissimi Sacramenti extra Missam, Diaconus solus possit vicem gerere Sacerdotis in exponendo et recondendo; ac cum Sanctissimo Sacramento benedicere populo, antequam Ostensorium in Sacrario reponat?

10. An Diaconus cum pluviali possit cadavera comitari ac de licentia Parochi benedicere sepulturam?

11. An in Ecclesiis minoribus, ubi extra octavam celebratur Festum Sanctissimi Corporis Christi, Missa esse debeat de Festo occurrente cum commemoratione Sanctissimi Sacramenti; vel Missa de die infra octavam Sanctissimi Corporis Christi cum unica Oratione, *Gloria*, *Credo* et Praefatione de Nativitate?

12. An Festum Sancti Patroni, quod ex dispositione s. m. Gregorii Papae XVI transferri debet ad Dominicam proxime sequentem, si haec Dominica praepedita sit, amandari possit ad aliam insequentem Dominicam; vel die propria celebrandum sit?

13. An Decreta Sacrae Rituum Congregationis dum eduntur derogent cuicumque contrariae invectae consuetudini, etiam immemorabili; et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam?

14. Quum Sacrista Presbyter superpelliceo et Stola indutus adstet Canonico solemniter celebranti, dum in Ostensorio reponitur Hostia pro renovatione et expositione Sanctissimi Sacramenti, poterit ne Diaconus hoc in casu manere ad sinistram Celebrantis, eo quod idem Sacrista eo tempore eius vices gerat; vel necesse est ut veniat ad cornu Epistolae nil ibi facturus?

Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, post diligens cuiuscumque dubii examen, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit:

Ad 1. « Intelligendum de Reliquiis; quoad Episcopum, servetur Caeremoniale ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « In casu esse sedendum ».

Ad 5. « Servari posse ».

Ad 6. « Licere; sed cavendum ne Altare portatile sepulcro immineat ».

Ad 7. « Non teneri ad Missam Festi ».

Ad 8. « Standum esse peculiari dispositioni ».

Ad 9. « In exponendo tantum et recondendo Sanctissimo Sacramento ».

Ad 10. « Negative ».

Ad 11. « De Festo occurrente; nisi habeatur indultum ».

Ad 12. « Transferendum cum Missa tantum ad alteram Dominicam non impeditam ».

Ad 13. « Affirmative; sed recurrendum in particulari ».

Ad 14. « Esse officium Diaconi, et non Sacristae ».

Atque ita rescribere rata est et declarare.
Die 11 Septembris 1847.

2952. BLESEN. (5103)

Quum Reverendissimus Blesen. Episcopus Sacrae Rituum Congregationi exposuerit quod in sua Blesensi Dioecesi, sicut in quibusdam aliis Galliarum Dioecesibus, consuetudo invaluit sicubi desunt Diaconi et Subdiaconi pro Caeremoniis Missarum Solemnium duos Laicos sive iuvenes sive uxoratos induendi vestibus sacris, nimirum Amictu, Alba, Cingulo, Tunica vel Dalmatica, numquam tamen Stola et Manipulo, pro Missa maiore, quorum alter Diaconi munere fungi, alter Subdiaconi ministerium adimplere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos Sacros Ordines pertinentem obeant; nam Celebranti tantum assistunt, ut inde maior sit Missae maioris solemnitas; nunc proinde idem Episcopus Sacram ipsam Congregationem requisivit: An invectam hanc consuetudinem conservare; vel potius de medio tollere debeat?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitiis, post auditam a Secretario fidelem relationem, rescribendum censuerunt: « Consuetudo tanquam abusum omnino est eliminanda; et in casu Missa cantetur per solum Presbyterum ». Atque ita servandum mandarunt.

Die 11 Septembris 1847.

2953. EUGUBINA. (5104)

In Oppido vulgo *Fratta* intra fines Dioecesis Eugubinae duae erectae sunt Sodalitates, altera a *bona Morte* nuncupata, altera in ipsa parochiali Ecclesia instituta Sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum; et utraque mense Novembri octiduum in levamen animarum, quae piacularibus addictae flammis in Purgatorio cremantur, instituere assolet. Verum ne in una eademque functione peragenda convenirent, antiquitus erat in more positum, ut Sodalitas *bonae Mortis* proprium memoratum octiduum institueret a die prima ad diem octavam Novembris; et die nona Mensis ipsius inciperet illud Sodalitatis Sanctorum Martyrum Crispini et Crispiniani, utpote recentioris erectionis. Ast quum novissimis temporibus Sodalitas Sanctorum Crispini et Crispiniani inceperit iisdem diebus, queis a Sodalitate *bonae Mortis* octiduum ducitur, proprias pro defunctis preces instituere, licet summo mane; Reverendissimus Episcopus renuit immutationem huiusmodi confirmare ac permittere; proindeque praescripsit ut iuxta pristinum morem Sodalitas Sanctorum Crispini et Crispiniani die 9 Novembris proprio octiduo initium daret, ac per Parochum enunciatae Ecclesiae functiones exercerentur, vel saltem per alios Sacerdotes ab ipso Parocho deligendos. Utrumque praeceptum a Reverendissimo Eugubino Episcopo iniunctum aegre adeo tulerunt Director et Priores Sodalitatis Sanctorum Crispini et Crispiniani, ut Sacrae huius Rituum Congregationis sententiam pariter et auctoritatem implorarint. Eorum vero preces pro opportuna informatione cum voto transmissae fuerunt eidem Reverendissimo Episcopo; qui iteratis Litteris ingenue fatetur se iustissimis de caussis inhibuisse simultaneam quoad dies utriusque octidui celebrationem, ac insimul exposuit quod etsi interdum reapse functiones Sodalitatis expleverint Aeditui, id tamen factum est ex Parochi annuentia ac venia; sed quum in parochiali Ecclesia instituta sit Sodalitas Sanctorum Crispini et Crispiniani, aequum videtur ut Parochus per se vel per delectos a se Sacerdotes etiam Sodalitatis functiones expleat.

Super quibus omnibus per subscriptum Secretarium fideli instituta relatione in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo diligentique examine perpensis, rescribendum censuerunt: « Servetur Decretum Episcopi et praecedens Sodalitatis consuetudo, quoad celebrationem octidui; quoad vero functiones, iuxta alias decreta hae peragantur vel a Capellano vel ab aliis Sacerdotibus a Confratribus Sodalitatis electis ». Atque ita rescripserunt ac servandum omnino mandarunt.

Die 11 Septembris 1847.

2954. PAMPILONEN. (5106)

Quum Reverendissimus Pampilonen. Episcopus in praesentiarum etiam Apostolicus Administrator Archidioecesis Burgensis, compererit inter Directores sacrarum functionum in Hispania diversas vigere opiniones circa continuationem octavarum, quae alicubi locum habent, dum supervenit Solemnitas Sanctissimi Corporis Christi; aliis enim pro viribus sustinentibus cessandum omnino ab aliis octavis superveniente Festo cum octava Sanctissimi Corporis Christi, contradicant alii qui protuentur sententiam intra eamdem octavam Sanctissimi Corporis Christi locum habere debere inchoatas alias octavas; pastoralis sui muneris esse duxit Sacram Rituum Congregationem rogare ut super proposita controversia definitivam sententiam suam producere dignaretur, ad exoptatam uniformitatem assequendam; eo vel magis quia utraque pars suam communiat sententiam Decretis alias datis a Sacra ipsa Rituum Congregatione, non attendentes Decreta ipsa iustissimis de causis data fuisse, prout necessitas vel particulares circumstantiae exigere videbantur.

Religiosissimi memorati Pampilonensis Antistitis pium studium quammaxime commendantes Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi, post auditam ab infrascripto Secretario fidelem relationem eorum omnium quae ab eodem Episcopo enunciabantur, ac post diligens de more examen singularum rationum quae Sacram Congregationem alias adduxere ad edendas diversas in casu responsiones, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunati, rescribendum censuerunt:

« Serventur Rubricae et Decreta alias edita, seu abrumpendas esse octavas solum quando Festum Sanctissimi Corporis Christi privilegio gaudet ad instar Epiphaniae ».

Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt.

Die 11 Septembris 1847.

2955. SENEN. (5108)

Dum in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis expendebantur preces Sacerdotis Aloisii Ballati Decani ac primae Dignitatis Capituli Metropolitanae Senensis Ecclesiae, queis exquirebat num ipse qui ex Apostolicis Litteris erectionis Decanatus s. m. Iulii Papae II, datis Calendis Novembris 1510, peculiarem vestem gestat, nimirum cappam seu caputium more Praelatorum, solus dum Processionibus interest incedere debeat post Capitulum ac alias Dignitates; placuit Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis nil in re definire quin prius exquireretur Reverendissimi Senen. Archiepiscopi dilucida informatio cum voto, praesertim super consuetudine praecedentium Dignitatum. Mentem itaque Sacrae Congregationis, qua praestat diligentia ac religione, exequens Senen. Archiepiscopus pastoralis sui muneris esse duxit ingenue enunciare memoratum Decanum suae Metropolitanae ad dubii tantum solutionem preces suas proposuisse; ac deinceps Sacram Congregationem certiorem reddere consuetudinem semper ibi viguisse ut Decanus sequenti ordine incedat in quibuscumque supplicationibus. Si binae Dignitates (quae praeter Decanum numero quinque in Metropolitana ipsa existunt) vel duo ex antiquioribus Canonicis, ob Dignitatum absentiam, postremi sunt, medius inter eos procedit Decanus; si una Dignitas vel unus antiquior Canonicus supersit, hic sinistram, Decanus vero dexteram tenet. His expositis, votum etiam suum prodere quum ipse Reverendissimus Archiepiscopus adigeretur, minus congruum ac decens evasurum opinatur, quod solus in Processionibus Decanus incedat contra immemorabilem consuetudinem, quae haud perperam introducta censeri debet. Insuper adnotare operae pretium ducit, quod aliquoties Archiepiscopus Processionibus interest post Canonicos Sacris Paramentis indutos, vel si breviores intra Ecclesiam Processiones fiant, post ipsos Chorales vestes gestantes, ac in utrisque solus semper incedit. Iam vero si in huiusmodi Processionibus postremae lineae trium Dignitatum solus et absque comite Decanus succedat, et post hunc solus Archiepiscopus, absque dubio admirationi non exiguae locus pateret; neque amplius haberetur praeeminentia illa, quae ex iure Episcopis tribuenda est. Tam dilucidam ac numeris omnibus absolutam rerum expositionem, cum enunciatis Decani precibus, iterato fideliter referente in novo Ordinario Coetu Sacrorum Rituum ad Quirinales Aedes subsignata die coadunato, Secretario subscripto;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in voto fuere: « Negative, attenta praesertim consuetudine iuxta informationem et votum Archiepiscopi ». Atque ita rescripsere ac servandum mandarunt.

Die 11 Septembris 1847.

2956. VERONEN. (5111)

Sacerdos Ioannes Baptista Biadego Cancellarius Ecclesiae Veronensis, Reverendissimi etiam sui Veronensis Episcopi nomine, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia elucidanda proposuit, ut ex germana eorumdem solutione sacrae functiones ac caeremoniae uniformiter iuxta Rubricas procedant. Dubia autem haec sunt:

1. Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo flagello terraemotus: aut peste, fame et bello; quaeritur: Num et istae recitari debeant, et quo loco inserendae?

2. Quum in Sacra Ordinatione Episcopus imponat Ordinando ad Subdiaconatum Amictum in capite; quaeritur: Utrum illud in capite teneri debeat usque ad finem Orationis; an super scapulas dimittere, et quando?

3. Quaeritur an preces cum tribus Orationibus praescriptae a Rituali Romano post Processionem pro gratiarum actione, recitari etiam debeant quando cantatur *Te Deum* sine Processione pro beneficio obtento, vel conclusione Exercitiorum, etc.; aut sufficiat unica Oratio *Deus, cuius misericordiae,* omissis precibus et duabus Orationibus?

4. Utrum in Vesperis Paschae Antiphona *Haec dies* cantari debeat ab Hebdomadario: an ab eo tantum intonari, Choro vel Cantoribus prosequentibus, stantibus hinc inde Assistentibus et Ceroferariis cum cereis, ut ad Capitulum?

5. Num Celebrans, ubi non est obligatio Chori, in Vesperis Festivis vel Votivis possit Stolam induere, quum sit veluti praeeminentiae signum in Choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

6. Utrum in secunda et tertia Missa cantata in die Nativitatis Domini Subdiaconus debeat sustinere Patenam, quum ipsa prius superposita fuerit Calici nondum purificato et reservato in Tabernaculo post primam

Missam; an potius eam relinquere super Corporale, et agere ut in Missa pro Defunctis?

7. Utrum in Missa Solemni tam de Festo, quam de Requiem, dum Sequentia cantatur in Choro, eadem submissa voce recitari debeat a solo Celebrante; an alternatim a Celebrante cum Sacris Ministris?

8. Quoties in Rogationibus Processio in aliquam ingreditur Ecclesiam, quin ibi Missa celebretur, canitur Antiphona de Sancto Titulari. Nunc quaeritur: Cuius coloris debeat esse pallium Altaris et Conopaeum Sanctissimi Sacramenti, de Festo scilicet, an de Rogationibus vel de Sancto cuius antiphona decantatur cum Oratione?

9. Num conveniens sit quod Caeremoniarius vel Thuriferarius incenset Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum quum populo benedictio impertitur, uti fit in elevatione Sanctissimi Sacramenti in Missa solemni? (1)

10. Num in Missa de Requiem, quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba *Per Evangelica dicta?*

Quae quidem dubia a Secretario proposita diligenter de more expendens Sacra Congregatio Rituum, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative; et ponendas esse post versum *A fulgure et tempestate* ».

Ad 2. « Dimittendum super scapulas post impositionem ».

Ad 3. « Extra casum Processionis, sufficere versus *Benedicamus Patrem.... Benedictus es...., Domine exaudi*, cum unica Oratione *Deus, cuius misericordiae* ».

Ad 4. « Esse ab Hebdomadario intonandam ».

Ad 5. « Negative, iuxta alias decreta ».

Ad 6. « Sustinendam esse de more Patenam ».

Ad 7. « A solo Celebrante ».

Ad 8. « Iuxta Ecclesiae Officium ».

Ad 9. « Non praescribi ».

Ad 10. « Negative ».

Atque ita rescribere rata est et declarare. Die 11 Septembris 1847.

2957. ARIMINEN. (5112)

Rm̃e Domine, uti Frater.

Amplitudinis Tuae consilium exequens Sacerdos Marianus Cerri Parochus Ecclesiae Sanctae Mariae *in Corte* istius Ariminen. Civitatis, Sacram hanc Rituum Congregationem supplex adivit enixeque rogavit ut declarare dignaretur: Num servanda sit immemorabilis consuetudo in eadem Ecclesia, olim Ordinis Praedicatorum, summo mane cuiuslibet diei recitandi Sacratissimum Rosarium Beatae Mariae Virginis et post ipsum dimittendi populum fidelem cum benedictione Sanctissimi Sacramenti in Sacra Pyxide acclusi, imo, in Festis, cum Ostensorio quod in summitate non habeat Crucem a Rubricis requisitam; quin neutro in casu Sacramentum ipsum sive in Pyxide reclusum, sive in Ostensorio apparens, thurificetur?

Quae singula dum fideliter de more retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Quirinale hodie habitis subscriptus Secretarius, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, quamvis praenoscerent haec singula ab ordinaria facultate Amplitudinis Tuae pendere, attamen satius duxerunt respondere: « Scribatur Episcopo ad mentem ». Mens itaque Sacrae Congregationis est: « Ut Amplitudo Tua quoties nil inconveniens deprehendat, quoad horam praesertim hyemali tempore, permittat continuationem huiusmodi piorum exercitiorum in Deiparae honorem; nam omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum Sacra Pyxide; requiritur tamen omnino quum impertitur benedictio cum Ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat; ac pariter exigat ut in summitate Ostensorii Crux visibilis apponatur, quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine Ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explendis Sacris Caeremoniis ». Quae singula dum nomine Sacrae Congregationis Amplitudini Tuae communico, diu felix et incolumis vivat.

Romae 11 Septembris 1847.

2958. BRUGEN. (5115)

In Decreto Concilii secundi Provincialis Mechliniensis a Sede Apostolica approbato, tit. 13, cap. 6, habetur: « Si Festum Sancti Marci transferendum sit post Pascha, fit de eo cum Litaniis et abstinentia a carnibus Feria IV post Dominicam in Albis. Quod si in dictam Feriam IV incidat Festum vel Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi,

(1) E. Dub. 10 et 11.

vel Sanctissimae Crucis, Festum Sancti Marci transferatur in Feriam V immediate sequentem ». Hisce positis, Reverendissimus Brugen. Episcopus humillime declarari efflagitat:

An si alicubi in praefata Feria V occurrat Festum Patroni, Officium Sancti Marci cum Processione et abstinentia a carnibus transferri ulterius possit, nimirum ad sequentem Feriam VI, quamvis in illa occurrat aliud Officium inferioris ritus vel dignitatis? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinales Aedes subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario, post accuratum dubii examen, respondendum censuit: « Affirmative, quoad Processionem et abstinentiam; quoad Officium vero, in primam diem liberam ».

Atque ita rescribere rata est et declarare.

Die 11 Septembris 1847.

2959. TAURINEN. (5118)

Hodiernus Praepositus Congregationis Oratorii in Civitate Taurinen., quum deprehenderit in Ecclesia suae Congregationis immemorabiles nonnullas consuetudines, quae ecclesiasticis sanctionibus non apprime concordant, illas Sacrae Rituum Congregationi exponendas esse censuit, ac insimul rogare ut illas permittere saltem dignaretur; nam de medio eas tollere difficile admodum arbitratur. Quae quidem consuetudines tribus sequentibus dubiis exponuntur; nimirum:

1. An tolerari possit usus, ut tempore Sacri Adventus et Quadragesimae in Dominicis ad Missas solemnes et Vesperas pulsentur Organa?

2. An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu praetermittatur cantus Introitus, Offertorii, Communionis, et quando post Epistolam occurrit, etiam Sequentiae? Item quod in Missis defunctorum praetermittatur cantus saltem integrae Sequentiae *Dies irae* et Offertorii? et an post easdem Missas defunctorum, quae tamen ex nulla obligatione decantantur, praetermitti possit cantus saltem alicuius partis absolutionis?

3. Utrum itidem ferendus sit usus, ut post Vesperas Feriae V in Coena Domini denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem superpelliceo et Stola indutum cum duobus Clericis superpelliceo pariter indutis, non vero per Celebrantem cum Ministris, uti in Missali indicitur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, referente subscripto Secretario, post accuratum tum precum tum Decretorum examen, rescripsit:

Ad 1. « Quoad Organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem, non obstante consuetudine ».

Ad 2. « Negative, quoad primam partem; quoad secundam vero ac tertiam: Vel non celebrandas Missas Defunctorum, vel canenda esse omnia quae precationem suffragii respiciant ».

Ad 3. « Servari posse consuetudinem ».

Die 11 Septembris 1847.

2960. ADIACEN. (5121)

Ut in sacris caeremoniis ecclesiasticisque functionibus omnia ordinate fiant rectaque methodus servetur, Reverendissimus Adiacen. Episcopus pastoralis sui muneris esse duxit Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione sequentia exponere dubia; nimirum:

1. Absente a Choro in aliqua ex sacris functionibus prima Capituli Dignitate, thurificatio debet ne incipere a parte in qua Dignitas ipsa sedere solet; vel potius praeferendus semper sit Canonicus dignior inter Choro praesente, nullo habitu respectu ad locum in quo ipse sedet?

2. In Caeremoniali Episcoporum sub articulo de Missa Pontificali legitur, quod Canonici sedere debeant ad verba: *Et incarnatus est*. Quaeritur: An huiusmodi praescriptio comprehendat omnes Canonicos etiam simplici habitu Chorali indutos, aut eos tantum qui sacris paramentis induti sunt?

3. Denegatur ab aliquibus Ecclesiasticis obligatio Crucem adspiciendi dum a Rubrica Sacerdoti celebranti iniungitur in Missa oculorum elevatio. Quidnam dicendum de huiusmodi opinione?

4. Ab immemorabili in quadam Cathedrali in Choro unica cantatur Missa, tum in Feriis tum in Festis, et haec post Nonam semper locum habet: Huiusmodi ne consuetudo potest tolerari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente Secretario et omnibus maturo examine perpensis, rescripsit:

(1) E. Dub. 2 et 3.

Ad 1. « Thurificationem esse semper incipiendam a parte, in qua sedet Hebdomadarius ».

Ad 2. « Ab omnibus qui sunt in Choro sedendum, praeter quam in diebus Nativitatis Domini et Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, in quibus ab omnibus est genuflectendum ».

Ad 3. « Iuxta Rubricas, in elevatione oculorum Crucem esse aspiciendam ».

Ad 4. « Servandas esse Rubricas quoad numerum Missarum Conventualium, iuxta diversitatem dierum et Horas illas celebrandi; nimirum: de Festo, post Tertiam; de Simplicibus et Feriis per annum, post Sextam; de Feria maiori et de Vigilia, post Nonam ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 22 Iulii 1848.

2961. ARIMINEN. (5122)

Quolibet intra annum Sabbato Capitulum Cathedralis Ariminen. Ecclesiae ex antiqua consuetudine, in Statutis etiam contemplata, assolet Missam Votivam Beatae Mariae Virginis decantare. Ast quum diversa sit Capituli opinio circa hanc ipsam Missam, quoties pervigilium Assumptionis Deiparae incidit in Sabbato; sequens dubium pro opportuna solutione superiore anno 1847 datum fuit Sacrae Rituum Congregationi; nimirum: An in pervigilio Festi Assumptionis Beatae Mariae Virginis incidente in Sabbato, praeter Missam de ipsa Vigilia, decantari etiam debeat Missa Votiva Deiparae, quae ex invecta consuetudine decantatur; vel Missa Vigiliae Votivam Missam excludat?

Huiusmodi vero dubium quum per Secretarium propositum fuerit in Ordinariis Comitiis eodem superiore anno die 11 Septembris habitis, placuit Eminentissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis informationem exquirere Reverendissimi Ariminen. Episcopi, ut certior redderetur Sacra Congregatio num vel ex Apostolico indulto, vel ex pio Legato Capitulum Cathedralis Ariminen. adigeretur ad Missam saepe dictam Votivam Beatae Mariae Virginis.

Iterum itaque ab eodem Secretario infrascripto proposito dubio in novis Ordinariis Comitiis ad Quirinale habitis hodierna die, una cum dilucida numerisque omnibus absoluta informatione Reverendissimi Episcopi Ariminen.;

Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: « In casu posse cantari sola Missa de Vigilia, quum nullum adsit peculiare onus Missae votivae ».

Die 22 Iulii 1848.

2962. BELLICEN. (5123)

Altare maius Sacelli, iuris Iulii e Baronibus de Serphanion in Castro vulgo *de Epirre* intra fines Dioecesis Bellicen., ex concessione s. m. Gregorii Papae XVI quotidiano gaudet Indulgentiarum privilegio. Quum autem supponeret ipse Baro quod ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati omnino requiratur, ut quilibet Sacerdos in eo celebrans in sacris paramentis adhibere debeat colorem nigrum, uti exigunt Decreta Sacrae Rituum Congregationis, id grave admodum experiri fatebatur; ac proinde SSm̃um Dominum Nostrum Pium IX Pontificem Maximum enixis precibus rogat, ut Apostolicum elargire dignaretur indultum, cuius vigore cuicumque Sacerdoti in memorato Altari celebranti liceat uti vestibus sacris coloris Officio diei respondentis, et plenariam quotidie Indulgentiam lucrari.

Huiusmodi preces quum Secretarius infrascriptus retulerit in Ordinariis Comitiis eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis ad Quirinale hodierna die habitis;

Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit: « Enunciata Decreta intelligenda esse de Missa Defunctorum, seu de Requiem, quae omnino in casu dicenda est quando a Rubrica permittitur; nam iuxta Constitutiones Summorum Pontificum Romanorum Alexandri VII, Clementis IX et Innocentii XI, Indulgentia Altaris privilegiati in Duplicibus lucratur per celebrationem Missae Officio diei respondentis, et cum colore paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii ». Atque ita rescripsit declaravitque.

Die 22 Iulii 1848.

2963. COLLEN. (5124)

Quum Reverendissimus Collen. Episcopus Sacrae Rituum Congregationi exposuerit, quod in sua Cathedrali Officium Sanctorum Martyrum Faustini et Iovitae recitetur sub ritu duplicis primae classis cum octava, insimul addidit quod Officium Cathedrae S. Petri Antiochenae, utpote incidens ipsa die octava, assignatum fuit tamquam in sede propria die 25 Februarii. Interdum vero superveniente Quadragesima, ac cessante octava, quum dies 22 Februarii libera re-

maneat, non una est Cleri Collensis opinio circa assignationem Officii Cathedrae Antiochensis; siquidem asserentibus aliis, quod Officium istud fieri debeat cum universali Ecclesia die 22, alii verius et rectius opinantur nec tunc removendum a designata die 25 Februarii. Ad tollendam propterea quamcumque dubitationem et ambiguitatem, idem Reverendissimus Collen. Antistes ipsius Sacrae Congregationis oraculum requisivit.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, ad Quirinale in hodiernis Ordinariis Comitiis coadunata, ad relationem Secretarii, post diligens expositae controversiae examen rescribendum censuit: « In casu exposito dies 25 Februarii habenda est tamquam fixa Officio Cathedrae Sancti Petri Antiochenae, non obstante citata occurrentia ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 22 Iulii 1848.

2964. DUBIORUM. (5125)

Quum Sacra Rituum Congregatio de sententia requisita fuerit super sequentibus dubiis a Secretario subscripto propositis; nimirum:

1. An Religiosi utriusque sexus, proprium Calendarium non habentes, uti debeant Calendario Dioecesano?

2. An oneri satisfaciant divini Officii persolvendi, si alio quam Dioecesano Calendario utantur?

3. An sit servanda consuetudo, penes nonnullos Regularium Ordines invecta, addendi Symbolum Nicaenum Missae insignium Patronorum Ordinis, qui non sint Institutores, Titulares vel Patroni, etiam si de ipsis Officium recitetur ritu duplicis secundae classis?

Eminentissimi et Reverendissimi Patres, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunati, post acceptum votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative; additis Officiis peculiariter concessis Regularibus in illa Dioecesi commorantibus ».

Ad 2. « Provisum in praecedenti ».

Ad 3. « Consuetudinem esse abrogandam; et solum addendum Symbolum, si sint Institutores, Titulares vel Patroni ».

Atque ita servandum mandarunt. Die 22 Iulii 1848.

2965. FLORENTINA (5126)
SEU ORDINIS MINORUM
DE OBSERVANTIA.

Quum hodiernus Guardianus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Coenobii Omnium Sanctorum in Civitate Florentina, Sacram Rituum Congregationem enixe rogarit, ut declarare dignaretur sequentia dubia, nimirum: (1)

1. An liceat in Dominicis Sacri Adventus et Quadragesimae pulsare organa in Missis solemnibus, praeter Dominicas a Rubrica exceptas? et an, quatenus hic usus in aliqua Ecclesia vigeat, sit eliminandus?

2. Quum ex Rubricis Sabbato *Sitientes* velentur Sacrae Imagines Altarium, quaeritur: An liceat eas detegere Feria VI in Parasceve, et non ad Hymnum Angelicum in Sabbato Sancto, uti Rubricae ipsae praescribunt?

3. An tolerandus sit usus ut in Sabbato Sancto Praeconium decantetur ab alio Diacono diverso ab illo, qui Missae inservit; adeo ut duo sint Diaconi, alter Missae, alter vero Praeconii?

4. An pariter permitti possit ut Clericus Regularis, interdum nec Tonsura initiatus, Subdiaconi officio fungatur in Missa solemni; dum alter vel Sacerdos vel in maioribus constitutus Ordinibus adest, qui ut Subdiaconus inservire potest eidem Missae solemni?

Sacra Rituum Congregatio, in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunata, referente subscripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Abusum esse eliminandum ».

Ad 2. « Velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati Sancti, iuxta Decreta alias edita ».

Ad 3. « Usum esse contrarium Decretis ».

Ad 4. « In casu necessitatis, dummodo non adsit alter; sed debere esse Clericum ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 22 Iulii 1848.

2966. GANDAVEN. (5127)

Quum Reverendissimus Gandaven. Episcopus Sacram Rituum Congregationem humillime rogarit ut declarare dignaretur: Utrum Episcopus in Ordinatione Regularium in sua Dioecesi degentium dicere debeat: *Promittis Ordinario tuo obedientiam etc.;* an potius: *Promittis mihi etc.?*

(1) E. Dub. 1.

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunati, infrascripto Secretario referente, respondendum censuerunt: « Servetur clara dispositio Pontificalis Romani ».

Die 22 Iulii 1848.

2967. DUBII. (5129)

Dum superiori anno 1847 die 27 Februarii Sacra Rituum Congregatio in una Vicariatus Ruremundensis in Hollandia ad dubium 4 declaravit Parochum posse, vel per se vel per alium, in Dominicis applicare pro populo Sacrosanctum Missae Sacrificium etiam privatim celebrando, quin teneatur applicare Missam solemnem, cuius celebrationem interdum committit alii sibi beneviso Sacerdoti; super hac ipsa declaratione novum in praesentiarum proponitur dubium, quod fundatur in declarationibus et Decretis alias a Sacris Congregationibus Urbis latis, et a quibus omnino exigitur ut Parochus in Dominicis Festisque pro populo applicet.

Iterum itaque Sacra Congregatio Rituum de sententia requisita, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem ac post maturum omnium examen, rescribendum censuit: « Responsionem datam die 27 Februarii 1847 intelligendam esse quoad Missam solemnem, de qua quaerebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis et in facto declaratis, rescribere rata est posse quemlibet Parochum, accedente iusta et legitima causa, adimplementum Missae pro populo applicandae alii Sacerdoti committere, seu per alium Sacerdotem hanc Missam celebrare facere ». Atque ita rescripsit.

Die 22 Iulii 1848.

2968. MONTIS POLITIANI. (5130)

Dum Reverendissimus Episcopus Montis Politiani ingenue exposuit in sua Dioecesi consuetudinem vigere exponendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro hoc vel ipso defuncto, quotannis vel quibusdam diebus, loco Officiorum de Requiem; insimul declaravit difficile admodum esse hanc ipsam consuetudinem impedire: siquidem quatenus venia denegatur, fideles neque expositionem Sanctissimi Sacramenti faciunt, neque Officia de Requiem. Verum quum expositio ista Decretis non sit consentanea, huius Sanctae Apostolicae Sedis oraculum requisivit Reverendissimus idem Episcopus; cuius humillimae preces quum a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifice Maximo transmissae fuerint ad Sacram Rituum Congregationem,

Eadem Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunata, audita a Secretario infrascripto fideli relatione, respondendum censuit: « Pro gratia speciali, non obstantibus Decretis, Episcopus pro suo arbitrio et prudentia, iuxta particulares casus et circumstantias, indulgeat ».

Die 22 Iulii 1848.

2969. MONTIS REGALIS. (5131)

Quum Sacerdos Xaverius Giaconia Canonicus Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Crucifixi in Civitate Montis Regalis Sacrae Rituum Congregationis rogarit sententiam super sequentibus dubiis; nimirum:

1. Qualis sit color adhibendus in celebratione Festi Sanctissimi Redemptoris Iesu, quod memorata Ecclesia instituit ritu duplicis secundae classis?

2. Quum Festum Sanctissimi Corporis Christi a memoratae Ecclesiae Capitulo celebretur cum octava privilegiata, uti asseritur, ad instar Epiphaniae; quaeritur: Num die octava occurrente interdum in Solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Officium debeat esse de iisdem Sanctis Apostolis cum commemoratione diei octavae Sanctissimi Corporis Christi; vel potius de ipsa die octava translato Officio Sanctorum Apostolorum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierno in Ordinario Coetu coadunata, referente subscripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Colorem album adhibendum ».

Ad 2. « Iuxta Rubricas: Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita rescripsit.

Die 22 Iulii 1848.

2970. ORDINIS (5132)
CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Quum R. P. Antonius ab Assumptione Beatae Mariae Virginis, ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum, Sacram Rituum Congregationem iteratis precibus rogarit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam elicere dignaretur; nimirum:

1. An post Decretum diei 28 Iulii 1821 possint adhuc Sacerdotes uti indulto iam impetrato celebrandi Sacrosanctum Missae

Sacrificium in Sabbato Sancto? et quatenus affirmative,

2. An Sacerdotes ipsi indultarii ea die celebrare possint, antequam ab Ecclesia matrice cum festivo sonitu nolarum gloria Resurrectionis annuncietur?

3. An idem servari possit iis in Ecclesiis, in quibus ex Apostolico indulto una alterave Missa celebratur?

4. An huiusmodi Missis privatis praemittenda sit lectio Prophetiarum et Litaniarum; an vero ipsae incipiendae sint ab Introitu?

5. An Ecclesia parochialis omnino adigatur ad Functiones Sabbati Sancti, iuxta parvum Caeremoniale s. m. Benedicti XIII, si sufficienti Clero destituatur; et an huiusmodi in casu Missa ordinanda sit ut in praecedenti dubio quarto?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, habito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris auditaque fideli relatione a Secretario, rescribendum censuit:

Ad 1. « Servetur Decretum, per se clarum, in una Resolutionis dubiorum in responsione ad tertium, diei 28 Iulii 1821, confirmatum a SSmo Domino Nostro s. m. Pio Papa VII, sub die 31 eiusdem mensis et anni ».

Ad 2. « Quum indultum respiciat Ecclesias: Affirmative, post solemnem ».

Ad 3. « Iam provisum in secundo ».

Ad 4. « Iuxta idem Decretum more solito, sed sine Introitu post Psalmum: *Iudica me Deus* et Confessionem ».

Ad 5. « Affirmative; et servetur in omnibus solitum, iuxta parvum Caeremoniale Benedicti Papae XIII ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 22 Iulii 1848.

2971. PITILIANEN. ET SOANEN. (5133)

Quum Sacerdos Petrus Bonasera Canonicus supranumerarius Cathedralis Pitilianen. itemque Ecclesiae Sanctae Mariae in Civitate ipsa Parochus, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna declaratione exhibuerit; nimirum:

1. An in funeribus, facta ab haeredibus electione, dum orator uti Parochus advocat ad funus Cathedralis Capitulum, possit praecedentiam habere incedendo cum Stola ante feretrum locumque in stallo supra Capitulum assumere, cuius ipse est Canonicus supranumerarius?

2. An Parochus Canonicus supranumerarius Cathedralis, in propria Ecclesia, praesente ipsius Cathedralis Capitulo, ius habeat Missam canendi?

3. An Parochus constitutus Canonicus supranumerarius cum plenitudine iuris Canonicalis expressa voce: *audito Capitulo,* vocem habeat in Capitularibus Comitiis?

Sacra eadem Rituum Congregatio, post acceptam Reverendissimi Pitilianen. et Soanen. informationem cum voto, auditamque a subscripto Secretario fidelem relationem, in hodierno Ordinario Coetu ad Quirinale coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, in associatione cadaverum; in Officio, pariter Affirmative, si Hebdomadarii munus exerceat ».

Ad 2. « Affirmative, praesente Corpore, et in diebus tertio, septimo, et trigesimo; in Anniversariis aliisque functionibus, Negative; sed spectare ad Hebdomadarium ».

Ad 3. « Vocem habere tantum quando agitur de disciplina, vel novo honore aut onere suscipiendo ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 22 Iulii 1848.

2972. SANCTIMONIALIUM (5134) ORDINIS SANCTAE CLARAE.

Dum in Sacra Rituum Congregatione serio examine expendebantur preces, queis Sanctimoniales Ordinis Sanctae Clarae Monasterii Civitatis Havanae in Insula vulgo dicta de Cuba efflagitabant indultum, ut deinceps nomen Sanctae Matris Clarae addere valerent in *Confiteor,* in Officii Commemorationibus ceterisque in Orationibus, in quibus Sancti Francisci nomen apponitur; innotuit Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis usque ab anno 1825 s. m. Leonem Papam XII propria manu pro Sanctimonialibus Asceterii Sanctorum Cosmae et Damiani Martyrum in Urbe signasse gratiam confirmationis consuetudinis, ibi invectae et eidem Summo Pontifici expositae, addendi nempe in Suffragiis, quoties locum habent in divino Officio, Commemorationem Sanctae Clarae illiusque nomen exprimendi, in privata non minus quam publica *Confiteor* recitatione tantum.

In Ordinariis quocirca Comitiis ad Quirinale coadunatis subsignata die, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Patres, audita

a Secretario fideli relatione super omnibus: « De speciali gratia, annuendum censuerunt iuxta memoratum indultum a s. m. Leone Papa XII Sanctimonialibus Ordinis Sanctae Clarae ad Sanctos Cosmam et Damianum Urbis concessum ».

Die 22 Iulii 1848.

2973. SYRACUSANA. (5136)

Dum Rmus Syracusanus Archiepiscopus perspexit usum inter Clerum sibi commissum vigentem, videlicet accedendi ad solemnem supplicationem Corporis Christi cum sacris vestibus, nimirum Casula, Stola et Manipulo; illico deprehendit id omnino adversari ecclesiasticis sanctionibus ac Caeremoniali Episcoporum. Verum ad evitandas controversias maluit Sacram hanc Congregationem Rituum humillimis adire precibus enixeque rogare, ut declarare dignaretur: Num in pervetusta ac pene immemorabili exposita consuetudine Clerum ipsum relinquere possit; vel potius eumdem adigere debeat ad assumendam Casulam tantum, absque Stola et Manipulo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierno Ordinario Coetu coadunata, post auditam a Secretario fidelem relationem et diligens super expositis institutum examen, rescribendum censuit:

« Quoad usum Stolae in casu relinqui posse arbitrio Episcopi, ex consuetudine; Albam permittendam Beneficiatis, non vero Canonicis, qui uti debent rochetto et Casula; Manipulum vero omnino inhibendum, iuxta Rubricas ». Atque ita rescripsit.

Die 22 Iulii 1848.

2974. TORNACEN. (5137)

Quum Sacerdos Ioannes Ioseph Loiseau in Seminario Tornacensi Sacrorum Canonum Professor comperiat nonnullas adhuc praebere difficultates indultum reductionis Festorum usque ab anno 1802 ab Eminentissimo Domino Cardinali Caprara promulgatum, Sacrae Rituum Congregationis sententiam requisivit super dubiis, quae examinanda diluendaque proposuit, ne huiusmodi in re ambiguitas ulla supersit. Nam quum vi eiusdem indulti aliqua Festa in Dominicas sequentes fuerint translata, videlicet: Festa Epiphaniae Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sanctorum Patronorum cuiusque Dioecesis et Paroeciae; dubium circa hanc translationem subortum tulit praelaudatus Eminentissimus responso ad Vicarium Generalem Archidioecesis Mechliniensis die 21 Iunii 1804 directo, iisque verbis concepto: « Sola solemnitas praefatorum Festorum transfertur ad Dominicam sequentem in qua quidem Officium a Clero, tam publice quam privatim ac Missa celebrabitur iuxta Rubricas occurrentes, seu iuxta consuetum ordinem. Canetur tamen una Missa solemnis de Festis illis translatis, more votivo, cum unica Oratione; minime omissa in Cathedralibus aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur (et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum) altera Missa Conventuali de Dominica vel Festo occurrente ». Ex quo Decreto plura emerserunt dubia, nimirum:

1. His innixa verbis: *more votivo cum unica Oratione,* omnia Belgii Calendaria ecclesiastica praescripserunt Missam solemnem in Dominica proxime sequenti cantandam esse votivam de Festo in qualibet parochiali Ecclesia et absque ulla commemoratione; et ita huc usque servatum est. Iam vero anno proxime elapso quidam hac ratione moti, quod Missa votiva ab Eminentissimo Legato praescripta non discrepet ab ea, de qua fit mentio in Rubricis Generalibus Missalis Tit. IV et Decretis a Sacra Rituum Congregatione iam pridem emanatis, necnon et auctoritate doctissimi Gardellinii eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris; docuerunt in hac Missa solemni, si alia, nempe de Festo occurrente, in Ecclesia parochiali non cantetur, faciendam esse commemorationem Dominicae vel Festi occurrentis. Quaeritur ergo utrum consuetudini standum sit; an potius Missae solemni (ubi alia non canitur de Dominica vel Festo occurrente) addenda sit Dominicae vel Festi occurrentis commemoratio?

2. Alterum dubium oritur ex his verbis: *Minime omissa in Cathedralibus aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur (et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum) alia Missa Conventuali.* Quaeritur utrum illa verba intelligenda sint dumtaxat de Cathedralibus et Collegiatis, in quibus talis Missa proprie Conventualis celebratur; an vero ad omnes parochiales Ecclesias, in quibus adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, extendenda sint? et quatenus affirmative,

3. Num sufficiens numerus Sacerdotum censetur, si alicui ex his Ecclesiis ultra Parochum tres vel quatuor alii Presbyteri, tamquam Vicarii seu Coadiutores Parochi, sint adscripti?

4. An praedicta Missa votiva solemnis celebranda sit, non modo in Ecclesiis Parochialibus, sed et in Oratoriis publicis?

5. An itidem in Ecclesiis Regularium et Monialium?

Et Sacra Rituum Congregatio, in hodiernis Ordinariis Comitiis ad Quirinale coadunata, referente subscripto Secretario, consideratis omnibus et inhaerendo aliis Decretis in similibus datis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Addendas esse commemorationes in casu ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 3. « Provisum in praecedenti ».

Ad 4. « Affirmative; dummodo de more Missa in Festis cantetur ».

Ad 5. « Ab unaquaque Ecclesia suam servandam esse consuetudinem ».

Atque ita rescribere rata est et declarare.

Die 22 Iulii 1848.

2975. CONGREGATIONIS (5139) CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI BARNABITARUM.

Quum in Ecclesia adiecta Collegio Novitiatus Clericorum Regularium Sancti Pauli Barnabitarum in Civitate Ianuen., in Nocte Nativitatis Domini, nec divina Officia nec solemnis Missa locum habeant; id grave admodum experiens hodiernus Collegii ipsius Superior propriae et Novitiorum pietati satisfacturus superiori anno 1847 in hac ipsa sacratissima Nocte post Matutini recitationem Missam cum cantu celebravit in Novitiatus ipsius Sacello, ratus id exequi posse vi Privilegiorum Regularibus concessorum. Verum quum diversae circumferantur super facto opiniones inter Alumnos Collegii ipsius, ac ex eis aliquis contendat id omnino non licere, quia vetitum est in solemnitate illa celebrare in privatis Sacellis, et quia Sacellum istud non inservit Religiosae Familiae, sed Novitiis tantum; ut indubia habeatur declaratio, quae futuris etiam temporibus, veluti norma servetur,

Sacra Rituum Congregatio, super facto ipso de sententia rogata, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus maturo examine perpensis consideratisque, rescribendum censuit: « Posse, iuxta exposita ».

Atque ita rescribere rata est et declarare.

Die 22 Iulii 1848.

2976. LIBURNEN. (5140)

Quum Sacerdos Hieronymus Gavi Praepositus in Cathedrali Liburnensi Ecclesia, modo ad Dignitatem Episcopalem assumptus ac renunciatus Episcopus Milten. in Partibus, administrationem obtinuerit Dioecesis Liburnen.; pro ea, qua praestat religione, veretur ne quidquid sibi assumat ex privilegiis et honorificentiis Episcopalibus sibi, ceu Administratori, non debitis (nam Praepositi Dignitatem adhuc retinet) neque aliquid praetermittat Episcopali characteri competens; ac proinde Sacrae Rituum Congregationis sententiam super sequentibus dubiis humillime requisivit; nimirum:

1. An Epistolam pastoralem, sive latino sive vulgari sermone conceptam, commisso sibi in administrationem gregi dirigere possit?

2. An uti possit mozzetta, vel potius supra rochettum mantellettam tantum gestare debeat?

3. An in Pontificalibus uti unice debeat faldistorio?

4. An dum Choro assistit uti Praepositus (prima Capituli Dignitas) retinere debeat primum stallum?

5. An in Processionibus, ut suae Praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo Capitulo incedat omnino, occupans digniorem locum?

6. An in iisdem Processionibus possit interdum incedere post Sacerdotem deferentem Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae Praebendae fructibus participet?

7. An umquam Missae solemni assistere possit pluviali aut cappa indutus, absque tamen circulo Canonicorum; vel potius requiratur, ut cum mantelletta assistat ad lucrandos suae Praebendae fructus? Item an in Pontificalibus celebrans possit habere Diaconos assistentes?

8. An Episcopo Administratori liceat perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum ac Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, quin Missam deinde celebret?

9. An habeat usum galeri cum chordulis et floccis viridis coloris; et an huiusmodi colore possint ornari equi currus?

10. An Caudatarii opera uti possit saltem dum in sacris functionibus peragendis solutam habere debet longiorem talaris vestis fimbriam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Qui-

rinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus maturo examine perpensis ac referente subscripto Secretario, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Affirmative ».

Ad 7. « Quoad primam partem, Negative; quoad secundam, Affirmative; quoad tertiam, Negative ».

Ad 8. « Negative; nam id unice competit Episcopis Ordinariis; et quum Orator Praebendam retineat, necesse est ut praxi communi se conformet: nimirum, ut enunciatae benedictiones perficiantur a Celebrante ».

Ad 9. « Negative, ad primam partem; et quoad secundam, recurrat ad Sacram Caeremonialis Congregationem ».

Ad 10. « Affirmative in casu ».

Atque ita rescribendum rata est ac ex alias etiam decretis declarare.

Die 23 Septembris 1848.

2977. MEDIOLANEN. (5142)

Beatissime Pater.

Archiepiscopus Mediolanen. Sanctitati Vestrae demisse sequentia exponit:

Ambrosius Custodi, Canonicus Confessarius et Magister Domus Ecclesiae Collegiatae loci vulgo *Busto-Arsizio* Archidioecesis Mediolanen., in aetate 58 annorum constitutus, apopletico morbo anno elapso perculsus, paralysi impeditus mansit quoad dextrum brachium una cum manu. Retinens tamen expeditas facultates mentales et loquelam, manu sinistra (qua etiam scribere nitide valet) didicit Missae caeremonias ita peragere ut Parochus Praepositus loci, praevio peracto examine, testari potuisset caeremonias praecise, rite, convenienter atque decore a praedicto Canonico fieri; quamobrem facultatem Missam celebrandi concedi iure posset. Una tantum caeremonia ad normam rubricarum ab eodem Canonico fieri nequibat, fractio scilicet Hostiae ante *Pater noster;* non enim eam frangebat super cuppa Calicis, sed super Patena, postea particulam in Calicem immittebat iuxta praescripta ritus Ambrosiani.

Omnibus attentis, cum totalis non appareret dextrae manus et brachii paralysis, irregularitas *ex defectu* dubia Archiepiscopo Mediolanensi visa est; quare piissimo illi Canonico facultatem fecit Missam celebrandi, quam ipse reapse fere per tres menses celebravit.

Archiepiscopus Mediolanen. serius, ex ulterioribus informationibus, certior redditus de totali manus et brachii paralysi qua destituebantur quolibet motu, a Missa celebranda abstinendum Canonico suasit, donec Apostolica haberetur dispensatio.

Attendens igitur periculum scandali remotum dumtaxat haberi, cum ii qui Missae a Canonico celebratae adfuerunt, potius quam scandalo aedificatione affecti sint ob caeremonias rite exactas et devotionem celebrantis, quin aliquid unquam minus conveniens sive circa sacramentales species, sive circa ipsas caeremonias acciderit: attendens praeterea merita praefati Canonici, qui, pietate ac aliis virtutibus praecellens ac omni dignus commendatione, magna apud loci incolas existimatione gaudet; Sanctitatem Vestram Archiepiscopus Mediolanen. enixe exorat ut benignam dispensationem a dicta irregularitate *ex defectu* praefato Canonico concedere velit, ut ad spirituale solatium Missam celebrare valeat.

Sanctissimus itaque, referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis ac testimonialibus litteris Reverendissimi Archiepiscopi Mediolanen. habitaque in scriptis sententia alterius ex Consultoribus Theologis, de speciali gratia eidem Antistiti facultates omnes necessarias et opportunas tribuit, ut oratorem dispensare valeat super exposita irregularitate *ex defectu:* adeo ut cum assistentia alterius Sacerdotis cotta induti, iterum Sacrosanctum Missae Sacrificium licite ac libere celebrare queat, in Ecclesiis tamen loci tantum ubi, cognito infortunio, scandalum removetur; dummodo post formale experimentum coram Caeremoniarium Episcopalem vel alium Sacerdotem in ecclesiasticis Caeremoniis apprime versatum ab ipso Sacerdote iterandum, nil aliud impediat quominus Missam celebret.

Contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus.

Die 27 Septembris 1848.

2978. URBIS ET ORBIS. (5143)

Redempti sumus in Domini Nostri Iesu Christi Sanguine, qui emundat nos ab omni

iniquitate, et ideo beati qui in hoc lavant stolas suas. Quod si Aegypti domus agni sanguine conspersae ab ira Dei fuerunt salvae, multo magis hanc iram effugient, imo et miserationibus et gratiis erunt repleti qui peculiari devotione et obsequio Servatoris Nostri Sanguinem venerantur et colunt.

Haec aliaque huiusmodi animo reputans Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut fidelium corda, hisce praesertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in Dominico agro superseminare zizaniam et multos insidiis, fraudibus, erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc Redemptionis nostrae pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit ut, non solum in Urbe sed et in Orbe universo, omnes de Clero, tum Seculari tum Regulari, qui Horas Canonicas recitare tenentur, Missam et Officium de Pretiosissimo Sanguine Domini Nostri Iesu Christi iam a Sacrorum Rituum Congregatione approbatum et pluribus Dioecesibus concessum, Dominica prima Iulii singulis annis in posterum sub ritu duplicis secundae classis peragere valeant.

Quod si in aliqua Dioecesi vel Ordine Regulari vel Ecclesia quacumque Officium aequalis vel altioris ritus praedicta Dominica occurrat; statuit, ut Officium et Missa de Pretiosissimo Sanguine fiat, tamquam in sede propria, in proxima die a Festo duplici primae vel secundae classis non impedita; transferendo si Rubricae sinant, Officium quod nequit recitari in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dominica Iulii numquam omittatur; itemque ut firma et suo robore permaneant peculiaria indulta et privilegia iam concessa, recitandi nempe Officium hoc vel in Quadragesima vel alio anni tempore.

Sanctitas Sua ea profecto spe nititur fore ut per merita huius Pretiosissimi Sanguinis fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati et caritate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et praemia assequantur aeterna.

Datum Caietae die 10 Augusti 1849.

2979. URBIS ET ORBIS. (5144)

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ab exordio sui Pontificatus praesentissimum ac validissimum Beatae Mariae Virginis patrocinium fuerit expertus, dum aetate nostra Petri Navis undequaque et raro exemplo saevis tempestatum fluctibus iactaretur; et Ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuerit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante, et insanientium hominum congerie in Ecclesiastici Status Loca confluentium, ut et humana et divina iura pessum ipsi darent; ac animo reputans die 2 Iulii superioris anni, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur Festum Visitationis eiusdem Deiparae, fuisse excussum occupantium iugum ab Urbe, et aliquot post dies civilem Apostolicae Sedis Principatum fuisse restitutum, opibus, consilio et armis inclytarum Nationum et Principum, accito Rmo Cardinali Aloisio Lambruschini Episcopo Portuensi, Sanctae Rufinae et Centumcellarum, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, Decessores suos S. Pium V et s. m. Pium VII aemulatus, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimae Virgini, quae insperato sibi et fideli populo Christiano in adiutorium venit, hoc ipsum Visitationis Festum ducatur in posterum per Universum Orbem ritu duplici secundae classis.

Atque hoc Decretum in Acta Sacrae Rituum Congregationis reponi ac publici iuris fieri mandavit.

Die 31 Maii 1850.

2980. ADRIEN. (5145)

Quum in Sacrorum Rituum Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunato a subscripto Secretario relatae fuerint preces Rectoris et Professorum Seminarii Civitatis Rodigii in Dioecesi Adriensi, quibus exponebant non unam inter ipsos vigere opinionem circa privatam Horarum Canonicarum recitationem; siquidem ipsi ad Cathedralem Adriensem non pertinentes adnexam habent Ecclesiam Sacramentalem, quae Parochialibus iuribus vere gaudet quoad Seminarii ipsius Magistros et Alumnos; ac proinde opportunam solutionem efflagitabant super sequentibus quaestionibus; nimirum:

1. An Seminarii Alumni Sacris Ordinibus initiati adigantur in divinis Laudibus persolvendis ad Calendarium adiectae Seminario Ecclesiae sequendum?

2. An idem Calendarium sequi teneantur Magistri in Seminario ipso degentes seu commorantes, quamvis plerumque in aliis Ecclesiis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrent, sacris functionibus assistant, sacramentales fidelium Confessiones excipiant;

vel potius Magistri ipsi teneantur sequi Calendarium earumdem Ecclesiarum queis, ut supra, inserviunt?

Sacra Rituum Congregatio, singulis mature perpensis, respondit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescribere rata est ac proposita dubia declarare.

Die 7 Septembris 1850.

2981. ASTURICEN. (5146)

Quum Parochus Oppidi vulgo *Castrillo de las Piedras* intra fines Dioecesis Asturicen. Sacram Rituum Congregationem enixe rogaverit ut declarare dignaretur sequentia dubia; nimirum:

1. Quaenam sint Lectiones secundi et tertii Nocturni in die octava Sanctae Mariae Magdalenae in iis locis, ubi eadem Sancta veneratur ceu Patrona vel Titularis?

2. An in parochiali aliqua Ecclesia, in qua Festum Sanctissimi Corporis Christi instituitur alterutra ex insequentibus Dominicis ex Ordinarii venia, Missae celebrari possint propriae Sanctissimi Sacramenti; vel saltem unica Missa solemnis, ex eo potissimum, quia Dalmaticae et Tunicellae non habentur alterius coloris respondentis Officio, quod persolvitur? et quatenus id fieri non liceat, Parochus orator pro sua Ecclesia Apostolicum ad id indultum instanter exquirit.

3. An Sacerdos qui a fidelibus eleemosynam accepit ad celebrandam Missam in honorem alicuius Sancti vel de aliquo Mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missae votivae, possit tamen Missae occurrenti commemorationem addere Sancti ipsius vel Mysterii?

4. Quum Parochus orator, praeter suam parochialem Ecclesiam, aliud Beneficium Curatum obtinuerit cum alia adnexa Ecclesia parochiali; quaerit: An in Festis adigatur utramque Missam, quam celebrat, applicare pro populo; vel teneatur ad applicationem pro sibi commissis ovibus unius tantum de duobus Sacrificiis, veluti Dioecesanus Ordinarius, cui dubium proposuit, ei rescripsit (1).

5. In duplicibus, in quibus non permittuntur Missae privatae de Requiem, licitum ne erit canere Nocturnum pro Defunctis et postea Missam de die celebrare?

Et Sacra Rituum Congregatio, hodierna die ad Vaticanum in Ordinariis Comitiis coadunata, audita relatione a subscripto Secretario facta, respondendum censuit:

Ad 1. « Lectiones in casu sumantur ex Octavario Romano pro Festo huius Sanctae ».

Ad 2. « Pro gratia unius Missae Solemnis de Sanctissimo Sacramento in introscripta Ecclesia tantum ».

Ad 3. « Non licere ».

Ad 4. « Utramque Missam applicare tenetur pro populo utriusque sibi commissae Paroeciae ».

Ad 5. « In casu posse ».

Atque ita rescripsit propositaque dubia rata est declarare.

Die 7 Septembris 1850.

2982. CAVEN. (5147)

Quum hodiernus Primicerius Ecclesiae Cathedralis Caven. pro opportuna solutione sequens proposuerit dubium Sacrae Rituum Congregationi; nimirum:

An, celebrante vel assistente Episcopo Vesperis et Missae solemni, post incensationem ipsius et Canonicorum assistentium, incensatio aliorum in Dignitate constitutorum, si forte adsint, prosequendat sit a parte Throni; vel incipienda a Digniatibus, veluti innuere videtur Episcoporum Caeremoniale, iisque deficientibus, a Canonicis antiquioribus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit: « Servetur ordo in Caeremoniali Episcoporum in incensatione praescriptus ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 7 Septembris 1850.

2983. MASSILIEN. (5148)

Quum in Sacrorum Rituum Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis subscriptus Secretarius inter cetera proposuerit sequentia dubia, quae pro opportuna declaratione exhibuerunt Sanctimoniales Ordinis Sanctae Clarae in Civitate Massiliensi; nimirum:

1. Anne, licet non extet requisita consuetudo, possint de licentia Superioris Feria IV Cinerum Sanctimoniales in Choro sic Officium dividere, ut hora quinta post meridiem diei praecedentis recitent Psalmos Graduales, post collationem seu serotinam comestionem Matutinum cum Laudibus Officii

(1) E. Dub. 5.

parvi Beatae Mariae Virginis et media nocte Officium Feriale?

2. An in Vigilia Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis, quibus ieiunant, utpote adstrictae perpetuo ieiunio, in sola comestione quam faciunt ante meridiem, debeantne dicere Versiculos et Psalmos proprios harum Solemnitatum; et an adigantur resumere preces ordinarias in sola comestione, quam faciunt in die octava Epiphaniae, in Sabbato in Albis et in Vigilia Sanctissimae Trinitatis?

3. An quando ministratur Sacramentum Extremae Unctionis, possint dicere tantum primum ex septem Psalmis Poenitentialibus, dum Sacerdos Unctiones peragit?

4. An quando cadaver alicuius defunctae delatum est ad Chorum, et Officium Defunctorum ad aliam horam differtur, post Responsorium *Subvenite* addi possint *Kyrie eleison, Pater Noster* et Oratio *Absolve* cum aspersione?

5. An ad *Confiteor* post nomen Sancti Francisci possint addere nomen etiam Sanctae Clarae per verba *Beatae Matri Clarae?*

6. An in Litaniis Sanctorum, quae in Rogationibus praescribuntur vel ex devotione recitantur, non tamen in Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes, addere possint *Sancte Pater Francisce, Sancta Mater Clara, Sancte Lazare* et nomen Patroni loci?

7. An non obstante Decreto diei 17 Augusti 1833, in una Brixien. in responsione ad dubium primum, prohibente ne in votiva aliqua functione recitentur Litaniae Sabbati Sancti, possint retinere usum illas quotidie recitandi post Officium nocturnum cum tribus tantum Orationibus, *Deus cui proprium, Deus a quo sancta* et *Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum etc.* (1).

8. An in conclusione Capituli culparum possit ex consuetudine Abbatissa benedicere Sorores dicens: *Sit nomen etc.*, et *Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat etc.*, ut in fine Primae; et an possit de sero illas aqua benedicere seu aspergere recitans verba: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris etc., descendat super vos, et maneat semper?*

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Quoad Psalmos Graduales, posse; sed Officium parvum Beatae Mariae Virginis uniendum Officio Feriali iuxta Rubricas ».

Ad 2. « Servetur invecta consuetudo ».

Ad 3. « Posse, urgente praesertim necessitate ».

Ad 4. « Posse ».

Ad 5. « Affirmative ».

Ad 6. « Non licere ».

Ad 7. « Affirmative ».

Ad 8. « Affirmative; seu servetur consuetudo ».

Atque ita rescripsere.

Die 7 Septembris 1850.

2984. TIBURTINA. (5149)

Etsi non una vice tantum ab hac Sacra Rituum Congregatione sancitum fuit parochialem Missam pro populo celebrandam esse absque ulla exteriori pompa, ac proinde Archipresbyteris et Parochis ius nullum competere exigendi, ut candelae in Altari accensae sint numero plures quam duae; repetitae huiusmodi sanctioni parere recusant duo Canonici Vicarii perpetui Cathedralis Tiburtinae a Sancto Laurentio Martyre nuncupatae, qui in praesentiarum actu in Cathedrali illa Basilica pro cura animarum Capitulum repraesentant, quique mordicus exigunt ut quatuor accendantur candelae, dum ipsi memoratam Missam parochialem pro populo celebrant. Quorum consilium et factum Sacrae Rituum Congregationi humillimis datis precibus exponentes reliqui Canonici enixe rogarunt, ut declarare dignaretur: Num tolerari possit quod, contra Decretorum praescriptum, in suo proposito Vicarii perpetui perseverent, ac proinde quatuor accensas candelas in casu adhibere valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita ab infrascripto Secretario fideli relatione ac omnibus in facto concurrentibus maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt:

« Non licere iuxta Decreta, abusumque omnino eliminandum ».

Atque ita rescripsit servarique praecepit.

Die 7 Septembris 1850.

2985. SACRARUM MISSIONUM (5150)
IN OCEANIA.

Etsi Sacra Congregatio de Propaganda Fide non intermisse institerit, ut in remotissimis etiam Missionibus pro Sacrosancto Missae Sacrificio adhibeantur Candelae ex

(1) E. Dub. 8.

industria apum labore confectae; et interdum ex Apostolica venia indulserit, ut Missionarii possent uti oleo in Missae celebratione loco cerae, et deficiente etiam oleo, celebrarent absque luminibus; attamen praeterire nequivit fervidas preces Operariorum Evangelicorum in dissitis et adhuc nascentibus Sacris Missionibus in Oceania, quorum nomine exponebatur sibi pene impossibile esse pro Sacrosancto Missae Sacrificio vel ceram vel oleum comparare, ut iam impetratum indultum pro oleo loco cerae adhibendo executioni demandare valeant. Et quum Operariis ipsis non parum displiceat absque luminaribus Sacrosanctum celebrare Sacrificium, ac iisdem difficile minus appareat ex piscatione, quae ibi instituitur a Societatibus Balneariis consequi candelarum illarum qualitatem, quae pluribus in regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo seu adipe ceti, praevia necessaria purificatione, et communiter *Spermaceti* appellantur; harum usum in sacra actione sibi permitti instanter efflagitant, eo vel magis quia ex eorumdem depositione huiusmodi candelae ob nitorem, puritatem et lucem lingua illa nominantur *Bougies à l'étoile*. Et quoniam eidem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, antequam quidquam in re decerneret, placuit huius Sacrae Rituum Congregationis votum et sententiam exquirere;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita a subscripto Secretario fideli relatione cribratisque maturo examine circumstantiis singulis in facti expositione concurrentibus, rescribere censuerunt:

« Affimative, seu permitti posse, dummodo preces veritate nitantur ».

Die 7 Septembris 1850.

2986. ADRIEN. (5152)

Quum Sacerdos Symphorianus Iorma Civitatis Rodigii in Dioecesi Adrien. Sacram Rituum Congregationem humillime rogaverit, ut insequentium dubiorum declarationem elicere dignaretur; nimirum:

1. An in Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, praeter Preces feriales in Choro dicendas flexis genibus, etiam Commemorationes Sanctorum seu Suffragia dicendae sint flexis genibus?

2. An in Missa quando dicitur Oratio *A cunctis*, pro tertia Oratione ad libitum, vel imperata, possit poni Oratio *Ecclesiae tuae*, quod circa finem in verbis cum prima pene concordat?

3. An Officium Dedicationis vel Titularis alicuius Ecclesiae parochialis recitandum etiam sit in Ecclesiis vel Oratoriis subiectis?

4. An utentes vulgo *Zanfarda*, seu pellibus in brachiis, debeant illas deponere, dum pluviale tantum assumunt?

5. An Sacra Paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi, rubro?

6. An Oratio *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili*, concludi debeat per verba *Qui vivis et regnas in saecula*; vel per verba *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis adunata, audita relatione a subscripto Secretario facta, post omnium rite institutum examen, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Iuxta alias decreta, a Clero Ecclesiae tantum ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescribere censuit et declarare.

Die 29 Martii 1851.

2987. ALBEN. (5153)

Precibus R̃mi Episcopi Alben. exquirentis veniam, ut in Festis minus solemnibus ipse possit impertire benedictionem Sanctissimi Sacramenti sola cappa indutus, sicut ab immemorabili suae Cathedralis Canonicos agere asserit, rescriptum fuit: « Negative ».

Die 29 Martii 1851.

2988. IANUEN. (5155)

Interdum, veluti hoc ipso vertente anno, Anniversarium Dedicationis insignis Collegiatae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Remedio in Civitate Ianuensi occurrit die XXIX Iunii, nimirum in solemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Quum vero incertum sit quodnam ex duobus Officiis ritus duplicis primae classis cum octava transferri debeat; ex parte memoratae Ecclesiae Capituli Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione sequentia exhibita fuerunt dubia; nimirum:

1. Quodnam ex duobus Officiis recitandum est die XXIX Iunii?

2. Ad quam diem transferendum aliud?

3. An Commemoratio Sancti Pauli Apostoli remanere debeat die XXX Iunii?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, postquam ad relationem Secretarii subscripti rite expendit eadem dubia, rescripsit:

Ad 1. « De Sanctis Apostolis ».

Ad 2. « Ad primam diem liberam, iuxta Rubricas ».

Ad 3. « Affirmative ».

Atque ita rescribere censuit et servari mandavit.

Die 29 Martii 1851.

2989. LAUDEN. (5156)

Duplicem consuetudinem in sua Cathedrali iamdiu invectam Sacrae Rituum Congregationi ingenue exponens, Rm̃us Lauden. Episcopus enixe rogavit ut suum pandere dignaretur oraculum ac sententiam prodere, ne Capitulum Ecclesiae ipsius Cathedralis, non uno tantum nomine commendatum, anceps diutius haereat quoad observantiam earumdem consuetudinum, quas hisce verbis exponit:

1. In Laudensi Cathedrali, quando ab Episcopo, quem comitatur Canonicorum Collegium, ritu Pontificali celebrantur Processiones Rogationum, dum visitantur, ut mos est, praecipuae Civitatis Ecclesiae et in unaquaque earum dicuntur Orationes in honorem Sanctorum a quibus Ecclesia titulum sumit, in illis dicendis hic modus servatur, ut in prima Ecclesia Oratio dicatur ab Episcopo, in aliis vero dicantur dictae Orationes per turnum a Canonicis. Quum autem in Concilio Provinciali sexto a Sancto Carolo Borromeo edito, titulo: *Quae ad divina Officia pertinent,* huiusmodi reperiatur Decretum: « Episcopus divinorum Officiorum, quibus praesens in Ecclesia adest, initium statis precibus versibusque faciat, Orationes statas ipse dicat, binis accensis luminibus in eius conspectum allatis »; quaeritur: An exposita consuetudo, non obstante illo Decreto, possit servari?

2. Canonici Cathedralis Lauden. Ecclesiae, quando capitulariter Processionibus intersunt, non incedunt sub una Cruce cum eiusdem Cathedralis Presbyteris et Clericis; sed defertur ante ipsorum Collegium specialis et propria Crux. Cui quidem consuetudini quum obstet Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 28 Novembris 1609 praecipiens: « Presbyteri et Clerici Cathedralis omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, et sub una Cruce debent incedere »; quaeritur: An sit toleranda huiusmodi consuetudo?

Quae singula de more exposuit subscriptus Secretarius in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis; deinde instituto super praemissis diligenti examine, Sacra ipsa Congregatio respondendum censuit: « Eliminandas consuetudines, ceu abusus ».

Et ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 29 Martii 1851.

2990. CONGREGATIONIS ORATORII SANCTI PHILIPPI NERII. (5160)

Hodiernus Superior Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii in Civitate Bugellen. Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut duo sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. An Sacerdos possit vel debeat osculari Stolam, dum eam assumit ad deponendum a Throno SSm̃um Eucharistiae Sacramentum pro benedictione impertienda, illudque reponendum in Ciborio post benedictionem ipsam?

2. An in Missa expositionis SSm̃i Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum, velo cooperiendum sit Ostensorium cum SSm̃o Sacramento postquam Sacerdos celebrans sumpsit Sanguinem, ut sic coopertum seu velatum permaneat super mensa Altaris ad finem usque Missae?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum adunata, audita a Secretario relatione, rescribendum censuit:

Ad 1. « Servandam consuetudinem ».

Ad 2. « Negative; scilicet super mensa remanere debet nullo apposito velo ».

Atque ita rescripsit. Die 29 Martii 1851.

2991. BITURICEN. (5162)

Quum Sacra Congregatio Indulgentiarum ac Sacrarum Reliquiarum pridie Calendas Februarii hoc ipso vertente anno ad sacram Rituum Congregationem remiserit preces Reverendissimi Bituricen. Archiepiscopi, quibus solutionem efflagitabat nonnullorum dubiorum super consecratione Altarium portatilium, cum apposito voto Reverendissimi

Domini Petri Advocati Minetti Sacrae eiusdem Rituum Congregationis Assessoris; dubia ipsa proposita fuere, in Ordinariis Comitiis subscripta die ad Quirinale habitis, per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Iosephum Ugolini Relatorem designatum, eo modo quo hic adnotantur; nimirum:

1. Utrum Altaria portatilia consecrationem suam amittant, quando fractum est sigillum, quod Reliquiis in sepulcro inclusis apponitur; an tantum quando, ut loquuntur Theologi, fractum est sepulcrum?

2. Utrum Altare portatile, cuius sigillum non existit, mitti debeat ad Urbem Episcopalem, et rursus consecrari; an sufficiat tantum novas addere Reliquias veteribus Reliquiis in sepulcro inclusis et authenticitate carentibus, atque sigillum Episcopi apponere?

3. Quid sentiendum de consecratione Altarium portatilium Dioecesis Bituricen.? Nam de facto constat, quod a perturbatione anni 1790 nulla existebant sigillorum vestigia in Altaribus portatilibus: rursus impositae sunt Reliquiae ab Archidiaconibus, quum vacuum erat sepulcrum; aut, Reliquiis in sepulcro manentibus et authenticitate carentibus, additae sunt Reliquiae authenticae, et appositum fuit episcopale sigillum.

Quae quidem dubia sedulo de more expendentes Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, ac maturum examen instituentes super rationum momentis rerumque adiunctis a R. D. Assessore in suo voto enumeratis, iisdem respondendum censuerunt:

Ad 1. « Quoad primam partem, Negative; nisi fractum sit sepulcrum vel eius operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit: quoad secundam partem, provisum in prima ».

Ad 2. « Quoad primam partem, provisum in primo; quoad secundam, numquam licere certas Sanctorum Reliquias dubiis immiscere; ac semel execrata Ara, vel fixa vel mobilis, ex communi iure nova indiget consecratione ».

Ad 3. « Mobiles Arae in casu execratas esse; et ad mentem. Mens est ut amoveantur prorsus Reliquiae dubiae; et consulendum Sanctissimo, ut Archiepiscopus Bituricen., vel per se vel per alios etiam simplices Presbyteros hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas Reliquias in iisdem Aris reponat: iis solummodo Caeremoniis servatis, quae in Pontificali Romano praescribuntur, dum in sepulcro reconduntur Reliquiae et superponitur lapis; scilicet ut signetur Sancto Chrismate confessio sive sepulcrum, ac dicatur interim Oratio *Consecretur et sanctificetur;* postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris, superposito operculo ac firmato, dicatur altera Oratio *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum,* et nihil aliud ».

Atque ita rescripsere.

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua ad mentem Sacrae Congregationis petitum indultum, pro hoc casu tantum valiturum, de Apostolica benignitate concessit; dummodo adamussim singula serventur, quae in superioribus Responsionibus praescribuntur.

Die 5 Decembris 1851.

2992. ROMANA (5163)
SEDIUM CHORALIUM.

Ab anno 1847 exorta quum fuerit controversia inter Capitulum Patriarchalis Basilicae Sanctae Mariae Maioris et Capitulum Collegiatae Basilicae Sancti Marci de Urbe super iure sedendi in Choro ipsius Collegiatae Sancti Marci in die eiusdem Sancti Evangelistae occasione Litaniarum Maiorum, eaque deducta fuerit ad Sacram Rituum Congregationem; huic in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunatae die 29 Martii superioris anni 1851, disceptandum propositum fuit sequens inter partes formiter concordatum dubium; nimirum: « An, et cui debeantur Sedes chorales a Cornu Epistolae in Ecclesia Sancti Marci die XXV Aprilis in Litaniis Maioribus? »

Quamvis autem tunc ab utraque parte multa adducta sint, ut ius suum tuerentur; placuit tamen Eminentissimis et Reverendissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis iudicium differre, atque alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum ex Officio requirere.

In novo quidem Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito, iterum proposita quaestione ab Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinali Lambruschini Episcopo Portuen., Sanctae Rufinae et Centumcellarum, eidem Sacrae Congregationi Praefecto, huius caussae Relatore, una cum voto ex officio Magistri Caeremoniarum;

Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit, in terminis queis fuerat dubium concordatum, nimirum: « Durante Missa, Capitulo Sancti Marci; deinde Capitulo Sanctae Mariae Maioris ».

Die 10 Ianuarii 1852.

Quum autem Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo die 15 eiusdem mensis et anni 1852 per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Pro-Secretarium fidelis facta fuerit super expositis relatio; Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis confirmans, mandavit ut Capitulum Sancti Marci excipiat Praesulem celebraturum, Missae celebrationi assistat in suis Sedibus, Celebrantem ipsum comitetur ad Sacrarium eumque ad Altare revertentem associet usque ad Sacrarii ostium. Dum autem universus Clerus processionaliter discessit, tunc Capitulum ipsum Sancti Marci suam perficiat Processionem; et assistentiae Missae, uti supra, et Processioni Sanctitas Sua voluit ut assignata sit praesentibus distributio quotidiana respondens Matutino cum Laudibus et Horae minori Primae, quae ex Apostolico indulto locum non habet eodem die, intuitu Processionis solemnis. Contrariis non obstantibus quibuscumque, ac praesertim peculiaribus concessionibus super re iam datis.

2993. CENOMANEN. (5165)

Quas Sanctus Pius V edidit Bullas, quae Breviarium ac Missale Romanum respiciunt, illas cum omni laude, reverentia et gaudio excepit Concilium Provinciae Turonensis. Quamvis autem Cenomanensis Episcopalis Ecclesia, quae Provinciae ipsius limitibus concluditur, speciali tunc ritu a duobus seculis uteretur, ritus iste adeo erat Romanus, ut vix pro vigesima parte proprium mere Cenomanense intermisceretur. In eodem siquidem ritu sibimetipsi constans, nec ullo modo Sancto Pio V contraria, studiosius perstitit Cenomanensis Ecclesia spatio centum quinquaginta annorum, nimirum usque ad annum 1748 aut 1749. Verumtamen, auctore tunc temporis Episcopo et consentiente Capitulo, sed prorsus Apostolica S. Sede inconsulta, novum conditum fuit Breviarium novumque Missale. Alia tunc facta fuit Psalmorum distributio, alia ratio Lectionum, tum de Sacra Scriptura tum de Sanctis, aliae Antiphonae, alia Responsoria, alii Hymni, aliae Rubricae et Caeremoniae. Insuper e Calendario quamplurimi expuncti sunt Sancti, ut novi in eorum sufficerentur locis. Quum itaque nova pene omnia in illis Breviario ac Missali appareant, de veteri ritu Romano Cenomanensi vix in praesentiarum vigesima pars extat. Si itaque locorum Ordinarii prohibentur (etiam in Breviariis, quae iuxta mentem Sancti Pii V tolerata tantum fuere, uti antiquum Cenomanense) aliquid propria auctoritate addere aut aliquid demere sub poenis interminatis in Decretis Sacrae Rituum Congregationis dierum 8 Aprilis et 28 Octobris 1628, de non satisfaciendo muneri divini Officii recitandi; inde clare concluditur quantum a praefinitis legibus aberret Breviarium ac Missale Cenomanense editum medio seculo decimoctavo, in quo tam graves immutationes factae sunt, ut a Romano aeque ac ab antiquo Cenomanensi in omnibus fere recederet. Quae singula inter ceteros Reverendissimus alter ex Canonicis Cathedralis Cenomanen. Ecclesiae sedulo considerans, Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adire constituit, eique sequentia dubia proponere pro opportuna solutione; nimirum:

1. Num licita fuerit annis 1748 vel 1749 innovatio Breviarii ac Missalis Cenomanensis a ritu Romano prorsus diversa, amotis prius veteribus, ad formam Romanam correctis Breviario et Missali, ex sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate, et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata? et quatenus negative,

2. Num saltem huiusmodi Liturgiae praescriptio seu consuetudinis secularis facta sit legitima; ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare? et quatenus iterum negative,

3. Num quilibet Sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus aut Parochus, statim teneatur in conscientia tum Horas Canonicas persolvere Missamque celebrare iuxta Ritum Romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat; tum insuper omnibus quibus potest modis Reverendissimo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro divino Officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?

4. Num etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario iterum atque iterum, ut libuerit, providere potuerit; istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum; ita videlicet, ut praeceptivas praedictorum Librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam

aliter quippe statuente Reverendissimo Episcopo, Canonici aliive Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere; sicque Reverendissimi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

5. Utrum possint Canonici, qui ex antiquo more mozzetta et rochetto insigniti sunt, uti rochetto in administratione seu confectione Sacramentorum et Sacramentalium; quum Reverendissimus Episcopus usum rochetti generaliter et pro maiori Seminario recenter praeceperit aut saltem probaverit; et pro omnibus insuper suae Dioecesis Presbyteris, etiam in Sacramentorum administratione se toleraturum esse voto et scripto declararit; quidquid in contrarium faciant Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, Missale et Pontificale; et licet nulla in Dioecesi Cenomanensi antiqua aut usquedum generalis pro ea Sacrae Liturgiae derogatione extiterit consuetudo?

Quas quidem preces cum insertis dubiis, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, referens infrascriptus Pro-Secretarius; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuere:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Consulat coniunctim utramque Constitutionem Sancti Pii V, videlicet illam quae incipit *Quod a nobis*, VII Idus Iulii 1568, et aliam quae incipit *Ex proximo*, XII Calendas Octobris 1571 ».

Ad 4. « Negative; et amplius ».

Ad 5. « Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum; ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram et Minores Ordines necessarie superpelliceo utendum ».

Atque ita declaravit.

Die 10 Ianuarii 1852.

2994. MONTIS POLITIANI. (5166)

Reverendissimus hodiernus Episcopus Montis Politiani, inter cetera postulata Sacrae Concilii Congregationi exhibita, sequentes etiam consuetudines proposuit, quas quum Sacra Rituum Congregatio discutere deberet in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, retulit Pro-Secretarius, nimirum:

1. In quibusdam Anniversariis, die ex. gr. IV Novembris, licet non sit dies anniversaria, nec celebrari possit Missa de Requiem (eo quod non adsit obligatio applicandi Missam Conventualem in diebus ferialibus) canitur Nocturnum, deinde Absolutio circa Tumulum peragitur, et postea Missa Conventualis cantatur de Festo quod occurrit, applicando illam pro Defunctis, cum Tumulo ante Aram et cereis accensis? (1)

2. Quum pulsatur Organum, in Missa cantata, Offertorium et Postcommunio submissa voce ab uno recitatur in Choro, vel nihil dicitur diebus praesertim ferialibus.

Et Sacra Rituum Congregatio, propositas consuetudines maturo examine expendens, ita respondendum censuit:

Ad 1. « Posse, dummodo removeatur tumulus tempore Missae, ac finita circa illum absolutione ».

Ad 2. « Dici posse submissa voce, sed non omitti ».

Atque ita rescripsit.

Die 10 Ianuarii 1852.

2995. SORANA. (5168)

Iuxta communem praxim, dum ad Collegiatam Ecclesiam Sanctae Restitutae Civitatis Soranae accedit Reverendissimus Episcopus ut Sacris solemniis assistat, eum associant Capituli Cathedralis Canonici; sed Praepositus vel Senior Collegiatae ipsius Canonicus Episcopo ingredienti aspersorium porrigit cum aqua benedicta. Verum quum in praesentiarum Capitulum Cathedralis ius istud, aspersorium nempe in casu Episcopo porrigendi, sibi vindicare contendat; Praepositus ipse veluti prima Dignitas Ecclesiae Collegiatae et Canonici omnes Sanctae Restitutae Sacram Rituum Congregationem humillime rogarunt, ut declarare dignaretur: Num iuxta etiam novissimas Ordinariorum sanctiones, Praepositus aut dignior Canonicus Collegiatae ipsius Ecclesiae perseverare debeat in iure porrigendi aspersorium Episcopo ad Collegiatam ipsam accedentem; vel potius ius istud competat Cathedralis Ecclesiae Capitulo Episcopum comitanti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita relatione ab infrascripto Pro-Secretario facta, iuxta pluries decreta, rescribendum censuit et definiendum:

« Spectare ad Dignitatem vel Seniorem Capituli Collegiatae ».

Die 10 Ianuarii 1852.

(1) E. Dub. 2 et 4.

2996. TRANEN. (5170)

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in Ecclesiis Sancti Sepulcri et Sancti Iacobi Barioli intra fines Archidioecesis Tranen., illud est in more positum, ut dum in Solemnioribus Missas solemnes et Vesperas celebrent earum Rectores, praeter Ministros inservientes, eis assistant alii sex Presbyteri pluvialibus induti. Quum autem a consuetudine ista, quae nullo Apostolico indulto innititur, difficile admodum sit desistere absque fidelium admiratione et scandalo; Rectores ipsi Sacram Rituum Congregationem humillime rogarunt, ut eam confirmare dignaretur, adeo ut licite deinceps in ea perseverare valeant.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem infrascripti Pro-Secretarii et omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit :

« Permitti posse, quoad Vesperas solemnes tantum ».

Die 10 Ianuarii 1852.

2997. BRIXIEN. (5171)

Dum in Civitate Brixien. existeret adhuc Collegiata Ecclesia Sancti Nazarii ex synodali Dioecesis Statuto cautum fuit, ut in sacris Processionibus universus Clerus sub unica Cathedralis Cruce incederet; iuxta diversitatem Ordinis quo singuli erant insigniti; nimirum : primo in Minoribus constituti, deinde Subdiaconi, tertio Diaconi ac ultimo tandem loco Sacerdotes, servato ordine in singulis Clericorum gradibus et Ecclesiarum: qui modus consuetudine iam erat receptus. Sancitum pariter erat, ut Clerus Collegiatae Sancti Nazarii simul incederet sub propria elevata Cruce immediate ante Clerum Cathedralis. Verum quum ob civiles ordinationes et vicissitudines Collegiata etiam Sancti Nazarii cessarit, tunc temporis, nimirum anno 1810, Brixien. Episcopus constituit ut Clerus uniuscuiusque Ecclesiae, semper sub unica Cathedrali Cruce, per Paroecias distributus quarum singuli Parochi proprio Clero praeessent, procederet in memoratis supplicationibus, servato Ecclesiarum ordine, iuxta quem Clerus Sancti Nazarii ultimus et immediate ante Clerum Cathedralis incedit. Parochus tamen Sancti Nazarii in propria Ecclesia aliquoties per annum divina Officia ritu pontificali explet, et in sacris Processionibus totius Cleri Urbani supra reliquos Parochos praecedentia gaudet; et quum vigente Collegiata, Processionibus aliisque functionibus non iam personaliter sed per substitutum interesse soleret, id etiam nunc praestat, sublata Collegiata. Verumtamen, quum in praesentiarum Reverendissimus hodiernus Episcopus Brixiensis restituerit in Processionibus peragendis antiquum ordinem per synodale Decretum firmatum, et sic iterum Parochi post universum Clerum Urbis bini incedant, salvo iure praecedentiae Parocho Sancti Nazarii; ipse qui ex consuetudine personaliter non accedit, affirmat quod ius praecedentiae super reliquos Parochos competat Curato Beneficiato Ecclesiae Sancti Nazarii, quem mittere solet uti substitutum. De quo quidem iure praesumpto quum merito conquerantur ceteri Parochi, religiosissimus idem Episcopus, ne ordinaria auctoritate sua quidquam in re decerneret, Sacram Rituum Congregationem supplex adivit, atque ingenue singula exponens humillime rogavit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam aperire dignaretur; nimirum :

1. An Parocho Sancti Nazarii consuetudo suffragari valeat ne personaliter ad Processiones accedat; vel ad eas compelli possit?

2. An in Processionibus, in quibus Parochi urbani bini post Clerum Urbis incedunt, Substituto Parochi Sancti Nazarii vel alterius Parochi competat ius praecedendi, quod competeret ipsi Parocho, si personaliter accederet?

3. An ob civiles vicissitudines et ordinationes cessata Collegiata Sancti Nazarii, eiusdem Clero in Processionibus ius adhuc competat?

4. An, cessata Collegiata, Parochus divina Officia in Pontificalibus celebrare possit? et quatenus affirmative,

5. An praefatus Parochus ad parendum Episcopi mandatis cogi, et si opus sit etiam puniri ab Episcopo possit, per prohibitionem celebrandi in pontificalibus ad tempus determinatum?

Et Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, post auditam a subscripto Pro-Secretario fidelem relationem, rescribendum censuerunt :

Ad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Afferendum privilegium, ut examini subiiciatur ».

Ad 5. « Affirmative in omnibus ».
Atque ita rescribendum, definiendum servandumque mandarunt.
Die 25 Septembris 1852.

2998. IANUEN. (5172)

In insigni Collegiata Ecclesia Sanctae Mariae de Remedio Civitatis Ianuen. a sua prima institutione extat consuetudo reverentiam praemittendi Praefecto Chori ad initium Psalmodiae idest ad ingressum, ad initium Primae, ad quascumque Horas quum interponitur aliqua Missa, post Missam Feriae in Quadragesima, post Completorium, dum annunciatur *Pater noster* pro Matutino; et antequam inchoetur *Domine labia mea aperies.* Quum vero in praesentiarum Mansionarii et Cappellani renuant sequi in parte tantum hanc consuetudinem, omittendo reverentiam ante Horas, post Missam, ad Vesperas et ad *Domine labia mea etc.;* Abbas hodiernus enunciatae Ecclesiae illiusque Canonici Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adivere efflagitantes: An servari debeat antiqua consuetudo; et etiam dum, tempore Quadragesimae de sero, Completorium dat initium sacrae Psalmodiae?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, re attente considerata, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, respondendum censuit:
« Laudabilem consuetudinem in omnibus esse servandam ».
Die 25 Septembris 1852.

2999. MATHELICEN. (5173)

Quum in praesentiarum ex Apostolica sanctione parochialis Abbatialis Ecclesia Sancti Antonii Abbatis in Civitate Mathelicen. concessa fuerit Congregationi Silvestrinorum, et proinde Parochus renuncietur alter ex Alumnis Congregationis ipsius; Capitulum Cathedralis illius Sacram Rituum Congregationem rogavit enixe ut declarare dignaretur: Num Parochus ipse, etiamsi sit Monachus, teneatur accedere ad publicas et generales Processiones quae a Capitulo Cathedralis ipsius fieri assolent? seu: Num Parochus hodiernus sit cogendus accedere ad supradictas Processiones, quod a Sacra Rituum Congregatione decretum fuit, dum Secularis Sacerdos memoratae Ecclesiae praeerat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, omnibus maturo diligentique examine perpensis, rescribendum censuit:
« Affirmative in omnibus ».
Die 25 Septembris 1852.

3000. MONOPOLITANA. (5174)

Etsi in Civitate Monopolitana quatuor extent receptitiae Ecclesiae et earum singulis proprius Parochus praesit, attamen Clerus cuiusque Ecclesiae receptitiae publicis in supplicationibus sub unica Cruce Ecclesiae Cathedralis incedit immediate post Seminarii Alumnos et ante Clerum Cathedralis, quae praeter Canonicos, et Mansionarios numerarios seu Cappellanos distinctis propriis insignibus decoratos, habet etiam Sacerdotes sic dictos extranumerarios, qui tum in Choro tum in Processionibus unica cotta induti sunt, sed ad servitium Cathedralis praestandum adiguntur, et ex Bulla Episcopali adnotantur in Tabella servitii choralis, de nonnullis distributionibus participant, punctatura Choro non praesentes mulctantur, et in huiusmodi supplicationibus primi incedunt de Choro Cathedralis, seu immediate post Clerum Ecclesiarum quae receptitiae nuncupantur, quae semper in Processionibus retinent locum cuique debitum.

Verum quum in praesentiarum Clerus cuiusque Ecclesiae receptitiae ampliori dignitate cohonestatur, (siquidem quoad honores Collegium declaratae sunt) huc usque servatam consuetudinem invertere praesumit: et in Processionibus Sacerdotes extranumerarios, Cathedrali ut supra addictos, a reliquo Cathedralis ipsius Clero separare adnititur, ut eorum locum occupet; adeo ut ipsi extranumerarii immediate post Seminarium incedant.

Contra hanc indebitam praesumptionem conqueritur Cathedralis Capitulum, cuius nomine Sacrae Rituum Congregationi enixe datae sunt preces, ut quid in casu servandum definire dignaretur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, rescribendum censuit:
« Iuxta alias decreta, servandum esse in omnibus ordinem Cleri publicis in supplicationibus huc usque laudabiliter servatum ». Atque ita servandum mandavit.
Die 25 Septembris 1852.

3001. ORDINIS (5175) MINIMORUM SANCTI FRANCISCI DE PAULA.

Dum R. P. Vicario Provinciali Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula innotuit ab hac Sacra Rituum Congregatione usque ab anno 1831 die 12 Novembris in una Marsorum ad Dubium 46 definitum fuisse, quod Beneficiarii teneantur semper ad Officium propriae Ecclesiae, et quod simplices Sacerdotes conformare se possint Officio loci ubi morantur; subito ab ipsa Sacra Congregatione exquirendum duxit: Num Decretum istud afficiat etiam sui Ordinis Alumnos: quapropter sequentia duo dubia proponit pro debita solutione; nimirum:

1. An Regulares subditi uti valeant huius Decreti privilegio recitando Officium et celebrando Missam Conventus vel Dioecesis in quibus morantur, licet ad breve tempus? vel teneantur ad Officium illius Conventus a quo percipiunt victum et vestitum, ita ut reputentur veluti beneficiati?

2. An Generales et Provinciales, qui in quocumque Ordinis et Provinciae Conventu Superiores reputantur, recitare possint Officium Missamque celebrare Conventus vel Ecclesiae, in quibus ad breve tempus degunt?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinario Coetu, ad relationem subscripti Pro-Secretarii utrique dubio respondendum censuit:

« Semper sequendum esse Calendarium Officii iuxta Coenobium, in quo moram faciunt, etsi ad tempus; quia ubique Choro interesse tenentur ». Et ita rescripsit.

Die 25 Septembris 1852.

3002. PATRIARCHALIS (5176) BASILICAE LATERANENSIS.

Dum in Patriarchali Basilica Lateranensi nonnullae sacrae explentur functiones, opinionum varietas circa Rubricarum observantiam exoritur, attentis tum incomparabili dignitate Ecclesiae tum immemorabili consuetudine. Ut autem sententiarum huiusmodi varietas eliminetur, et omnia certa indubiaque methodo regulariter procedant, primus in memorata Patriarchali Basilica Caeremoniarum Magister sui muneris esse duxit Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna declaratione proponere; nimirum: (1)

1. An Sacrum solemniter faciente altero ex Beneficiatis cum assistentia Diaconi et Subdiaconi de eodem gremio, Ministri ipsi dum benedictionem a Celebrante accipiunt teneantur genuflectere; stantibus et non genuflectentibus ceteris in Choro permanentibus?

2. An usus bireti permitti possit ministris indutis pluviali?

3. An die VI Iulii occurrente Dominica prima mensis in qua, iuxta Decretum Generale diei 10 Augusti 1849, sub ritu duplicis secundae classis recitandum est de Pretiosissimo Sanguine Domini Nostri Iesu Christi, liceat adhuc iuxta immemorabilem consuetudinem Missam Conventualem legere extra Chorum, quia in Choro habetur Cappella Cardinalitia, quae celebrat de octava?

4. An infra octavam SS̃mi Corporis Christi expositio Sanctissimi Sacramenti fieri debeat in Altari, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum; vel alibi fieri possit?

5. An in Processionibus, in quibus circumfertur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ac praesertim in illa Papali Sanctissimi Corporis Christi, liceat Canonicis in Episcopali Dignitate constitutis ac Praelatitiis indutis indumentis incedere cum bireto?

Quae quidem dubia proposita quum fuerint in Ordinario Coetu ad Vaticanum habito die 10 Ianuarii hoc ipso vertente anno, placuit Em̃is et Rm̃is Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis informationem cum voto exquirere Em̃i et Rm̃i Card. Archipresbyteri Lateranensis, qui super singulis mentem suam adeo dilucide aperuit, ut, proposita iterum instantia in novis Ordinariis Comitiis pariter ad Vaticanum habitis per subscriptum Pro-Secretarium, Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuerit: « In omnibus iuxta votum Em̃i et Rm̃i Card. Archipresbyteri »; scilicet:

Ad 1. « Affirmative; seu teneri ad genuflectendum ».

Ad 2. « Permittitur usus bireti, non vero pileoli ».

Ad 3. « Affirmative; seu servandam consuetudinem ».

Ad 4. « Affirmative, ad primam partem; iuxta laudabilem consuetudinem ».

Ad 5. « Negative in omnibus ».

(1) E. Dub. 1 et 2.

Atque ita Sacra Congregatio rescribendum et declarandum censuit.
Die 25 Septembris 1852.

3003. SANCTI MINIATI. (5177)

Ut in sacris caeremoniis ecclesiasticisque functionibus omnia ordinate et iuxta praefinitam methodum procedant, Sacerdos Sylvius Risi Canonicus et in Seminario episcopali Sacrorum Rituum Praeceptor, humillime Sacram Rituum Congregationem rogavit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam elicere dignaretur; nimirum:

1. In Cathedralibus Ecclesiis, in quibus Chorus extat post Altare, quando canitur Missa non Pontificalis nec coram Episcopo, Canonici qui propter cantorum defectum cum reliquis cantant, inter se alternatim bini et bini submissa voce dicunt Symbolum Apostolorum, sed, omissa quacumque genuflexione, immediate sedent. Quaeritur proinde: An eis sedere liceat etiam ad illa verba: *Et incarnatus est,* ut legitur in Caeremoniali Episcoporum?

2. An in precibus pro eligendo novo Episcopo in Ecclesia Cathedrali recitandis, dicto Hymno *Veni Creator Spiritus,* in ℣. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur,* dicendum sit *creabitur* loco *creabuntur?*

3. An in Choro Ecclesiae Cathedralis post thurificationem Cappellanorum, qui extant in una parte, thurificandi sint etiam Clerici eiusdem partis, et postea Cappellani reliqui et Clerici stantes in parte opposita?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Pro-Secretario et post maturum omnium examen, respondendum censuit:

Ad 1. « Genuflectere debere, dum Celebrans recitans Symbolum genuflectit; et canendo, adstare legili ».

Ad 2. « Nihil omnino variandum vel immutandum ».

Ad 3. « Ante Clericos, thurificandos singulos Cappellanos ».

Et ita rescripsit. Die 25 Septembris 1852.

3004. SANCTIMONIALIUM SACRI CORDIS IESU. (5178)

Quanam de causa factum sit prorsus ignoratur, sed reapse in parietibus Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis ad Montem Pincium in Urbe quatuordecim Cruces depictae apparent, peractam consecrationem Ecclesiae ipsius repraesentantes. Verum quum id contra Rubricarum et Pontificalis praescriptum actum fuerit; Sanctimoniales Sacratissimi Cordis Iesu adiectum asceterium incolentes, ne inconveniens istud diutius perseveret, Sacram Rituum Congregationem rogarunt enixe, ut definire dignaretur quid in casu sit agendum.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, respondendum censuit:

« Duas Cruces ex lateralibus esse tollendas, salvis remanentibus positis in Presbyterio et prope portam principalem ».
Atque ita servandum praecepit.
Die 25 Septembris 1852.

3005. SORANA. (5179)

Quum R̃mus Episcopus Soran., Aquinaten. et Pontis Curvi Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit, ut declarare dignaretur: Num Canonicus Officium faciens in expositione Sanctissimi Sacramenti diebus infra octavam Corporis Christi, et in repositione post Completorium in Choro, item ac in expositione in novemdialibus et similibus, uti possit Amictu, Stola et pluviali supra rochettum; vel potius uti debeat Amictu, Alba, Stola et pluviali?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem infrascripti Pro-Secretarii respondendum censuit:

« Assumendum esse pluviale vel super rochetto et cotta, vel cum rochetto et Alba ».

Die 25 Septembris 1852.

3006. VENETIARUM. (5180)

Quum in Ordinario Coetu Sacrae Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum coadunatae infrascriptus Pro-Secretarius retulerit inter cetera sequentia dubia, proposita a primo Caeremoniarum Magistro Patriarchalis Basilicae Venetiarum; nimirum:

1. Quum Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 21, § 4, mandet ut Epistola et Evangelium Benedictionis palmarum decantentur ab iis Ministris qui in Missa ministraturi sunt; quaeritur: Utrum haec observanda sint, quamvis Benedictio palmarum fiat ab Episcopo, et Missa celebretur ab alio cum Ministris non Canonicis; an potius duo Canonici in Missa non ministraturi debeant Epistolam et Evangelium supradictum decantare?

2. Anne Caeremoniarius Cathedralis ratione proprii officii cogi possit, ut distribuat Feria V in Coena Domini sacra Olea subditis Ecclesiis?

3. Utrum in Festo Sancti Marci in Ecclesia huiusmodi Evangelistae dicata, Episcopus, finita Processione Litaniarum maiorum, debeat tantum recitare Ps. *Quam dilecta,* antequam pluviale violaceum deponat, et rubra indumenta accipiat pro Missa Pontificali; an etiam Hora Tertia solemniter post Processionem et ante Missam Pontificalem decantanda sit?

4. Anne etiam quando unus in Episcopali Sacello ordinatur, palam interdicere debeat Episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano: *Ne quis accedat irregularis.*

5. Anne, quando Ordines conferuntur sine cantu, Subdiaconus ex noviter ordinatis, postquam Epistolam legerit, debeat osculari manum Episcopi stantis ad Altare; nec non Diaconus similiter ex novis Ordinatis antequam Evangelium legat, debeat, dicto *Munda cor meum,* benedictionem petere et manum Episcopi stantis ad Altare deosculari, ut fit in Missis cantatis a simplici Sacerdote; et an Episcopus post Evangelium huius Missae lectae debeat deosculari librum, quo ipse usus est, vel alterum quo usus est Diaconus in Evangelii lectione?

6. Quibusnam verbis in Episcoporum consecratione uti debeat Consecrator, dum communicat consecratum de Corpore et Sanguine Domini?

7. Utrum Stola latior, qua utitur Diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimae deponit planetam plicatam, debeat habere intextas tres Cruces, sicuti habentur in Stola communi?

8. Utrum in Oratione Sancti Ioannis Episcopi Alexandrini ob insignem erga pauperes misericordiam cognomento Eleemosynarii, hoc Eleemosynarii adiunctum recitari debeat, sicuti fit de Chrysostomo et de Chrysologo?

9. Utrum in die octava Solemnitatis Corporis Christi, ubi celebratur cum privilegio ad instar Epiphaniae, faciendum sit occurrens Officium Dedicationis vel Tituli propriae Ecclesiae?

10. Utrum Lectiones primi Nocturni in Festis Sancti Raymundi Nonnati et Sancti Stanislai Kostka sint de Scriptura; vel de Communi? (1)

(1) E. Dub. 11.

Et Sacra Rituum Congregatio, propositis dubiis, inscripta etiam commendatione Rm̃i Episcopi communitis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Iuxta alias decreta, hoc spectare ad Archidiaconum ».

Ad 3. « In casu esse decantandam Horam Tertiae ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Negative; et ab Episcopo osculandum suum Missale ».

Ad 6. « Servandum esse Pontificale ».

Ad 7. « Negative ».

Ad 8. « Negative ».

Ad 9. « Affirmative; uti duplex primae classis ».

Ad 10. « De Scriptura occurrente legendas esse ».

Atque ita rescribere censuit et declarare.

Die 25 Septembris 1852.

3007. ORDINIS PRAEDICATORUM. (5181)

Rm̃us Pater Magister Provincialis Ordinis Praedicatorum in Provincia Neapolitana Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut declarare dignaretur: Num, iis annis quibus Confraternitas Sacratissimi Rosarii erecta in Claustro Sancti Dominici Maioris in Civitate Neapolitana, quacumque demum ex causa, non interest supplicationi Sacratissimi Rosarii, quae ibi locum habet in hac Beatissimae Virginis Mariae solemnitate; Ordinis supplicatio, uti ex inducta praxi, fieri debeat ab Ordinis Alumnis; vel potius a memoratae Confraternitatis Confratribus in enunciato Coenobio existentibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, omnibus mature expensis ac praesertim Ordinis Praedicatorum peculiaribus Privilegiis ab hac Sancta Sede Apostolica etiam quoad hanc solemnem supplicationem concessis, rescribendum censuit:

« Publicam supplicationem, de qua in precibus, ducendam a Patribus Ordinis Praedicatorum ».

Atqua ita definiendum censuit servandumque mandavit.

Die 25 Septembris 1852.

3008. MONTIS ALTI. (5182)

Quum Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Collegiatae parochialis Oppidi vulgo *Rotelle* in Dioecesi Montis Alti affixum fuerit Dominicae immediate post Festum Sancti Lucae Evangelistae, excludit saepe saepius Officium cum Missa Puritatis Beatae Mariae Virginis, ac semper aliud Deiparae de Pace, quae Clerus *Rotelle* praeterire adeo grave experitur. Verum quum Clero ipsi innotuerit alias Sacram Rituum Congregationem edixisse, ut Officia propria in aliqua Ecclesia perpetuo impedita transferri possint ad alias sedes; hinc Sacrae eidem Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

1. An Festo Beatae Mariae Virginis de Pace perpetuo impedita in Dominica IV Octobris, ob occursum Festi Anniversarii vel diei octavae Dedicationis Ecclesiae, possit Ordinarius assignare aliam diem non impeditam? et quatenus affirmative,

2. An possit assignare Dominicam IV Septembris vel III Novembris? et quatenus affirmative,

3. Quando Dominicae IV Septembris et III Novembris sint impeditae, illa a translato Officio Septem Dolorum, ista ab Officio Patrocinii Deiparae; quidnam agendum de Festo Beatae Mariae Virginis de Pace?

4. An quod statuitur de Festo Deiparae de Pace applicari pariter possit Festo Puritatis Deiparae, quamvis hoc stricte dici nequeat perpetuo impeditum ab Anniversario memoratae Dedicationis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, ad relationem subscripti Pro-Secretarii post diligens omnium examen rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative, absque indulto; haec enim Officia uti mobilia, assignata sunt Dominicis diebus, quae tamen non sunt dies propriae, iuxta Decretum alias editum ».

Ad 2. « Provisum in primo; et in casu supplicandum pro translatione ad primam diem liberam ».

Ad 3. « Iuxta Decreta omittendum; nisi facta fuerit facultas transferendi iuxta Rubricas ».

Ad 4. « Affirmative; seu provisum in superioribus ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 25 Septembris 1852.

3009. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI. (5183)

Ut in divinis persolvendis Laudibus ceterisque ecclesiasticis functionibus instituendis omnia ex ordine procedant iuxta praefinitas a Rubricis et Decretis regulas, Director Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in Provincia Bononiensi Sacram Rituum Congregationem humillimis datis precibus rogavit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam elicere dignetur: (1)

Dubium 1. Si in Feria III vel IV Rogationum incidat Festum duplex primae classis, ex. gr. Titularis propriae Ecclesiae vel Patroni Loci, potest ne celebrari post Processionem Missa Rogationum; et in aliis Missis addi Commemoratio earumdem?

Ad 1. « Affirmative, quoad Missam Rogationum cum cantu; quoad commemorationem in Missis lectis, Negative; iuxta Rubricas ».

Dubium 2. In diebus, quibus iuxta Rubricas Missalis Tit. VI cani non potest Missa de Sancto cuius Officium transferendum est, potest ne saltem addi eius Collecta vel Commemoratio Missae Solemni diei; exceptis Feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto et diebus Paschae et Pentecostes? Et quatenus affirmative, est ne dicenda sub unica conclusione cum Oratione Missae?

Ad 2. « Negative in omnibus ».

Dubium 3. Collecta pro re gravi imperata potest ne dici in duplicibus primae classis, et in Missis quae unicam Orationem admittunt? et quatenus affirmative ad utrumque, est ne dicenda sub unica conclusione?

Ad 3. « Negative in omnibus ».

Dubium 4. Possunt ne in Missa post sumptionem haberi breves sermones, dum vel ad Sacram Synaxim prima vice adolescentes admittuntur, vel alia quacumque ex causa, qui quidem sermones *Fervorini* nuncupantur?

Ad 4. « Affirmative ».

Dubium 5. In Decreto Urbis lato die 19 Augusti 1651 ad dubium tertium, vetitum fuit in Missa quae cantatur sine Ministris incensare Altare et Chorum, uti fit quando Missa decantatur cum Ministris. Hinc quaeritur: An idem prohibitum sit in Vesperis decantatis cum solo Hebdomadario parato et uno Clerico?

Ad 5. « Negative ».

(1) E. Dub. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 14, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 27 et 29.

Dubium 6. Quum generales nostrae Constitutiones pro electione Ministri Generalis facienda praescribant, ut a Resurrectione Domini ad diem usque electionis qualibet Feria V, solemni Festo non impedita, cantetur in singulis conventibus Missa de Spiritu Sancto; quaeritur: Quodnam Festum hisce in circumstantiis haberi debet pro Solemni, ita ut, ipso occurrente, non liceat praefatam Missam decantare?

Ad 6. « Quodcumque non admittens Missam votivam pro re gravi ».

Dubium 7. Quando contingit celebrari Missam Solemnem in Altari laterali, est ne tunc Chorus existens post Altare maius incensandus?

Ad 7. « Affirmative, quia Chorus Sacerdoti celebranti respondet; et idcirco etiam ad osculum pacis est admittendus ».

Dubium 8. Num Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis sit recitanda stando, in Sabbatis Quadragesimae in Vesperis; quamvis Vesperae ante meridiem persolvantur?

Ad 8. « Affirmative ».

Dubium 9. In receptione Praelati ad Ecclesiam hisce in locis solet Superior Ecclesiae ad ianuam Ecclesiae ipsius eum excipere, et eidem porrigere aspersorium indutus superpelliceo cum Stola. Nunc quaeritur: An supradicto in casu usus Stolae tolerari possit?

Ad 9. « Negative ».

Et Sacra Rituum Congregatio, requisita prius super propositis dubiis R. P. Procuratoris Generalis sententia, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii, respondendum censuit, ut sub singulis dubiis notatum est.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit.

Die 16 Aprilis 1853.

3010. FUNDANA. (5184)

Vigent adhuc in Civitate Fundana et novissimis hisce temporibus excitatae sunt veteres illae controversiae inter Capitula iam Cathedralis illius Ecclesiae Sancti Petri et Collegiatae Ecclesiae Sanctae Mariae de Platea, quorum germen nunquam integre extinctum fuit, quamvis Episcopalis et huius Sanctae Sedis Auctoritas controversiis ipsis conciliandis occurrere non destiterit. Contendentibus enim Canonicis Collegiatae illius se non teneri ad obsequium ullum praestandum Ecclesiae Sancti Petri eiusque Capitulo, imo potius existimantes sibi ius omne competere ad ea ipsa adoptanda canonicalia insignia queis Dignitates et Canonici Ecclesiae Sancti Petri ex Apostolica concessione usque ab anno 1808 condecorantur: eorum voluntati obstitit Capitulum Sancti Petri, ac proinde Sacra Rituum Congregatio de sententia requisita constituit ut debito examini subiicerentur duo sequentia dubia, utraque parte informante, formiter concordata; nimirum:

1. An favore Capituli Sanctae Mariae Civitatis Fundanae constet de iure deferendi insignia quibus utuntur nunc Canonici Sancti Petri eiusdem Civitatis?

2. An Capitulum Ecclesiae Sancti Petri Fundanae Civitatis manutenendum et quatenus opus sit, redintegrandum in iure praestationis obsequiorum et sacrarum functionum exercendarum ex parte Capituli Collegiatae Sanctae Mariae de Platea eiusdem Civitatis ad formam concordiae anni 1603, et Resolutionis Sacrae Congregationis Concilii anni 1680?

Quorum quidem dubiorum examen, utraque parte ius suum voce et scriptis protuente, dum superiori anno 1852 die 25 Septembris Emus et Rmus D. Card. Lambruschini Praefectus et Ponens proponeret in Sacrae Rituum Congregationis Ordinariis Comitiis ad Vaticanum habitis, placuit Emis et Rmis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis horum solutionem differre; ac proinde rescriptum prodiit: « *Dilata ad proximam* ».

Novis interim per utriusque Capituli Defensores distributis Allegationibus, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunato, iterum proposita causa per Emum et Rmum Dominum Card. Gabrielem Ferretti, loco et vice Emi et Rmi Domini Card. Lambruschini Praefecti et Relatoris, singulisque rationum momentis et iuribus diligenti accuratoque examine perpensis;

Sacra Rituum Congregatio sententiam suam protulit, atque rescribendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Affirmative, tantum quoad Processiones et ritus in Decreto anni 1821 enunciatos; et ad D. Pro-Secretarium cum Sanctissimo ».

Die 7 Maii 1853.

Super expositis itaque die 12 eiusdem mensis et anni 1853 facta per Pro-Secretarium subscriptum Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus Apostolica auctoritate sua confirmavit servarique praecepit.

3011. CONGREGATIONIS (5185) SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Quum inter Alumnos Congregationis Sanctissimi Redemptoris non una sit sententia circa Commemorationes S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi Confessoris Fundatoris et Sanctissimi Redemptoris propriae Congregationis Titularis, apponendas inter Commemorationes Communes seu Suffragia Sanctorum, quando illa in divino Officio locum habent: itemque opinionum varietas appareat quoad Litanias maiores divino Officio addendas in Festo Sancti Marci Evangelistae et Rogationum; Vicarius Generalis Congregationis Transalpinae Sanctissimi Redemptoris sequentia duo dubia elucidanda proposuit Sacrae Rituum Congregationi; nimirum:

1. Quando Sacerdotes Congregationis Sanctissimi Redemptoris apponere debent in Officio Commemorationes seu Suffragia Sanctorum, tenentur ne inter illa apponere tantum Commemorationem Sancti Alphonsi Mariae Institutoris Congregationis; vel illam etiam adiicere Sanctissimi Redemptoris Congregationis Titularis?

2. An Litaniae Sanctorum in Festo Sancti Marci et in Feriis Rogationum recitari debeant cum repetitione ab obligatis ad Officium divinum, qui eas simul recitant vel in Choro vel extra Chorum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in hodiernis Comitiis, audita fideli relatione a subscripto Pro-Secretario facta, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « In casu, absque repetitione recitandas ».

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit.

Die 7 Maii 1853.

3012. GROSSETANA. (5186)

Annivesarium Dedicationis Ecclesiae Grossetanae die 15 Maii assignatum, hoc anno incidit Dominica Pentecostes; ac proinde eius Officium in Calendario Dioecesano translatum fuit ad diem 27 Maii, nimirum die secunda infra octavam Sanctissimi Corporis Christi; quod quidem Festum in tota Senensi Provincia gaudet octava adeo privilegiata, ut intra ipsam locum habeant tantum duplicia primae vel secundae classis, occurrentia non minus quam translata.

Quum vero Rmus Grossetan. Episcopus anceps adhuc haereat super huiusmodi translatione; quia per accidens tantum hoc anno dies 27 Maii remanet vacua, dum in illo Calendario dies 31 Maii nullo occupatur Officio fixo novem Lectionum, Sacram Rituum Congregationem supplex adivit enixeque rogavit, ut hoc idem dubium, cum aliis duobus sequentibus, declarare dignaretur; nimirum:

1. Quando intra octavam Sanctissimi Corporis Christi reponendum est aliquod Officium translatum duplex primae vel secundae classis, potest ne hoc Officium apponi die quae per accidens est libera, quatenus Officium duplex occurrens in ea octava privilegiata est transferendum post ipsam aut simplex reddendum; vel de hoc ipso Officio duplici primae vel secundae classis agendum est die alia perpetuo libera et intra eamdem octavam privilegiatam non occurrente?

2. Triplex signum Crucis quod ab Episcopo Confirmante fit super Confirmatum, dum profert verba *In nomine Patris,* fieri ne debet pollice super frontem Confirmati; vel manu simpliciter sine frontis contactu super personam Confirmati?

3. Utrum formula illa, quae in Pontificali Romano adhibenda edicitur dum Ordinatis Sanctissimam Eucharistiam administrat Episcopus Ordinans, adhiberi possit ab Episcopo quotiescumque fidelibus Sanctissimam Eucharistiam administrat; vel extra Communionem Ordinatorum, adhibere debeat communem formulam, prout iacet in Rituali Romano?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Pro-Secretarii, rescribendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; seu in casu recte assignatum fuisse Officium diei 27 Maii ».

Ad 2. « Iuxta Pontificale, dum frontem Chrismate inungit dicere debet *Signo te signo Crucis,* signum super frontem ipsam pollice producens; quo facto manu extensa versus Confirmatum incipit: *In nomine Patris etc.* ter signum Crucis efformans, more solito ».

Ad 3. « Formulam in Pontificali praescriptam dum ad Sacram Synaxim Episcopus Ordinatos admittit, extra casum illum non esse adhibendam; seu: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit.

Die 7 Maii 1853.

3013. VICARIATUS APOSTOLICI (5187) KIAM-SI.

Rm̃e Domine, uti Frater.

Quum R. P. Aloisius a Sancto Iusto Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia in Ecclesia ista Kiam-sì Caeremoniarius Sacrae Rituum Congregationi exposuit quae sequuntur; nimirum:

Quoniam a Sancta Sede dispensatum sit cum Vicario Apostolico istius Provinciae, ut Feria V in Coena Domini peragere possit consecrationem sacrorum Oleorum cum minori numero Presbyterorum quam qui requiritur in Pontificali Romano, ob horum deficientiam; quumque in dispensatione habeantur haec verba: *Adhibeat quo plures habere potest Presbyteros;* quaeritur: Num illa clausula sic intelligi debeat, ut duo Presbyteri, quorum eo die unus agit Diaconum Evangelii, alter Subdiaconum Epistolae in Missa Pontificali, debeant quum ventum fuerit ad sacram Caeremoniam supradictae consecrationis deponere Dalmaticam ac Tunicellam, et Casulam assumere, ut maior appareat Presbyterorum numerus eiusmodi consecrationi assistentium, dictaque sacra Olea salutantium: peractaque caeremonia, Dalmaticam et Tunicellam reassumere ad Missam perficiendam?

Notandum aliunde quod fere numquam habeatur aliquis ex Ordine Diaconali vel Subdiaconali, qui e Secretario afferat illucque referat sacra Olea; quare si non sit necesse supradictos deponere et reassumere dicta Paramenta, tunc ipsi afferunt et referunt Olea, totaque Caeremonia convenientius peragitur. Quoad cetera nil deest ad Pontificalem Missam ceteraque illa die peragi solita solemniter perficienda.

Super quibus omnibus et singulis, facta per subscriptum Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Secretarium fideli relatione, prudenti sane consilio ipsa constituit nil directe memorato Patri respondendum; et satius esse Amplitudini Tuae communicare propositam praxim nullo modo adoptandam; ac proinde omnino convenientius ut Diaconus et Subdiaconus, qui Pontificali Missae assistunt, quique in casu sunt Presbyteri, postquam ad suam Sedem Episcopum comitati sunt, retentis sacris vestibus quibus induti sunt, processionaliter ad Sacrarium accedant ex eoque deferant Olea: inde quoad fieri potest, Episcopo praestent singula Officia quae a Pontificali requiruntur et praestanda essent ab Archidiacono et Presbytero assistente, expletaque sacra caeremonia, ad Sacristiam sacra Olea reducant, processionaliter ad latera Episcopi revertantur, ut ei in suo quisque officio deserviant. Posita enim Apostolica dispensatione quoad numerum Presbyterorum assistentium, nulla prorsus apparet causa ad propositam praxim adoptandam. Quae singula Amplitudini Tuae communico, ut Sanctissimi oraculum, uti exponitur, exequutioni demandetur; et interim ipsa Amplitudo Tua diu felix et incolumis vivat.

Romae 2 Iunii 1853.

3014. COCHINCHINAE. (5188)

Rm̃e Domine, uti Frater.

Amplitudinis Tuae nomine quum Sacrae Rituum Congregationi tria sequentia dubia proposita fuerint; nimirum:

1. Utrum absolutio pro Defunctis, finita Missa fieri possit tantummodo quando dicta fuit Missa de Requiem; vel fieri etiam possit, in paramentis tamen nigris, post Missam de Festo duplici, cuius fructus Defunctis applicatur?

2. Plures Theologi, inter quos Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi; quae tamen vox non reperitur in Rituali Romano. Hinc quaeritur: Num ea adhibenda sit vel omittenda?

3. Quando pro Consecratione Episcopi facta fuit facultas ut assistant duo Presbyteri loco duorum Episcoporum; quaeritur: Utrum hi Presbyteri assistentes debeant ambabus manibus caput consecrandi, post Episcopum consecrantem, tangere, et recipere Consecratum ad osculum pacis?

Super huiusmodi dubiis requisitum fuit Sanctissimi Domini Nostri Pii IX Pontificis Maximi Oraculum: et quum Sanctitati Suae, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Secretario, rescribere placuerit ut eadem solvantur iuxta alias decreta; responsiones quae subiiciuntur, Amplitudo Tua, iuxta Sanctissimi mentem accipiat et, data opportunitate, executioni mandet; videlicet:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Strictim in casu servetur Rituale Romanum ».

Ad 3. « Servetur eodem modo Rubrica Pontificalis Romani ».

Quae singula Amplitudini Tuae communico; et diu felix et incolumis vivat.

Romae 9 Iunii 1853.

3015. EISTETTEN. (5189)

Dum hoc ipso vertente anno die 28 Aprilis Rmus Episcopus Eistetten. Apostolico augebatur indulto subdelegandi sibi commissos Sacerdotes, in aliqua Ecclesiae dignitate constitutos, ad benedictionem Nolarum, quae pro usu Ecclesiarum satis amplae suae Dioeceseos recenter fundebantur, attamen sub expressa clausula ut Sacerdotes ipsi omnino adhiberent formam in Pontificali Romano praescriptam; super hoc ipso indulto plura adhuc requirenda censuit ut dandae a Sancta Sede Apostolica declarationes cuicumque ulteriori anxietati viam integre praecludant. Quocirca Vicarius Generalis illius Dioecesis, nomine eiusdem Reverendissimi Episcopi, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX sequentia dubia proposuit:

1. An liceat Sacerdoti ab Episcopo subdelegato ad benedictionem Nolarum (quum debeat formam servare in Pontificali Romano praescriptam) unctiones adhibere? et si negative,

2. An ritus ad istam benedictionem in Pontificali Romano praescriptus mutilato modo adhiberi debeat, adeo ut Orationes illae, quae ad unctiones pertinent, omnino omittantur? et si affirmative,

3. An ritus Nolarum benedicendarum fortasse sic instituendus sit a Sacerdotibus subdelegatis, ut conformis ritui in Pontificali Romano esse videatur; iuxta quem 1. *Psalmi* 50, 53, 56, 66, 69, 83, 129, primo sint recitandi, tunc ceteris Psalmis et Orationibus omissis; 2. dicatur deinde Oratio *Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi etc.* 3. Nola seu Campana cum aqua ab Episcopo benedicta aspergenda et, imposito in thuribulo thymiamate, incensanda sit?

4. In casu responsionis negativae quoad hanc formulam benedicendi, quaeritur: Quomodo formula seu ritus ab Episcopo ordinandus sit, ut servetur forma in Pontificali Romano praescripta?

5. An liceat Sacerdoti ad hoc deputato benedictionem agere solemniter etiam cum Diacono sacris vestibus induto, qui in fine Evangelium solitum canat; quia actus solemnis privilegium Episcoporum tantum esse videtur? et quatenus negative,

6. An tunc Sacerdos ipse Evangelium istud canere vel prorsus omittere debeat?

Et Sanctitas Sua, ad relationem subscripti S. R. C. Pro-Secretarii, mandavit ut propositis quaestionibus responderetur iuxta alias decreta; videlicet:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Provisum in primo ».

Ad 3. « Provisum, ut supra; et nil omittendum ».

Ad 4. « Ex praemissis non indigere ».

Ad 5. « Affirmative; quoniam in indulto id comprehenditur in verbis, *Servata forma Pontificalis Romani* ».

Ad 6. « Provisum in praecedenti ».

Die 23 Iunii 1853.

3016. LIMBURGEN. (5190)

Quum Rmus Limburgen. Episcopus, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX Pont. Max. humillimis precibus adiens, sequentium dubiorum declarationem rogarit; nimirum:

1. Quum ex Sacrae Rituum Congregationis Decretis benedictio Nuptiarum a Missa disiungi licite possit, et Sponsi ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam adigi non debeant; quaeritur: Utrum si eadem benedictio a Missa disiungi et tardioribus diei horis cum ritu celebrandi Matrimonii coniunctam impertiri contingat; sed de mane, petentibus Sponsis, Missa pro eis celebretur, sumi ista valeat votiva pro Sponso et Sponsa cum iisdem privilegiis, ac alias; an vero et in ipsis etiam votivas admittentibus diebus, Missa currens, aut alia, exclusa Missa pro Sponso et Sponsa, (cui forte abstracta benedictione locus amplius non sit) dici debeat?

2. Quum Agenda Limburgensis anno 1838 sub Praedecessore meo edita benedicendi Matrimonii ritum duplicem exhibeat, quem in Pagella adnexa videre licet; quaeritur: Utrum quoties benedictionem, ut supra, a Missa disiungere contingat, hunc Agendae ritum retinere liceat; an vero ritum Missae pro Sponso et Sponsa insertum, etiam extra Missam, omnino adhibere oporteat?

3. Denique in hac Dioecesi, sicuti in pluribus Germaniae, tempore Feriarum non solum Nuptiarum solemnitates, sed ipsae etiam nuptiae ex consuetudine prohibentur, nisi adsit dispensatio Episcopi. Hanc dispensationem ab Episcopo auctoritate ordinaria concedi posse, dummodo adsint causae sufficientes, certe in dubium vocari nequit, quum de sola consuetudine particulari aga-

tur. Quaeritur autem: An Episcopus in casibus particularibus, et ob rationabiles et graves causas, etiam in hoc dispensare possit, ut secluso quidem semper alio quocumque apparatu ac strepitu, nuptiarum benedictio tamen solemnis more debito adhibeatur? Quum enim in re Auctorum etiam gravissimorum non una sit sententia: affirmantibus siquidem quibusdam, aliis id omnino denegantibus; ad dubietatem omnem eliminandam Apostolicae istius Sanctae Sedis declaratio exquiritur.

Et Sanctitas Sua super requisitis a R̃mo Episcopo oratore, audita a subscripto S. R. C. Pro-Secretario relatione fideli, mandavit ut dubiis ipsis, iuxta mentem suam et alias decreta, responsa darentur; nimirum:

Ad 1. « Missa in Nuptiis semper debet esse votiva pro Sponso et Sponsa ut in Missali, praeterquam in Festis de praecepto et Duplicibus primae et secundae classis; in quibus Missae occurrenti addenda est commemoratio pro Sponso et Sponsa. In ea vero assignata benedictio, iuxta Rubricas, non est impertienda nisi in Missa ».

Ad 2. « Provisum in praecedenti; et quando impertienda est benedictio, omnino servetur Rubrica Missalis. Quoad specialem benedictionis formulam extra Missam, *Relatum* ».

Ad 3. « In casu Nuptiae celebrentur sine solemnitate; ideoque privatim, sine Missa et sine benedictione, temporibus prohibitis ».

Die 23 Iunii 1853.

3017. MONTIS PESSULANI. (5192)

Quum R̃mus Dominus Montis Pessulani Episcopus SS̃mum Dominum Nostrum Pium IX, Pont. Max., enixe rogarit, ut super sequentibus dubiis mentem suam aperire dignaretur; nimirum:

1. Pluribus in Ecclesiis huius Dioecesis mos invaluit, ut cum SS̃mo Eucharistiae Sacramento benedictio populo impertiatur, expleto Officio Vespertino, in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et etiam per subsequentem octavam. Potest, nec ne, haec consuetudo servari?

2. In aliquibus Ecclesiis praedictae benedictiones ex piis fidelium fundationibus explentur, vel in suffragium defunctorum vel ad meram devotionem donatorum, statis temporibus. Licet ne fundationes huiusmodi acceptare; et si acceptatae fuerint et decursu temporis adeo excreverint ut iisdem commode satisfieri nequeat, erit ne licitum illas imminuere, vel in alia pia opera commutare?

Sanctitas Sua, referente subscripto S. R. C. Secretario, iuxta alias decreta rescribendum mandavit: « Singula superius exposita licere: sed quoad immutationem vel translationem onerum quae fuerint acceptata, supplicandum pro opportuna facultate ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Augusti 1853.

3018. MELITEN. (5193)

Quum in Ordinariis Comitiis Sacrae Rituum Congregationis, hodierna die ad Quirinale habitis, Em̃us et R̃mus Dominus Card. Ioseph Bofondi Ponens proposuerit causam Meliten. Associationis cadaverum et Praecedentiae inter Archiconfraternitatem S. Iosephi erectam in Ecclesia Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Suburbii Civitatis Notabilis, atque Confraternitatem SS. Sacramenti erectam in Ecclesia parochiali S. Pauli eiusdem Civitatis in Dioecesi Meliten.; nec non dubia coram R. D. subscripto Secretario formiter inter partes concordata sequenti ordine; nimirum:

1. An Archiconfraternitati S. Iosephi sit privilegium sepulcri, quando in eius Ecclesia facta sit electio sepulturae a decedentibus Sodalibus?

2. An constet de iure Archiconfraternitatis S. Iosephi associandi cadavera suorum Confratrum, etiam si deferantur ad aliam Ecclesiam?

3. An ius sit eidem, non vocatae, interveniendi cum Confraternitate SS̃mi Sacramenti, cui adscriptus item fuerit defunctus, eique praeeundi; quando in Ecclesia Sancti Pauli, vel iure vel ex electione, tumulandum sit cadaver?

4. An Confraternitas SS̃mi Sacramenti teneatur accedere cum Sodalitio Sancti Iosephi ad funera communium Confratrum, qui in huius Ecclesia sibi sepulturam elegerint, data huic in ordine praecedentia?

Utraque parte scripto et voce iura sua protuente, Em̃i et R̃mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post maturum omnium examen, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative ».

Ad 2. « Affirmative; dummodo sit vocata ».

Ad 3. « Quoad ius interveniendi, provisum in secundo; quoad praecedentiam: Affirmative, etiam in Ecclesia Sancti Pauli ».

Ad 4. « Quoad obligationem intervenien-

di, Negative; quoad praecedentiam, provisum in tertio ».

Die 17 Septembris 1853.

Verum de sententia super secundo, tertio et quarto dubio non contenta Archiconfraternitas S. Iosephi tempore habili novam expetiit Audientiam; sed, quum impetratae novae audientiae beneficio die 9 Februarii anno 1854 formiter renunciarit; iuxta definita a Sacra Congregatione praesens Decretum prodiit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

3019. URGELLEN. (5197)

Rector Seminarii Urgellensis ac illius Dioecesis Calendarii Ordinator Sacrae Rituum Congregationi humillimis datis precibus haec exposuit. In Breviario die octava Epiphaniae Domini legitur sequens Rubrica: *Quando autem Septuagesima venerit in secunda Dominica post Octavam Epiphaniae, tunc in primo Sabbato post Octavam non impedito Festo Novem Lectionum, alioquin prima die post Octavam, fiat Officium de Feria in qua ponantur Responsoria primi Nocturni Dominicae secundae post Epiphaniam, et tres Lectiones legantur de Homilia eiusdem Dominicae cum eius Antiphona ad Benedictus et Oratione etc.* Sed in praesentiarum, ob elevationem ritus pro Festo S. Hilarii Ep. Conf. Doct., nulla in Hispania superest dies ritus semiduplicis in praedicta hebdomada post octavam Epiphaniae. Quibus positis orator Sacram ipsam Congregationem rogavit ut declarare dignaretur, utrum in hoc casu in primo Sabbato post octavam Epiphaniae fieri debeat de Festo Duplici occurrente cum commemoratione Dominicae II post Epiphaniam et cum IX Lectione de Homilia?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinario Coetu, ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit: « Affirmative ».

Die 17 Septembris 1853.

3020. REATINA. (5198)

Sodalitium a S. Francisco Stigmatibus insignito nuncupatum, quod in cryptis Basilicae Cathedralis Reatinae erectum reperitur, ab immemorabili, quando ad defunctorum cadavera associanda vocatur, assolet a propria aedicula ad defuncti domum pergere et in via manere, quin, veluti communis fert praxis et per Decreta pluries definitum est, ad parochialem Ecclesiam conveniat, ex eaque ad funus associandum cum Parocho ceterisque ad funus convocatis discedat et ad defuncti domum pergat. In quam quidem consuetudinem etsi nunquam animadvertere destiterint Parochi Reatini; illam tamen de medio tollere per se impares; hanc tandem Sacram Rituum Congregationem adire constituerunt et rem omnem ingenue exponentes enixe efflagitarunt, ut declarare dignaretur: Utrum, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, praefatum Sodalitium, quum ad defunctorum cadavera associanda vocatur, teneatur accedere ad parochialem Ecclesiam, Parochum excepturum; praesertim si ab eodem Sodalitio feretrum deferatur?

Super expositis requisita quum fuerit informatio cum voto a Rmo Reatino Episcopo, post auditos interesse habentes; e-deinceps per infrascriptum Secretarium facta fuerit distincta relatio in Ordinario Coetu Sacrae Rituum Congregationis ad Vaticanum habito superiori anno 1853 die 17 Septembris, rescriptum fuit: « Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Coeremoniarum ».

Quum itaque in novo eiusdem Sacrae Congregationis Rituum Coetu ad Vaticanum pariter hodierna die coadunato, Emus et Rmus D. Card. Ludovicus Altieri Relator designatus proposuerit votum alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris scriptis redditum typisque cusum; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post diligens omnium examen per affirmativum responsum ad Parochorum Collegii instantiam declarandum definiendumque constituerunt: « Sodalitium Sacrorum Stigmatum Civitatis Reatinae, non obstante contraria etiam immemorabili consuetudine, teneri, quum ad defunctorum cadavera associanda vocatur, ad Ecclesiam parochialem accedere; nulloque modo permittendum, ut domum defuncti directe petat vel per vias expectet ».

Et ita rescribendum servandumque omnino in casu mandarunt.

Die 8 Aprilis 1854.

3021. BOSANEN. (5200)

Quum in praesentiarum in Episcopali Palatio Bosanen. constitutae reperiantur scholae secundariae Civitatis ipsius, et ad Episcopale Sacellum conveniant scholas ipsas ventitantes, Religionis operibus satisfacturi, scholarum ipsarum Director Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut super propositis dubiis mentem suam aperire dignare-

tur; quare sententiarum varietate eliminata, requisita securitas habeatur; nimirum:

1. An Sede Episcopali vacante, in Episcopali Sacello quilibet Sacerdos Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare possit?

2. An id locum habeat etiam in casu praesenti, in quo Sacellum Episcopale Bosanen. assignatum est pro excipiendis ad Scholas accedentibus?

3. Et quatenus negative, orator Indultum efflagitat, ut ibi in Dominicis saltem Festisque de praecepto Sacrosanctum Missae Sacrificium celebretur, cui adstantes, tam Magistri quam discipuli, satisfacere valeant praecepto audiendi Sacro.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, audita relatione a subscripto Secretario facta, respondendum censuit:

Ad 1. et 2. « Affirmative ».

Ad 3. « Iam provisum in praecedentibus ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 8 Aprilis 1854.

3022. PINEROLIEN. (5201)

In Cathedrali Pinerolien. Ecclesia in praesentiarum tres tantum numerantur Mansionarii, a Sancta Sede palliolo seu mozzetta condecorati; et unus ex eis in Caeremoniarum Magistrum et Sacristam assumitur, ac peculiari quadam remuneratione pro Caeremoniarii et Sacristae officiis donatur. Quum vero inter ipsos non una sententia sit circa usum pallioli seu mozzettae dum ille Caeremoniarii et Sacristae munere fungitur; simulque dubitetur num ipsi in memoratis officiis operam suam impendenti ius sit ad chorales distributiones; hinc, assentiente etiam in scriptis Rm̃o Episcopo, duo sequentia dubia pro opportuna solutione exhibita sunt Sacrae Rituum Congregationi; nimirum:

1. Utrum Mansionarius, qui Caeremoniarii Capitularis et Sacristae munere fungitur, in obeundis tum Caeremoniarii tum Sacristae muniis, palliolum seu mozzettam gestare possit?

2. Utrum idem Mansionarius, dum praefatis officiis incumbit aliunde remuneratis, ius nihilominus ad distributiones Mansionariis debitas habere queat?

Quae quidem dubia, quum inter cetera subscriptus Secretarius retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis; Sacra eadem Congregatio rescribendum censuit:

Ad 1. « Chorali habitu (uti mozzetta est) in Choro tantum uti posse; et in Processionibus, in quibus ceu Mansionarius incedit ».

Ad 2. « Affirmative; si tamen Choro intersit; et aliter non fuerit in institutione provisum vel in Constitutionibus ».

Atque ita rescribere rata est.

Die 8 Aprilis 1854.

3023. ROMANA. (5202)

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione ut declarare dignaretur sequentia duo dubia, ut in universi Catholici Orbis Ecclesiis unisona sit ipsius Sacrae Congregationis Decretorum et Responsionum observantia; dubia ipsa in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, ad Vaticanum hodierna die coadunatis, inter cetera per subscriptum Secretarium relata fuerunt; scilicet:

1. Quum ex declaratione Sacrae Rituum Congregationis, lata die 23 Maii 1846 in una Ordinis Praedicatorum, sancitum fuerit Decreta et Responsiones ab ipsa emanata, dummodo scripto formiter edita fuerint, eamdem auctoritatem habere ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent; quaeritur: An per verba *dummodo formiter scripto edita fuerint,* sufficiat quod sint subscripta a Sacrae Rituum Congregationis Praefecto et Secretario, ac eiusdem sigillo munita; vel potius requiratur, ut sint vel Romae vel ab Episcopis in suis Dioecesibus promulgatae?

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam: An tanquam *formiter edita* habenda sint Decreta et Responsiones in authentica Collectione insertae?

Et Sacra Rituum Congregatio, post diligens omnium examen, respondere rata est:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Affirmative; uti patet ex adiecta Declaratione ».

Die 8 Aprilis 1854.

3024. AMERINA. (5203)

Dum Feria V in Coena Domini Magistratus Civitatis Amerinae accedebat ad Sacram Synaxim formiter suscipiendam in solemni Missa in Cathedrali Amerina Ecclesia, Cathedralis ipsius Caeremoniarum Magister disposuit, ut post omnem Clerum ad Eucharisticam Mensam admitteretur; item ut in solemni supplicatione Sanctissimi Corporis Christi Magistratus ipse procederet, vel ante Crucem Cleri vel post baldachinum, ceu fert praxis et ecclesiasticae leges exigere viden-

tur. Quum autem idem Caeremoniarum Magister summopere exoptet, ut ab ista Sacra Rituum Congregatione declaretur, ut quatenus se recte gesserit, per opportunam declarationem idipsum adeo confirmetur, ut futuris quibusvis temporibus ab hac ipsa praxi recedere non liceat; humillimas ad id preces porrexit.

Quas quidem preces in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum infrascripta die coadunatis, per subscriptum Secretarium relatas, postquam Sacra ipsa Congregatio maturo examine expendit, declarandum et rescribendum censuit:

« Si Magistratus Feria V in Coena Domini velit ad Sacram Synaxim accedere, admittatur post universum Clerum, pro quo Communio praescripta est: in Processione autem SSmi Corporis Christi locum teneat post baldachinum, cuius hastas intra Ecclesiam deferre debet ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 12 Augusti 1854.

3025. FESULANA. (5204)

Rme Domine, uti Frater.

Prudenti quidem consilio Amplitudo Tua in exequenda Consecratione duarum Ecclesiarum parochialium istius Fesulanae Dioecesis non acquiescens opinioni eorum, qui autumabant exequi posse Consecrationem ipsam absque Dedicatione Altaris a Pontificali Romano et a Decretis omnino requisita, una cum Ecclesiis Altaria etiam dedicavit. Quum vero Litteris datis hoc ipso vertente anno die 18 Iulii, Sacrae Rituum Congregationis sententiam Amplitudo Tua requirat eique sequens dubium expendendum proponat:

An Ecclesia antea per simplicem Ritualis benedictionem ad divini cultus servitium apta reddita, cuius Altaria ad incruentum super iisdem litandum Sacrificium, absque consecratione, Lapide tantum sacrato sunt communita, possit licite consecrari, quin eodem tempore Altare consecretur? et quatenus affirmative: Quinam ritus hac in caeremonia servandus?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu hodierna die coadunata ad Vaticanum, ad relationem infrascripti Secretarii, proposito dubio negativam responsionem dandam censuit, ac in Ecclesiarum Dedicatione Altaris omnino consecrationem, iuxta Pontificalis Romani regulam et ad Decretorum praescriptum, requiri declaravit.

Quod dum Amplitudini Tuae aperio; diu felix et incolumis vivat.
Die 12 Augusti 1854.

3026. SANCTI MINIATI. (5205)

Sacra Rituum Congregatio requisita a Cappellanis Ecclesiae S. Miniati: An ex eis alter qui celebrare debet Missam cum cantu in ipsa Cathedrali, absque tamen Sacrorum Ministrorum assistentia, possit sedere in scamno diverso ab illo in quo sedere solent Canonici cum assistentia Sacrorum Ministrorum, dum decantantur *Gloria, Credo* et Sequentia; quamvis huiusmodi sessio hucusque in memorata Cathedrali locum non obtinuerit?

Ad relationem subscripti Secretarii in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: « Affirmative; dummodo sedeat in scamno diversimode ornato, seu cum remissiori apparatu, ab illo qui Canonicis exhibetur ».

Atque ita servandum censuit.
Die 12 Augusti 1854.

3027. VERONEN. (5206)

Quum in peculiari Rubrica praemissa Festo Sanctissimi Corporis Christi praescribatur ut infra octavam illam de Sancto simplici occurrente non legatur IX Lectio historica; episcopalis Curiae Veronen. Cancellarius sequentia duo dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposuit:

1. An Dominica infra octavam Sanctissimi Corporis Christi adnumerari debeat diebus infra octavam, ita ut excludat IX Lectionem de Simplici?

2. An id valeat etiam in Calendario Ecclesiae Veronen., in qua ex Decreto s. m. Pii Papae VII diei 16 Novembris 1819, ab universo Clero Civitatis ac Dioecesis Solemnitas Corporis Christi agitur cum octava adeo privilegiata, ut intra ipsam locum tantum habeant duplicia 1 et 2 classis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit: « Affirmative ad utrumque ».
Die 12 Augusti 1854.

3028. VENTIMILIEN. (5207)

Dum superiori anno 1853 octavo Idus Septembris per Apostolicas Litteras in forma Brevis Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX pro Regionibus Pedemontanis contraxit numerum Festorum de praecepto ser-

vandorum, praecepit ut servaretur festiva sub utroque praecepto Solemnitas Patroni praecipui cuiuscumque Dioecesis, vel Civitatis, vel Oppidi, iuxta morem inibi servatum. Quum vero non una sit opinio Episcoporum in assignanda huiusmodi Festivitate, Reverendissimus Ventimilien. Episcopus sui muneris esse duxit ab hac Sacra Rituum Congregatione exquirere, quid in re non exigui certe momenti, pro sibi commissa Dioecesi constituere teneatur; ac proinde pro opportuna declaratione sequentia dubia proposuit; nimirum

1. An vi Brevis diei 6 Septembris 1853 super reductione Festorum, servandus sit dies Festus Patroni Dioecesis iuxta morem; vel potius Patroni uniuscuiusque Civitatis vel Oppidi iuxta morem pariter inibi servatum?

2. An uterque dies Festus servandus sit?

3. An retinenda sit, ut legitima, consuetudo Civitatis vel Oppidi de servando die Festo Patroni, licet destituatur titulo ab Apostolica Sede impetrato; et de cuius impetratione neque traditionalis extet memoria?

Quae quidem dubia ab infrascripto Secretario inter cetera relata in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis ad Vaticanum hodierna die habito, Sacra ipsa Congregatio rescribendum censuit:

Ad 1. « Festum praecipui Patroni Dioecesis servandum sub praecepto in locis, in quibus non habetur specialis Patronus a S. Sede confirmatus; de quo in casu agendum est de praecepto, loco Patroni Dioecesis? »

Ad 2. « Sub data ad proximum distinctione, de uno tantum agendo de praecepto, ex ipsis Apostolicarum Litterarum verbis ».

Ad 3. « Negative; et provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 12 Augusti 1854.

3029. BRIOCEN. (5208)

Quum R. D. Casimirus Renaut, Canonicus ad honorem Cathedralis Briocensis et in eadem Ecclesia Caeremoniarum Magister, de mandato sui Reverendissimi Episcopi sedulam accuratamque operam impendat in elaborando parvo Caeremoniali ad usum Ecclesiarum Ruralium; nomine ipsius Reverendissimi Episcopi, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

I. Num in Dominicis quum Celebrans in aspersione aquae ante Missam Solemnem intonat Antiphonam *Asperges me*, debeant Chorales, idest Clerici in Choro circumstantes, sese vertere ad Altare?

II. Num Chorales quum in Missa solemni bini et bini recitant *Credo*, debeant genuflectere ad ea verba *Et incarnatus est*, quum ipse Celebrans et Ministri genuflectant?

III. Num Caeremoniarius quum ipse stet, Celebrantem monendi gratia de inclinatione facienda, ad verba *Et incarnatus est*, genuflectere debeat?

IV. Num Parochus pro deferendo cadavere in Ecclesiam possit accipere Stolam et pluviale nigri coloris? Item num in exequiis, Sacerdos qui Stolam vel etiam pluviale nigri coloris assumpserit pro deferendo cadavere in Ecclesiam, possit Stolam vel pluviale nigri coloris retinere ad canendum Nocturnum Officii mortuorum, aut Vesperas mortuorum, si in casu necessitatis exequiae vespere fiant, et Vesperae immediate cantentur?

V. Num in die III, VII, XXX et Anniversaria ceterisque aliis diebus, Sacerdos assumere possit Stolam et pluviale ab initio Officii mortuorum quod cantatur ante Missam? et quatenus negative,

VI. Num teneatur assumere Stolam vel pluviale pro recitandis Precibus in fine Nocturni, quum ob rationabilem causam Laudes recitari non possunt?

VII. Num in exequiis v. g. pauperum cerei accensi in Altari pauciores esse possint numero quam sex, et in Missis quotidianis cantatis pro Defunctis quam quatuor?

VIII. Num possit Sacerdos ad Vesperas defunctorum accipere Stolam et pluviale ab initio Vesperarum? et quatenus negative,

IX. Num teneatur accipere ad Canticum *Magnificat*, vel saltem pro Precibus recitandis? (1)

X. Num post Missam in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad absolutionem peragendam?

XI. In Officiis defunctorum, in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam VI in Parasceve ac Sabbato Sancto usque ad Missam Solemnem exclusive, si quis su-

(1) E. Dub. X, XI, XII, XIV et XVI.

perveniat vel egrediatur, Officio iam inchoato, tenetur ne alios de Choro circumstantes salutare? Silent de hac re Caeremoniale Episcoporum et Rubricae.

XII. In Sacello maioris Seminarii stat Sacristia post Altare, et Ministri accedere possunt ad Altare tam ex parte Evangelii quam ex parte Epistolae. Quaeritur quanam ante Missam ex parte exire debeant ad Altare? Et qua parte post Missam redire debeant ad Sacristiam?

XIII. Num Thecae deauratae Sanctorum Reliquiis addictae ad Altaris ornamentum, inter Candelabra collocatae et apertae singulis diebus, sine lumine, sic permanere possint?

XIV. Num Canonici Feria V in Coena Domini pluvialibus induti, debeant insuper Stolam habere e collo pendentem ad sacram Communionem suscipiendam?

XV. Num in die octava Festi Corporis Christi Canonicus qui Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum delaturus est in Processione, quae fit ad illud in Tabernaculo reponendum, debeat super rochettum assumere Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et pluviale albi coloris?

Quae quidem dubia, per subscriptum Secretarium relata, maturo de more examine expendens Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, rescribendum censuit:

Ad 1. « Quoad Clericos in Choro degentes, Negative, seu non teneri; quoad reliquos Clericos in Presbyterio commorantes, Affirmative, si adsit consuetudo ».

Ad 2. et 3. « Affirmative, iuxta Rubricam ».

Ad 4. et 5. « Posse ».

Ad 6. « Non teneri ».

Ad 7. « In Missis de Requiem cum cantu, saltem quatuor ».

Ad 8. et 9. « Posse, sed non teneri ».

Ad 10. « Negative; et ex Decretis hoc iure gaudere tantum Episcopum loci Ordinarium ».

Ad 11. « Servandas peculiares locorum consuetudines ».

Ad 12. « A Sacristia e parte Evangelii egrediendum; e parte Epistolae ad illam accedendum ».

Ad 13. « Ante sacra Lipsana exposita saltem duo lumina, ex Decretis, collucere debere ».

Ad 14. « Negative ».

Ad 15. « Affirmative; seu teneri ad assumendum Amictum, Albam, Cingulum, Stolam et pluviale albi coloris, comitantibus Ministris ».

Atque ita Sacra Congregatio rescribere rata est, propositaque dubia declarare.

Die 12 Augusti 1854.

3030. FAVENTINA. (5209)

Benedictus XIV fel. rec. anno 1741 Bulla, quae incipit *Illius incomprehensibili bonitate,* Ecclesiam Sancti Michaelis Archangeli Civitatis Tiberiaci Faventinae Dioeceseos in insignem Collegiatam, quae Parochialis ut antea extiterat, erexit; ac in ea Archipresbyteratum instituit, qui prima esset Ecclesiae Dignitas et tamquam Episcopi locum tenens in eadem haberetur, idemque amplissimis ac prope singularibus gauderet privilegiis. Inter haec specialem merentur mentionem indumentum praelatitium nigri coloris cum mantelletta et rochetto, pontificalium usus praefinitis diebus, facultates pro quibusdam benedictionibus, ex quibus nonnullae etiam sacri Olei unctionem requirunt. Pius vero VII anno 1800 in Bulla, quae incipit *Operosa Christifidelium pietas,* alteram in eadem Collegiata Ecclesia dignitatem instituit; Praeposituram scilicet, novoque Praeposito honores omnes concessit, quibus tunc temporis Archipresbyter fruebatur, excepto pontificalium usu. Quae Praepositura, ob exortas hoc ineunte seculo vicissitudines extincta, a Gregorio XVI s. m. anno 1837 iisdem privilegiis, quibus olim fuerat instituta, redintegrata est. Nuper vero controversiis exortis circa privilegia et honorificentias, tum Archipresbyteri tum Praepositi Collegiatae Ecclesiae, eiusdem Canonici, per supplicem libellum Sacrae Rituum Congregationi oblatum, sequentia dubia declarari petierunt:

I. An Archipresbyter et Praepositus in Missa solemni (excepta Pontificali quoad primum) sive pro vivis sive pro defunctis, in Vesperis aliisque functionibus mere parochialibus uti possint Canone, palmatoria, annulo gemmis ornato et pulvinaribus ad Sedes, ut hucusque factum fuit?

II. An iidem in Missis privatis Canone et palmatoria uti possint, Calicem in antecessum per alios ad Altare deferre et Ministro assistente uti qui vinum in Calicem infundat, Calicem cooperiat et discooperiat et Missalis folia vertat; quin potius stare teneantur Decreto Alexandri VII?

III. An iidem, cum sacris functionibus in presbyterio assistunt, possint Sedes di-

stinctas occupare pannis violaceis ornatas et uti pulvinaribus sive pro Sedibus sive pro genuflexoriis (pariter distinctis a reliquis), ut nunc fit; an potius sedere debeant in subsellio communi cum ceteris Canonicis, prima loca tenentes, nulla tamen adhibita distinctione iuxta Decretum 24 Maii 1664?

IV. An Archipresbyter et Praepositus thurificandi sint triplici ductu; vel duplici tantum, ut Caeremoniale praescribit et S. R. C. sanxit 22 Augusti 1664, 19 Decembris eiusdem anni et 21 Martii 1699?

V. An, iisdem Missae assistentibus, Subdiaconus pacem dare debeat separatim, prius Archipresbytero deinde Praeposito ac tandem digniori de Choro post ipsos, prout nunc fit; vel potius pace accepta ab Archipresbytero, hic Praeposito et Praepositus viciniori dare eam debeat ad normam Caeremonialis Episcoporum?

VI. An Archipresbyter et Praepositus uti possint veste talari cum cauda, fascia cum floccis, galero cum chordulis et floccis et annulo gemmis ornato ad eorum arbitrium: vel potius rigorose standum Decretis 17 Iunii 1673 et 2 Decembris eiusdem anni?

VII. An gaudeant hae dignitates titulo Praelati, aut Illustrissimi ac Reverendissimi, aut tantum Admodum Illustris ac Reverendi?

VIII. An iidem, assistentes concioni simul cum Canonicis, absque ulla distinctione sedere debeant in sedili communi sed ante alios iuxta Decretum 21 Aprilis 1736 et consuetudinem Ecclesiarum Cathedralis et Metropolitanae; vel potius sedere debeant in Sede camerali cum brachiis velo violaceo ornata et cum suppedaneo et genuflexorio a ceteris distincto; uti nunc fit et factum semper videtur ab Archipresbytero et uti nunc etiam a Praeposito fieri praetenditur?

IX. An dum ipsi in Choro adsunt, exceptis solemnitatibus, venia ad inchoandum Matutinum et Horas canonicas necnon ad Benedictionem proferendam in Nocturnis dari debeat ab Archipresbytero, et eo absente a Praeposito; vel potius, non obstantibus eorum praesentia in Choro, consuetudine in contrarium pro Archipresbytero et praetensionibus Praepositi, ab Hebdomadario dari debeat iuxta Decretum 15 Augusti 1833 ad tertium?

X. An, facta per Bullam Archipresbytero facultate functiones peragendi iis anni diebus quibus ei placuerit, id etiam concessum censeatur Praeposito; vel potius hic stricte stare debeat tabellae functionum quae ad ipsum pertinent, quaeque ei assignatae sunt ad instar Praepositi Cathedralis Ecclesiae, prout sancitum fuit a Capitulo quando consensum praestitit pro restitutione PraeposCiturae?

XI. An Archipresbyter in posterum possit Calices, Patenas et alia consecrare ac Campanas benedicere adhibens Olea sacra, et sacrum Chrisma, ut nunc solet, etiam pontificalibus indutus, quamvis extra dies ei pro functionibus pontificalibus assignatos; vel potius standum sit stricte Bullae ipsius institutionis ac citato Decreto Alexandri VII? Item, an possit praedicta benedicere sacra adhibens Olea, ut supra, etiam pro aliis Paroeciis, non obstantibus limitationibus in Bulla expressis? et in casu quo sacra Olea nequeat adhibere, quamnam benedictionem ipse dare possit Calici, Patenae, Campanae etc.?

XII. An, quando Capitulum processionaliter accedit ad aliquam Ecclesiam, Archipresbyter et Praepositus a Rectore Ecclesiae aspergendi sint aqua benedicta ut ceteri Canonici; vel potius iuxta morem inductum aspersorio accepto se ipsi signare debeant?

XIII. An supra gentilitia insignia ambo apponere queant galerum praelatitium; et quatenus affirmative, cuiusnam coloris?

XIV. An, cum Praepositus teneatur Choro interesse omnibus diebus festis, id tantum de festis de praecepto; vel etiam de suppressis sit intelligendum, in quibus Parochi Missam *pro populo* applicare tenentur et in Collegiata Ecclesia Officium fit ut diebus de praecepto?

XV. An cum Praepositus teneatur Choro interesse diebus festis, ut supra, et toto tempore Adventus et Quadragesimae, possit, praeter reliquum anni tempus in quo iuxta novam Praeposciturae institutionem, a Choro est dispensatus, iis uti vacationibus quae trimestri aequivaleant, ad instar Canonicorum qui quotidie Choro interesse debent; vel potius nulla uti possit vacatione absque legitima causa ex. gr. infirmitatis etc.?

Et Sacra Rituum Congregatio, R̃mi Episcopi Faventini informatione praehabita, rationibus ab utraque contendentium parte adductis mature perpensis ac voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris prius exquisito, qui sententiam suam scripto aperuit; in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, referente Em̃o et R̃mo Domino Cardinali Iosepho Bofondi, re-

spondendum censuit: « In omnibus iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; scilicet:

Ad 1. « Quoad Canonem et palmatoriam, Negative in omnibus; quoad pulvinaria, servari posse inductam consuetudinem; quoad annulum vero prout infra ad Dubium VI ».

Ad 2. « Negative in omnibus; idest Decreta Sacrorum Rituum Congregationis anno 1659 ab Alexandro VII confirmata, adamussim servanda ».

Ad 3. « Indulgeri posse ne Archipresbyter exturbetur a Sede paulo eminentiori scamno Canonicorum, qua semper usus est in Presbyterio; dummodo ipsa Sedes aliquantulum amplietur, ut capax sit Praeposito post Archipresbyterum insimul recipiendo, eademque nullo prorsus interposito intervallo, uniatur cum communi Canonicorum scamno. Indulgeri item posse, ut retineantur ab utraque Dignitate pulvinaria in Sede, et super scamno genuflexorio, non tamen sub genibus seu ad pedes ».

Ad 4. « Vi privilegii a Benedicto XIV induti, thurificandos esse triplici ductu ».

Ad 5. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; excepto annulo, quo unus Archipresbyter uti potest, sed tantum quum in Pontificalibus celebrat; Negative, ad secundam ».

Ad 7. « Attendi posse loci consuetudinem ».

Ad 8. « Affirmative, ad primam partem, indulto tantum pulvinari corio vel laneo in Sede; Negative, ad secundam ».

Ad 9. « Ad primam Dignitatem praesentem in Choro spectare dare signum incipiendi et inchoandi divinum Officium; reliqua vero omnia spectare ad Hebdomadarium, qui incipit vel celebrat Officium ».

Ad 10. « Ad Episcopum Faventinum; qui salvis Archipresbyteri et Canonicorum iuribus, dies definiat quibus Praepositus vel possit vel debeat solemniter celebrare ».

Ad 11. « Facultatem consecrandi Calices et Patenas, item benedicendi Nolas expresse indultam Archipresbytero fuisse in ipsa Bulla Institutionis, eademque propterea Archipresbyterum uti posse iuxta formam a Pontificali Romano praescriptam, etiam extra dies celebrationi Missae Pontificalis adsignatos; non tamen ultra limites hodiernos parochialis Ecclesiae Sancti Michaelis et Sancti Petri in Silvis ».

Ad 12. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 13. « Nigri coloris pileum cum lemnisciis et stemmatibus imponi posse ».

Ad 14. et 15. « Non spectare ad Sacram Rituum Congregationem ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit. Die 21 Iulii 1855.

3031. VICARIATUS APOSTOLICI (5211) CONSTANTINOPOLITANI.

Quum Magister Caeremoniarum Vicariatus Apostolici Constantinopolitani ab hac Sacra Rituum Congregatione postulaverit, ut sententiam suam elicere dignaretur super insequentibus dubiis; nimirum:

1. An loco Missae Solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta eidem inservientibus Diacono et Subdiacono, Dalmatica et Tunica indutis?

2. An Episcopus in impertienda populo benedictione cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento decantare possit: ℣. *Sit nomen Domini benedictum?*

3. An praxis in praecedenti dubio enunciata retineri possit, saltem ex eo quod Episcopus mox defunctus a viginti et ultra annis in elargienda Eucharistica benedictione Versum ipsum decantare consuevit?

4. An liceat Episcopo dare benedictionem cum Sanctissimo Sacramento Eucharistiae absque velo humerali, eius loco assumptis chirothecis? et an chirothecas retinere possit, si ad velum humerale assumendum teneatur?

5. An Sacerdos a Vicario Apostolico morti proximo electus ad regimen provisorium Vicariatus, et deinceps a Sacra Congregatione de Propaganda Fide renunciatus Superior interinus Vicariatus ipsius; interea et ex ratione huiusmodi delegationis, ius habeat exigendi in celebratione Missae Solemnis honorem Presbyteri assistentis et palmatoriae?

Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, post accuratum omnium examen, ad relationem subscripti Secretarii, propositis dubiis: « Negative in omnibus » respondendum censuit.

Die 21 Iulii 1855.

3032. ORDINIS (5212) CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Quum Prior Coenobii Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Sanctae Mariae de Vi-

ctoria in Urbe Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposuerit sequentia dubia; nimirum:

1. Utrum quum ex testamento legatur Anniversarium vel Anniversarium solemne, per hoc unum praecise nomen Anniversarii vel Anniversarii solemnis, intelligendum sit onus Missae Solemnis dumtaxat; an Officium etiam Defunctorum cum tribus Nocturnis et Laudibus, licet per testamentum id expresse non iubeatur?

2. Utrum quando a testatore simpliciter legatur Officium, intelligendum sit totum Officium Defunctorum, id est Vesperas et tria Nocturna cum Laudibus; vel potius unum dumtaxat Nocturnum conveniens diei, in quem incidit Anniversarium una pariter cum Laudibus?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, audita infrascripti Secretarii relatione, respondendum censuit:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Iulii 1855.

3033. CAPUANA. (5214)

Quum Parochus sancti Angeli Audoaldis in Civitate Capuana penes Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia exposuerit pro opportuna solutione; nimirum:

1. An diruta et solo aequata Ecclesia parochiali, et translato Beneficio Curato ad aliam Ecclesiam non Curatam in districtu parochiali existentem, ubi administrantur Sacramenta parochianis, Plebanus Titularis Beneficii Curati cum populo teneatur adhuc ad celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava Festum Sancti Titularis Ecclesiae dirutae et destructae, tamquam Ecclesiae propriae? et quatenus negative,

2. Quonam alio sub ritu dictum Festum Titularis celebrare tenetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii et post accuratum omnium examen, respondendum censuit:

Ad 1. « Negative ».

Ad 2. « Eodem ritu, quo hoc Festum gaudet in Calendario Dioecesano ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 21 Iulii 1855.

3034. VERONEN. (5217)

Exposuit Sacrae Rituum Congregationi Cancellarius episcopalis Curiae Veronensis morem vigere Veronae defunctorum cadavera de sero ad Ecclesiam deducendi, eaque postmodum absque ulla pompa, sed uno tantum Sacerdote associante, noctu deferendi ad Caemeterium extra moenia Civitatis; atque insimul, assentiente R̃mo Veronen. Episcopo, ab eadem Congregatione postulavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

1. An Canticum *Benedictus* recitari debeat de sero cum Antiphona *In Paradisum* ac reliquis exequiarum precibus?

2. An potius Canticum *Benedictus* sit omittendum de sero, et recitandum die insequenti quo explentur exequiae, veluti corpore praesente post absolutum Officium Defunctorum et Missam Solemnem? (1)

Quae quidem dubia a subscripto Secretario relata quum fuerint in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Sacra Rituum Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, respondendum censuit:

Ad 1. et 2. « In casu servandum ordinem in Rituali praescriptum ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Iulii 1855.

3035. BRIOCEN. (5221)

Annuente R̃mo Episcopo Briocen. et Trecoren., Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Briocensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

1. In Parochiis Ruralibus, quum defunctus decessit in domo, longiori distantia, ut saepe fit, una et aliquando altera leuca, separata ab Ecclesia, in qua Exequiae peragendae sunt, cadaver curriculo ad portam principalem huius Ecclesiae adducitur; ibique Parochus recitare solet Preces, quae iuxta Rituale Romanum sunt recitandae in domo defuncti, si proximior sit, antequam cadaver ad Ecclesiam deferatur. Quaeritur:

a) Num hoc in casu Parochus induere possit Albam loco superpellicei, ut mos est, si immediate post Officium Mortuorum, quod ipse Parochus facit, Missam sit celebraturus?

b) Num super Albam aut superpelliceum, si Alba non utitur, induere possit Stolam nigri coloris una cum pluviali eiusdem coloris? Ratio dubitandi est, quia fert

(1) E. Dub. 3.

Rituale Romanum: *Stola nigra vel etiam pluviale eiusdem coloris.*

2. Num Sacerdos alius loco Parochi, qui in Ecclesiam cadaver introduxit, celebrans Officium mortuorum teneatur induere Stolam et pluviale nigri coloris ab initio Officii mortuorum; vel tantum ad Preces recitandas in fine Nocturni, quum Laudes non dicuntur; et num has Preces recitare possit absque Stola et pluviali?

3. An tertio Sacerdoti, a supradictis Sacerdotibus diverso, celebrare liceat Missam, ut in die obitus, post Laudes sive post Nocturnum, quum Laudes non dicuntur? (1)

4. In Officio mortuorum, quum Laudes recitari non possunt et unicum tantum cantatur Nocturnum, Psalmus *De profundis* debet ne recitari ad Preces, quae sunt recitandae in fine Laudum?

5. Quum Rm̃us Episcopus pontificaliter celebrat, tenentur ne omnes Canonici huic assistentes et alii Canonici, sive parati sive non parati, genuflectere quum solemnem dat benedictionem in fine Missae et Vesperarum?

6. Saepius fit in Dioecesi Briocensi, ut in fine Missae et Vesperarum benedictio cum Augustissimo Sacramento Eucharistiae populo impertiatur a Celebrante. Hinc quaeritur: An ab Episcopo assistente; vel potius a Celebrante thus in thuribulum imponi debeat ad thurificandum Sanctissimum Sacramentum? Ratio dubitandi est, quia in hoc casu thus benedici non debet, sed simpliciter poni in thuribulum.

7. Iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 12, § 11. Candelabra in Altari ponenda non sunt omnino inter se aequalia. Verum in tota Dioecesi Briocensi sunt omnino inter se aequalia. Quaeritur: Utrum hoc praescriptum Caeremonialis Episcoporum ea de re sit rigorose tenendum? et si affirmative, petitur, ut iis Candelabris inter se aequalibus in omnibus Ecclesiis seu Cappellis uti liceat, donec admodum renovanda sint?

8. Quaeritur an in administrando Viatico Sacro aegrotanti Sacerdoti aliquis sit ritus specialis diversus a ritu praescripto a Rituali Romano *de Communione infirmorum;* ut innuere videtur Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 38, § 3 et 5 dicens: *Profiteatur Episcopus aegrotans catholicam fidem, ex formula ab Apostolica Sede praescripta.* Et quatenus affirmative, anne servari possit sequens ritus, qui legitur in quodam Rituali. 1. Paratis omnibus, ut in Rituali Romano de Communione infirmorum, Sacerdos infirmus Sacram Eucharistiam sumpturus induatur superpelliceo et Stola albi coloris a collo pendente. 2. Deinde Sacerdos ministrans domum ingrediens dicat: *Pax huic domui etc.*, ut in Rituali Romano de Communione infirmorum usque ad Antiphonam: *Asperges me* inclusive, etiam repetitam; et reversus ad Sanctissimum Sacramentum genuflectat, et stans dicat: ℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* ℟. *Et salutare tuum da nobis.* ℣. *Salvum fac servum tuum Domine.* ℟. *Deus meus sperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Deus infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adiutus Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* 3. Finita oratione genuflectit Sacerdos ministrans, et accedit ad infirmum, a quo professionem fidei exigit dicens: *Frater carissime,* (si sit superior, *Reverende Pater*) *oportet in testimonium fidelissimi animi tui, ut Catholicam fidem quam semper tenuisti, nunc Sacram Eucharistiam sumpturus, profitearis.* Dic igitur *Credo in Deum etc.* idest Symbolum Apostolorum. Si infirmus Sacerdos prae infirmitate nequeat Symbolum recitare, alter eius nomine illud integre recitet. 4. Recitato Symbolo, Sacerdos ministrans, si placet, adhortatur infirmum Sacerdotem. 5. Facta exhortatione vel recitato Symbolo (si non fit exhortatio) ipse infirmus Sacerdos, vel alter eius nomine, peccatorum confessionem faciat dicens *Confiteor;* quo dicto mox Sacerdos ministrans dicet: *Misereatur etc. Indulgentiam etc.* Tum accedat ad infirmum, sacra Pyxide discooperta, et incipiat Hymnum *Te Deum,* quem Sacerdotes et Clerici circumstantes recitabunt alternatim usque ad hunc versum inclusive: *Fiat misericordia etc.* Tunc Sacerdos ministrans sumat Sacram Eucharistiam intra digitos, quam ostendat infirmo, qui silentibus aliis, dicit: *In te Domine etc.* Quo peracto Sa-

(1) E. Dub. 4. et 6.

cerdos ministrans dicit: *Ecce Agnus Dei etc.* ut in Rituali Romano de Communione infirmorum.

9. Num novus Parochus, quum prima vice in suo parochiali munere, coram populo in Ecclesia parochiali congregato, canonice constituitur, gallice: *le jour de son installation,* debeat profiteri Fidem Catholicam in formula ab Apostolica Sede praescripta? et quatenus affirmative, num illa Professio eadem sit, ac forma iuramenti Synodalis, quae legitur in Pontificali Romano in ordine ad Synodum, et recitanda sit in vernacula lingua?

10. *a*) Num Tabernaculum, in quo reconditur SSmum Sacramentum Conopaeo cooperiri debeat, ut fert Rituale? et quatenus affirmative: *b*) Num Conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto? *c*) Cuiusnam coloris esse debeat? aliis opinantibus, ut Barufaldus, Conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SSmo Sacramento; aliis autem, ut Gavantus, eiusdem coloris, cuius sunt pallium Altaris et cetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum.

11. Quum feretrum in quo corpus includitur, et castrum doloris, absente corpore, panno nigro cooperiri debeant: quaeritur: An feretrum, si in eo reconditur corpus puellae innuptae, panno ex lana alba contexto cooperire liceat in signum virginitatis? et etiam pro castro doloris in die tertia, septima, trigesima et anniversaria ipsius puellae innuptae?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum in Ordinariis Comitiis hodierna die coadunata, referente subscripto Secretario et propositis dubiis accurato examine perpensis, respondendum censuit:

Ad 1. « Quoad primam quaestionem, Negative; quoad secundam, Affirmative ».

Ad 2. « Quum Stola sit signum officii, non iurisdictionis; Stolam ipsam assumendam ab illo, qui exequias persolvit, sive Parochus sit, sive alius Sacerdos pro Parocho ».

Ad 3. « Affirmative ».

Ad 4. « Laudabilius esse si recitetur Psalmus *De profundis* ».

Ad 5. « Negative ».

Ad 6. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et Episcopum thurificare debere ».

Ad 7. « Adductam causam a praescriptione Caeremonialis observanda excusare ».

Ad 8. « Negative in omnibus ».

Ad 9. « Servandum Decretum Concilii Tridentini Sessione XXIV, cap. XII, *de Reformatione:* Professionem autem fidei edendam iuxta formulam a Pio IV statutam, quam exhibet Pontificale Romanum in ordine ad Synodum ».

Ad 10. « Quoad primam quaestionem, Affirmative; quoad secundam, pariter Affirmative; quoad tertiam, utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum Ecclesiarum Urbis ».

Ad 11. « Negative in utroque casu ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Iulii 1855.

3036. ASSISIEN. (5222)

Inter diversas Franciscalium familias Assisii constitutas iterum succrescentibus dissensionibus super iure praecedendi in publicis supplicationibus; nec non familia Minorum Conventualium, Patriarchalis Basilicae Sancti Francisci servitio mancipata, contendente vigore privilegiorum sibi indultorum ab Apostolica Sede, ac praecipue a Benedicto XIV duabus Constitutionibus *Fidelis Dominus* et *Rituales Leges* datis die 25 Martii 1754, nullimode se teneri ad supplicationes accedere, urgente licet publica causa ab Episcopo extra ordinem indictas; nec ad recitandas in praefata sua Basilica Collectas et Preces ab eodem Episcopo ex publica pariter causa generatim praescriptas; Reverendissimus Assisien. Episcopus rem omnem ingenue exposuit Sacrae Rituum Congregationi, ut opportunas provisiones tradere dignaretur.

De expositis itaque ab Episcopo actum quum fuerit in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum ad Vaticanum habito pridie Idus Augusti 1854, rescriptum prodiit: « Audiantur RR. PP. Procuratores Generales Ordinum, et postmodum ponatur in Folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum ».

Ad mentem igitur sacrae Congregationis, postquam Procuratores Generales Ordinum suas exhibuerunt deductiones in scriptis, et delectus Apostolicarum Caeremoniarum Magister, expensis allegationibus tum Episcopi tum Procuratorum Generalium, suum votum confecit et votum ipsum interesse habentibus communicatum fuit. Qua communicatione facta, et novis, quae ab Episcopo et a Procuratoribus Generalibus prolatae sunt, observationibus, una cum

praecedentibus allegationibus et voto Magistri Caeremoniarum, iudicio Sacrae Congregationis subiectis;

Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ludovicus Altieri Relator sequentia dubia discutienda proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subscripta die coadunatis; nimirum:

I. An in Processionibus, tam ordinariis quam extraordinariis, praecedere debeant Fratres Minores Observantes; vel potius Fratres Minores Conventuales?

II. An in Processionibus aliisque Functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati; vel potius Conventuales?

III. An in Processionibus quoties Capuccini soli sub propria Cruce accedunt absque interventu Patrum Conventualium, praecedere debeant iidem Capuccini; vel potius Fratres Tertii Ordinis Sancti Francisci?

IV. An Regulares dictorum Ordinum teneantur intervenire Processionibus, quae publicae utilitatis causa ab Episcopo indicuntur?

V. An Fratres Conventuales teneantur implere Episcopi mandatum, quum ab ipso pro publica causa vel utilitate Preces indicuntur?

Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus et singulis mature consideratis, rescribendum censuerunt:

Ad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad 2. « Dilata; et scribat alter Magister Caeremoniarum ».

Ad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad 4. « Affirmative ».

Ad 5. « Affirmative ».

Die 16 Februarii 1856.

Quibus omnibus per subscriptum Secretarium relatis SSmo D. N. Pio Papae IX, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit ac servari mandavit.

Die 21 eiusdem mensis et anni.

3037. BOIANEN. (5225)

Hodiernus Archipresbyter Oppidi, cui nomen vulgo *Montagnano* intra fines Dioecesis Boianen., huic Sanctae Sedi Apostolicae exposuit, fideles Oppidi ipsius a vetustis temporibus ceu praecipuum ad Deum Patronum venerari consuevisse Sanctum Alexandrum Martyrem, unum e septem Fratribus de quibus in Martyrologio Romano sexto Idus Iulii; eamque ob causam Festum eiusdem Sancti, cuius Corpus ibidem religiosissime asservatur, a Clero loci celebratum hucusque fuisse cum Officio et Missa de Communi unius Martyris sub ritu duplici primae classis cum octava. Exposuit insuper hac non obstante veteri consuetudine nuper contigisse ut Ordinator Calendarii Dioecesani pro eodem Festo assignare censuerit Officium cum Missa de Communi plurimorum Martyrum, asserens iuxta Decreta huius Sacrae Congregationis non posse Festum unius ex septem Fratribus Martyribus a ceteris seiungi. Hanc itaque immutationem aegro animo ferentes Archipresbyter et Clerus Oppidi *Montagnano*, pro vetustae consuetudinis confirmatione huic Sacrae Rituum Congregationi supplicia vota dedere.

Quorum preces, quum ipse Reverendissimus Episcopus Boianen. pro informatione et voto requisitus, non modo veritati consonas testatus fuerit, sed etiam supplicaverit ut Oratorum votis Sacra eadem Congregatio benigne adhaereret;

Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, ad Vaticanum hodierna die coadunati in Ordinario Coetu, rebus omnibus mature expensis ac referente subscripto Secretario, respondendum censuerunt: « Veterem consuetudinem in casu esse retinendam; iuxta Decretum in Carthaginien. seu Ordinis Minorum de Observantia diei 2 Maii 1801 ad Dubium IX ».

Die 29 Novembris 1856.

Dubium, de quo supra, sub die 2 Maii 1801, sequens est.

CARTAGINIEN. seu ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA. — Dubium IX. An Homilia quae habetur in Festo Sanctorum Septem Fratrum et Sociorum Martyrum legenda sit, quando de eorum uno tantum fieri debet Officium?

Et S. R. C. respondit: Ad IX. « Si Officium celebrandum sit sub ritu duplici 1 vel secundae classis, doceatur de casu particulari; si sub ritu inferiori, non esse separandum Festum Sanctorum Septem Fratrum, sed de omnibus Officium coniunctim peragendum sub eo ritu convenienti uni ex Septem Fratribus, cuius peculiaris Festivitas peragitur: translato, iuxta Rubricas, Festo Sanctarum Rufinae et Secundae ».

3038. MONTIS ALBANI. (5226)

Vicarius Generalis Dioecesis Montis Albani exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae in Ecclesia parochiali Sancti Iacobi Apo-

stoli Civitatis Montis Albani canonice erectam reperiri Confraternitatem Sacratissimorum Cordium Iesu et Mariae (quae tamen vulgo sub priori tantum titulo Sacratissimi Cordis Iesu cognoscitur) prorsus distinctam ab Archiconfraternitate Romana sub eodem titulo Sacratissimi Cordis Iesu: siquidem haec Confraternitas Montis Albani duplicem habet scopum, spiritualem scilicet Sodalium utilitatem, et in necessitatibus temporalibus ope menstruae retributionis assistentiam. Quocirca ab hac Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit ut declarare dignaretur: Num in Civitate Montis Albani vel in eadem parochiali Ecclesia vel in alia institui possit alia Confraternitas Sacratissimi Cordis Iesu, Romanae Archiconfraternitati vel Confraternitati Molinensi in Gallia aggreganda; ac prorsus distincta ac diversa a Confraternitate, de qua supra, in parochiali Ecclesia Sancti Iacobi erecta?

Quae singula quum subscriptus Secretarius eiusdem Sacrae Rituum Congregationis retulerit in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum habito; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, rescribere rati sunt: « Quum iuxta exposita, una Confraternitas ab altera differat non tantum nomine sed etiam scopo, simultaneae utriusque Confraternitatis existentiae in eadem Civitate minime officere censenda est Constitutio s. m. Clementis Papae VIII, quae incipit *Quaecumque* ».

Atque ita Sacra Rituum Congregatio rescripsit.

Die 29 Novembris 1856.

3039. SALUTIARUM. (5228)

Quum Reverendissimus Episcopus Salutiarum, in relatione status Ecclesiae suae anno mox elapso 1855 ad Sacram Congregationem Concilii transmissa, sequentia dubia proposuerit ac supplicibus votis ab hac Sancta Sede Apostolica postulaverit ut dubia ipsa definire dignaretur; nimirum:

1. Anne possit Episcopus tolerare quod Canonici Cathedralis Missam Conventualem celebrent, non post Tertiam, sed post Nonam?

2. An Episcopus tolerare possit quod Canonici Episcopum Pontificalia exercentem, non ad Altare maius, sed in Sacristia vestiant?

3. An Episcopus tolerare possit quod in Processione Sanctissimi Sacramenti, quae cum magno fieri solet populi concursu Dominica tertia cuiuslibet mensis, Canonicus deferens Sacramentum, haudquaquam pluviali indutus accedat, sed simpliciter Stola super cappam; quamvis ad hoc interrogata Sacra Rituum Congregatio id fieri non posse rescripserit die 18 Decembris 1784 in responsione ad primum?

4. An Episcopus tolerare possit quod benedictionem cum Sanctissimo Sacramento impertiantur Canonici cum simplici Stola super cappam?

5. An Episcopus tolerare possit quod diebus Dominicis, ante Missam Conventualem, non ipse Celebrans sed inter Canonicos primus aquae lustralis efficiat aspersionem? An item Sabbato Sancto quoad aspersionem cum aqua recenter benedicta?

6. An Episcopus tolerare possit quod Canonici Missam solemnem cum Diacono et Subdiacono aliquando cantent nulla adhibita incensatione, et saepe saepius id faciant in Missis de Requiem cantatis cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, qui semper Canonici sunt?

Quum autem, Sanctissimo D. N. Pio Papa IX iubente, istiusmodi dubia a S. Congregatione Concilii ad hanc S. R. C. pro opportuna solutione fuerint transmissa; Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, referente subscripto Secretario, respondendum duxerunt:

Ad 1. « Negative; et servandas esse Rubricas ».

Ad 2. « Negative; et servandas esse praescriptiones Caeremonialis Episcoporum ».

Ad 3. « Negative; et observetur Decretum diei 18 Decembris 1784, in una Salutiarum in responsione ad primum ».

Ad 4. « Negative ».

Ad 5. « Negative, quoad primam partem; quoad secundam, servandam esse consuetudinem ».

Ad 6. « Negative ».

Atque ita Sacra Rituum Congregatio rescribere rata est et proposita dubia declarare.

Die 29 Novembris 1856.

3040. ASSISIEN. (5229)

Cum Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum habito die 16 Februarii vertentis anni in Causa Assisien. declarationis dubiorum proposita ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ludovico Altieri Ponente, supersederit a

iudicio suo ferendo super sequenti dubio, quod in Positione illa numero secundo distinctum erat; nimirum: An in Processionibus aliisque functionibus, quoties Fratres Minores de Observantia non accedunt, praecedere debeant Minores Reformati, vel potius Conventuales? et rescriptum prodierit « Dilata; et scribat alter Magister Caeremoniarum »; ad mentem Sacrae Congregationis delectus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum suum confecit typisque mandavit.

In novis itaque Sacrae Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Vaticanum pariter coadunatis, per eumdem Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Altieri Relatorem iterum proposita Causa; Sacra eadem Congregatio, omnibus accurate perpensis, rescribere rata est: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum: idest Reformatos, licet soli et sub propria Cruce, supplicationibus aliisque publicis functionibus accedant, eadem frui debere praecedentia quae Observantibus competit ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24 Maii 1856.

Super quibus facta postmodum per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit; mandavitque ut super dubiis omnibus in hac Causa a Sacra Congregatione definitis, tum 16 Februarii vertentis anni, tum supra scripta die, pro diversis S. Francisci Familiis Assisii commorantibus, expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis.

Die 29 Novembris 1856.

3041. CONGREGATIONIS (5230) CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI BARNABITARUM.

R̃mus P. Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum sequentes quaestiones Sacrae Rituum Congregationi enodandas proposuit:

I. Quaeritur quid agendum sit, si idem Officium, quod concessum fuit nostrae Congregationi, indultum quoque fuit Dioecesi in qua moramur, sed pro alia die?

II. Quaeritur quid agendum sit, si pro eodem quidem die sed sub alio ritu, idem Officium, tum Congregationi nostrae tum Dioecesi in qua moramur, indultum fuit?

III. Quaeritur quid agendum sit, si quando Congregationi nostrae aliquod Officium de Communi, Dioecesi vero proprium concessum fuerit, vel viceversa?

IV. Quum ex nostris Constitutionibus a Sancta Sede approbatis teneamus celebrare octavas Sancti Patroni Loci in quo moramur; quaeritur: An celebrare teneamur omnes octavas, quae servantur in Locis ubi plures sunt Patroni?

V. Quum Collegio Sancti Caroli ad Catinarios de Urbe concessum fuerit ut Officium Beatae Mariae Virginis sub titulo Auxilium Christianorum die XXIV Maii celebretur sub ritu duplici secundae classis; quaeritur: Quid agendum sit, si eodem die occurrat dies octava Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi? (1)

Haec itaque dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum votum protulit typisque commisit, quum Eminentissimus et Reverendissimus D. Card. Ludovicus Altieri Ponens proposuerit in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum hodierna die ad Vaticanum habito; Em̃i et R̃mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, dubiis ipsis rescribendum censuerunt:

Ad 1. « In casu Clericos Regulares Sancti Pauli conformare se debere quoad diem Calendario Dioecesano ».

Ad 2. et 3. « Clericos Regulares debere celebrare Festum ritu altiori et Officio proprio respective: dummodo in concessione Officii proprii facta Dioecesi, Regulares explicite non excludantur ».

Ad 4. « Affirmative; si liquido constet de legitima plurium Patronorum principalium Officii celebratione ».

Ad 5. « Iuxta Rubricas faciendum esse Officium de duplici secundae classis cum commemoratione diei octavae Ascensionis in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa ».

Die 29 Novembris 1856.

3042. STRIGONIEN. (5232)

Em̃e et R̃me Domine.

Quum Eminentia Vestra huic Sacrae Rituum Congregationi nonnulla dubia proposuerit pro opportuna declaratione; eadem, ab Em̃o et R̃mo Domino Cardinale Ludovico Altieri Ponente in hac Causa designato relata sunt in Ordinariis Comitiis Sacrorum

(1) E. Dub. VI.

Rituum ad Quirinale subsignata die coadunatis; nimirum :

I. An Calix, cuius inauratio dumtaxat renovatur, possit a Sacerdote, Ordine Episcopali non insignito, simpliciter sine unctione benedici; vel in hoc quoque casu ad Episcopum perferri debeat, ut ab hoc cum unctione benedici queat?

II. An in urbibus, in quibus frequenter funduntur Campanae et simul a residentia Episcopi longius remotae sunt, aliquis ex Dignitatibus Capituli vel ex Praelatis deputari possit ad novas Campanas sine unctione benedicendas?

III. An prima saltem Dignitas in Capitulo, dum, absente Episcopo, in Pontificalibus sacra facit, possit baculum pastoralem gestare? et an id, praesente etiam Episcopo, liceat, posito utique casu quod prima Dignitas Ordine Episcopali destituitur?

IV. An Episcopus Auxiliaris iure baculum pastoralem gestandi, etiam Ordinario Episcopo praesente, uti possit?

V. An Dignitariis Capituli usum Pontificalium habentibus competat ius baculum pastoralem gestandi, et populo, petita prius a praesente Episcopo facultate, solemniter benedicendi?

VI. Quoniam iamdudum a Clemente Papa XIV in Austria nonnulla Festa abrogata et fideles ab obligatione iis diebus Missam audiendi absoluti sunt; quaeritur: An Parochi in illis Festis, ut dicitur, abrogatis, Missam pro populo applicare teneantur, quum in Bulla diei 22 Iunii 1771 desuper edita, obligationis huius expressa mentio haud occurrat.

Huiusmodi porro dubia, super quibus antea requisita fuit alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, quum Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi accurato examini subiecerint, respondendum censuerunt :

Ad I. « Quoad primam partem, Negative; quoad alteram, Affirmative ad utrumque ».

Ad II. « Non posse; si Campanae deserviant Ecclesiis et sacris functionibus annunciandis ».

Ad III. « Ad Mentem ».

Ad IV. « Servandam dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib. 1, cap. 17, § 5 ».

Ad V. « Ad Mentem ».

Ad VI. « Affirmative ».

Quum autem Sacra Congregatio quoad tertium et quintum dubium rescripserit *Ad Mentem*, noverit Eminentia Vestra iuxta mentem Sacrae Congregationis: *Standum strictim privilegio, si adest, et Litteris Apostolicis s. m. Pii Papae VII incip. Decet Romanos Pontifices,* diei 4 Iulii 1823.

Quae singula Eminentiae Vestrae pro meo munere communico et manus humillime deosculor.

Die 9 Maii 1857.

3043. PARMEN. (5233)

Rmus Dnus Felix Cantimorri Episcopus Parmensis, desiderio flagrans ut in sua Dioecesi sacrae functiones ea qua par est Rituum observantia et studio peragantur, ab hac Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum :

I. An in Processionibus quae obtinent in Festo S. Marci et in Rogationibus, tolerari queat, ut Antiphonae cantentur in Ecclesiis, quas Processio ingreditur, ritu Paschali?

II. Ut in Ecclesiis, introgressa Processione, interruptis Litaniis Sanctorum, invocentur nomina Titularium, licet haec in iisdem non adsint Litaniis?

III. Ut earumdem Ecclesiarum Campanae festivo sonitu pulsentur?

IV. Ut Sacerdos ad Ecclesiae fores, praebens lustralem aquam Clero ingredienti, utatur Stola coloris violacei?

V. Ut iisdem in Processionibus cantentur Hymni, *O gloriosa Virginum*, *Ave maris stella* et *Veni Creator Spiritus,* qui, interrupto Litaniarum cantu, ante nonnullas Imagines et aediculas per vias occurrentes inchoantur, et, Processione progrediente, prosequuntur; quum sane haec si intermitterentur, forte non levis populi admiratio contingeret.

Eiusmodi itaque dubia, super quibus Sacra Rituum Congregatio antea requisivit sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris typis editam, quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis proposuerit Emus et Rmus D. Cardinalis Clarissimus Falconieri Mellini, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, respondendum censuerunt: In voto, et ad mentem; nimirum :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Servetur consuetudo ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Ad mentem. Mens autem Sa-

crae Congregationis est, ut Episcopus Rubricarum observantiae consulat; quoties tamen admiratio in populo non oriatur; et prudenter et absque scandalo fieri possit, ut huiusmodi usus, utpote praescripto pro his Processionibus ordini oppositus, sensim tollatur ».

Atque ita Sacra Congregatio rescribere rata est et proposita dubia declarare.

Die 9 Maii 1857.

3044. NOMINIS IESU. (5235)

Rm̃us Dominus Romualdus Ximeno hodiernus Episcopus Dioecesis Nominis Iesu ab hac Sancta Sede Apostolica supplicibus votis postulavit ut sequentia dubia declarare et solvere dignaretur; nimirum:

I. Licet ne celebrare Missam et Ordines conferre in Sabbato Sancto in Oratorio Episcopali, ante quam celebretur Missa Parochialis? In casu negativo, peto a Sancta Sede, ut concedatur mihi gratia celebrandi in casu necessitatis Ordines, qui non possint differri ad Feriam II Paschae.

II. Potest ne fieri consecratio sacrorum Oleorum Feria V in Coena Domini ante Missam Conventualem? In casu negativo, rogo ut Sanctitas Sua dignetur mihi concedere gratiam consecrandi memorata Olea sacra, et dandi Communionem in hac Missa omnibus Sacerdotibus aliisque Ecclesiasticis; non solum propter maiorem facilitatem inveniendi numerum sufficientem Sacerdotum, qui debent assistere consecrationi iuxta Pontificalis Rubricam, sed etiam ob commoditatem Cleri communicaturi: quia Ecclesiastici indigenae sunt debilis stomachi, et maior eorum pars non potest, nisi valde difficulter, manere ieiuni usque ad finem Divinorum Officiorum.

III. Est consuetudo valde communis in hac Dioecesi transferendi celebrationem Missae Solemnis Patroni Principalis Ecclesiae, occurrentis in die ieiunii et abstinentiae; ne fideles manducent carnes et permisceant cum piscibus, si forte in die tam solemni illos habeant. Missa celebratur, quamvis sit in die ritus duplicis cum *Gloria* et *Credo etc.*, ac si esset Missa Votiva pro re gravi. Potest ne tolerari haec consuetudo? In casu negativo peto a Sanctitate Sua facultatem omnibus fidelibus populi, cuius Patronus celebratur, concurrentibus Solemnitati, ut possint manducare carnes et pisces in solo die Patroni occurrentis in die abstinentiae vel ieiunii; e contra enim impossibile erit evitare transgressionem praecepti tam ieiunii quam abstinentiae. Sunt rarissimi, qui obtinent Bullam Sanctae Cruciatae ad hoc ut possint tuta conscientia manducare carnes. Si vero Sanctitas Sua iudicet non debere concedi hanc gratiam tam specialem, rogo ut concedatur gratia transferendi solemnem celebrationem Missae Votivae, tamquam si esset pro re gravi.

IV. In Ecclesia parochiali huius Civitatis, ubi fundata est Confraternitas Sacratissimi Rosarii, est consuetudo celebrandi in omnibus Sabbatis unam Missam Votivam cantatam de Beata Virgine cum *Credo*, ex dispositione rec. mem. Revm̃i D. Salamanca huius Dioecesis Episcopi. Quaeritur: An haec dispositio cantandi Missam Votivam Beatae Mariae Virginis continuari possit ob solam rationem maioris devotionis populi erga Beatam Virginem, et maioris concursus fidelium praedictae Missae quam aliis Missis hebdomadae?

V. In hac Dioecesi adest consuetudo, fortasse ab initio suae erectionis, apponendi in Calendario divini Officii omnes Sanctos positos in fine Breviarii pro Regnis Hispaniae, et regulariter in eorum propria die, quamvis sit occupata Officio duplici in corpore Breviarii. Praeterea aliqui Sancti supra notati habent Officium proprium etiam ad Horas; et ita haec Officia recitantur ab omnibus Ecclesiasticis huius Dioecesis. Insuper Festa Sancti Vincentii Martyris, Sancti Iuliani Episcopi Confessoris et Sancti Ildephonsi Episcopi Confessoris, nec non Sanctae Elisabeth Reginae celebrantur sub ritu duplici secundae classis cum octava, prout in Appendice Breviarii apponuntur. Quum haec praxis videatur contraria Decretis Sacrae Rituum Congregationis, quaeritur: An supradicta consuetudo huius Dioecesis sit causa sufficiens recitandi de omnibus Sanctis Hispaniae, et cum Officio proprio, si illud habeant, ac sub ritu superius notato? In casu negativo, humiliter rogo, ut mihi communicetur de quibus Sanctis et sub quo ritu debeat persolvi divinum Officium in hac Dioecesi?

Quum itaque dubia non minus ab Episcopo oratore proposita, quam facultates, quas ipse a Sancta Sede postulabat in casu, quo iisdem dubiis vel aliquibus ex eis negativa daretur responsio, subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, Sacra ipsa Congregatio, singulis mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; atque utatur Episcopus Decretis alias editis in Bergomen. diei 21 Martii 1744 ad 1, et in una Resolutionis Dubiorum diei 28 Iulii 1821 ad 2 ».

Ad II. « Negative in omnibus ».

Ad III. « Negative in omnibus; et quoad dispensationem a ieiunio, ad Sacram Universalem Inquisitionem ».

Ad IV. « Negative, absque speciali Indulto; quod tamen in praesenti casu Sacra Congregatio concedit pro unica Missa Votiva singulis Sabbatis cum cantu celebranda; dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, Feria, Vigilia aut octava privilegiata; et Rubricae serventur ».

Ad V. « Conceditur Episcopo, ut vetustam, quae invaluit, consuetudinem retineat; quousque Calendarium perpetuum suae Dioecesis in aliquibus variandum non existimet: Calendarium ipsum subiiciendo examini et approbationi Sacrae Congregationis ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Maii 1857.

3045. PETROCORICEN. (5236)

Quum Rm̃us Dominus Ioannes Baptista Massonais Episcopus Petrocoricen. ab hac Sancta Sede Apostolica supplicibus votis postulaverit, ut sequens dubium declarare dignaretur:

Utrum Parochus aliique Sacerdotes exequiis Mortuorum Officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium defunctorum persolvere; ita ut solummodo assistentes, et non cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos? An vero sufficiat ut assistant, et Schola Officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione?

Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunata, referente subscripto Secretario, post accuratum examen propositi dubii, respondendum censuit:

« Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Die 9 Maii 1857.

3046. DINIEN. (5238)

Quum a Caeremoniali Episcoporum Beneficiatis ceterisque qui non sunt de gremio Capituli genuflectere praescribatur, transeundo tam ante Altare quam ante Episcopum, sive pontificaliter sive cappa tantum aut mozzetta indutum; Rm̃us Episcopus Dinien. advertens in sua Cathedrali Ecclesia a longo tempore usum invaluisse, ut iidem solummodo caput et humeros inclinent; ab hac Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut declarare dignaretur: An hunc usum sequi liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, iuxta alias in similibus decreta, rescribendum censuit:

« Negative; et servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Die 9 Maii 1857.

3047. PEKINEN. (5239)
ET DE MONGOLIA.

Quum Rm̃us Dñus Iosephus Martial, Episcopus Fussulae in partibus Vicarius Apostolicus de Mongolia et Administrator pariter Apostolicus Pekini, ab hac Sancta Sede Apostolica suppliciter imploraverit solutionem nonnullorum dubiorum; placuit Sanctissimo Dño Nostro Pio Papa IX, referente R. P. D. Secretario Congregationis de Propaganda Fide, examen eorumdem dubiorum committere Sacrorum Rituum Congregationi. Dubia autem ab Episcopo oratore proposita, sunt quae sequuntur:

I. Ex iure communi, Administrator Apostolicus debet ne aut potest habere Solium a parte Evangelii?

II. Debet ne aut potest illud habere etiam in omnibus locis Dioecesis suae Administrationis?

III. Si affirmative respondeatur ad primum et secundum; Coadiutor Administratoris Apostolici debet ne aut potest eodem modo ubique uti Solio, sicut Administrator Apostolicus?

IV. Decreta quae dicunt Vicarium Apostolicum eadem non posse in suo Vicariatu ac Episcopi in sua Dioecesi, et eis plura prohibent, inter quae nominari a Sacerdotibus in Canone Missae, tacent omnino de Administratoribus Apostolicis; unde concludendum videtur praesertim Administratorem Apostolicum Dioecesis Pekinensis, ut talem, non attingi a variis his laudatorum Decretorum prohibitionibus in Dioecesi suae administrationis, et eadem ibi posse ac proprius Episcopus; veluti nominari a Sacerdotibus in Canone Missae etc. Potest ne praesens Administrator Pekinensis in locis suae

Administrationis Apostolicae prudenter sequi hanc suam interpretationem?

Eiusmodi porro dubia quum subscriptus Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum retulerit in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunatis, Sacra eadem Congregatio singula mature expendere curavit, et inhaerens Decretis alias in similibus editis, praesertim in una Sarsinaten. diei 22 Augusti 1722, rescribere rata est:

« Negative in omnibus; iuxta enunciatum Decretum in una Sarsinaten. diei 22 Augusti 1722 ».

Atque ita rescripsit, propositaque ab Episcopo Administratore Apostolico Pekinensi dubia declaravit.

Die 9 Maii 1857.

3048. BRIOCEN. (5240)

Etsi iuxta declarationes alias datas ab hac Sancta Sede Apostolica, nomine Sancti Patroni Loci intelligi debeat Sanctus, qui in determinato loco, Civitate vel Oppido colitur velut delectus ad Deum Patronus, ita ut Patronus Dioecesis non sit colendus cum Festo de praecepto iis in locis, quae peculiarem aliquem Sanctum venerantur Patronum; attamen Vicarius Generalis Dioecesis Briocen. ulterius a Sacra Rituum Congregatione requisivit, num iste Sanctus Loci Patronus sit ille Parochialis Civitatis? et quatenus affirmative, postulavit quisnam sit Patronus Civitatis illius in qua plures Ecclesiae Parochiales extant?

Huic porro quaestioni, a subscripto Secretario relatae in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunatis, Sacra Congregatio rescribere rata est: « Cessat omne dubium si Titularis Ecclesiae, qui etiam appellari quandoque solet Patronus Ecclesiae, distinguatur a Patrono Loci, puta: Civitatis, Provinciae, Regni etc. Titularis enim sive Patronus Ecclesiae is dicitur sub cuius nomine seu titulo Ecclesia fundata est et a quo appellatur. Patronus autem Loci proprie is est, quem certa Civitas, Dioecesis, Provincia, Regnum etc. sibi delegit velut singularem ad Deum Patronum; servatis in eiusmodi electione regulis in Decreto s. m. Urbani VIII diei 23 Martii 1630 statutis ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Maii 1857.

3049. CADURCEN. (5241)

Calendarista Dioecesis Cadurcensis Sanctae Sedi Apostolicae supplicia vota sua porrexit, ut sequentia dubia declarare dignaretur, nimirum:

I. Ex Indulto dato die 2 Decembris 1852 pro Dioecesi Cadurcensi, quater in anno approbantur Vesperae defunctorum post Vesperas Dominicae iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem, et insequenti die Missae solemnes de Requie pro defunctis; dummodo non obstet duplex primae vel secundae classis, Festum de praecepto servandum, Feria, Vigilia vel Octava privilegiata. Quum vero ritus illi pro omnibus generatim defunctis celebrentur, humillime quaeritur:

1. An dictae Vesperae cantandae sint ritu duplici?

2. An in illis dicendus sit Psalmus: *Lauda anima mea?*

3. An dicenda sit unica Oratio *Fidelium Deus;* vel potius tres Orationes in Breviario adnotatae?

4. Quaenam Missa solemniter cantanda sit insequenti die, prima nimirum; an in quotidianis?

II. Ex alio Indulto Apostolico, dato eodem anno eidem Dioecesi Cadurcensi, conceditur, ut in singulis Ecclesiis parochialibus Civitatis atque Dioecesis ter in qualibet hebdomada locum habere valeant Missae de Requie cum cantu, dum Officia occurrunt ritus duplicis; attamen exclusis semper duplicibus primae et secundae classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis. Quum autem ex Rubrica diebus secunda, tertia, quarta et quinta Ianuarii Missae de Requie celebrari nequeant, quaeritur: An, virtute supradicti indulti, supraenunciatis diebus decantare ibi liceat Missas de Requie, ac praesertim Missas de diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario?

III. In Dioecesi Cadurcensi nulla aut fere nulla extant Anniversaria proprie dicta, sed die circiter octavo vel anniversario ab obitu, Missae plures celebrantur pro defuncto cum magno concursu cognatorum et amicorum. Hinc quaeritur.

1. An in dicto casu cantari possit Missa de Requie assignata pro die septimo vel anniversario, sub ritu duplici; vel potius haec Missa ex quotidianis sumenda sit?

2. An omnes Missae celebrari aut cantari possint de Requie, dum occurrit Festum duplex; an vero celebrandae sint de Festo occurrente?

IV. In omnibus ferme Ecclesiis Dioecesis Cadurcen. tribus ante diebus Feriam IV Cinerum celebratur Oratio Quadraginta Ho-

rarum; pro qua Oratione ex Instructione Clementina Missa pro Pace cantanda est secunda die cum colore violaceo sine *Gloria* et sine *Credo;* haec autem Missa cantanda non est in Altari in quo Sanctissimum Sacramentum publicae fidelium venerationi manet expositum, neque in Altari ubi Sanctissima Eucharistia in Tabernaculo asservatur. Quum ab annis innumeris mos invaluerit in Dioecesi Cadurcen. tribus enunciatis diebus Missam Solemnem cum cantu celebrandi in Altari maiori, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum expositum est, quaeritur:

1. Est ne servanda exposita consuetudo; vel potius eliminanda?

2. Necessario ne est cantanda Missa pro Pace, an vero per Missam de Festo occurrente vel de Sanctissimo Sacramento iuxta Rubricas supplenda?

V. In triduo Hebdomadae maioris, videlicet Feria V, Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, ab omnibus de Clero etiam Canonicis genuflectendum est, ex Rubrica, ante Crucem Altaris. Quum autem Officium Nocturnum Feriae V in Coena Domini dicatur Feria IV hora competenti, quaeritur: Utrum genuflectendum sit ante dictam Crucem ab initio Matutini Feriae V; an vero tantum ab ipsa Feria V? item an in toto Sabbato Sancto; vel tantum usque ad Matutinum Festi Resurrectionis Domini in Sabbato Sancto legendum aut canendum?

Haec porro dubia quum subscriptus Secretarius proposuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Quoad primam quaestionem, Negative; quoad secundam, Affirmative; quoad tertiam, Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; quoad quartam, Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Quoad primam quaestionem: Missam sumendam esse in quotidianis, nisi agatur de die vere septima, vel de anniversario ab obitu; quoad secundam quaestionem: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Quoad primam quaestionem: Inhaerendum, quantum fieri potest, Instructioni Clementinae; quoad secundam: Missam Votivam pro Pace suppleri posse per aliam Missam Votivam, ex iis quae continentur in Missali Romano, arbitrio Episcopi ».

Ad V. « Genuflectendum Cruci ab initio adorationis Feria VI in Parasceve usque ad Nonam Sabbati Sancti inclusive ».

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit. Die 9 Maii 1857.

3050. RUREMUNDEN. (5242)

Professor Rubricarum in Seminario Ruremunden. in Neerlandia Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna declaratione proposuit; nimirum:

I. Anne Vigilia alicuius Festi transferri possit, si Festum quod Vigiliam habet, in diem aliam fixam perpetuo sit translatum uti accidit in Civitate Ruremundensi, ubi Festum Sancti Iacobi Apostoli perpetuo transfertur ob occurrentiam Sancti Christophori Martyris Patroni Ecclesiae Cathedralis?

II. An Titularis Ecclesiae Cathedralis a Clero extra Civitatem celebrari debeat ritu duplici primae classis cum octava? (1)

Sacra porro Rituum Congregatio ad Quirinale subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, omnibus mature perpensis, rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Maii 1857.

3051. PORTUS ALOISII. (5243)

Quum Sacra Congregatio de Propaganda Fide opportunum duxerit ad hanc Sacram Rituum Congregationem mittere nonnulla dubia a Rmo Domino Gulielmo Bernardo Allen Collier Episcopo Portus Aloisii huic Sanctae Sedi Apostolicae proposita pro solutione; subscriptus Sacrae Rituum Congregationis Secretarius haec ipsa dubia, eodem ordine quo proposita fuerunt, retulit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunatis, nimirum:

I. Num in responso a Sacra Rituum Congregatione die 11 Septembris 1847 in Taurinen. ad dubium secundum dato, quod respicit Missas Defunctorum cantandas, verba illa *precatio suffragii* includant Sequentiam *Dies irae,* quae vix vocari potest oratio vel precatio? Item: Num in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium?

(1) E. Dub. III et IV.

II. Circa Extremae Unctionis administrationem Libellus inscriptus: Ordo administrandi Sacramenta ex Rituali Romano extractus, et iussu Episcoporum in Anglia adhibendus, dicit: *Intincto stilo vel pollice in oleo Sancto etc.* Quum vero Theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stilum in hac sacra Unctione; et Theologi ipsi concludant, quod quisque sequatur usum Ecclesiae suae; quaeritur: Utrum in Dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione extremae Unctionis, usus ipse tuto continuari possit?

III. Quum in Dioecesi Portus Aloisii usus hucusque praevaleat in Baptismate adultorum ritum adhibendi pro Baptismate infantium designatum; Episcopus orator postulat, ut ex gratia liceat hunc usum servare praesertim ob paucitatem Sacerdotum, quorum unicuique in ipsa Dioecesi incumbit cura quinque vel sex amplius millium Catholicorum, cum eodem numero Paganorum; ac proinde temporis angustiae ex hoc proveniunt.

IV. Quum Sacra Rituum Congregatio circa usum Stolae in Processionibus adhibendae a Cappellano Confraternitatis Sacrorum Stigmatum Velitris Anno 1824 die 27 Martii rescripserit: « Immemorabili usu mature perpenso, habitaque ratione, quod Decreto Generali (1703) minime obstante, etiam in Urbe et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem decere et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Presbyteris distinguatur, rescribendum censuit servandam esse consuetudinem, et nihil innovandum ». Quumque rescriptum istum Sacrae Congregationis s. m. Leo Papa XII die 30 iisdem mense et anno approbaverit; quaeritur: Licet ne in Dioecesi Portus Aloisii Cappellanis et a fortiori Parochis publice Stolam deferre in Processionibus?

Sacra porro Rituum Congregatio, suprascriptis dubiis mature perpensis, rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, ad utrumque ».

Ad II. « Negative, excepta necessitatis causa ».

Ad III. « Negative in omnibus ».

Ad IV. « Servandam esse locorum consuetudinem ».

Atque ita rescripsit, propositaque dubia a Rmo Episcopo Portus Aloisii declaravit.

Die 9 Maii 1857.

3052. EBROICEN. (5244)

Quum Rmus Dnus Episcopus Ebroicen. ab hac Sancta Sede Apostolica humillime postulaverit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

I. Canonici Ecclesiae Cathedralis Ebroicensis, quum Missam sunt celebraturi ab aliquot annis induunt sacra paramenta ad Altare sicuti Episcopi: Potest ne abusus iste tolerari?

II. Iidem Canonici, dum vagantur per Urbem Ebroicensem, gestant palliolum seu mozzettam: Potest ne abusus iste tolerari?

III. Iidem Canonici usus habent gestandi palliolum vulgo mozzettam, non solum in Choro Cathedralis Ecclesiae, verum etiam in aliis Ecclesiis in quibus Sacra peragunt: Potest ne abusus iste tolerari?

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunati, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt.

Ad I. « Serventur Decreta alias edita in una Incerti loci Mediolanen. die 18 Augusti 1629; in una Cusentina diei 5 Iulii 1631; in una Patavina diei 17 Iunii 1673; et in una Reatina diei 19 Maii 1838 ».

Ad II. et III. « Serventur Decreta; et praesertim Generale diei 31 Martii 1817, Apostolica confirmatione a s. m. Pio Papa VII munitum ».

Atque ita Sacra Rituum Congregatio rescripsit, propositaque a Rmo Episcopo Ebroicen. dubia declaravit.

Die 9 Maii 1857.

3053. ISCLANA. (5245)

Rme Dne, uti Frater.

Sacrae Rituum Congregationi Amplitudo Tua exposuit consuetudinem in ista Dioecesi vigere, qua fit ut Capitulum Collegiatae parochialis Ecclesiae Spiritus Sancti sub propria Cruce in publicis supplicationibus incedat, quamvis Cathedrale Capitulum interveniat; exceptis tantummodo cadaverum associationibus, in quibus non sub propria, sed sub Cathedralis Capituli Cruce progredi solet. Metuens vero Amplitudo Tua ne haec diversa agendi ratio futuris litibus occasionem praebeat, ad eiusmodi periculum vitandum, opportunum sibi videri duxit, si praefatae Collegiatae Ecclesiae privilegium tribuatur propriam Crucem etiam in cadaverum associationibus deferendi.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale in Ordinariis Comitiis hodierna die coadunata, ad relationem subscripti Secretarii et omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: « Nihil interim innovandum ».

Haec amplitudini Tuae communico; et Ipsa diu felix et incolumis vivat.

Die 9 Maii 1857.

3054. AVENIONEN. (5246)

Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Avenionen., cui demandata est cura Ordinem Divini Officii peragendi, sequentia dubia enodanda penes S. R. C. proposuit; videlicet: (1)

I. *a*) In omnibus fere Breviariis Oratio SS. Innocentium his concluditur verbis *Per Dominum Nostrum Iesum Christum;* quaedam vero alia sunt in quibus eadem Oratio hanc habet conclusionem: *Qui vivis et regnas etc.* Melior multis videtur haec ultima conclusio hac fretis ratione: Deus enim, aiunt, cuius praeconium Innocentes Martyres etc., ipse est Dei Filius. Quaenam igitur praeferenda est conclusio? prima ne vel secunda?

b) In Oratione S. Brunonis (6 Octobris) discrepant inter se Breviaria: in multis enim haec leguntur verba: *Ut qui Maiestatem tuam graviter delinquendo offendimus;* alia vero habent: *Ut qui Maiestatem iugiter offendimus.* Ex istis duabus lectionibus quaenam retinenda est?

c) In Festo omnium Sanctorum sic in pluribus Breviariis legitur Oratio: *Deus qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari;* dum in aliis dicitur: *sub una tribuis.* De duabus istis lectionibus quaenam praeferenda?

d) In Sequentia pro fidelibus defunctis in pene omnibus Missalibus legitur strophe: *Rex tremendae maiestatis, qui salvandos salvas gratis;* in quibusdam autem sic se habet haec strophe: *Rex tremendae... qui salvando...* Quaenam lectio admittenda est ut melior? prima ne vel secunda?

II. Antiphonae maiores ante Nativitatem Domini cantandae sunt iuxta Rubricam stando, lente, graviter solemnique modo: quod semper fideliter observatur. Dubium tamen ortum est circa Canticum Beatae Mariae Virginis, scilicet: Utrum in feriali Officio cantari debeat eodem solemni modo quo Antiphona; an vero cantu feriali? Qui hanc ultimam tenent sententiam, hanc ratione illam probari censent nempe: Officium esse de feria et Preces recitari flexis genibus; alii autem asserunt: *Magnificat* cantandum esse solemniter sicut et Antiphonam, eo quod Antiphonae *O* et Canticum sint correlativa inter se. Quid sentiendum de his ambabus sententiis? Quid in praxi tenendum?

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunatis, referente subscripto Secretario et post maturum dubiorum omnium examen, respondendum censuit?

Ad I. « Lectiones: *Per Dominum nostrum* in Oratione SS. Innocentium Martyrum, *graviter delinquendo offendimus* in Oratione S. Brunonis, *sub una tribuisti* in Oratione omnium Sanctorum, *qui salvandos salvas gratis* in Sequentia pro Fidelibus Defunctis, conformes esse authenticis Missalibus S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII; ideoque retinendas ».

Ad II. « Standum consuetudini ».

Die 9 Maii 1857.

3055. IANUEN. (5247)

Abbas et Canonici Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae *de Remedio,* anno 1796 in Civitate Ianuensi erectae, exposuerunt huic Sanctae Sedi Apostolicae a fundatione Collegiatae eiusdem usum invaluisse, ut quandocumque in diebus Dominicis celebrat solemniter Missam aliquis Canonicorum, aspersio cum aqua benedicta a Missali Romano praescripta fiat non a Celebrante, sed ab aliquo ex Cappellanis seu Mansionariis eiusdem Ecclesiae servitio addictis pluviali induto; qui antea aspersorium tradere solet Abbati Choro praesenti, ut seipsum cum eodem aspersorio benedicat ac deinde illud Celebranti restituat, ut de more benedictionem perficiat. Quum autem superioribus annis Cappellani ipsi seu Mansionarii detrectarent huiusmodi usum servare, utpote non conformem Decretis a Sacra Rituum Congregatione in similibus editis, oratores humillimis precibus ab eadem Sacra Congregatione postularunt, ut vigentem consuetudinem confirmare dignaretur.

Eadem porro Sacra Congregatio, ad Quirinale hodierna die in ordinario Coetu coadunata, ad relationem subscripti Secretarii et mature perpensis singulis ab oratoribus deductis, nec non informatione Rmi Ordi-

(1) E. Dub. I. et II.

narii Ianuen. desuper requisita, rescribendum censuerunt:

Iuxta alias Decreta in Perusina die 27 Novembris 1632: in Lisbonen. die 14 Aprilis 1646 ad 3: et in Pisana die 12 Novembris 1831 ad 11: « Aspersionem Aquae benedictae in casu fieri debere per ipsum Celebrantem, minime vero per Mansionarium vel Cappellanum pluviali indutum. Abbati autem praesenti in Choro minime tradendum esse aspersorium, ut seipsum aspergat; sed cum ceteris in Choro adstantibus aspergendum illum esse a Celebrante ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 11 Iulii 1857.

3056. BRIOCEN. (5248)

Vicarius Generalis Dioecesis Briocen., assentiente Rm̃o Episcopo, sequentia dubia proposuit pro opportuna solutione; nimirum:

I. Anne quando Festum Patroni minus principalis, quod in Dioecesi agitur ritu duplici 2. classis cum octava, immediate sequitur Festivitatem alicuius Sancti Apostoli, ex. gr. Sancti Iacobi, dicendae sint primae Vesperae de Patrono cum commemoratione Apostoli; vel potius secundae Vesperae de Apostolo cum commemoratione Patroni?

II. An concurrente Feria quadam Adventus cum Vigilia S. Thomae Apostoli, Missa dici debeat de Vigilia cum commemoratione Feriae; vel de Feria cum commemoratione Vigiliae?

Haec porro dubia quum subscriptus Secretarius retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale subsignata die coadunatis, Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; nisi Vigilia Sancti Thomae incidat in Quatuor Temporibus, quo casu Missa erit de Feria cum commemoratione Vigiliae ».

Atque ita rescripsit. Die 11 Iulii 1857.

3057. MONTIS PESSULANI. (5249)

Cappellanus Monialium Beatae Mariae Virginis *de Refugio* in Civitate Montis Pessulani, assentiente etiam in scriptis Rm̃o Episcopo, exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae in quibusdam Ecclesiis Dioecesis illius usum invaluisse, ut in Missis, cum vel sine Diacono et Subdiacono celebratis, Presbyterum assistentem pluviali et Stola indutum Celebrans habeat. Quum autem hic usus minime conformis sit Ritui Sanctae Romanae Ecclesiae novissime in eadem Dioecesi redintegrato; quumque idem Rm̃us Episcopus, in Ordine divini Officii recitandi ac Sacrosancti Missae Sacrificii celebrandi hoc anno 1857, omnibus suis Sacerdotibus omnino et stricte praeceperit Rubricas omnes Breviarii et Missalis Romani et Sacrorum Rituum Congregationis Decreta servare; orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit, ut duo sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

I. Num usus Presbyteri assistentis in quacumque Missa retineri possit in Ecclesiis Dioecesis Montis Pessulani? et quatenus negative,

II. Num huiusmodi usus liceat Archidiacono et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Montis Pessulani, quando, impedito Episcopo, eorum aliquis in Festis solemnioribus celebrat?

Haec porro dubia quum subsignatus Secretarius retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Quirinale coadunatis, Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, rescribere rati sunt:

« Negative ad utrumque; et dentur Decreta in Cortonen. die 10 Septembris 1701 ad 14: in Baren. die 3 Augusti 1839 ad 1: et in Lucana die 7 Decembris 1844 ad 2 ».

Atque ita rescripserunt. Die 11 Iulii 1857.

3058. ULTRAIECTEN. (5250)

Rm̃us D. Ioannes Zuiysen Archiepiscopus Ultraiecten. et Administrator Apostolicus Dioecesis Buscoducensis in Neerlandia exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae, quod in illis Ecclesiis saepius per annum sub Missa solemni et sub Laudibus vespertinis exponatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, hoc modo: Initio Missae et Laudum exponitur Sanctissimum cum cantu strophae *Tantum ergo,* et in fine in Tabernaculo recluditur cum cantu strophae *Genitori, Genitoque:* utraque autem vice, id est initio et fine Missae et Laudum cum Sanctissimo Sacramento datur benedictio fidelibus sub verbis *Praestet fides* et *Procedenti ab utroque.* Quum autem haec omnia minus conformia sint praxi universalis Ecclesiae et Sacrae Rituum Congregationis Decretis, Archiepiscopus orator eidem Sacrae Rituum Con-

gregationi sequentia tria dubia declaranda proposuit; nimirum:

I. An possit retineri usus benedicendi populum cum Sanctissimo Sacramento in initio et in fine Expositionum, in Missa et Laudibus?

II. An hae benedictiones necessario dari debeant sub silentio Chori, ita ut interea nihil omnino cantetur?

III. An supposito quod unica tantum in fine Missae et Laudum, idque sub silentio, possit dari benedictio, hanc praecedere debeat cantus stropharum *Tantum ergo* et *Genitori* cum ℣. *Panem de coelo* et Oratione de Sanctissimo Sacramento, ut praescribitur in Rituali Romano et Caeremoniali Episcoporum post Processionem cum Sanctissimo; quum iam in Missis et Laudibus Commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento sit habita, vel saltem Oratio sit dicta?

Quae quidem dubia quum Sacra Rituum Congregatio, ad Quirinale hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, accurate expenderit ac mature consideraverit, super iisdem sententiam suam, ut sequitur, proferre rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative in omnibus ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Iulii 1857.

3059. MOLINEN. (5251)

Quum Canonico Decano Ecclesiae Cathedralis Molinen., qui ex munere sibi commisso a Rmo illius Dioecesis Episcopo Sacris Ritibus in eadem Dioecesi observandis advigilat, id fuerit continue in votis, ut omnia iuxta Pauli Apostoli sententiam honeste et secundum ordinem fiant; ad id facilius et securius assequendum nonnulla dubia Sacrae Rituum Congregationi proposuit, humillimis additis precibus ut super iis iudicium suum manifestare dignaretur. Omnia itaque dubia ab ipso proposita sunt quae sequuntur:

I. Quum in plerisque Missalibus in Festo Dolorum Beatae Mariae Virginis sic legatur: *Hoc Crucis fert supplicium vitae factus homo;* in aliquibus autem: *Auctor vitae factus homo;* quaeritur: Quaenam lectio sit retinenda?

II. Num in Missa coram Episcopo cantata, Diaconus cessare debeat ab osculis manus Celebrantis a Rubrica praescriptis: ex. gr. Patenam vel thuribulum porrigendo?

III. Num in die Palmarum Episcopus Missae assistens debeat legere Passionem? et quatenus affirmative, An sedens dum canitur Tractus; vel stans dum Passio cantatur?

IV. Utrum in Officio Tridui mortis Christi omnes, qui ceteroquin Cruci faciunt tantum profundam reverentiam, prout Episcopus, Canonici, Celebrans etc., debeant genuflectere; an haec genuflexionis regula locum habeat solummodo a die Parasceve post Crucis adorationem usque ad Nonam inclusive Sabbati Sancti?

V. Utrum quando aliquis muneris sui adimplendi causa per Chorum ventilat ex.gr. Caeremoniarius, vel Subdiaconus ad Sedem Episcopi pro praeintonationibus sexies in Vesperis Pontificalibus pergens, omnes de Choro aequalis vel inferioris dignitatis assurgere et stare debeant?

VI. Num Ministris Altaris et Caeremoniario, Chorum salutantibus in Missa et Officio, Chorus correspondere debeat? et quatenus affirmative: Utrum deponendo biretum tantum; an etiam assurgendo?

VII. Num tolerandum sit, ut mos non geratur Decretis Sacrae Congregationis duos Ministros in Missa lecta prohibentibus, eo sub praetextu quod hi ministri non introducantur ratione dignitatis Celebrantis, sed ratione celebritatis aut frequentioris assistentiae: ex. gr. si Missa sit Parochialis aut Communitatis?

VIII. Quatenus officium Ministri in Missa lecta inter duos nullo modo partiri liceat, quaeritur: Num permitti possit, celebritatis aut frequentioris assistentiae causa, prout in dubio praecedenti, introducere duos Clericos intorticia a principio Canonis usque ad Communionem sustinentes, servata alioquin unitate Ministri?

IX. Num diebus solemnioribus pro Missa lecta Parochiali aut Communitatis, prout supra, accendi possint plusquam duo Cerei?

X. Num Sacerdos in Missa postquam se communicaverit, priusquam Communionem adstantibus distribuat, possit sermonem ad populum habere?

XI. An tolerari possit ut tempore Missae et Officiorum Candelabra Altaris, ne pulvere sordescant aliquo panno vel tela permaneant vestita; imo ut et ipsa Crux eodem modo involvatur, posita alia Cruce minori pro Cruce Altaris pretiosiore iam sic obtecta?

XII. Iuxta consuetudinem Ecclesiae Cathedralis Molinen., Nona dicitur ante me-

ridiem, exceptis Vigiliis et diebus Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum, in quibus post meridiem absolvitur. Quaeritur: An his diebus, in quibus aliqua Missa non correspondens Officio celebrari debet, attenta praedicta consuetudine, talis Missa post Officium matutinum consuetum, idest post Sextam possit cantari; vel etiam Nona ante meridiem anticipanda sit, ut Rubrica de Hora celebrandi Missam ad litteram servetur?

XIII. Utrum concurrentibus secundis Vesperis Officii Votivi Immaculatae Conceptionis cum Vesperis Dominicae primae Adventus, fieri debeat usque ad Capitulum de Officio Votivo, et a Capitulo de Dominica cum commemoratione Immaculatae Conceptionis; an cum de huiusmodi Officio Votivo non fiat in Adventu, Vesperae debeant esse integrae de Sabbato, et absque Commemoratione?

XIV. Ecclesia olim Collegiata sub nomine Beatae Mariae Virginis in Civitate Molinensi fuit aedificata: videtur tamen illam non fuisse consecratam, quia aedes numquam absolutae fuerunt. Ex omnibus monumentis credere est Festum Annuntiationis pro praecipuo et Titulari fuisse habitum. Post perturbationem autem Galliarum, Parochialis facta fuit supradicta Ecclesia; et Festi Annuntiationis celebritate in oblivionem abeunte, Festum Assumptionis pro patronali coepit solemnizari. Tandem Episcopatu Molinensi erecto a Pio VII, haec Ecclesia in Cathedralem fuit erecta sub titulo Beatae Mariae Virginis. Primus Molinensis Episcopus, possessione Sedis suae in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis anno 1823 accepta, decrevit hoc Festum Nativitatis iam pro Titulari deinceps celebrandum, nulla tamen peculiaris sibi super hoc a Romano Pontifice datae potestatis facta mentione. Nunc quaeritur:

1. An sustineatur edictum primi Episcopi Molinen. Nativitatem Beatae Mariae Virginis pro Festo Titulari assignantis?

2. An Festum Annuntiationis prout antiquis temporibus pro Titulari huius Ecclesiae sit habendum?

3. An qualitas Titularis Festo Assumptionis conveniat?

4. An quatenus non liceat moderno Episcopo titulum Annuntiationis nunc restituere, id ei permittatur, post absolutionem aedificii de novo susceptam, in consecratione Ecclesiae? (1)

(1) E. Dub. XV, XVII, XIX et XXI.

XV. Utrum in Ecclesia tantummodo benedicta Altare possit consecrari, quin prius ipsa Ecclesia consecretur?

XVI. Pleraeque Moniales in Gallia utuntur libris sive antiquioribus, ut Carmelitanae, Dominicanae etc.; sive recentius concinnatis, in quibus variae reperiuntur benedictiones et preces, ex. gr.: pro Vestitione et Emissione Votorum. Nullam autem hi libri praeseferunt Sacrae Congregationis approbationem. Nec desunt in eis admirationem moventia, ex. gr.: apud Filias Beatae Mariae Virginis a Caritate Boni Pastoris, quae tuentur suos libros asserendo eos esse in usu in Monasterio Ordinis sui in Alma Urbe existente, declarantur in quadam Oratione aeterna Dei consilia super electione et nomine huius Instituti. Sic canitur Psalmus XIX: *Exaudiat te Dominus in die professionis, protegat te etc.* In Responsorio *Libera me Domine* sic verba variantur *Tremens facta sum ego etc.* Hisce positis, quaeritur:

1. Utrum licitum sit alicui Sacerdoti in functione ecclesiastica uti huiusmodi libris a Sacra Congregatione non approbatis? et quatenus affirmative,

2. Utrum haec decisio locum habeat, etiamsi in his libris preces ecclesiasticae forent alteratae ut supra?

XVII. Consueverunt mulieres post partum coram Sacerdote se sistere pro benedictione accipienda, etiamsi proles mortua fuerit quandoque sine Baptismo. In illo tamen casu verba orationum Ritualis Romani nunc in hac Dioecesi vigentis verificari non possunt, et aliunde benedictio omitti nequit sine aliqua admiratione plebis et sine aggravatione moeroris mulierum huiusmodi. Quaeritur quid agendum? et num liceat, demptis iis quae non verificantur, postquam mulier in Ecclesiam introducta foret, substituere aliquam orationem ex iis quae in Missali continentur et benedictionem, prout in Rituali, impertiri?

XVIII. Num servari possit consuetudo benedicendi cum Sanctissimo Sacramento retrocedentem populum ab accessu extra portas Civitatis, regionis, domus infirmi etc., quando fertur Viaticum aegrotis? Et quatenus nisi de speciali gratia id liceat, pro parte Rmi Episcopi supplicatur ad illam gratiam obtinendam, prout in una Massae et Populoniae diei 7 Aprilis 1832.

XIX. Num, propter viarum asperitatem ac ventorum, nivium glacierumque incom-

moda permitti possit a Rm̃o Molinen. Episcopo, ut Parochi Sacrum Viaticum deferant capite cooperto pileo? Et quatenus nisi de speciali gratia id liceat, supplicatur pro parte supradicti Episcopi ad illam gratiam obtinendam, prout in una Bisinianen. diei 23 Maii 1846.

XX. Num reverentia per genuflexiones debeatur Celebranti in Pontificalibus, quando est Episcopus extraneus, vel Praelatus habens usum Pontificalium, vel Abbas, sive in proprio Monasterio sive ex speciali privilegio extra proprium Monasterium?

XXI. Utrum Episcopo, in crastinum non celebraturo, Vesperas perficiente ad formam Capitis 2 Libri II Coeremonialis, officium Canonici Presbyteri assistentis, non in pluviali sed in habitu Canonicali, pertineat ad primam Dignitatem; an ad primum Canonicum Presbyterum post Dignitates?

XXII. Num Stola suppleatur sive per pluviale aut Planetam pro Canonicis paratis communicaturis in Communione generali, et per Dalmaticam pro Diacono assistente Calicem de manu Episcopi accepturo in Processione Feriae V in Coena Domini?

XXIII. Num Canonici Sacerdotes praesentes in Ordinatione in habitu Canonicali manus imposituri super Ordinandos ad Presbyteratum, debeant accipere Stolas? et quatenus affirmative, num debeant, cappa seu mozzetta depositis, induere superpelliceum?

XXIV. Num liceat exponere in Ecclesiis Imaginem Cordis septi Corona Spinea cum Cruce superposita ad designandum Cor Domini Nostri Iesu Christi, absque eo quod persona Domini Nostri alio modo repraesentetur; vel etiam eodem modo Effigies duorum Cordium iuxta positorum ad exprimenda Corda Domini Nostri Iesu Christi et Beatae Mariae Virginis?

XXV. Utrum in Missa et etiam in Vesperis, quando Hebdomadarius non sedet in Choro, salutationes, thurificatio etc. debeant incipere ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus; an ab ea parte, cui Hebdomada contingit et cui apposita est Tabella Chori?

XXVI. Utrum Moniales seu piae foeminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia Ordinarii abluere Corporalia, Pallas et Purificatoria?

XXVII. Utrum in Officiis luctuosis Hebdomadae Sanctae et in Officiis mortuorum omitti debeant:

1. Salutatio Chori a quocumque adveniente post incoeptum Officium, et opportuna resalutatio?

2. Salutatio Chori a Celebrante in accessu et recessu?

3. Salutatio Chori a Celebrante a Sede sua ad Altare pergente?

4. Salutatio Chori a quocumque cantaturo Lectionem et a Subdiacono Epistolam cantaturo?

XXVIII. Quum in Gallia praedicatio solemnior in Vesperis fieri communiter consueverit; quaeritur: Utrum Sermocinator coram Episcopo et Canonicis sermonem solemnem in Vesperis habens, possit induere habitum Canonicalem, prout Lib. I, cap. 22, § 2 Caeremonialis Episcoporum providetur?

Haec porro dubia quum subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, loco et vice Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Clementis Villecourt Ponentis in hac causa designati absentis, retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis edito praeloque commisso, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Retinendam esse lectionem: *Hoc Crucis fert supplicium Auctor vitae factus homo* ».

Ad II. « Servandum Caeremoniale Episcoporum ».

Ad III. « Negative; et servandum Caeremoniale Episcoporum ».

Ad IV. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad V. « Negative; et servandum Caeremoniale Episcoporum ».

Ad VI. « Affirmative; caput tantum aperiendo, iuxta praxim ».

Ad VII. « Servanda esse quidem Decreta quoad Missas stricte privatas; sed quoad Missas Parochiales vel similes diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos Ministros Missae inservientes, servatis ordinationibus Sacrae Congregationis in una Tuden. diei 7 Septembris 1816 ad dubia V et VI ».

Ad VIII. « Ut ad VII; servata tamen forma Rubricae Missalis: *De Ritu servando in celebratione Missae,* Tit. VIII, num. 8 ».

Ad IX. « Provisum in VII ».

Ad X. « Affirmative, ab Altari; et de consensu Ordinarii ».

Ad XI. « Negative ».

Ad XII. « Servandam consuetudinem, nisi agatur de Missis de tempore in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus et Vigiliis; vel de Missis Votivis solemnibus pro re gravi vel publica Ecclesiae causa cum populi frequentia, pro quibus standum est Rubricis Generalibus Missalis Tit. XV, num. 2 et 5: vel nisi agatur de Missis de Requie, pro quibus pariter servanda est eadem Rubrica num. 3 ».

Ad XIII. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad XIV. « Quoad primum, secundum, tertium et quartum quaesitum: Provisum in secundo. Ad secundum scilicet: Affirmative; dummodo constet Annuntiationem Beatae Mariae Virginis fuisse Titulum primaevum ».

Ad XV. « Affirmative ».

Ad XVI. « Non licere, nisi probati fuerint a Sancta Sede; vel saltem ab Ordinariis ».

Ad XVII. « Servandum omnino Rituale Romanum ».

Ad XVIII. « Affirmative, pro gratia; attentis expositis ».

Ad XIX. « Sacra Congregatio commisit Episcopo Molinen. ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat quod Parochi in circumstantiis expressis in dubio, capite pileo cooperto, Viaticum deferre valeant, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Ad XX. « Negative, quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum Pontificalium; Affirmative, quoad Abbates Regulares in suae iurisdictionis Ecclesiis tantum ».

Ad XXI. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad XXII. « Affirmative, iuxta Caeremoniale Episcoporum; et dentur Decreta ».

Ad XXIII. « Quoad primam partem provisum per Pontificale Romanum, De Ordinatione Presbyterorum; quoad secundam partem: Negative, iuxta praxim Archibasilicae Lateranensis ».

Ad XXIV. « Ad Episcopum, servata forma Decretorum Concilii Tridentini et s. m. Urbani Papae VIII ».

Ad XXV. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad XXVI. « Negative ».

Ad XXVII. « Negative in omnibus; excepto Officio Feriae VI ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbati Sancti ».

Ad XXVIII. « In casu de quo agitur, Affirmative ».

Atque ita Sacra Congregatio rescribere, propositaque dubia omnia declarare censuit.

Die 12 Septembris 1857.

3060. TAURINEN. (5252)

Rm̃us D. Aloisius Fransoni Archiepiscopus Taurinensis a S. R. C. humillime postulavit, ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

I. In Officiis Maternitatis et Puritatis B. M. Virginis Capitula in Vesperis ponuntur propria; Rubrica vero Horarum minorum eorumdem Officiorum sic se habet: *Omnia ut in Festis Beatae Mariae Virginis.* Quaeritur proinde an ad Horam Tertiae sumendum sit Capitulum proprium Vesperarum; vel aliud ut in Festis Beatae Mariae Virginis?

II. An Hymni in Festo Sacratissimi Cordis Iesu concludi debeant per stropham *Iesu tibi sit gloria, qui natus etc.?* (1)

III. In nonnullis Breviariis Hymni in Festo S. Gabrielis Archangeli leguntur cum omnibus strophis respicientibus Ss. Michaelem et Raphaelem Archangelos; in aliis hae tantum strophae habentur, quae ad S. Gabrielem spectant, prout fit in Hymnis eiusdem S. Raphaelis. Quaeritur quaenam ex his duabus variantibus Breviarii editionibus servari et sequi debeat?

IV. Quum in aliquibus Breviariis in Festo S. Raymundi Nonnati pro primo Nocturno assignentur Lectiones *Beatus vir;* in aliis vero Lectiones primi Nocturni indicentur de Scriptura; quaeritur quid in praxi servandum?

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, referente subscripto Secretario et omnibus accurate perpensis, propositis dubiis respondere censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, in Officio cui respondet Missa *Egredimini;* Negative vero, in alio Officio cui respondet Missa *Miserebitur,* in quo conclusiones Hymnorum minime variandae sunt ».

(1) E. Dub. III et IV.

Ad III. « Hymnum *Christe Sanctorum* in Festo S. Gabrielis recitandum esse prout legitur in Festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli ».

Ad IV. « Lectiones primi Nocturni recitandas esse de Scriptura occurrente ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 12 Septembris 1857.

3061. ALBEN. (5253)

Ecclesiae Cathedralis Albensis Capitulum eo gaudet honore ut eiusdem prima Dignitas, Archidiaconi titulo decorata, Abbatis etiam nomine et privilegiis cohonestetur, quibus olim fruebatur Abbas suppressi Monasterii Sancti Gaudentii in regione Sancti Stephani Belbi Ditionis Pedemontanae. Quum enim anno MDCCLIX, VII Idus Septembris, Summus Pontifex Clemens XIII idem Monasterium suppresserit per Bullam *Sollicitudinem Apostolici Ministerii,* ipsius Monasterii reditus et proventa Capitulo Albensi adiunxit: iura vero Abbatialia Archidiacono pro tempore Cathedralis ipsius concessit. Hisce iuribus fretus Archidiaconus Abbas Simon Morra, a die possessionis, quae locum habuit anno MDCCCXLII, in quibusvis sacris functionibus, etiam in solemni Missarum celebratione, annulo gemmato usus est iuxta privilegium Abbatibus Sancti Benedicti competens, et praerogativam ad Abbatem Sancti Gaudentii olim spectantem, quin aliquis super delatione eiusmodi annuli quidquam in contrarium dixerit, vel saltem in dubium revocaverit, usque ad annum MDCCCLIV; in quo R. D. Sabinus Rinaldi Vicarius Capitularis Dioecesis Albensis, Sede illa Episcopali vacante, reputans usum annuli cum gemma minime convenire, praesertim in sacris functionibus, Archidiacono Albensi ceu Abbati Sancti Gaudentii, ab hac Sancta Sede simpliciter postulavit, ut declarare dignaretur: Num liceret Archidiacono Abbati uti tali annulo, praesertim in Missae celebratione? ac in casu negativo: An huiusmodi annuli delatio esset inhibenda?

Genericae huic interpellationi, quae quum nuda proposita fuisset, nullam facti quaestionem involvere videbatur, illius temporis Sacrae Rituum Congregationis Secretarius iuxta generales regulas respondendum esse ratus, ex Audientia Sanctissimi Rescriptum obtinuit, quod eidem Vicario Capitulari per appositas Litteras datas V Idus Maii eiusdem anni MDCCCLIV communicatum fuit, et quo declarabatur: Iuxta Decreta alias edita, huiusmodi annuli delationem esse omnino vetitam ac pluries reprobatam et inhibitam; eidemque Vicario praecipiebatur, ut qua par esset prudentia, Archidiaconum Abbatem Morra de annulo deponendo moneret.

Iussis illico paruit Archidiaconus Abbas Morra, qui tamen cum reputasset per tale Rescriptum suis privilegiis (ad quae tuenda iuramento sese obstrinxerat in Archidiaconatus possessione) detrimentum inferri, supplices preces cum pluribus documentis exhibuit Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, quibus revocationem Rescripti diei XI Maii MDCCCLIV, et facultatem pro suo privilegio vindicando humillime efflagitabat. Et Sanctissimus die 24 Iulii anni proxime elapsi MDCCCLVI, attentis expositis, oris aperitionem concessit; et non obstante Rescripto diei XI Maii MDCCCLIV, benigne annuit, ut de iure Archidiaconi Abbatis Albensis agnosceretur et definiretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, audito prius Vicario Capitulari Albensi. Quae desuper notatu necessaria duxit, idem Vicarius Capitularis pro suo munere exposuit huic Sacrae Congregationi; quae tamen, iuxta receptum morem, voluit ut super eiusmodi controversia alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum in scriptis votum proferret.

Rebus sic ordinatis, subscriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis Praefectus, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, sequens dubium proposuit: An liceat Archidiacono Abbati Cathedralis Albensis gestare annulum cum gemma in Missa solemni ceterisque sacris functionibus?

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, singulis accurate perpensis, reportata declaratione Rescripti diei 11 Maii 1854, respondendum censuerunt: « Affirmative ».

Die 12 Septembris 1857.

De praemissis autem die 17 eiusdem mensis et anni, a subscripto Secretario facta Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

3062. CALARITANA. (5254)

Ad finem properante anno 1856, Calari in Sardinia viam universae carnis ingressus est nobilis vir Salvator Rossi, cuius filii Metropolitanae Ecclesiae Capitulum instanter exorarunt, ut defuncti Cadaver associare vellet ad Ecclesiam parochialem Sanctae Eulaliae, ibique exequias absolvere.

Huius vero Ecclesiae Parochi Collegium constituentes, quum praeviderent propria sua iura laedi si ad suam Ecclesiam accederet Metropolitanae Capitulum exequias super defuncto propriae eorum iurisdictioni subiecto celebraturum, omni studio curarunt ut Capitulum a proposito desisteret; sed incassum: nam idem Capitulum cadaver associavit, in Ecclesiam Sanctae Eulaliae ingressum est per minorem portam (nam ianua maior ex Parochorum industria clausa manebat), solemnem Missam, absolutiones et cetera super cadaver explevit; quin a Collegio Parochorum nec illa exciperet obsequia quae singulae Ecclesiae Civitatis, quamvis exemptae, Capitulo Metropolitanae praestare solent.

Interim Parochi timentes, ne in posterum sua iura per Capitulum Metropolitanum pessumdarentur, huic Sacrae Rituum Congregationi rem omnem exposuerunt, ac ab ea humillime postulaverunt, ut quaedam a se proposita dubia declarare dignaretur.

Sacra vero Congregatio desuper audire statuit Rmum Dominum Archiepiscopum Calaritanum iamdiu Romae degentem, qui deducta a Capitulo suae Metropolitanae iura iungens expositis a Collegio Parochorum Sanctae Eulaliae, sequentia duo dubia ita concinnavit, ut quidquid iuris utrique competeret in eis comprehenderetur; nimirum:

I. Num Capitulum Ecclesiae Metropolitanae habens in funerum associatione ex plurimis huius Sacrae Congregationis Decretis praecedentiam supra Parochum defuncti, possit, etiam in associatione cadaveris suae iurisdictioni minime subiecti, erigere suam Crucem, exclusa illa Parochi; eaque elevata ingredi in Ecclesiam parochialem defuncti; ac in illa solemne Sacrum ac reliqua munia super cadaver persolvere, invito Parocho?

II. Num Parochi Ecclesiae Sanctae Eulaliae teneantur servare consuetudinem excipiendi ad fores Ecclesiae (ipsis habitu chorali indutis) Canonicos ac Beneficiarios Metropolitanae, quotiescumque tum occasione funerum tum alia quacumque de causa praefatam Sanctae Eulaliae Ecclesiam ingrediuntur, eisque aquam benedictam manu Praesidis porrigendi; ea sane ratione et modo, qui in reliquis huius Civitatis Ecclesiis, etiam exemptis, constanter perpetuoque observatum fuit ac hactenus observatur?

Haec porro dubia, super quibus Sacra Congregatio exquisierat alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum scriptis editum typisque cusum, quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Gabriel Ferretti huius Causae Relator designatus proposuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunatis; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: « Iuxta votum Magistri Coeremoniarum » nimirum:

Ad I. « Quoad primam et secundam partem, Affirmative; quoad tertiam, Negative ».

Ad II. « Servandam consuetudinem ».

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit ac servari mandavit.

Die 12 Septembris 1857.

3063. CAROLINOPOLITANA. (5255)

Rme Domine, uti Frater.

Quum exponens Amplitudo tua huic Sanctae Sedi Apostolicae in Ecclesiis istius Dioecesis Carolinopolitanae usum invaluisse adhibendi candelas ex sevo confectas, et huic irregulari praxi locum dedisse tum paupertatem earumdem Ecclesiarum, tum magnum cerae pretium in istis Americae regionibus; a SSmo Dño Nostro Pio Papa IX eadem Amplitudo Tua supplicibus votis postulavit, ut attentis expositis rationibus, de Apostolica benignitate hanc ipsam consuetudinem servari posse permitteret. Sanctitas vero Sua, audita ab infrascripto S. R. Congregationis Secretario relatione, iussit, ut Amplitudini Tuae communicaretur mentem suam esse ut, curante Amplitudine Tua, inductus abusus adhibendi candelas ex sevo elimінetur.

Grave itaque ne sit Amplitudini Tuae Sanctitatis Suae mentem, qua par est, prudentia, executioni demandare; et interim ipsi Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae 10 Decembris 1857.

3064. BALTIMOREN. (5256)

Pro parte Rmi Domini Francisci Patritii Kenrick Archiepiscopi Baltimoren. Sacrae Rituum Congregationi sequentia proposita sunt dubia pro opportuna solutione; nimirum:

I. Ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, Festum S. Titi Episcopi Confessoris celebrandum est in universali Ecclesia sub ritu duplici minori prima die libera post quartam Ianuarii. Quaeritur: Utrum iuxta praescriptum S. R. C. praefato Festo assignari debeat vel possit prima dies proxime non impedita iuxta uniuscuiusque Dioe-

cesis Calendarium, ita ut dies illa in posterum sit tamquam dies propria et fixa istius Festi? an vero nulla propria et fixa die assignata, transferendum sit quotannis ad primam diem Festo duplici vel semiduplici illo anno non impeditam, postposito quolibet alio Officio etiam maioris ritus similiter translato?

II. Si contingat ut in aliqua Religiosa Congregatione occurrant eadem die recitanda duo Officia Votiva in singulis hebdomadis concessa, ex. gr.: Officium SSmi Sacramenti Dioecesi concessum, et aliud Officium similiter Votivum praefatae Congregationi specialiter concessum: faciendum ne erit de SSmo Sacramento, vel de speciali Officio?

III. Si Officium SSmi Sacramenti, quod semel in singulis hebdomadis ex indulto Apostolico recitatur, habet secundas Vesperas integras; concludendus ne erit Hymnus Completorii cum stropha *Iesu tibi sit gloria;* vel potius ut infra annum, ita ut Officia huiusmodi Votiva ad secundas Vesperas terminari censeantur?

IV. Quum quaesitum esset: An parvi cochlearis pro aqua in Calicem infundenda usus esset licitus; Sacra Rituum Congregatio respondit anno 1850, die 7 Septembris, servandam esse Rubricam. Quaeritur utrum haec verba intelligenda sint eo sensu, ut usus cochlearis in praedicto casu omnino prohibeatur? Causa dubitandi est, quia Rubrica dum praecipit, ut paululum aquae infundatur in Calicem, minime modum infundendi decernit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente infrascripto Secretario et enunciatis dubiis accurate consideratis, respondendum censuit:

Ad I. « Festo Sancti Titi assignandam semel et fixe primam diem in Calendario Dioecesano non impeditam post IV Ianuarii; et si fieri possit, diem VI Februarii ».

Ad II. « Fieri debere in casu de Officio speciali ».

Ad III. « Hymnum Completorii in casu concludendum per versiculum: *Iesu tibi sit gloria* ».

Ad IV. « Negative; seu usum parvi cochlearis non esse prohibitum ».

Atque ita rescripsit, propositaque dubia declaravit.

Die 6 Februarii 1858.

3065. NORTHANTONIEN. (5257)

Quum Rmus Dominus Gulielmus Vareing Episcopus Northantonien. huic Sanctae Sedi Apostolicae sequens dubium pro opportuna declaratione proposuerit; nimirum: (1)

Num in Conventibus et Ecclesiis, quae ad instar Paroeciarum in Dioecesi Northantoniensi institutae habentur, quando propter inopiam cantorum Missa principalis, quae est etiam Conventualis vel Parochialis, cantari non potest, liceat plusquam duas candelas in Altari accendere, saltem in Festis solemnioribus?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, proposito dubio rescribere rata est: « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 6 Februarii 1858.

3066. MONTIS PESSULANI. (5258)

Quum Rmus Dominus Carolus Thomas Thibault Episcopus Montis Pessulani Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposuerit; nimirum:

I. Anne in Missa pro Defuncto, corpore praesente, quando non cantatur, adhiberi valeant Diaconus et Subdiaconus sacris indumentis parati? et quatenus affirmative,

II. An in ipsis exequiis Defunctorum extra Missam peractis, adhiberi possint Diaconus et Subdiaconus sacris indumentis parati?

Sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subscripta die coadunata, referente subsignato Secretario, rescribendum censuit: « Negative ad utrumque ».

Die 6 Februarii 1858.

3067. LIMBURGEN. (5259)

Ab expositis huic Sanctae Sedi Apostolicae a Rmo Domino Petro Iosepho Blum Episcopo Limburgensi apparet in illa etiam Dioecesi ad usum Ecclesiarum passim comparari Campanas fusas ex chalybe, nimirum ex puro ferro, quod per fusionem et alias machinationes maiorem duritiem et rigiditatem accipit. Quum autem Episcopus orator haud certe sciat num chalybs istiusmodi

(1) E. Dub. I et II.

sit materia satis apta benedictioni, sive aliquid obstet quominus Campanae ex chalybe fusae benedici possint iuxta ritum in Pontificali Romano praescriptum, ab eadem Sancta Sede opportunam declarationem supplicibus votis imploravit.

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus mature et accurate perpensis, ac exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « Nihil obstare ».

Die 6 Februarii 1858.

3068. PLURIUM DIOECESIUM. (5261)

Plures nuper diversarum Dioecesium Rm̃i Antistites, nimirum Compostellanus et Salamantinus in Hispania, Aleniensis in Albania et Meldensis in Gallia attendentes rigorosam executionem Decreti ab hac Sacra Rituum Congregatione alias lati de uno tantum Calice adhibendo a Sacerdotibus plures Missas ob necessitatem populi fidelis eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subiici; quum Sacerdos alteram Missam non in ipsa Ecclesia, ubi primam celebravit, sed in alia longe dissita cogitur offerre. Insuper vero advertentes morem duos in eiusmodi casu adhibendi Calices, non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem ut omnem hominum memoriam facile excedat: ad hanc Sanctam Apostolicam Sedem pro modificatione praefati Decreti certaque impetranda regula, quam tuto sequi possint, confugerunt.

Ut oblatarum hac de re a praedictis Antistibus precum debita ratio haberetur, duo haec concinnata sunt dubia, scilicet:

I. An retinendus sit usus, qui dicitur vigere in Dioecesibus Compostellana et Salamantina, nec non in Dioecesi Meldensi et in aliis Gallicis Dioecesibus, et etiam sit permittendus alibi; adhibendi scilicet ob peculiares rationes duos Calices quum Sacerdos duas celebrat Missas eadem die in Ecclesiis longe dissitis?

II. Et quatenus ob peculiares circumstantias huiusmodi usus retinendus sit vel permittendus; quidnam servandum circa purificationem primi Calicis, ut et reverentiae Sacramento debitae consulatur, et Sacerdos ieiunus maneat pro secunda Missa: habita ratione peculiarium circumstantiarum, quae in supplici libello exponuntur?

Iamvero quum dubia isthaec Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Gabriel Della Genga Sermattei expendenda proposuerit in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis anno superiori 1857 die 12 Septembris ad Vaticanum habitis; Em̃i et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, habitaque prae oculis docta et laboriosa elucubratione, quam R. D. Ioannes Corazza alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris de suo voto antea requisitus desuper confecerat, respondendum censuerunt:

Ad I. « Usum duorum Calicum in casu posse permitti ».

Ad II. « Ad Mentem: Mens est ut conficiatur Instructio ».

Eiusmodi autem Instructio, quam ad mentem et ex mandato Sacrae Congregationis idem Em̃us et Rm̃us Cardinalis Della Genga Sermattei una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore digessit, est prout sequitur:

« Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus;* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla et demum velo. Post haec Missam prosequatur et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito Calice, ad imum redeunt. Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem Calicis parte qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat et superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet ».

« Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte qua Sacrum Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde

ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari decedat ».

« Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice dimissa, pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in exequenda purificatione in calicem demittatur; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel demittatur in piscinam ».

« Quum autem Calix quo Sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero, in altera Missa diverso Calice uti poterit ».

De quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis cum adnexa Instructione approbare dignata est.

Die 11 Martii 1858.

3069. BRIOCEN. (5262)

Vicarius Generalis Rmi Episcopi Briocen. a S. R. C. sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit:

I. An Processio in Festo S. Marci et in Feriis Rogationum de praecepto fieri debeat intra Ecclesiam, quoties temporis inclementia ab Ecclesia egredi non patiatur?

II. Quum iuxta Decretum diei 12 Martii 1836 in Tridentina ad dubium 9 celebranda sit Missa Rogationum, quando Processio fit; hinc quaeritur 1. An die XXV Aprilis occurrente in Dominica, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, Missa cum cantu Rogationum valeat etiam pro adimplendo onere Missae Parochialis? et quatenus affirmative, quaeritur 2. An in eiusmodi Missa omitti debeant *Gloria* et *Credo*? 3. An haec Missa decantari debeat tono feriali?

III. Utrum Ecclesiis, in quibus plures sunt Sacerdotes, debet ne haec Missa Rogationum omnino celebrari cum cantu? an sufficiat hanc Missam celebrare absque cantu, expleta Processione?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata, rescribendum censuit:

Ad I. « Si Ecclesia capax est, congruentius esse Rubricis si intra eius ambitum Processio in casu fiat ».

Ad II. « Iuxta alias decreta, Affirmative in omnibus ».

Ad III. « Congruentius esse Rubricis ut cantetur; non tamen stricte praecipi, nisi agatur de Ecclesiis ubi Missa Conventualis quotidie cantanda est ».

Die 14 Augusti 1858.

3070. LIMBURGEN. (5265)

Instante Rmo Domino Petro Iosepho Blum Episcopo Limburgensi, Sacra Rituum Congregatio die 9 Maii 1857 respondit: « Attenta inveterata tam eiusdem Dioecesis quam plurium aliarum Germaniae regionum consuetudine, rata haberi posse ac etiam imposterum admitti pia quaedam Missarum Legata ex fundatorum lege coram SSmo Sacramento solemniter exposito celebrandarum in suffragium unius vel plurium fidelium defunctorum; quamvis eiusmodi Missae, salva tantum ipsarum applicatione, quae semper fuit iuxta mentem fundatorum, nunquam ob dictam SSmi Sacramenti expositionem celebrari possint de Requie, nec iis diebus, quibus aliunde per Rubricas liceret ».

Hac Sacrae Congregationis responsione accepta, quum Episcopus orator incertus haeserit an eiusmodi Missae pro defunctis applicandae beneficio Altaris privilegiati, quoad Indulgentiam plenariam pro defunctis lucrandam, gaudeant; pastoralis sui muneris esse duxit opportunam hac de re declarationem ab eadem Sacra Congregatione humillimis precibus implorare.

Sacra porro Congregatio in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, superiori dubio accurate perpenso, visisque Litteris Apostolicis in forma Brevis Summorum Pontificum Alexandri VII diei 22 Ianuarii 1667 et Clementis IX diei 13 Augusti 1669, rescribendum censuit: « Affirmative; dummodo Altare, ubi eiusmodi Missae celebrantur, gaudeat privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum ».

Die 14 Augusti 1858.

Relata postmodum per subscriptum Secretarium, die 19 eiusdem mensis et anni, SSmo Domino Nostro Pio Papae IX Sacrae Congregationis sententia, illam Sanctitas Sua ratam habere et confirmare dignata est.

3071. NOTTINGHAMEN. (5266)

Rmus D. Richardus Roskel Episcopus Nottinghamen. demisse exponit quod universus Angliae Clerus, iussu s. m. Benedicti Papae XIV, inter Suffragia Sanctorum addere tenetur commemorationem S. Georgii Martyris, utpote Patroni totius Regni:

Clerus vero Ecclesiae Cathedralis Nottinghamen., inter eadem Suffragia, commemorationem etiam agere debet de S. Barnaba Apostolo Titulari eiusdem Ecclesiae: quum autem in Breviario Romano pro utroque Sancto eadem Oratio (variato tantum nomine) assignetur, oritur sequens dubium cuius solutionem orator humiliter expostulat; videlicet:

An ab iis qui sunt de gremio Ecclesiae Cathedralis, in Suffragiis Sanctorum recitandis, dicenda sit eadem Oratio (variato tamen nomine) tam pro commemoratione S. Barnabae, quam pro commemoratione S. Georgii; vel potius varianda sit Oratio pro commemoratione S. Georgii, sumendo aliam de Communi unius Martyris non Pontificis?

Eiusmodi porro precibus a subscripto Sacrorum Rituum Secretario relatis in Comitiis hodierna die ad Vaticanas Aedes habitis, Sacra eadem Congregatio dubio a Rm̃o Episcopo Nottinghamen. proposito rescribere rata est: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit, et in casu servari mandavit.

Die 14 Augusti 1848.

3072. QUEBECEN. (5268)

Rm̃us D. Franciscus Baillergenn Episcopus Ilsae, Coadiutor et Administrator Apostolicus Dioecesis Quebecen., exposuit huic S. Sedi Apostolicae Paroeciam Quebecensem anno 1670 canonice erectam fuisse ad quoddam Ecclesiae Cathedralis Altare in navi laterali, diversum titulum habens ab eo, qui proprius est eiusdem Cathedralis Ecclesiae; Parochum vero eiusque Vicarios a tempore factae erectionis usque adhuc agere semper consuevisse Festum titulare dicti Altaris ritu titularibus competenti, nimirum duplici primae classis cum octava nec non titularis ipsius Commemorationem addere Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum, quoties in recitatione divini Officii Suffragia ipsa Sanctorum a Rubricis praescribuntur. Dubitans autem Episcopus orator num rite actum huc usque fuerit, et num iuxta inductam consuetudinem, Parochus eiusque Vicarii sese in posterum gerere possint; rem omnem pro opportuna definitione ad Sacram Rituum Congregationem deferri curavit.

Relatis itaque eiusmodi dubiis per subscriptum Secretarium in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, omnibus accurate perpensis, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit: « Titularem Altaris, ubi instituta est Parochia, non gaudere privilegio ritus duplicis primae classis cum octava; nec maiori ritu a Parocho eiusque Vicariis esse celebrandum, quam celebratur in Cathedrali Ecclesia, excepta tantum eiusdem tituli Commemoratione in Suffragiis, quam a Parocho eiusque Vicariis addi convenit ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Augusti 1858.

3073. SANCTI CLAUDII. (5269)

Rm̃o D. Henrico De Vaulchier Parocho Civitatis de Dole Dioecesis Sancti Claudii.

Reverendissime Domine.

Relatis a subscripto S. R. C. Secretario in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito precibus, quibus ab hac S. Sede Apostolica implorabas facultatem, attenta istius Paroeciae vastitate, tecum deferendi etiam Oleum sanctum, dum sacrum Viaticum fidelibus Paroeciae ipsius administrare debes; Sacra ipsa Congregatio tibi insinuare censuit, ut agendi normam desumas ex Rituali Romano *De Sacramento Extremae Unctionis* Cap. 1, § XIII: « Si autem acciderit etc. »; nec non ex praescriptione a S. Carolo Borromaeo facta in Concilio provinciali Mediolanensi IV, quae sic se habet: *Quum autem is* (Parochus scilicet) *ad aegrum, qui a parochiali Ecclesia longius abest, graviter ac non sine periculo mortis febri morbove laborantem, SSm̃um Corpus Domini defert, ne ubi ad parochiale domicilium ipse redierit, mortem ille prius obeat quam ad extremae Unctionis Sacramentum eidem ministrandum reverti possit, vasculum etiam sacrae illius Unctionis secum ferat, illam ei, postquam Corpus Domini praebuerit, ministraturus; si ita, morbi ingravescentis ratione mortisque periculo, faciendum censuerit.*

Haec pro meo munere tibi communicans, ut diu bene valeas ex animo adprecor.

Romae die 14 Augusti 1858.

3074. TONKINI OCCIDENTALIS. (5270)

Rm̃us Dominus Carolus Rupertus Jeantet Episcopus Pentacomiensis, Coadiutor Vicarii Apostolici Tonkini Occidentalis, ab hac S. Sede Apostolica supplicibus votis postulavit, ut super sequentibus tribus dubiis

mentem suam aperire eaque declarare dignaretur; nimirum :

Dubium I. Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Apostolici defert sacrum Viaticum infirmis, potest ne facere aspersionem aquae benedictae, dicere : *Misereatur, Indulgentiam,* signare infirmum vel semetipsum, dicere : *Dominus vobiscum* cum Oratione, et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes?

Dubium II. Si idem Diaconus ex pari mandato precans pro Defuncto dicat Vesperas aut Laudes vel preces exequiarum in Rituali, debebit ne eas cantare? Debebit ne legere *Non intres,* cantare *Libera,* et circumiens feretrum poterit ne corpus aspergere aqua benedicta et incensare, ac benedicere sepulcrum et dicere alias preces, exceptis excipiendis, iuxta Rituale; praesertim si faciat has privatim in domibus privatis?

Dubium III. In Litaniis omnium Sanctorum post versum : *Sancte Raphael,* si addatur distincta invocatio novem Chorum Angelorum vel addatur invocatio unius vel plurium Sanctorum pro devotione cuiuscumque, amittuntur ne omnes Indulgentiae a Summis Pontificibus concessae in recitando Litanias? Si respondeatur affirmative, Episcopus orator implorat ab eadem S. Sede, ut easdem Indulgentias sibi iterum concedere dignetur.

Haec porro dubia quum infrascriptus Secretarius S. R. Congregationis retulerit in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum hodierna die ad Vaticanum habitis; Sacra eadem Congregatio post accuratum omnium examen rescribendum censuit :

Ad I. « Deficiente Presbytero et Vicarii Apostolici concurrente licentia, Affirmative in omnibus ».

Ad II. « Ut ad primum ».

Ad III. « Observanda Decreta, quae omnem vetant in Litaniis additionem ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Augusti 1858.

3075. ULTRAIECTEN. (5271)

Illm̃e et Rm̃e Dñe, uti Frater.

Quum in Ordinariis Comitiis S. R. C. hodierna die ad Vaticanum habitis subscriptus Secretarius retulerit litteras ab Amplitudine Tua SSm̃o D. N. Pio Papae IX, die 4 Martii vertentis anni datas; Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi saluberrimum Amplitudinis Tuae consilium adoptandi in ista Dioecesi Ultraiectensi Rituale Romanum, exclusis quibuscumque aliis Ritualibus libris, summopere commendarunt, et quin illud quamprimum eadem Amplitudo Tua executioni demandatura sit dubitare minime potuerunt.

Quod vero attinet ad renum unctionem, quam in administrando Sacramento extremae Unctionis nunquam in ista Dioecesi Amplitudo Tua adhibitam fuisse testatur, et quam idcirco postulat, ut in Rituali Romano omitti permittatur, visum est Sacrae Congregationi nullam prorsus, sive in hac sive in alia quacumque re, suppressionem vel immutationem in Rituali induci oportere, sed illud voluit integre et fideliter imprimi, prout a Paulo V editum et a Benedicto XIV recognitum et castigatum fuit. Quod si unctio renum inusitata istic hactenus fuit, declaravit S. Congregatio patienter se quidem laturam, si singularia istius Dioecesis adiuncta impediant quominus illico et universim ad praxim unctio isthaec deducatur: insimul tamen ardentissimum votum suum expressit, ut, curante Amplitudine Tua et docentibus Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fideles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam, iuxta Ritualis Romani praescriptiones.

Dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuae Sacrae Congregationis mentem communico, ut ipsa diu felix et incolumis vivat ex animo adprecor.

Romae die 14 Augusti 1858.

3076. VENAFRANA. (5272)

In Civitate Venafrana ab antiqua aetate penes Coenobium Sanctorum Nicandri, Marciani et Dariae Religiosa extat Patrum Capuccinorum Familia; ac nonnisi superiore anno 1857, Coenobium Sanctae Mariae de Monte Carmelo pro Familia sui Ordinis Patres Minores de Observantia, approbante Sede Apostolica, aperuerunt. Exorta statim inter utramque Religiosam Familiam controversia de iure praecedendi in supplicationibus aliisque publicis functionibus, eaque a Rm̃o Venafrano Episcopo ad S. R. C. deducta; haec ad impediendum, lite pendente, dissidiorum progressum sub die 6 elapsi Februarii rescripsit :

« Exquiratur votum utriusque Procuratoris Generalis et postea ponatur in Folio, exquisito voto alicuius Coeremoniarum Magistri; et interim absque praeiudicio iurium partium servetur ultimum Decretum in Conversanen. diei 27 Februarii 1847; et haec

dispositio communicetur utrique Procuratori ».

Facta autem Rescripti huius communicatione, quum et propria iura utrimque fuerint producta et a delecto Coeremoniarum Magistro editum votum, Emus et Rmus D. Card. Ludovicus Altieri in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens dubium proposuit: An in Processionibus aliisque sacris functionibus praecedere debeant Fratres Minores de Observantia; vel potius Fratres Minores Capuccini in casu?

Emi vero ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus plane matureque perpensis, respondendum censuerunt: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 14 Augusti 1858.

3077. TAURINEN. (5273)

Rmo D. Vicario Generali Taurinensi.

Reverendissime Domine.

De Controversia quam Rev. Parochus Ecclesiae Sanctorum Martyrum in Urbe Taurinensi superiori anno 1857 excitavit adversus Rev. Parochum S. Dalmatii ob erectam in huius Ecclesia, non longe dissita ab alia Sanctorum Martyrum, Societatem Immaculatae Conceptionis et Sacri Cordis B. Mariae Virginis pro conversione peccatorum, actum fuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis. Sententiam itaque rogante Emo et Rmo Dño Cardinali Iosepho Bofondi, Sacra Congregatio, auditis quae a Te superiori anno exposita fuere in Epistola diei 26 Maii, visis iuribus ab utraque parte scripto allegatis votoque perpenso quod delectus Apostolicarum Coeremoniarum Magister desuper exaravit, censuit praeexistentiam Piae Confraternitatis SSmi et Immaculati Cordis B. M. V. pro conversione peccatorum in parochiali Ecclesia Sanctorum Martyrum canonice erectae, et Archiconfraternitati Parisiensi B.M.V. a Victoriis pro Indulgentiarum communicatione iamdiu aggregatae, nullimode impedire simultaneam existentiam Societatis Immaculatae Conceptionis et Sacri Cordis B. M. V. pro conversione peccatorum in parochiali Ecclesia Sancti Dalmatii, interveniente auctoritate Ordinaria, recentius institutae; nec locum esse in casu applicationi Constitutionis *Quacumque* a Clemente VIII editae die 17 Decembris 1604.

Quoniam vero in re, de qua agitur, ita iura partium sunt attendenda, ut inspici simul debeat quid ad spiritualem fidelium aedificationem potissimum conferat, hinc eadem S. Congregatio prudenti tuo arbitrio commisit, ut publica pietatis exercitia, quae ex instituto duarum Sodalitatum in propriis ipsarum Ecclesiis fiunt, si eadem forte utrobique iisdem diebus et horis peragantur, idque dissidiis ac querelis occasionem forte praebeant, ipse, prout in Domino expedire iudicaveris, divides et piis utriusque Ecclesiae exercitiis diversa tempora assignes.

Interim ut diu bene valeas ex animo adprecor.

Romae die 14 Augusti 1858.

3078. GRANATEN. (5274)

Rmus D. Salvator de Rogas Archiepiscopus Granaten. pro suae conscientiae quiete et pastoralis muneris adimplemento, supplici dato libello, ab hac Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit, ut sequentia dubia de Missa celebranda in Anniversario, tum electionis et consecrationis Episcopi, tum creationis et coronationis Summi Pontificis, solvere dignaretur; nimirum:

Dubium I. An Missa Solemnis in Anniversario electionis et consecrationis Episcopi sit praeceptiva in Cathedralibus et Collegiatis Dioecesis, licet Caeremoniale Episcoporum lib. 2, cap. 35, § 1, solum dicat: *celebrari convenit?* et quatenus affirmative,

Dubium II. An sit praeceptiva haec Missa solemnis in ambobus Anniversariis tam electionis seu confirmationis, quam consecrationis; ut annuere videtur Caeremoniale, et opinatur Talù ad Decretum 817 suae Collectionis?

Dubium III. An, praeter hanc Missam solemnem in Cathedrali et Collegiatis post Nonam tali die vel diebus celebrandam, Sacerdotes eiusdem Cathedralis et Collegiatarum in Missis privatis commemorationem facere debeant de praedicto Anniversario vel Anniversariis? licet aliter opinetur Merati in Gavantum part. 1, tit. IV, num. IX, cum praxi, ut ait, Basilicarum Urbis, in quibus, praeter Missam solemnem de die Anniversaria tam creationis quam coronationis Summi Pontificis, nullam Missam privatam vel commemorationem fieri asserit a Sacercerdotibus etiam illarum Basilicarum? et quatenus affirmative,

Dubium IV. An etiam de eodem Anniversario vel Anniversariis commemorationem facere teneantur in Missis tam cantatis quam lectis omnes Sacerdotes Seculares totius Dioecesis Calendario dioecesano utentes, non obstante contraria antiqua consuetudine? et quatenus affirmative,

Dubium V. An etiam de eodem Anniversario vel Anniversariis commemorationem facere teneantur in omnibus Missis cantatis et lectis omnes Sacerdotes Regulares totius Dioecesis proprio Calendario utentes, non obstante pariter contraria perpetua consuetudine, et quod illorum Calendarium generatim plures comprehendat Dioeceses?

Dubium VI. Quum iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis in Aquen. die 2 Septembris 1741 ad dubium 6, de Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit; quaeritur: Num celebrari etiam debeat aut saltem possit Missa vel respective commemoratio consecrationis eiusdem?

Dubium VII. Utrum in toto Orbe Catholico sit praeceptiva commemoratio pro Summo Pontifice regnante in omnibus Missis cantatis et lectis in die Anniversaria tam creationis quam coronationis eiusdem; quamvis hucusque in his partibus neque facta fuerit, neque huiusmodi praeceptum cognitum fuerit, neque erui necessario videatur ex Rubricis Missalis, neque ex capitibus 31 et 32 Caeremonialis Sanctae Romanae Ecclesiae?

Haec porro dubia, super quibus mandante S. Congregatione votum suum scripto dedit alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quum loco et vice Emi et Rmi D. Card. Gabrielis Della Genga Sermattei Ponentis, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis retulerit Emus et Rmus D. Cardinalis Gabriel Ferretti; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus plane accurateque perpensis, rescribendum censuerunt: « In omnibus iuxta votum Magistri Caeremoniarum »; videlicet:

Ad I. « Affirmative, accedente mandato Episcopi ».

Ad II. « Affirmative; ut ad primum, iuxta Caeremoniale Episcoporum ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Affirmative, iuxta Decretum in una Portugallien. ad dub. 3, diei 17 Septembris 1785 ».

Ad VI. « Per Anniversarium Translationis nihil detrahi Anniversario Consecrationis Episcopi ».

Ad VII. « Affirmative ».

Die 14 Augusti 1858.

3079. MONTIS ALBANI. (5275)

Rmus Episcopus Dioecesis Montis Albani in Galliis ab hac S. R. C. sequentium dubiorum declarationem supplicibus votis imploravit; nimirum: (1)

Dubium I. Utrum prohibitio Nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debeat de Missa pro Sponsis, ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali positis; an ipsum etiam attingat Matrimonium, quod cum solis celebratur caeremoniis et precibus, quae in Rituali reperiuntur?

Dubium II. An, facta per Episcopum licentia contrahendi Matrimonium temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio coniugum per preces et orationes in Missa pro Sponsis contentas? Et quatenus negative: An possit Episcopus in casu eam facultatem concedere?

Huiusmodi porro dubiis per infrascriptum Secretarium relatis, S. Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; dummodo accedat Episcopi venia ».

Ad II. « Negative, in omnibus ».

Die 14 Augusti 1858.

3080. BRIOCEN. (5276)

Rmus Vicarius Capitularis Dioeceseos Briocen. exposuit huic S. Sedi Apostolicae in Calendario dioecesano anno 1847 ab eadem S. Sede approbato, die XV Aprilis affixum fuisse Festum Canonizationis S. Gulielmi Episcopi Briocensis, quod in Cathedrali agi debet ritu duplici secundae classis et in Dioecesi ritu duplici maiori; insuper in eodem Calendario sequenti die XVI eiusdem mensis occurrere Festum S. Paterni Episcopi sub ritu duplici maiori. Quum autem vertente hoc anno 1859, enunciata die XV Aprilis occurrat Festum Septem Dolorum B. M. V., orator ab hac Sacra Rituum Con-

(1) E. Dub. I. et II.

gregatione declarari petiit: Utrum in eadem Cathedrali Festum Dolorum Virginis reponi debeat die immediate sequenti, nimirum XVI Aprilis, translato iuxta Rubricas Officio S. Paterni? an potius recitari debeat de S. Paterno, translato in primam diem liberam post Dominicam in Albis Festo Septem Dolorum?

Sacra porro Congregatio, ad Vaticanum subsignata die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente subscripto Secretario, rescribendum censuit:

« Quoad primum, Affirmative; quoad secundum, provisum in praecedenti ». Atque ita servari mandavit.

Die 26 Martii 1859.

3081. NOTTINGHAMEN. (5277)

A subscripto Secretario, in Ordinariis Comitiis S. R. Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis, relatis humillimis precibus quibus Rm̃us Dñus Richardus Roskel Episcopus Nottinghamen. declarari petiit: An de S. Barnaba Apost. Cathedralis illius Ecclesiae Titulari sub ritu duplici primae classis cum octava fieri debeat ab iis solum, qui vere sunt de gremio eiusdem Cathedralis Ecclesiae; vel potius, iuxta alias decreta, ab universo Clero Seculari totius Dioeceseos?

Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribere rati sunt: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita servari mandarunt.

Die 26 Martii 1859.

3082. FESULANA. (5279)

Rm̃us Dñus Ioachim Antonielli Episcopus Fesulanus, ad amovendam quamcumque ulteriorem commissi sibi Cleri anxietatem quoad usum sacrorum paramentorum coloris flavi, a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit: An sacra paramenta serica coloris flavi adhiberi adhuc valeant loco coloris albi, atque eadem renovari liceat?

Sacra eadem Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, rescribendum censuit: « Iuxta alias decreta, Negative in omnibus ».

Die 26 Martii 1859.

3083. MECHLINIEN. (5281)

Ut in recitatione Divini Officii ac celebratione sacrosancti Missae Sacrificii omnia disponantur et fiant secundum Rubricas et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, hodiernus Ordinator Calendarii Mechliniensis, de expresso consensu scriptis etiam manifestato Em̃i et Rm̃i Dñi Card. Engelberti Sterchx Archiepiscopi Mechliniensis, eidem S. Congregationi sequens dubium proposuit, ut quid in casum sit agendum, declarare dignaretur: (1)

In Ecclesiis, quarum titulus est Conversio S. Pauli Apostoli, quae consequenter celebratur ritu duplici primae classis cum octava, quandoque faciendum est intra illam octavam Officium de Festo Cathedrae S. Petri accidentaliter translato ex die 18 Ianuarii. Quaeritur: An in hoc casu pro commemoratione S. Pauli, in primis Vesperis ad *Magnificat* et in Laudibus ad *Benedictus,* sumi debeant Antiphonae cum Oratione ex Festo Conversionis eiusdem; vel illae quae in Breviario et Missali assignantur in Cathedra S. Petri die 18 Ianuarii?

Huiusmodi dubio, una cum voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris desuper exquisito, per infrascriptum Secretarium relato in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis, Em̃i et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum examen respondendum censuerunt:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescribi et servari Sacra Congregatio mandavit.

Die 26 Martii 1859.

3084. EUGUBINA. (5283)

Rm̃us D. Innocentius Sannibale Episcopus Eugubinus exponens huic S. Sedi anno 1805 iussu cl. me. Angeletti Episcopi Eugubini prodiisse libellum Sanctorum Dioeceseos Eugubinae sic inscriptum: *Officia Sanctorum de praecepto pro Regularibus in Ecclesia Eugubina ex Indulto Apostolico recitanda;* animadvertit Sanctimoniales Ordinario subiectas, quae tamen utuntur proprii Ordinis Calendario, recitationem omittere Officiorum in memorato Libello descriptorum (quorum nonnulla nec concessionis Rescriptum praeseferunt) exceptis Officiis S. Patroni Loci, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quae a Regularibus etiam recitari debent. Nunc vero Episcopus orator ab hac Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

(1) E. Dub. I, II et III.

I. Anne Episcopus possit vel debeat iniungere omnibus Sanctimonialibus recitationem Officiorum, quae in enunciato libello continentur, quamvis ipsae Sanctimoniales ob multiplicitatem Officiorum Calendarii Ordinis quamplura Officia singulis annis ad ritum simplicem redigere teneantur?

II. Quum in Festis S. Patroni, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Eugubinae ex benigna S. Sedis concessione Clerus Secularis et Regularis recitat Officia propria; quaeritur: An Episcopus possit vel etiam debeat praecipere Sanctimonialibus sibi subiectis, ut haec ipsa Officia adoptent, quamvis adhibeant proprii Ordinis Calendarium?

Sacra porro Rituum Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; nisi in Rescripto concessionis eadem Officia declarata fuerint de praecepto etiam pro Regularibus Calendario Dioecesano minime utentibus ».

Ad II. « Affirmative; dummodo Breviarium, quo Moniales utuntur, non discrepet a forma Breviarii Romani ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 26 Martii 1859.

3085. CONGREGATIONIS (5284)
CLERICORUM EXCALCEATORUM
SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

Clerici Excalceati Congregationis SS̃mae Crucis et Passionis D. N. I. C. degentes in sacro Recessu Oppidi Paleani Dioeceseos Prenestinae, exponentes huic S. Sedi Apostolicae in eodem Oppido eiusque territorio die secunda Decembris agi, sub duplici praecepto adstandi Sacro et a servilibus abstinendi, peculiare Festum Translationis Sacrae Imaginis B. Mariae Virginis *de Zancati* vulgo nuncupatae, cum Officio et Missa sub ritu duplici maiori, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulaverunt, ut declarare dignaretur:

Utrum supradicti Religiosi, intra limites eiusdem Territorii degentes et proprii Ordinis Calendario utentes, debeant eadem ipsa die secunda Decembris Officium recitare de Translatione enunciatae Imaginis, de qua iam Festum observant, translato in perpetuum Officio S. Bibianae Virg. Mart. in primam sequentem diem non impeditam; an potius, servato ieiunio in pervigilio et Festo sub utroque praecepto, teneantur ritu semiduplici persolvere Officium S. Bibianae Virg. Mart. in proprio Calendario occurrens?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Secretario, post accuratum propositi dubii examen, rescribere rata est:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita servari mandavit.

Die 26 Martii 1859.

3086. TARNOVIEN. (5285)

R̃mus D. Ioseph Aloisius Pukolski Episcopus Tarnovien., desiderio flagrans ut in Dioecesi sua sacrae functiones ordinate fiant, servatis Rubricis ac Decretis et praescriptionibus Sanctae Romanae Ecclesiae; a Sacra Rituum Congregatione humillime petiit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam elicere dignaretur:

Dubium I. An in Vesperis coram SS̃mo Sacramento exposito celebrandis, extra octavam Corporis Christi, addenda sit commemoratio de eodem; atque omittendus versus *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace?*

Dubium II. Utrum occasione Indulgentiarum, vel simili, qua fideles magna cum frequentia ad sacram Synaxim accedere solent, ne sese penes Altaris cancellos turmatim obtrudant, possit iisdem, sive per Ecclesiam, sive extra illam, in genua provolutis Eucharisticus panis distribui; an potius debeat tantummodo distribui penes cancellos linteo mundo contectos sive ad gradus Altaris?

Dubium III. Utrum Sacerdos, postquam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum illud sub Throno seu baldachino collocavit, debeat stando vel flexis genibus incensum in thuribulo ponere ac deinde Sanctissimum Sacramentum thurificare debeat in modum crucis, novem vel etiam pluribus thuribuli ductibus adhibitis: an potius, praemissa profunda reverentia, tres tantum ductus in eadem linea dirigere erga illud debeat, prouti fit in Crucis incensatione?

Dubium IV. In nostris regionibus ab immemorabili tempore invaluit consuetudo, ut in Processione quae fit cum Sanctissimo Sacramento, semel ante illam et saepius ea perdurante, Eucharistica benedictio populo donetur. In solemni vero Processione, quae agitur occurrente Festo Corporis Christi invaluit insuper, ut quoties ad aliquam stationem acceditur vel ab ea receditur, toties

benedictio donetur; et in reditu ad Ecclesiam, Celebrans intonans Hymnum *Te Deum laudamus,* benedicat ad quatuor mundi partes: rursusque in Ecclesia populo ab Altari benedicat cantans *et benedic haereditati tuae,* postquam Sanctissimum Sacramentum manu regens ter cecinit *Salvum fac populum tuum Domine.* Invaluit tandem in minoribus Processionibus, ut in reditu ad Altare recitetur Hymnus *Rex Christe primogenite etc.* et ad verba *Tuo nos Corpore refice sacroque Sanguine ablue,* benedictio donetur, eademque iteretur post cantum stropharum *Tantum ergo Sacramentum — Genitori Genitoque,* a Celebrante absolutum, qui hoc temporis intervallo Sanctissimum Sacramentum manibus tenere solet. Quaeritur ergo an haec omnia rite fiant?

Dubium V. An velum, quod imponitur humeris Sacerdotis ad deferendum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, debeat esse coloris diei?

Dubium VI. Ob distantiam et consuetudinem invaluit in his regionibus, ut sacrum Viaticum ad infirmos deferatur, non in Pixide sed in vase Patenae simili, quod operculo munitur et cui pro sancto Oleo aliud vasculum adnexum est. Hoc autem vas linteo obvolutum reponi solet in bursa Stolae consuta, in qua praeterea mos est Rituale, bombacium, candelas et Crucem asportandi. Quaeritur ergo qualis color conveniat huic bursae, ubi defertur sacrum Viaticum ad infirmos cum sancto Oleo?

Dubium VII. Anne in administrando Sacramento Baptismi licite Sacerdos uti possit Stola bicolori, ex una parte violacea et ex altera alba, iuxta opportunitatem ex ea parte invertenda quae colorem praeferat a Rituali praescriptum?

Haec porro S. R. Congregatio, post accuratum praescriptorum dubiorum examen, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad utrumque ».

Ad II. « Praestare in casu, ut plura genuflexoria sive scamna linteo mundo contecta hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra Ecclesiam ordinentur, et in extremitatibus interiecti spatii duo saltem Candelabra disponantur quae perpetuo colluceant, dum fidelibus circum adgeniculatis sacra Communio distribuitur ».

Ad III. « Sacerdotem, dum incensum ponit in thuribulo, stare debere; ab eodem vero Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum thurificandum esse triplici tantum ductu, sed genibus flexis; et tam ante quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione ».

Ad IV. « Expositos usus alienos esse a Rubricis et Decretis praescribentibus, ut in supplicatione Sanctissimi Sacramenti non adeo frequenter extra Ecclesiam benedictio donetur sed semel vel iterum dumtaxat: et in reditu supplicationis ad Ecclesiam deponi debeat Sanctissimum Sacramentum super Altare et nonnisi semel cum eo benedici, et quidem post expletum cantum stropharum, *Tantum ergo – Genitori Genitoque,* cum versiculo et Oratione: tandem vero ut in actu benedictionis nil prorsus cantetur ».

Ad V. « Velum humerale semper debere esse coloris albi ».

Ad VI. « Praedictum usum tolerari omnino non posse; et curandum ab Episcopo ut serventur praescriptiones Ritualis Romani ».

Ad VII. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit. Die 26 Martii 1859.

3087. CARTHAGINIEN. (5287)

Quum Rm̃us D. Marianus Barrio Episcopus Carthaginien. Sacram Rituum Congregationem humillime exoraverit, ut super sequenti dubio sententiam suam elicere dignaretur; nimirum:

Num, in Processionibus publicis huius Ecclesiae Cathedralis, Reliquiae Patroni Dioceseos, quae deferuntur clausae in magna capsa argentea super humeros, debeant praeesse Imagini B. M. V. (non Patronae neque Titularis specialis) delatae etiam super humeros?

S. eadem Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario, dubio ab eodem Rm̃o Episcopo Carthaginien. proposito respondendum censuit: « Honoratiorem locum prae Reliquiis Patroni competere Imagini Beatae Mariae Virginis ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 26 Martii 1859.

3088. SAPPEN. (5288)

Quum Festum S. Marci Evangelistae hoc anno occurrat Feria secunda Paschatis Resurrectionis, eaque die iuxta Rubricas sit peragenda Processio Litaniarum maiorum, Rm̃us D. Petrus Severini Episcopus Sappen. a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit: Utrum in Ecclesiis parochialibus sacrarum Missionum in Albania, queis unicus tantum Sacerdos est addictus, celebrari de-

beat post Processionem Missa Rogationum; vel potius Missa Feriae secundae Paschatis, ratione potissimum habita, quod in his regionibus Feria secunda et tertia Paschatis adhuc Festivae de praecepto serventur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Secretario et re accurate examinata, rescribendum censuit: « In casu de quo agitur, legatur Missa de die cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione ». Atque ita servari mandavit.

Die 26 Martii 1859.

3089. STRIGONIEN. (5290)

In Synodo Provinciali novissime Strigoniae celebrata, orta est controversia de praecedentia sedendi subscribendique inter Episcopos Provinciales ibi congregatos. Affirmantibus siquidem Emo et Rmo Dño Card. Archiepiscopo aliisque Episcopis praecedentiae ordinem inter singulos Suffraganeos desumendum esse a die, qua quisque illorum comprovincialem Sedem obtinuisset; Rmus Georgius Girk Episcopali consecratione et titulo Ecclesiae Adrasensis in partibus ab anno 1838 donatus, Episcopus vero Provincialis Quinque Ecclesiar. renuntiatus die 10 Martii 1853, protestatione interposita, prolatisque in medium Can. *Episcopos 8,* dist. 17, Can. *Placuit* 1, Dist. 18, Can. *Cum certum* 1, de Maiorit. et obed.; *Caeremoniali Episcoporum* Cap. XXXI, lib. 1, § 15, nec non aliis auctoritatibus; praecedentiam sibi omnino deberi existimavit supra reliquos Coepiscopos recentius consecratos, licet ratione adeptae Comprovincialis Sedis antiquiores. Synodo interim pacifice absoluta, delata controversia fuit ad pedes SSmi D. N. Pii Papae IX, eoque iubente, iudicio Sacrae Rituum Congregationi subiecta.

Haec porro, utraque parte in scriptis audita, necnon exquisito desuper voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, referente Emo et Rmo D. Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Albanen. et Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, controversiam ipsam mature discussit ac definivit. Perpendens itaque Canones aliasque auctoritates ab Episcopo *Quinque Ecclesiar.* deductas, dum decernunt tamquam regulam statuendae inter Episcopos praecedentiae praerogativam Ordinum et tempus Ordinationis seu Consecrationis, spectata Ecclesiae disciplina et praxi, non *absolute* intelligi debere sed *discretive,* nimirum *ceteris paribus* in eodem gradu existentibus; atque insuper attendens vigentem ab antiqua aetate in Hungarico Regno consuetudinem interpretationi Episcopi *Quinque Ecclesiar.* aperte esse contrariam, declaravit:

« In casu de quo agitur, praecedentiam Episcopo *Quinque Ecclesiar.* competere, iuxta tempus adeptae Sedis Episcopalis *Quinque Ecclesiar.* ».

Die 26 Martii 1859.

3090. MEDIOLANEN. (5292) PRAEEMINENTIARUM.

Statuta Capituli Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis primum a S. Carolo Borromeo condita, deinde a Friderico Cardinali Borromeo, facultate s. m. Clementis VIII Pontificis Maximi interveniente, recognita et absoluta, decernunt, ut Archiepiscopo gravi de causa impedito, divina Officia quae certis diebus solemniter ille celebrare deberet, celebrentur ab Archipresbytero, qui est prima Dignitas; eoque absente vel impedito, a Primicerio; deinde a Praeposito, post a Decano; iisque omnibus impeditis, ab eo inter Canonicos, quos vocant Ordinarios, qui prior post Dignitates sit praesens. Quum autem D. Carolus e Comitibus Caccia Dominioni Canonicus Primicerius, qui in Ordine Presbyterorum est secunda Dignitas, paucis abhinc annis Episcopus Titularis Famaugustan. ac insimul Auxiliaris Rmi Domini Bartholomaei Romilli Archiepiscopi Mediolanensis a Sancta Sede Apostolica renuntiatus fuerit, existimavit non quidem ratione Primiceriatus, sed ratione honoris et obsequii, quod praecellenti Episcopali Dignitati et characteri debetur: praecipue autem ratione qualitatis Episcopi Auxiliaris: praedictum ius pro Archiepiscopo impedito divina Officia solemniter celebrandi, posthabita etiam prima Capituli Dignitate, sibi exclusive competere, prout saepius de facto celebravit, etiam praesente aliquando et assistente ipso Archiepiscopo. Evectus autem mense Aprili 1858 ad primam Dignitatem Archipresbyteratus Canonicus Dominus Caesar Maria Pertusati obstitit, et ius illud sibi omnino prae ceteris, quavis alia quantumlibet insigni Dignitate a Capitulo extranea fulgentibus, competere contendit; tum ex ipsa nativa eiusdem primae Dignitatis indole sive iurium Capitularium natura, tum ex

peculiari et positiva dispositione Statutorum, quae per diuturnam annorum seriem viguerunt et vigent. Ac ne sibi suisque Successoribus ex hoc praeiudicium unquam inferatur, Sacrorum Rituum Congregationem adivit supplici oblato libello, quo in id praecipue intendens, ut sarta tectaque Constitutionum Capitularium dispositio servetur, sequentia dubia proposuit:

Dubium I. Absente vel nolente Archiepiscopo Pontificalia celebrare, spectat ne ad Capitulum, nempe ad eius Dignitates ordine respectivo primo siquidem ad Archipresbyterum; vel potius ad Episcopum Auxiliarem, etsi Canonicum, non prima Capituli Dignitate praeditum?

Dubium II. In supplicationibus sive SSmi Corporis Christi, sive Sancti Clavi, spectat ne, absente Archiepiscopo, ad Auxiliarem Episcopum Canonicum; vel ad Capitulum, et pro eo ad Archipresbyterum SS. Eucharistiam et sacrosanctum Clavum deferre?

Dubium III. Aegrotantibus Canonicis Sanctissimum Viaticum, extremam Unctionem et cetera quae rite praescribuntur, sunt ne praestanda ab Episcopo Auxiliari Canonico; vel ab Archipresbytero, qui est etiam Parochus?

Dubium IV. Funeribus et Exequiis Canonicorum praeerit ne Stola indutus Canonicus Auxiliaris Episcopus; an potius Archipresbyter prima Dignitas et Parochus?

Dubium V. An qualitas Praefecti Capituli et Chori usque modo primae Capituli Dignitati collata, et acta iurisdictionalia respective per Apostolicas provisionis Litteras generice confirmata, respectu Pontificalis Dignitatis Canonici Episcopi Auxiliaris imminuta vel sublata censeri queant?

Dubium VI. Episcopus Auxiliaris Mediolanensis titulo Famaugustan. in partibus annua congrua Episcopatui adnexa donatur, ut in Pontificalibus, nempe exercitio Ordinis, Archiepiscopum sublevet. Quaeritur: An quoties huiusmodi Officii causa Auxiliaris Episcopus Canonicus absit a Choro, frui identidem possit tum annua congrua tum distributionibus quotidianis; et an sit de iure Capituli eum absentem, ut supra, ad distributiones admittere nec ne?

Quo autem Sacra Congregatio in iis definiendis procederet, omnes interesse habentes per Vicarium Generalem Mediolanensem in scriptis audiri voluit. Atque hinc prodierunt: 1. Deductiones Canonici Primicerii Episcopi Titularis a Sacrarum Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Magistro exaratae: 2. Votum Capituli a tribus de numero Canonicorum, quos Ordinarios dicunt ab ipso electis emissum et ab eodem Capitulo approbatum: 3. Novae animadversiones Canonici Archipresbyteri: 4. Demum Litterae datae ex Curia Archiepiscopali, quae continent Vicarii Generalis super exorta controversia sententiam. Omnia haec prae oculis habens Sacra Congregatio, requisito prius desuper voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, quod una cum documentis supra enunciatis aliisque, quae opportuna visa sunt, typis vulgatum est, in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, referente Emo et Rmo D. Card. Prospero Caterini, controversiam totam ac dubia mature examinavit, utriusque partis iura, privilegia, deductiones omni ex parte diligentissime discussit; et unanimi suffragio, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; servata tamen vigente consuetudine ».

Ad IV. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Ad Sacram Congregationem Concilii ».

Atque ita eadem S. Congregatio rescribere censuit atque in posterum servari mandavit.

Die 19 Septembris 1859.

3091. MESSANEN. (5293)

Quum Ecclesia adiecta Asceterio Sanctimonialium Ordinis S. Clarae in Oppido vulgo *Castroreale* Dioecesis Messanen. reparatione indigeret, in operis molitione necesse fuit eam interius omni ex parte instaurare; sed ad praecavendum execrationis periculum eiusmodi instauratio successive et per partes ita facta fuit, ut nec Cruces e proprio loco unquam fuerint dimotae, duabus exceptis, quae symmetriae causa alibi collocari debuerunt, et maior parietum pars nunquam fuerit decrustata. Modo autem, dubitatione Monialibus suborta, num Ecclesia consecrationem amiserit, rem omnem Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt, humillimis adiectis precibus, ut mentem suam desuper manifestare dignaretur.

Sacra porro Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis auditoque pro infor-

matione et voto Emo et Rmo D. Card. Francisco de Paula Archiepiscopo Messanen., in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunata, respondere et declarare censuit: « In casu, de quo agitur, Ecclesiam non indigere nova consecratione ». Atque ita rescripsit.

Die 19 Septembris 1859.

3092. CADURCEN. (5294)

Vicarius Generalis Episcopi Cadurcen., scire cupiens quomodo sese gerere debeant Parochi eiusdem Dioecesis in benedictione Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto peragenda: quo casu ob magnam Parochiae ab urbe Episcopali distantiam sacra Olea, praecedenti Feria V in Coena Domini ab Episcopo consecrata, in promptu habere nequeunt; a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

Utrum iidem Parochi servare debeant Decretum diei 12 Aprilis 1755 in Lucana ad dubium 3, iuxta quod Fontis benedictio fieri posse in casu videtur absque sacris Oleis, privatim subinde ac separatim infundendis postquam fuerint recepta; vel potius aliud Decretum in Oriolen. diei 23 Septembris 1837, ubi praescribitur benedictionem Fontis in casu celebrandam cum infusione sacrorum Oleorum anni praecedentis?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunata, referente subscripto Secretario, post accuratum propositi dubii examen, respondendum censuit: « Servandum in casu postremum Sacrae Congregationis Decretum in Oriolen. diei 23 Septembris 1837 ». Atque ita rescripsit.

Die 19 Septembris 1859.

3093. SYRACUSANA. (5296)

Metropolitanae Ecclesiae Syracusanae Dignitatum et Canonicorum votis benignissime annuens SSmus Dominus Noster Pius Papa IX per Apostolicas Litteras: *Quum sanctitudinem,* datas die 2 Martii 1850, iisdem non modo concessiones iam factas a s. m. Praedecessore suo Pio Papa VII per Apostolicas item Litteras: *Ecclesiarum nitorem,* sub die 6 Maii 1816, confirmavit (salvo tamen earumdem Litterarum tenore et ad tramitem Constitutionis: *Decet Romanos Pontifices,* IV Nonas Iulias 1823); verum etiam nova antiquis addens privilegia, permisit eis usum pontificalium insignium ad instar Abbatis Montis Cassini, faldistorii nimirum cum suppedaneo, absente vel praesente Archiepiscopo aut Sede Archiepiscopali vacante, et baculi pastoralis cum velo.

Nonnulla autem super huiusmodi privilegiis, sive antiquis sive recentioribus, excitata sunt dubia. Et primo quoad usum pontificalium insignium, quae nuper concessa sunt, Rmus Archiepiscopus iisdem Dignitatibus et Canonicis non aliter procedendum esse significavit, quam iuxta regulas generales a laudata Constitutione Pii VII: *Decet Romanos Pontifices,* traditas; a quibus in eo privilegiorum usu inter alia *Episcopi assensus et Capituli interventus* omnino requiritur. Negant Dignitates et Canonici restrictiva hac conditione se teneri, quam sublatam contendunt per Apostolici indulti verba, quae concessorum insignium usum quoties *ipsis libuerit* indefinite permittunt. Hinc pro parte earumdem Dignitatum et Canonicorum, ut certo et immutabili oraculo definiatur utra ex duabus opinionibus magis veritati sit consentanea, ex Aula Capitulari die 16 Martii 1859 Syracusis prodiit supplex libellus, cum duobus dubiis sub num. I et II et cum nonnullis *Observationibus,* queis resolutionem votis consentaneam suis studiose provocare nituntur. Deinde vero quoad antiquas Pii VII concessiones potissima quaestio versatur circa latitudinem genericae cuiusdam formulae, qua Syracusano Capitulo, praeter alia, indulgetur uti posse et gaudere, *ceteris aliis honoribus, praeeminentiis et decoramentis, quibus Cathedralium Ecclesiarum Cataniensis, Messanensis et Panormitanae Capitula tunc gaudebant;* ex quo nonnulla sibi licere arbitrantur, quae apud praedicta Capitula iam tum in usu fuisse asserunt, quin tamen constet ea (quoniam cum regulis generalibus et cum Decretis Sacrorum Rituum Congregationis minime conciliantur) ad eamdem Sacram Congregationem deducta unquam fuisse, ac favorabilem ab ea, ut par erat, obtinuisse sententiam.

Super iis Rmus Archiepiscopus dedit ad eumdem Sanctissimum D. N. Litteras die 14 Decembris 1859 (quas Dignitates et Canonici appellant *Consulta*) quibus quidem ipsi ex Aula Capitulari die 30 eiusdem mensis et anni, nonnullas observationes addiderunt. Et quoniam tum in Litteris quam in observationibus praedictis, non modo veterum privilegiorum eorumdemque liberi usus confirmatio, verum etiam ampliatio effusis precibus expostulatur; hinc alia effluxerunt dubia quae sub num. III et IV heic proposita leguntur. Pro omnibus itaque praecidendis

quaestionibus, sive quoad veteres sive quoad novas concessiones obortis, insequentia quatuor dubia Sacrorum Rituum Congregationi exposita sunt:

Dubium I. Utrum ex praefato Brevi Apostolico (diei 2 Martii 1850) standum sit ad Constitutionem: *Decet Romanos Pontifices,* quae limitat tempora, quibus Dignitas et Canonicus in propria Ecclesia pontificaliter celebrare possit, in reliquis vero Civitatis Ecclesiis cum permissu Episcopi ac praesente Capitulo; vel illud *quoties ipsis libuerit in praefata Metropolitana aliisque etiam Ecclesiis, infra tamen Syracusanam Civitatem,* interpretari possit arbitrio Canonicorum, id est Pontificalia ab iisdem exerceri posse semper seu nullis statutis temporibus, ac sine consensu Episcopi et absque interventu Capituli?

Dubium II. An sola insignia dicantur concessa, non vero ritus ad instar Abbatis Montis Cassini, ut supra?

Dubium III. An, et quomodo in praesenti specie Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Syracusanae annuendum sit ut pergant adhibere *l'uso dei Coturni e dei Calzari di seta esteso anche ai Diaconi nelle Messe solenni, e della trina benedizione col Santissimo Sagramento, in fine della Messa solenne;* quandoquidem huiusmodi usus sibi provenire existimant ex generica, qua gaudent, concessione honorum, praeeminentiarum ac decoramentorum ad instar Capitulorum Catanien., Messanen. et Panormitanae?

Dubium IV. An, et quomodo in casu usus Crucis pectoralis, qui concessus est una tantum cum pontificalibus insignibus, permitti quoque possit non quidem singulis, sed Capitulariter intervenientibus in divina Psalmodia, iis diebus quibus Episcopus pallio uti potest; in duabus Processionibus, quae fiunt mense Decembri, recurrendo festo Patronae; in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi a festo eiusdem die ad totam octavam inclusive; in Processione Sancti Sebastiani mense Ianuario; et in Processionibus Rogationum?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito prius super omnibus alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto scriptis edito (quod typis iam pressum est) et habitis diligenter prae oculis tum Litteris R̃mi Archiepiscopi Syracusani, tum utrisque Dignitatum et Canonicorum observationibus, in Ordinario Coetu habito infrascripta die in Palatio Apostolico Vaticano, referente Em̃o et R̃mo Domino Cardinali Nicolao Clarelli Paracciani, re mature et undequaque discussa, respondendum censuit: « Iuxta votum Magistri Caeremoniarum » nimirum:

Ad I. « Quoad primam partem, Affirmative; iuxta modum: scilicet Dignitates et Canonicos concessis pontificalibus insignibus uti posse quoties ipsis libuerit, tam in Metropolitana quam in aliis Syracusanae Civitatis Ecclesiis, semper tamen assentiente Archiepiscopo et assistente Capitulo — Quoad secundam partem, Provisum in prima ».

Ad II. « Sola insignia iuxta Litteras concessionis ».

Ad III. « Servetur Constitutio: *Decet Romanos Pontifices;* et interim ab hoc usu desistant, donec de asserta privilegiorum existentia, de quibus in dubio, Sacrae Congregationi documenta exhibeantur ab eaque favorabilis sententia obtenta fuerit ».

Ad IV. « Non expedire ».

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit ac servari mandavit.

Die 24 Martii 1860.

3094. ALGAREN. (5297)

Quum in Ecclesia Cathedrali Algarensi usus ab antiqua aetate invaluerit, ut Canonici Episcopo pontificalia peragenti assistentes pileolum in capite retinerent, dubitans eiusdem Ecclesiae Archipresbyter num istiusmodi usus, praetextu immemorialis consuetudinis, valeat sustineri; ab hac Sacra Rituum Congregatione insequentia dubia petiit declarari:

Dubium I. An Canonici Cathedralis Ecclesiae Algarensis tenere possint in capite pileolum, iuxta immemorabilem consuetudinem, dum ipsi sacris pluvialibus induti Episcopo Feria V in Coena Domini pontificalibus indumentis parato et a Sacristia ad aram maximam pergenti, ut divina peragat mysteria, processionis ordine praecedunt?

Dubium II. An vi eiusmodi consuetudinis pileolo uti possint ipsimet Canonici, dum ad praedictam aram maximam pervenientes stant in circulo coram eodem Episcopo, introitum Missae persolvente?

Dubium III. An pileolum e capite deponere teneantur quoties sacra induunt pluvialia, etsi Episcopo non assistant?

Placuit Sacrae Rituum Congregationi super eiusmodi dubiis sententiam R̃mi Algarensis Episcopi exquirere; qua in scripto habita ac perpensa, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad

Vaticanum, referente subscripto Secretario, praedictis dubiis respondere censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Si Episcopo minime assistunt, Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.
Die 24 Martii 1860.

3095. BEVERLACEN. (5298)

Rmus Dominus Ioannes Briggs Episcopus Beverlacen. a Sacra Rituum Congregatione humillime declarari petiit:

Dubium I. An occurrente Festo Patrocinii B. Mariae Virginis ritu duplici primae classis cum octava, ultima Octobris Dominica, cum Festo Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae, translatoque iuxta Rubricas eorumdem Apostolorum Festo, die praecedenti scilicet 27 Octobris fieri debeat Officium de Vigilia Sanctorum Simonis et Iudae, ac si eorum Festum translatum minime fuisset? et quatenus negative,

Dubium II. An dicta die 27 Octobris fieri debeat de Officio votivo Immaculatae Conceptionis B. M. V. pro Sabbatis intra annum concesso, exceptis Vigiliis?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, referente subscripto Secretario, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.
Die 24 Martii 1860.

3096. BARCINONEN. (5299)

Quum Cathedralis Ecclesia Barcinonen. iussu Summi Pontificis Alexandri VII anno 1661 Apostolicae Visitationi fuerit subiecta, eiusdem Ecclesiae Canonici, auctoritate Visitationis huius invocata, veteres suos usus Rubricis ac Sacrorum Rituum Congregationis Decretis contrarios, immutari seu reformari ab Episcopo haud posse contendunt.

Huc referunt in primis usum, quem praedicta Visitatione anteriorem dicunt, et ab ea nec expresse nec tacite improbatum; iuxta quam Missa Conventualis tunc tantum a Capitulo cantatur quum nulla occurrunt persolvenda Anniversaria: secus dicitur a Cappellanis inductitiis in Cappella Sanctae Eulaliae sita sub Ara maiori, dum in Choro cantatur Prima; quapropter tam Anniversaria quam Missa Conventualis (si Anniversaria deficiant) celebrantur a Capitulo post Nonam; atque Missae feriales, quandocumque occurrunt, non a Capitulo in Choro sed a Cappellanis inductitiis in praedicta Cappella S. Eulaliae celebrantur.

Huc etiam referunt morem in eadem Cathedrali vigentem, quo inductum fuit ut Episcopus Missam Pontificalem celebraturus Tertiam non intonet et Missam incipiat post Nonam; ut duos Diaconos assistentes a Caeremoniali praescriptos non habeat; habeat e contra loco unius duos Presbyteros assistentes, Decanum scilicet et Canonicum antiquiorem, posthabitis Dignitatibus: quas ideo excludi suspicio est quod Dignitates non essent olim, sicuti hodie post novissimum concordatum, de gremio Capituli.

Huc tandem referunt, quod in Missa Solemni Celebrans legit Evangelium in cornu Epistolae, dum Subdiaconus Epistolam canit; quod ad cantum Evangelii Subdiaconus minime assistit; neque hic, sed Diaconus librum Celebranti osculandum praebet, et quidem post intonatum *Credo* aut *Dominus vobiscum;* quod Concio inter Missarum solemnia non immediate post Evangelium fit, sed post thurificationem oblatorum; quodque pax non a Subdiacono, sed a Diacono Choro defertur.

Iam vero cum haec omnia, tamquam Rubricis contraria, hodiernus Episcopus Barcinonen. removere cupiat; insequentia dubia super praedictis usibus Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proponit:

Dubium I. Utrum canenda sit quotidie Missa Conventualis a Capitulo in Choro; vel potius standum veteri consuetudini, de qua supra, in Visitatione Apostolica anni 1661 neque approbatae neque improbatae, sed silentio praetermissae?

Dubium II. Utrum ex proventibus Canonicorum vel potius ex Sacrarii aut Fabricae reditibus sit desumendum stipendium pro Cappellanis Missam Conventualem celebrantibus?

Dubium III. Utrum servari possit usus canendi tam Missam de Festo quam Anniversaria post Nonam; vel potius obtemperandum sit Rubricis praecipientibus, ut Anniversaria celebrentur post Primam, Missa de Festo post Tertiam et Missa ferialis post Sextam aut Nonam? (1)

(1) E. Dub. IV, V et VII.

Dubium IV. An superius descripti usus quoad Missam solemnem, ab antiquo servati, retineri valeant?

Superiora itaque dubia quum a subscripto Secretario Congregationi Sacrorum Rituum fuerint proposita, in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis; eadem Sacra Congregatio singulis accurate matureque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Servandas esse strictim Rubricas Missalis Romani; non obstante contraria consuetudine seu potius corruptela ».

Die 24 Martii 1860.

3097. MENEVEN. ET NEOPORTEN. (5300)

Quum ex Decreto S. C. de Propaganda Fide Sanctus David Episcopus Confessor sit praecipuus apud Deum Patronus Dioecesis Meneven. et Neoporten. eiusque Festum die 1 Martii occurrens agatur ibidem sub ritu duplici primae classis, et extra Quadragesimam cum octava, hinc fit ut quibus annis Feria IV Cinerum incidit post diem VIII Martii (sicut contigit superiore anno 1859) eadem die sit recitandum Officium de die octava Festi. Quum autem die VIII Martii pro universa Anglia occurrat Festum Sancti Felicis Episcopi Confessoris sub ritu duplici minori, et nonnisi rarissime accidat, ut eadem dies praecedat ieiunium Quadragesimale, Rmus Episcopus Meneven. et Neoporten. a S. R. Congregatione declarari petiit: Num in Calendario eiusdem Dioecesis praenotata dies relinqui debeat pro octava S. Davidis, quamvis rarissime agi queat, translato inde in perpetuum ad primam diem liberam Festo S. Felicis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Atque ita servari mandavit.

Die 24 Martii 1860.

3098. MELITEN. (5301)

Rmus D. Caietanus Pace Forno Archiepiscopus Episcopus Meliten. exposuit huic Sanctae Sedi Capitulum Cathedralis suae iamdiu obtinuisse usum mitrae simplicis in celebratione nonnullarum sacrarum functionum. Anno vero 1850 die 6 Decembris per Apostolicas Litteras in forma Brevis impetravisse, tum ut Canonicus celebrans in aliqua Ecclesia Dioecesis, de expressa venia Rmi Episcopi in scriptis data, absente licet Capitulo, mitram simplicem adhiberet, tum etiam ut Canonicus celebrans diebus solemnibus, praesente Capitulo, assumeret praeter mitram simplicem etiam Dalmaticam et Tunicellam, chirothecas et sandalia, ac uteretur palmatoria, Canone et faldistorio. Quum autem in Brevi concessionis minime prorsus enuncietur, an Canonicus celebrans, assistente Episcopo Ordinario, insignibus concessis anno 1850 uti valeat; hinc orator a Sacra Rituum Congregatione sequens dubium declarari humillime petiit:

An Dignitas vel Canonicus Ecclesiae Cathedralis Meliten. in diebus solemnibus celebrans, interveniente et assistente Episcopo, uti valeat insignibus concessis anno 1850; vel potius coram Episcopo uti tantum debeat mitra simplici, primitus concessa?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunato, referente subscripto Secretario, proposito dubio respondendum censuit: « Iuxta Litteras concessionis assistentiam Episcopi in casu minime obstare quominus Dignitas vel Canonicus pontificalibus insignibus utatur, servato eiusdem concessionis tenore ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 24 Martii 1860.

3099. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM SANCTI FRANCISCI. (5303)

Sacra Rituum Congregatio anno 1854 expendens nonnulla dubia proposita a Calendarista Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Provinciae Ianuensis, post acceptum super dubiis ipsis votum Rmi Procuratoris Generalis, ad dubium III, hisce conceptum terminis: Quotannis in nostra Ecclesia S. Catharinae Fliscae Adurnae Ianuensium Patronae dies octava eiusdem incidit in Dominicam V post Pascha, cui Dominicae in Calendario Capuccinorum Festum mobile Dedicationis Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis sub ritu duplici maiori assignatum est; Ast, quum in nostra Ecclesia Officium praedictae Dedicationis semper impediatur ob talem diem octavam, quaeritur: An Officium Dedicationis assignandum sit perpetuo

alicui diei liberae; vel potius considerandum ceu translatum quotannis? respondere censuit: Non esse transferendam Dedicationem Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis, utpote Festum totius Ordinis Franciscani; posse tamen permitti Commemorationem diei octavae Sanctae Catharinae.

Modo vero hodiernus Superior Capuccinorum familiae Genuensis, videns hanc declarationem S. Congregationis impedimento esse quominus devotioni satisfiat Sacerdotum Genuensium Missam S. Catharinae in propria ipsius Ecclesia die octava Festi celebrare postulantium, cupiensque in eadem Ecclesia ad vitam revocare intermissum S. Sedis indultum diei 30 Aprilis 1796, ab eadem Sacra Rituum Congregatione postulavit:

1. Ut in illa Ecclesia Dominica V post Pascha agi queat de die Octava S. Catharinae, translato ad aliquam diem sequentem liberam Officio Dedicationis Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis.

2. Insuper ut a Cappellanis Ordinis Capuccinorum die 22 Martii recitari valeat Officium cum Missa Commemorationis Sanctae Catharinae occurrentis tum in Calendario Dioecesano sub ritu duplici, tum in Martyrologio Romano, cum facultate transferendi ad primam diem liberam Officium S. Benvenuti Epis. Conf. in Calendario Ordinis ea die occurrens ritu duplici maiori.

Eiusmodi praemissis postulationibus, orator ab ipsa S. Congregatione sequentia duo dubia declarari petiit:

Dubium I. Utrum liceat Sacerdoti in Sacello Valetudinarii celebranti deferre post Communionem Particulas in Patena et pergere ad cellulas infirmorum ut eis Communionem praebeat, aut aliquando etiam Viaticum; an potius reservare debeat Particulas, ut id praestet post Missam? Et quatenus affirmative ad hanc secundam partem, tunc quid agendum de fragmentis, si consummatae fuerint omnes Particulae, et alius ibi ea die non sit celebraturus?

Dubium II. Apud Capuccinos Ianuenses usus extat monasticae flagellationis, quam ipsi in Choro perficiunt uti in loco commodiori. In tali exercitio sane exigit modestia ut omnimodae tenebrae totam se flagellantem Communitatem comprehendant. Hinc ad id assequendum ipsamet lampas SSmi Sacramenti extinguitur, ne per repercussionem suae lucis in superiori abside Chorus illucescat. Perdurante tamen flagellatione suppletur lampadis extinctioni per aliud lumen repositum ac non spectabile intra primum Chori armarium. Quum de huius praxis licitudine non idem omnes ex Communitate sentiant, ideo quaeritur: An extinctio lampadis coram SSmo Sacramento ardentis ad obtinendas tenebras pro Religiosis in Choro se flagellantibus, suppleto alio lumine extra Altare occluso, tolerari possit in casu?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus accurate perpensis, referente subscripto Secretario, rescribendum censuit:

Quoad Postulatum I. « Servetur Decretum diei 8 Aprilis 1854 ad dubium III ».

Quoad II. « Negative ».

Ad Dubium I. « Quoad primam partem, Negative; iuxta Decretum diei 19 Decembris 1829 in Florentina ad dubium primum. Quoad secundam partem, Affirmative; et fragmenta reponantur in Pixide, quae in Tabernaculo asservatur ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

3100. VARMIEN. (5304)

Exposuit nuper Rmus Episcopus Varmien. in universa sua Dioecesi veluti praecipuum apud Deum Patronum invocari Sanctum Andream Apostolum, eiusque Festum solemniter agi die propria, nimirum 30 Novembris sub ritu primae classis cum octava et sub duplici praecepto adstandi Sacro atque a servilibus abstinendi. Quum vero Dioecesi Varmiensi per Bullam: *De salute animarum*, latam anno 1821 a Summo Pontifice Pio VII, nonnullae Parochiae, quae Dioecesibus Culmensi et Posnaniensi antea subiiciebantur, perpetuo fuerint unitae; quumque utrique huic Dioecesi suus extet peculiaris et distinctus Patronus, Culmensi scilicet S. Laurentius Martyr, Posnaniensi vero S. Ioannes Apostolus et Evangelista, idem Rmus Episcopus ab Apostolica Sede declarari petiit:

Utrum in praedictis Parochiis Festum S. Andreae Apostoli cum solemnitate et obligatione sit modo agendum ac in reliqua Dioecesi Varmiensi; et quatenus affirmative: An pro iisdem Parochiis cessaverit obligatio recolendi Festa Patronorum Dioecesium Culmensis et Posnaniensis, quibus olim adscriptae fuerunt?

Eiusmodi porro dubiis Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis huius diei ad Vaticanum habitis, referente sub-

scripto Secretario, respondendum censuit: « Affirmative in omnibus ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

3101. CARCASSONEN. (5306)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Carcassonen. exponens Breviarium Romanum Mechliniae editum anno 1856, in Festo Prodigiorum B. Mariae Virginis die 9 Iulii, in antiphona ad *Magnificat* et in Responsorio post Lectionem VII exhibere verba *tuum sanctum patrocinium:* Breviarium vero Romanum Turonis cusum anno 1853, indicare tantum eadem die: *Omnia ut in Festis B. Mariae Virginis;* a Sacra Rituum Congregatione declarari postulavit: Cuinam ex enunciatis duabus editionibus fides habenda sit?

Sacra porro Rituum Congregatio rescribere censuit: « Dicendum in casu *Tuam Sanctam Festivitatem* ».

Die 7 Augusti 1860.

3102. MONTIS PESSULANI (5307)

Quum Director Calendarii Dioecesis Montis Pessulani a Sacra Rituum Congregatione declarari petierit utrum in Festo S. Irenaei Episcopi Martyris sub ritu duplici minori Lectiones primi Nocturni legi debeant de Scriptura occurrente, an potius esse debeant de Epistola Beati Pauli Apostoli ad Timotheum, uti habentur in Appendice Breviarii Romani?

Sacra eadem Congregatio rescribere censuit: « Lectiones primi Nocturni in Officio S. Irenaei esse proprias, nimirum de Epistola secunda Beati Pauli Apostoli ad Timotheum ».

Die 7 Augusti 1860.

3103. URBIS ET ORBIS (5309)
MISSALE ROMANUM.

Quum duo Romae nova Missalia quamprimum debeant in lucem prodire, alterum ex Typographia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, alterum ex Typographia Iosephi Salviucci, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, inhaerens Decreto generali *super editione Librorum Liturgicorum* diei 26 Aprilis 1834, sui muneris esse duxit omni vi eniti, ut eadem plane concordent cum archetypis editionibus Clementis VIII ac Urbani VIII, nec non cum alia ad illas fidelissime exacta typisque Sacrae Congregationis de Propaganda Fide anno 1714 impressa, pro qua adornanda ipsa Sacra Rituum Congregatio diebus 25 Septembris 1706 et 18 Septembris 1714 duo tulit *Urbis et Orbis Decreta.* Quo vero Secretarius praedictus propositam metam attingeret, viris non minus diligentibus quam Rubricarum scientia praeditis in partem laboris adscitis, omnia illa, de quibus dubium aliquod exoriri potuit, non modo cum allegatis, sed quoties necesse visum est, etiam cum quatuor aliis optimae notae editionibus conferre curavit non multum post Urbanum VIII cusis, sive Romae anno 1643 a Bernardino Tani et anno 1677 a Typographia Reverendae Camerae Apostolicae, sive Venetiis anno 1640 a Petro Ciera et anno 1654 a Francisco Boba. Confugit insuper ad Decreta authentica Sacrorum Rituum Congregationis, atque ex iis tutissimam normam desumpsit ad plura praesertim in Rubricis emendanda vel resecanda, a Typographis in recentioribus Missalis Romani editionibus immutata vel addita. Verum quum in hoc examine nonnulla sibi occurrissent gravioris momenti dubia, eadem discutienda ac dirimenda subiecit Congregationi Sacrorum Rituum Particulari a SS̃mo Domino Nostro Pio Papa IX hunc in finem delectae. Haec autem quum die 25 Septembris 1860 convenisset in Aedes Em̃i et Rm̃i Dñi Cardinalis Constantini Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefecti, singulis mature perpensis, proposita dubia definivit, ut sequitur:

Dubium I. Certum est in Oratione Nobis quoque peccatoribus intra Missae Canonem nonnisi tria ista verba clara voce esse dicenda, idque aperte innuunt tum Rubricae Generales Titul. XVI, N. 1, tum Ritus servandus in celebratione Missae Titul. IX, N. 3, ubi ita praescribitur: Quum dicit (Sacerdos) nobis quoque peccatoribus, *vocem aliquantulum elevat,* et *prosequitur secreto* famulis tuis etc. Sed quum accurata haec distinctio inter verba secreto aut elevata voce dicenda desideretur in Rubrica Ordinis Missae, absolute praescribente: *manu dextera percutit sibi pectus elata parum voce dicens:* Nobis quoque peccatoribus famulis tuis etc.; quaeritur: An ad clariorem hanc postremam Rubricam reddendam, post verba: Nobis quoque peccatoribus, addi possit inter parenthesim brevis haec adnotatio: *Et prosequitur secreto?*

R. « Non expedire ».

Dubium II. Neque in Rubricis Generalibus, neque in Ritu celebrandi Missam, ne-

que in Ordine Missae, dum statuitur ut in fine Missae legatur Evangelium Sancti Ioannis *In principio erat Verbum,* ulla indicatio occurrit, qua scire possit Sacerdos in qua parte Missalis Evangelium illud reperiatur; et istiusmodi silentium commune est quibuscumque Missalis Romani editionibus, non exclusis archetypis Clementis VIII et Urbani VIII. Quum autem peropportunum videri possit id aliquo modo in Ordine Missae indicari, seu remittendo Sacerdotem per simplicem citationem folii ad tertiam Missam Nativitatis Domini, ubi praedictum Evangelium habetur, sive Evangelium ipsum apponendo per extensum in fine Ordinis Missae, prout fieri solet in Canone Missae pontificalis; quaeritur: An et quomodo allegatio praedicti Evangelii apponi possit in Missalibus proxime edendis?

R. « Nihil innovetur? »

Dubium III. Quum ab anno 1806 in persona Francisci II Austriae Imperatoris cessaverit Romanum Imperium, non amplius hodie dicendae sunt Orationes pro Romanorum Imperatore assignatae tum Feria VI in Parasceve in Missa Praesanctificatorum, tum Sabbato Sancto in postrema parte Praeconii Paschalis; quaeritur ergo 1. An praedictae Orationes expungendae sint in novis Missalis Romani editionibus?

Et quatenus negative, 2. An ad utramque Orationem brevis apponi debeat Rubrica, qua declaretur eas hodie esse omittendas?

Et quatenus negative, 3. An saltem istiusmodi adnotatio apponi debeat initio Missalis post Rubricas Generales inter Decreta Sacrorum Rituum Congregationis?

R. « Ad 1 et 2 Negative; ad 3 Affirmative ».

Dubium IV. Quotquot in lucem prodierunt post Urbanum VIII Missalis Romani editiones, recentioribus tantummodo exceptis, Rubricam Missae de solemnitate Corporis Christi hisce verbis concipiunt: *Infra Octavam dicitur haec eadem Missa, et non fit de aliquo Sancto, nisi fuerit duplex occurrens, non autem translatum;* atque Rubricae huic perfecte concordat parallela Breviarii Romani Rubrica ante Officium Corporis Christi, quae ita se habet: *Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex.....* Verum quum in recentioribus additionibus primae Rubricae addita privato arbitrio haec verba fuerint: *nisi sit primae vel secundae classis,* factum hinc est, ut quae intra utramque Rubricarum aderat olim perfectissima consonantia, ob recens istiusmodi additamentum omnino cessaverit. Ceterum cum denegari non possit verba *nisi sit primae vel secundae classis,* cohaerere declarationi in nonnullis particularibus Decretis a Sacra Rituum Congregatione factae praesertim in Lisbonen. diei 30 Maii 1699 ad 2; hinc quaeritur: An a praedicta Missalis Rubrica expungenda sint verba recentius addita: *nisi sit primae vel secundae classis?*

R. « Negative; eademque verba addantur in novis Breviarii Romani editionibus ».

Dubium V. In Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis ante Missam legitur haec Rubrica: « *Si hoc Festum venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, fit tantum benedictio et distributio candelarum et Processio; et Missa dicitur de Dominica; Missa autem Festi transfertur ad sequentem diem* ». Quid nomine *sequentis diei* in hac Rubrica foret intelligendum nullum potuit exoriri dubium donec dies tertia Februarii nonnisi a Festo simplici fuit occupata. Ast postquam pro multis Dioecesibus praedictae diei affigi coepit Festum duplex vel semiduplex, tunc non immerito dubitatum fuit, utrum pro *die sequenti* intelligenda foret ipsa dies tertia Februarii, quamvis impedita, an potius prima dies post eam vacua a festo duplici vel semiduplici. Cui dubio Sacra Rituum Congregatio, ut occurreret generale Decretum edidit *Urbis et Orbis* diei 22 Iulii 1748, quo ita cavit: *Quando eiusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum ad Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente;* quaeritur: An verba *in sequentem diem* commutanda sint cum hisce verbis *in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis, non autem altioris ritus in eam incidente?*

R. « Affirmative ». (1)

Dubium VI. In omnibus antiquis Editionibus Missalis Romani, non exclusis illis Clementis VIII et Urbani VIII, immediate ante Missam Purificationis Beatae Mariae Virginis ita legitur « *Finita Processione.... candelae tenentur in manibus accensae dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem* ». Huic Rubricae in recentibus editionibus adiuncta

(1) E. Dub. VI, VII, XV et XIX.

fuerunt haec alia verba ad literam desumpta ex Caeremoniali Episcoporum lib. 2, cap. 16, § 19: *Si vero Missa fieret de Dominica, candelae non accenduntur.* Inficiari nequit additamentum istud in se spectatum eam utilitatem praeseferre, ut Rubricae uberius declarandae optime inserviat, ipsaque verba, quibus conceptum fuit, quatenus derivata ex Caeremoniali Episcoporum, vim legis habere. Nihilominus cum eadem additio nova sit et privato tantum arbitrio facta; quaeritur: Utrum eadem conservari; an potius supprimi debeat?

R. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Dubium VII. Duo Festa septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, quorum alterum affixum est Feriae VI post Dominicam Passionis, alterum vero Dominicae III Septembris, reguntur quoad modum translationis, non a generalibus Breviarii et Missalis Romani Rubricis, sed a legibus omnino propriis quae intra praedictas Rubricas minime continentur. Siquidem de primo illo Festo cautum est, ut quando celebrari nequit Feria VI post Dominicam Passionis vel in sequenti Sabbato, illo anno omittatur. De secundo autem Festo extant Sacrae Rituum Congregationis Decreta, quibus regulae illud transferendi de una in aliam Dominicam fuse declarantur. Iamvero quum ad Sacerdotum instructionem peropportunum videatur, ut de modo eadem Festa transferendi aliquid adnotetur in novo Missali; quaeritur: An post Missam utriusque Festi sit apponenda peculiaris Rubrica, qua ordo translationis declaretur ad formam praedictorum Decretorum.

R. « Affirmative ».

Dubium VIII. Quod in praecedenti dubio notatum fuit quum locum quoque habeat relate ad Festum Pretiosissimi Sanguinis Dominica prima Iulii iuxta Decretum *Urbis et Orbis* datum Caietae die 10 Augusti 1849; quaeritur: An post Missam huius Festi apponi debeat peculiaris Rubrica ex verbis praedicti Decreti desumenda?

R. « Affirmative ».

Dubium IX. Postquam Sacra Rituum Congregatio in Remen. die 16 Februarii 1754 definierit quomodo ordinanda sit Missa Inventionis Sanctae Crucis, si transferri eam contingat post Pentecosten, apponi cepit in Corpore Missalis ad diem tertiam Maii specialis Rubrica id declarans, non iisdem tamen verbis concepta, quae praefert Decretum, sed longe diversis, liceat quoad rei substantiam Decreto consonis. Quamquam vero haec Rubrica apprime utilis videatur, nihilominus quum desideretur in omnibus antiquis editionibus, quaeritur: 1. An conservari debeat?

Et quatenus affirmative, 2. An reformari debeat servatis expressionibus laudati Decreti?

R. « Affirmative, ad utrumque ».

Dubium X. Post Decretum *Urbis et Orbis* 10 Septembris anni 1847 nullum potest esse dubium, quin Missa Patrocinii Sancti Iosephi Confessoris Sponsi Beatae Mariae Virginis apponenda sit in Corpore Missalis Romani. Sed quum Missa haec ordinata sit pro tempore Paschali, quaeritur: Quomodo sit ordinanda Missa Patrocinii Sancti Iosephi in casu translationis post Pentecosten?

R. « Missam Patrocinii Sancti Iosephi legi debere post Pentecosten uti ordinata est pro tempore Paschali, demptis solummodo *Alleluia,* sumptoque Graduali ex Missa diei XIX Martii, cum Versiculo proprio: *Fac nos innocuam Ioseph etc.* et tribus *Alleluia* dispositis iuxta Rubricas ».

Dubium XI. In Missa Sancti Laurentii Martyris die X Augusti post Evangelium legitur: « *Non dicitur Credo, nisi in Ecclesia propria, aut nisi venerit in Dominica* ». In Missa autem diei Octavae, quae incidit infra octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis, notatur absolute: *dicitur Credo.* Iam vero cum in casu prorsus simili, nimirum in die Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, qua *Credo* non dicitur nisi in Ecclesia propria aut nisi venerit in Dominica, relate ad diem Octavam Rubrica expresse adnotat « *dicitur Credo* PROPTER OCTAVAM SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI ». Quaeritur: An etiam in die Octava Sancti Laurentii adiici haec Rubrica possit: « *dicitur Credo etiam extra Ecclesiam propriam propter octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis* »?

R. « Negative ».

Dubium XII. Post Missam Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae die XXVIII Octobris recentiores Missalis Romani editiones hanc habent Rubricam ignotam editioni Sacrae Congregationi de Propaganda Fide anni 1714 ceterisque antiquioribus: « *Si in Vigilia omnium Sanctorum occurrerit Missa de aliquo Festo semiduplici, tunc tertia Oratio erit* A CUNCTIS, *non vero de Spiritu Sancto* ». Consonat certissime haec Rubrica cum particulari Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una *Ordinis Capuccinorum*

diei 21 Iunii 1710 ad primum. Nihilominus quum eadem desit, iuxta dicta, in omnibus antiquis editionibus, quaeritur: An eadem recens Rubrica conservari debeat?

R. « Negative ».

Dubium XIII. Missalia hactenus edita Postcommunionem in collatione Sacrorum Ordinum exhibent cum conclusione *Per Dominum etc.*, licet verba *tuae Redemptionis* demonstrent Orationem dirigi ad Filium Dei, ac proinde postulent iuxta Rubricas conclusionem: *Qui vivis etc.* Certe in casu prorsus simili, nimirum in Postcommunione Missae quotidianae pro Defunctis, quae ita se habet: « *Animabus, quaesumus Domine, famulorum, famularumque tuarum oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis omnibus exuas, et tuae Redemptionis facias esse participes* », Missalia omnia ponunt conclusionem: *Qui vivis etc.* Quaeritur itaque quomodo concludi debeat Postcommunio in Collatione Sacrorum Ordinum?

R. « Adhibendam esse conclusionem: *Qui vivis etc.* ».

Dubium XIV. Ad omnem incertitudinem adimendam circa interpretationem Rubricae, quae legitur ante Missam pro Sponso et Sponsa, Sacra Rituum Congregatio Decreto *Urbis et Orbis,* approbante Summo Pontifice Pio VI, declaravit: *In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae classis, etiam si fiat Officium et Missa de Festo Duplici per Annum sive maiori sive minori, dicendam esse Missam pro Sponso et Sponsa in fine Missalis post alias Votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto ac Duplicibus primae et secundae classis, dicendam esse Missam de Festo cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa.* Verum quum publice expediat, ut Decretum istud minime ignoretur a Parochis, aliisque Sacerdotibus ad Nuptiarum benedictionem legitime deputatis, quaeritur 1. An ex eodem Decreto nova Rubrica confici possit, quae apponatur in Corpore Missalis ante Missam pro Sponso et Sponsa?

Et quatenus negative, 2. An saltem Decretum ipsum apponi possit initio Missalis post Rubricas Generales?

R. « Ad 1 Affirmative, ad formam Decreti; ad 2 provisum in primo ».

Dubium XV. In Missa propria Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis a Sacra Rituum Congregatione approbata die 21 Iulii 1855, ac inserenda in Appendice Missalis Romani pro aliquibus locis, Secreta ita se habet: « *Maiestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus accendat, qui cor Beatae Mariae Virginis ineffabiliter inflammavit* ». Inspectis Rubricis, Secreta concludenda videtur *Per eumdem Dominum etc.* eo quod initio Orationis mentio fiat Filii Dei. Nihilominus, quum in aliquibus editionibus Secretae conclusio sit: *Per Dominum;* quaeritur, quomodo sit Secreta haec concludenda?

R. « Concludendam esse verbis: *Per eumdem Dominum* ».

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua superiores responsiones Congregationis Particularis a se deputatae ratas habere et approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Septembris 1860.

3104. SANCTI IACOBI DE CILE. (5310)

Rm̃us Archiepiscopus S. Iacobi de Cile, animadvertens in sua Dioecesi et praesertim in Ecclesia Metropolitana plures, praetextu longevae consuetudinis, retinere Ritualia quae Ecclesiae legibus adversantur; ad omnimodam certitudinem assequendam a Sacra Rituum Congregatione sequentia dubia declarare humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. Num in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, possit Canonicus celebrans, dicto *Munda cor meum*, benedicere incensum et Diaconum, et Evangelium legere dum illud cantatur? Item Missam prosequi statim ac a Choro cantatus sit versiculus Symboli: *Et incarnatus est?* Itemque omittere cantum Praefationis et Orationis Dominicalis, iis saltem diebus, quibus habetur Concio?

Dubium II. Num ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono et Subdiacono, quum praesto non est aliquis Ministrorum?

Dubium III. Num in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, Canonicus celebrans eiusque Ministri, praesente etiam Archiepiscopo, quum hic suam Sedem non occupat, possint sedere in latere Evangelii, ipso in loco ubi Sedes Archiepiscopalis collocatur, quia fixa non remanet?

Dubium IV. Num, attenta consuetudine, Canonicis, celebrantibus vel Archiepiscopo ministrantibus, liceat sedere in Sedibus cameralibus?

Dubium V. Exceptis Presbytero et Diaconibus assistentibus, ceteri Canonici non assumunt sacra paramenta quum Archiepiscopus solemniter celebrat, vel facit illas functiones in quibus id praestare debent omnes Dignitates et Canonici. Hinc quaeritur: Num tolerari possit haec consuetudo?

Dubium VI. Quum Concio habetur coram Archiepiscopo, concionator nuntiat Indulgentias, omissa confessione et aliis praescriptis in Caeremoniali Episcoporum. Insuper in fine Missae, quum Archiepiscopus benedicit populo, non Presbyter assistens sed Cappellanus cotta indutus publicat Indulgentias. Quaeritur: Num recensita consuetudo servanda sit?

Dubium VII. Attenta consuetudine, possunt ne Canonici, licet officio Presbyteri assistentis non fungantur, tum in Cathedrali tum extra ac etiam praesente Archiepiscopo, Concionem facere pluviali induti?

Dubium VIII. An qui cantat Prophetias possit, vi consuetudinis, eas relinquere, vix a Celebrante earum lectio absoluta sit?

Dubium IX. An ubi viget consuetudo, liceat Baptismi Sacramentum solemniter administrare in Sacristia Cathedralis?

Dubium X. Num, attenta consuetudine, Canonici, qui in solemnitatibus Vesperarum officium faciunt, possint manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere pluviale? Item: An liceat ipsis in Officio solemni Matutini et Laudum nunquam se pluviali induere et incensare Altare?

Dubium XI. An toleranda sit consuetudo Canonicorum aliorumque in Choro praesentium nunquam cooperiendi caput dum divina Officia peraguntur?

Dubium XII. An, vi assertae consuetudinis, possit unusquisque Canonicus singillatim uti cappa et mozzetta, tum extra Metropolitanam tum etiam extra Dioecesim?

Dubium XIII. Utrum ferri possit consuetudo plurium Ecclesiarum huius Archidioeceseos, et praesertim Regularium, asservandi Sanctissimam Eucharistiam in duobus aut tribus Altaribus; et nonnunquam occasione novemdialis aut alicuius Festivitatis transferendi etiam in aliud Altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur?

Dubium XIV. Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi Sanctissimum Sacramentum, tum in Ecclesiis Regularium tum in iis in quibus adest indultum Apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinarii licentia?

Haec porro dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum suum scriptis dederat, quum Emus et Rmus Dnus Card. Prosper Caterini retulerit in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Negative, in omnibus ».
Ad II. « Negative ».
Ad III. « Negative ».
Ad IV. « Negative ».
Ad V. « Negative ».
Ad VI. « Servetur Caeremoniale ».
Ad VII. « Negative ».
Ad VIII. « Negative ».
Ad IX. « Negative; nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda ».
Ad X. « Negative, ad utramque partem ».
Ad XI. « Affirmative, pro iis qui sacris paramentis non sunt induti ».
Ad XII. « Negative; et detur Decretum diei 31 Maii 1817 in una Dubiorum, in responsione ad dubia additionalia ad tertium ».
Ad XIII. « Negative ».
Ad XIV. « Negative ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 14 Martii 1861.

3105. BRIOCEN. (5312)

Vicarius Generalis Rmi Episcopi Briocen. a Sancta Sede haec tria dubia declarari humillime postulavit circa Ordinationem Presbyterorum; nimirum:

I. An post impositionem manuum, dicta (manu extensa) super illos Oratione: *Oremus fratres carissimi coelestia dona multiplices etc.* et dictis: *Oremus, Flectamus genua, Levate,* debeant denuo Pontifex et praesentes Sacerdotes manum extendere super Ordinandos, dum dicitur *Exaudi nos quaesumus?*

II. An ab Episcopo, antequam Communionem conferat Presbyteris, in Ordinum collatione dicenda sint illa verba: *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam?* Ratio dubitandi est quod iam Presbyteri cum Episcopo dixerunt:

Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

III. An Episcopus tenens manus iunctas Presbyteri Regularis, debeat his verbis: *Promittis Pontifici,* vel *Praelato Ordinario tuo pro tempore existenti etc.* addere *et eius successoribus?*

Sacra porro Rituum Congregatio, suprascriptis dubiis accurate consideratis, rescripsit:

Ad I. « Detur Decretum in *Anicien.* diei 18 Februarii 1843 ».

Ad II. « Servetur Rubrica Pontificalis Romani ».

Ad III. « Servetur formula a Pontificali Romano praescripta ».

Die 14 Martii 1861.

3106. NEOPORTEN. (5313)

Dum innotuit Rmo Episcopo Neoporten. quod in quodam Altari fixo suae Dioecesis lapis pro sigillo sepulcri Reliquiarum inserviens, ob defectum calcis qua conglutinabatur, amplius sepulcro non haerebat; ipse ut rem melius exploraret, lapidem ipsum manu sua movit, et cum reipsa solutus esset de situ, sublevavit; Reliquias tamen nullo modo tetigit vel dimovit: deinde lapidem reposuit. Quibus expositis a S. Sede declarari humillime postulavit:

I. An Altare, de quo supra, consecrationem amiserit?

II. An debeat denuo consecrari, vel sufficiat sigillum denuo conglutinare et claudere?

III. In casu quo sigillum tantum debeat iterum reponi, an calx qua conglutinatur, debeat benedici, prout fit in consecratione Altaris?

Et Sacra Rituum Congregatio, dubiis ipsis accurate perpensis, rescribendum censuit: « Altare, de quo in precibus, nova consecratione indigere ».

Die 14 Martii 1861.

3107. CARCASSONEN. (5314)

Quum Rmus Episcopus Carcassonen. a S. Sede sequentia duo dubia declarari humillime postulaverit; nimirum:

I. Capitulum Cathedralis Ecclesiae Carcassonen. sub invocatione Sanctorum Nazarii et Celsi Titularium prioris Ecclesiae, nunc residet ex dispositione s. m. Pii Papae VII in Ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli. Quaeritur: An Capitulum Ecclesiae Carcassonen. debeat celebrare Festum S. Michaelis Archangeli cum octava?

II. An addenda sit Commemoratio S. Michaelis Archangeli Suffragiis communibus ante vel post commemorationem SS. Nazarii et Celsi Dioecesis Patronorum?

Sacra Rituum Congregatio, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative; et commemorationem S. Michaelis Archangeli praecedere debere etiam illam Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ».

Die 14 Martii 1861.

3108. SANCTI MARCI. (5315)

Inter cetera postulata Sacrae Congregationi Concilii a Pro-Vicario Dioecesis S. Marci in Regno utriusque Siciliae proposita, quum nonnulla dubia accenserentur Rubricas, Ritus, Caeremonias unice respicientia; horum examen ab eadem Sacra Congregatione Concilii diebus 8 Maii et 16 Novembris superioris anni 1860, commissum fuit huic Sacrae Rituum Congregationi. Declarari itaque idem Pro-Vicarius expetiit:

I. In Officiis Ss. Conf. Pontif. et non Pontif., perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus, debet nec ne mutari tertius versus Hymni Matutini?

II. In Vigiliis et quatuor Temporibus, quando post Nonam dici debet Missa Conventualis, recitata Nona, vel adhuc non dicta Nona, debetne concludi Divinum Officium cum recitatione Antiphonae finalis B. M. V. et celerarum precum, non exclusa Oratione *Sacrosanctae etc.?*

III. In Missa Conventuali potest ne tolerari, ut assistens seu serviens de Altari sit Laicus? et quatenus debeat esse Clericus, hunc decet nec ne se parare cotta? (1)

IV. An in Exequiis ad Tumulum liceat cantoribus incipere Responsorium: *Libera me Domine,* antequam Sacerdos celebrans compleat legere ultimum Evangelium Missae, et se exuat Planeta et Manipulo, et se induat pluviali ac se sistat in castro doloris?

V. Quonam in loco praefatus Celebrans debeat se exuere Planeta et Manipulo ac assumere pluviale?

VI. In expositione SSmi Eucharistiae Sacramenti, dum a Sacerdote benedictio fidelibus impertitur, debet nec ne Thuriferarius incensare SSmum?

(1) E. Dub. IV.

VII. An in Matutino Sacratissimae Noctis Nativitatis Domini debeant praeintonari Antiphonae?

VIII. Quinam debeant cantare septimam et octavam Lectionem III Nocturni in praefatis Matutinis, interveniente Revmo Episcopo?

IX. Pro faciendo Mandato in Coena Domini debet nec ne tolerari arbitrium lavandi pedes tredecim opulentis Fratribus Sodalitatis SSmi Sacramenti Cathedralis, exclusis pauperibus?

X. An in Sabbato Sancto post Benedictionem Fontis Baptismalis, in actu redeundi ad Altare, liceat incipere Litanias omnium Sanctorum cantandas ante Altare?

XI. In Missa Sabbati Sancti super Altare paratum ad Festum debet nec ne tolerari magnum velamen nigrum Passionis Domini; ad hoc ut permittantur descensio et amotio illius velaminis in primo ictu tintinnabuli ad intonationem Hymni: *Gloria in excelsis etc.?*

XII. An in die Nativitatis Domini et in die Paschatis Resurrectionis immediate post peractum Officium matutinale et ante prandium, Canonicis liceat recitare Vesperas et Completorium, ratione lautioris prandii protrahendi illis diebus?

XIII. An sit officii Praefecti Chori in solemnitatibus Nativitatis et Paschatum curare, ut fiat syllabus seu catalogus, in quo describantur per ordinem omnes, ad quos de iure et consuetudine spectat peragere illas sacras Functiones?

XIV. An Tractus Missae Conventualis per integrum dici debeat a cantoribus?

XV. An cum dicitur Symbolum in Missa, sit intermiscendum Organum?

XVI. An Sacerdos in die Dominico celebraturus Missam cum assistentia Ministrorum, expleta functione aspersionis Aquae benedictae, debeat secedere Presbyterio, ubi existit credentia et stat scamnum Celebrantis et Ministrorum, et accedere ac introire retro Altare pro deponendo pluviali et assumenda Planeta?

Haec autem dubia, super quibus Sacra Rituum Congregatio voluit ut alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententiam suam scriptis panderet ac typis mandaret, ab Emo et Rmo Domino Card. Nicolao Clarelli Paracciani relata quum fuerint in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum eorumdem examen, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Dentur Decreta ».

Ad II. « Servetur Rubrica; et detur Decretum ».

Ad III. « Inservientem Missae Conventuali esse debere Clericum cum cotta ».

Ad IV. « Responsorium: *Libera me Domine* canendum non esse nisi finita Missa; et illud cantores incipiant cum Sacerdos fuerit pluviali indutus, et Subdiaconus cum Cruce ad pedes Tumuli pervenerit, etiam si castrum doloris adsit in medio Chori ».

Ad V. « In plano ad cornu Epistolae ».

Ad VI. « Non praescribi; et servandam consuetudinem locorum ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Spectare ad duos assistentes Episcopo ».

Ad IX. « In casu curandum, ut, non obstante consuetudine lavandi pedes opulentis Fratribus Sodalitatis Sanctissimi Sacramenti, eligantur potius, si fieri potest, tot pauperes; quod iuxta Caeremoniale Episcoporum videtur maiorem humilitatem et caritatem praeseferre ».

Ad X. « Episcopo non praesente, servandam Missalis Rubricam ».

Ad XI. « Dilata; et rem clarius explicandam ».

Ad XII. « Negative; et abusum, si adsit, penitus eliminandum ».

Ad XIII. « Catalogum pro omnibus Chori functionibus disponendum a Caeremoniarum Magistro, et approbandum a prima Dignitate seu Praefecto Chori ».

Ad XIV. « Tractum integre canendum, quum Organum non pulsatur ».

Ad XV. « Symbolum integre canendum, etiamsi pulsetur Organum ».

Ad XVI. « Servandam consuetudinem ».

Atque ita rescripserunt et servandum mandaverunt.

Die 7 Septembris 1861.

3109. NULLIUS (5317)
MONTIS CASSINI.

In Civitate S. Germani, quae subest iurisdictioni Rmi Abbatis Montis Cassini, praeter pervetustum Canonicorum Collegium in Ecclesia matrice, alterum quoque non multis ab hinc annis Presbyterorum Collegium in Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo institutum fuit. Quum autem ob hanc institutionem a Clero receptitio Ecclesiae de Monte Carmelo mota fuerit quaestio circa praecedentiam et iura sibi competentia, idem Clerus receptitius datis pre-

cibus ad hanc Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia declarari petiit; nimirum:

I. An post institutionem Cleri receptitii, liceat Capitulo Collegiatae, quamvis non vocato, functiones sacras peragere in Ecclesia S. Mariae de Monte Carmelo, prout ante dictam institutionem servabatur; et an in associatione cadaverum, quae ad eamdem Ecclesiam deferuntur, possit Capitulum erigere propriam Crucem et prosequi exequias supra eadem cadavera?

II. An Clerus receptitius, non requisito Capituli Collegiatae aut Parochorum consensu, possit sacras Processiones ducere extra propriam Ecclesiam; et an possit in ipsis Processionibus elevare Crucem propriam absque velo appenso; vel saltem sine lacinia serica alba, quae usque nunc in signum subiectionis apparuit?

III. Quum Capitulum Collegiatae accedit ad Ecclesiam S. Mariae de Monte Carmelo, debet ne Clerus receptitius huius Ecclesiae cedere locum digniorem et proprium stallum Capitulo Collegiatae? In Missa autem solemni, praesente cadavere a proprio Parocho in eadem Ecclesia celebranda, cum assistentia Capituli Collegiatae, quinam debeant ministrare in officio Diaconi et Subdiaconi? Clerus nempe receptitius vel Beneficiati seu ut aiunt *semicanonici* Collegiatae, sicut in more positum erat ante Cleri receptitii institutionem?

IV. Quando R̃mus Abbas Ordinarius functiones Pontificales exercet in dicta Ecclesia, erit ne praestanda assistentia R̃mo Ordinario a Clero receptitio?

V. In Cadaverum associatione, si vocatus sit ab haeredibus Clerus receptitius una cum Parocho defuncti, debet ne Parochus defuncti celebrare Missam et reliquas functiones peragere supra cadaver, etiam quando defunctus obierit extra limites Paroeciae, in qua sita est dicta Ecclesia, et locus sepulturae sit extra limites suae Paroeciae?

VI. An Parochus defuncti, intra cuius Paroeciae limites existit praedicta Ecclesia de Monte Carmelo, possit licite et libere functiones facere supra defunctorum cadavera, quae ad hanc Ecclesiam deferuntur? et an idem liceat Parocho, cuius Paroecia sita est extra limites eiusdem Ecclesiae?

VII. An Parochus alienae Ecclesiae, ac proinde Clero receptitio minime addictus, praeter emolumentum monetae Neapolitanae vigintiquinque obulorum (vulgo *grana*) ab haeredibus sibi debitum, possit etiam percipere emolumentum duplex prae illo, quo cuilibet ex Clero receptitio persolvitur in funerum associatione?

VIII. Etsi Parocho debetur duplex emolumentum prae Clero receptitio, ut in dubio praecedenti; debet ne saltem idem Parochus dividere cum participantibus Cleri receptitii emolumentum 25 obulorum quod ipsi tantum persolvitur ab haeredibus defuncti?

IX. Potest ne Parochus haeredibus defuncti prohibere ne functiones supra cadaver peragantur in aliena Ecclesia, antequam cadaver ad locum sepulturae deportetur?

X. Licet ne Rectori Cleri receptitii induere Stolam in Processionibus?

XI. Si Parochus ius habet celebrandi Missam solemnem supra defunctorum cadavera in dicta Ecclesia de Monte Carmelo deposita, potest ne hoc in casu committere huius celebrationem alteri Presbytero sibi beneviso; vel tenetur illam committere Oeconomo Paroeciae vel Vice-Parocho?

XII. Et quatenus Parochus hoc iure perfruatur, idem ne dicendum erit in funere Confratris vel Consororis scapulari B. Virginis accensitae, pro quibus Clerus receptitius Missam solemnem celebrare tenetur?

Haec porro dubia, super quibus Sacra Rituum Congregatio iamdiu informationem requisierat R̃mi Ordinarii Montis Cassini, ac postea sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis redditam typisque cusam, quum Ẽmus et R̃mus D̃nus Card. Ioseph Bofondi causae Relator proposuerit in Ordinario Coetu Sacrae eiusdem Congregationis hodierna die ad Vaticanum coadunata; Ẽmi et R̃mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribere rati sunt:

Ad I. « Affirmative; et Capitulum Collegiatae Matricis manutenendum esse in possessione peragendi tum functiones sacras sibi benevisas, tum exequias supra cadavera defunctorum in Ecclesia B. M. V. de Monte Carmelo; quin Clerus receptitius huius Ecclesiae valeat aliquid innovare vel immutare in praeiudicium Capituli Collegiatae ».

Ad II. « Negative, nisi de consensu Ordinarii; et quoad velum, dentur Decreta ».

Ad III. « Affirmative, quoad primam partem; et quoad secundam, in ministerio pro Diacono et Subdiacono iidem inserviant, qui in Collegiata ad tale officium assumuntur ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Affirmative; et Exequiae supra cadavera in praelaudata Ecclesia de Monte Carmelo peragendae erunt a Parocho defuncti; cuius iurisdictioni subiacet defunctus, donec sepulturae non fuerit cadaver demandatum ».

Ad VI. « Spectare ad Parochum defuncti ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Negative; et servetur dispositio R̃mi Abbatis sub die 9 Septembris 1856, et die 28 Iunii 1857 ».

Ad IX. « Negative; sed exequiae super cadaver, si in aliena Ecclesia exequantur, peragendae sunt a Parocho defuncti ».

Ad X. « Negative ».

Ad XI. « Celebratio Missae in Exequiis supra cadaver spectat ad Parochum vel ad alterum Presbyterum, cui munus huiusmodi sit a Parocho commissum ».

Ad XII. « Exequiae, ut in dubio, peragi poterunt a Clero receptitio, postquam Parochus supra cadaver exequias expleverit, et cadaver ipsum sepulturae traditum fuerit ».

Atque ita rescripserunt ac servari omnino mandarunt.

Die 7 Septembris 1861.

3110. SANCTI MARCI. (5318)

Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis Sancti Marci in Regno utriusque Siciliae, illiusque Dioeceseos pro-Vicarius Generalis, humillimis precibus a Sacra Rituum Congregatione instanter petiit, ut sententiam suam aperire dignaretur super dubiis quae sequuntur; nimirum:

Dubium I. Contra Rescriptum Sacrae Congregationis Concilii diei 13 Aprilis 1720 ad Dubium secundum, Canonici habitu Canonicali induti tenentur ne assistere in aula Episcopali, et associare Episcopum, qui in mantelletta procedit de aula in Cathedralem?

Dubium II. An Hebdomadarius et ceteri omnes existentes in Choro teneantur surgere, quando a Dignitatibus, Canonicis et Presbyteris participantibus intonantur Antiphonae?

Dubium III. In benedictionibus Lectionum Hebdomadarius et omnes alii de Choro tenentur ne surgere?

Dubium IV. An Canonicus Hebdomadarius celebraturus Missam solemnem, post aspersionem Aquae benedictae in die Dominico faciendam, possit in plano seu in medio Altaris et ante gradus eius se expoliare pluviali et induere Casulam, de scamno vel credentia excipiendam?

Dubium V. Praedicto in casu Canonicus Hebdomadarius toto rigore debet ne accedere ad scamnum vel ad credentiam, ibique se expoliare pluviali et induere Casulam?

Dubium VI. An ad Vesperas solemnes, praeter Altare Chorale ubi Sanctissimum Sacramentum non existit, thurificari debeat Altare in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur?

Dubium VII. An sonus Organi toto rigore possit intermisceri cum cantu, quando in Missa solemni seu Pontificali integer Symbolus in notis seu in cantu Gregoriano et firmo, cantatur in Choro?

Dubium VIII. Preces feriales ad Vesperas et ad Laudes diebus ieiuniorum dicendae debent ne concini per depressionem vocis a *fa* ad *re;* vel Hebdomadarius debet uti voce uniformi?

Dubium IX. Hebdomadarius debetne surgere et stare in recitandis Orationibus, quae dicuntur post Preces feriales?

Dubium X. In cantu Passionis textus Evangelicus potestne cantari ab Organista, maxime si sit Clericus minorista vel Subdiaconus?

Dubium XI. In Officio Feriae VI in Parasceve nuda Cathedra seu faldistorium Episcopi quonam in loco ponendum est?

Dubium XII. In Missa Sabbati Sancti dum a Celebrante intonatur cantus Hymni Angelici, permittenda ne est descensio panni seu velaminis Passionis super Altare paratum ad Festum; ita ut habeatur aliquid ludicrum atque illusorium apud fideles, propter illam subitam atque scenicam mutationem ornatus et status Ecclesiae, cuius fores seu fenestrae tunc temporis simul aperiuntur?

Dubium XIII. Quum per totam Octavam in Festo Sanctissimi Corporis Christi fuerit solitum ponere super Altare Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento discooperto tempore recitationis Vesperarum et ceterorum Divinorum Officiorum; licet ne ad libitum nunc discooperire et nunc cooperire illud?

Dubium XIV. In actu expositionis Sanctissimi Sacramenti debet ne cani aliquid a Choro seu Celebrante?

Dubium XV. Ecclesiasticis, et praesertim Canonicis paratis, in associatione defuncti Sacerdotis, licet ne deferre eius feretrum; vel saltem deferre fimbrias panni mortuarii?

Dubium XVI. In die depositionis defuncti debentne dici tres Nocturni Officii defunctorum? (1)

Dubium XVII. In Exequiis, etiam in Anniversariis, antequam finiatur lectio secundi Evangelii Missae et priusquam Celebrans paratus pluviali accedat ad Tumulum, Cantores possuntne incipere cantum: *Libera me Domine;* vel expectare debeant, donec Archidiaconus prima Dignitas tempore debito et convenienti praecinuerit, vel signo ordinaverit cantum?

Dubium XVIII. Quinam Ecclesiae locus praeparandus sit pro faciendo mandato in Coena Domini?

Dubium XIX. Canonicus solemniter celebrans Vesperas et Laudes debetne habere coram se scamnum vel Lectorile ornatum tapete cum libro, in quo intonet Antiphonas, Hymnum et Capitulum?

Dubium XX. Ita ne intelligendus est ductus duplex thuribuli, quo Diaconus in Choro incensare debet singulos Canonicos, ut unusquisque ductus debeat perfici duplici ictu?

Dubium XXI. Episcopus, habens habitum cameralem et privatim assistens Missae solemni aut expositioni Sanctissimi Sacramenti Altaris, debet ne ponere incensum in thuribulo?

Dubium XXII. In proposito casu, Diaconus et Subdiaconus in Missa assistentes debent ne petere benedictionem seu permissionem pro canendo Evangelio et legenda Epistola? Rursus debetur ne eidem Episcopo delatio Evangelii pro eo osculando, incensatio etc.?

Dubium XXIII. Archidiacono, seu primae Dignitati, competit ne intimare *Pater noster*, et indicere nutu, ut incipiatur *Domine labia mea aperies* vel *Deus in adiutorium meum intende?* Item ad Primam dicere *Dies et actus nostros* atque *Adiutorium nostrum;* ad Completorium: *Noctem quietam, Benedicat et custodiat;* et in fine Horarum et Matutini: *Dominus det nobis?* Denique antequam per ipsum detur finis Divini Officii, potestne aliquis, expleta functione, a Choro egredi?

Dubium XXIV. Canonicus in Choro et in proprio stallo potestne uti pulvinari vulgo dicto *cuscino di pelle?*

Haec porro dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum protulit votum typis etiam vulgatum, quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani proposuerit in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Negative; ac serventur Caeremonialis leges et Decreta ».

Ad II. « Omnes debere surgere, praeter Hebdomadarium paratum; nisi adsit consuetudo ut una pars tantum assurgat ».

Ad III. « Tenetur Hebdomadarius semper surgere: et alii de Choro tenentur, quando Officium solemniter cantatur ».

Ad IV. « Affirmative; nisi adsit Episcopus ».

Ad V. « Provisum in praecedenti ».

Ad VI. « Affirmative; quando Episcopus Vesperas non persolvit ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Detur Decretum in una Montis Politiani diei 9 Maii 1739 ».

Ad IX. « Affirmative ».

Ad X. « Negative ».

Ad XI. « Faldistorium ponendum in primo gradu Altaris in Cornu Epistolae versa facie ad cornu Evangelii, ad formam Caeremonialis Episcoporum, lib. 2, cap. 25, § 10 ».

Ad XII. « Negative; et exclusa quavis scenica repraesentatione, Altaris imago contecta sit velo simplici violaceo ad formam Caeremonialis, demittendo ad hymni Angelici intonationem iuxta usum Ecclesiarum ».

Ad XIII. « Negative ».

Ad XIV. « Cantus in actu expositionis permitti tantum potest iudicio Episcopi ».

Ad XV. « Negative ».

Ad XVI. « Affirmative; nisi accedant rationabiles causae a Rituali indicatae ».

Ad XVII. « Quoad primam dubii partem provisum per resolutionem diei 7 Septembris 1861 in responsione ad dubium IV. Quoad secundam partem, spectare ad Caeremoniarum Magistrum dare signum Cantoribus ut Responsorium incipiant ».

Ad XVIII. « Nisi Ecclesia tam ampla sit, ut in quodam Sacello lotio pedum exequi possit absque ullo irreverentiae periculo erga Sanctissimum Sacramentum expositum; Mandatum faciendum erit in Sacrario, aut in alio Cubiculo prope Ecclesiam ».

Ad XIX. « Affirmative; et servetur Caeremoniale ».

Ad XX. « Affirmative ».

(1) E. Dub. XVII.

Ad XXI. « Negative ».

Ad XXII. « Negative ad utrumque ».

Ad XXIII. « Quoad quaestionem primam: Affirmative, quando Hebdomadarius non est Canonicus sed inferior de Clero. Quoad quaestionem secundam: Servandam consuetudinem. Quoad quaestionem tertiam: Affirmative ».

Ad XXIV. « Negative ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandaverunt.

Die 22 Martii 1862.

3111. QUITEN. (5319)
CONCHEN.
GUAYAQUILEN.

R̃mi Vicarii Capitulares Dioecesium Quitensis, Conchensis, Guayaquilen. memorantes s. m. Gregorium XIII in sua Bulla *Pastoralis officii cura* data die 30 Decembris 1573, relate ad aspersionem cum Aqua benedicta in Dominicis praemittendam Missae solemni, concessisse Ecclesiis quibus exemptiones et privilegia in ipsa Bulla expressa attribuit, quod Antistes seu alia persona principalis celebrans Missam Conventualem praedictam aspersionem facere non teneatur, sed illam facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco, et quod talis Sacerdos non deferat pluviale, sed Albam et Stolam; nec praecedat associatus cum Ministris, sed solum cum Acolythis; iam ab anno 1860 a Sacra Rituum Congregatione humillime declarari postulaverunt: An in illis Cathedralibus, diebus intra annum solemnioribus, non celebrante Antistite in Pontificalibus, sed eius loco Missam Conventualem cum cantu celebrante alia persona principali, sub generico titulo *persona principalis* intelligendi sint etiam Canonici, vel dumtaxat solae Dignitates earumdem Ecclesiarum Cathedralium?

Eiusmodi porro quaestionem, super qua alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum typis cusum edidit votum, quum Em̃us et R̃mus D. Card. Antonius Maria Panebianco proposuisset in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis; Em̃i et R̃mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, rescribendum censuerunt: « Intelligi Capituli Dignitates; et ipsis celebrantibus, aspersio fiat per Presbyterum ».

Die 22 Martii 1862.

3112. PALMAE (5320)
IN BALEARIBUS.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Palmae in Balearibus a Sacra Rituum Congregatione sequentia tria dubia declarari humillime petiit.

Dubium I. Quum leges municipales prohibeant quominus ad Ecclesiam deferantur cadavera defunctorum, ac proinde nunquam funera institui possint praesente cadavere; quaeritur: An, non celebrata Missa de Requie die sequenti non impedita, ea celebrari possit die vel tertia, vel septima, vel trigesima?

Dubium II. An ad celebrandam Missam de Requie, in duplici non impedito, diebus tertia, septima et trigesima requiratur quod defunctus sic ordinaverit in suo testamento, ut innuunt aliqui Auctores; vel potius sufficiat voluntas consanguineorum, amicorum vel testamenti executorum?

Dubium III. An in solemnitatibus Nativitatis, Paschae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi in Missa solemni cantata coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, apponi debeat commemoratio Sanctissimi Sacramenti; vel potius sufficiat unica Oratio de solemnitate?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, propositis dubiis accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « In casu, diebus etiam Festivis de praecepto et duplicibus secundae classis, permittitur una Missa solemnis de Requie cum absolutione et precibus quae in die obitus fieri et recitari solent, etiamsi cadaver ob civiles praescriptiones non sit praesens in Ecclesia; sed adhuc insepultum, qua decet religione, servatur in loco decenti: apposito tamen in Ecclesia lodicis seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur, ut fideles intelligant Missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius defuncti, cuius corpus traditum terrae adhuc non fuit, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; dummodo sermo sit de Missa cantata ».

Ad III. « Servandam Instructionem a s. m. Clemente Papa XII datam Calendis Septembris 1730 pro Oratione Quadraginta Horarum ».

Die 22 Martii 1862.

3113. VALENTINA. (5321)

Rm̃us Dominus Marianus Barrio y Fernandez Archiepiscopus Valentin., cupiens ut in sua Dioecesi quoad fieri potest in explendis sacris functionibus omnia procedant ad praescriptum canonicarum sanctionum, a Sacra Rituum Congregatione sequentia dubia declarari petiit; nimirum:

Dubium I. Potestne tolerari praxis, quod in Missa solemni, praeter cantum ipsius Missae, cantetur in Choro a musicis aliqua laus vulgo dicta *aria,* sermone vernaculo?

Dubium II. Potest ne retineri praxis sedendi in Choro, dum in fine Psalmorum dicitur *Gloria Patri?*

Dubium III. Dum in Choro coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito solemniter persolvuntur Horae Canonicae, propter nimiam diuturnitatem ab Ecclesiae legibus permittitur ut Chorales sedeant; extenditur ne eiusmodi permissio etiam ad cantum *Gloria Patri* in fine Psalmorum?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, referente subscripto Secretario, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et abusum eliminandum ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Martii 1862.

3114. SANCTI PAULI DE MINNESOTA. (5322)

Rm̃us Dominus Thomas Grace Episcopus Sancti Pauli de Minnesota a Sacra Rituum Congregatione sequentia dubia declarari humillime petiit; nimirum:

I. Quum Patronus seu Titularis Ecclesiae illius Cathedralis sit Sanctus Paulus Apostolus; quaeritur: An Festum Titularis seu Patroni recoli debeat die 29 Iunii, qua Festum occurrit Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; vel potius sequenti die 30 eiusdem mensis, qua Commemoratio agitur Sancti Pauli Apostoli?

II. An tolerari possit mos in multis Ecclesiis existens, quo Sacerdos ante Missam Conventualem graditur per Ecclesiam, incipiens a parte Epistolae et rediens per partem Evangelii, interim aspergens populum cum Aqua benedicta? an potius aspersio Aquae benedictae facienda omnino sit per Sacerdotem stantem in aditu Sanctuarii, et inde ter populum in medio, a dextris et a sinistris aspergentem?

III. Ob Clericorum paucitatem impossibile evadit, ut iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum, Diaconi assistentes adhibeantur in Missa pontificaliter ab Episcopo celebranda. Insuper decet, ut in solemnioribus Festis Episcopus ita celebret; et contrarium populo in scandalum foret. Quaeritur inde: An iis in adiunctis liceat Diacono et Subdiacono Missae locum supplere Diaconorum assistentium?

IV. Etsi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX potestas facta fuerit Episcopo Sancti Pauli de Minnesota Feria V in Coena Domini sacra Olea conficiendi cum Sacerdotibus qui haberi poterunt; evenit interdum, ut duo tantum vel tres ad summum haberi possint Sacerdotes, qui etiam Episcopo solemniter celebranti in Diaconali et Subdiaconali Officiis inserviunt; ceteris, ob longitudinem itineris et necessitatem populorum pro Festis Paschalibus rite et devote celebrandis praeparandorum, Cathedrali assistere omnino impeditis. Quaeritur ergo: An, stante supra enunciata Pontificia dispensatione, cum tam exiguo Sacerdotum numero eadem Feria Olea sacra consecrari possint?

V. Est ne omnino necessarium ut Olea Feria V in Coena Domini consecranda debeant esse recentia ex. gr. ultimi anni?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et strictim servandam Rubricam in Breviario appositam ante Festum Sancti Pauli Apostoli ».

Ad II. « In casu servandam consuetudinem ».

Ad III. « Affirmative, attenta necessitate ».

Ad IV. « Stante exposita necessitate, posse ».

Ad V. « Negative; seu non esse necessarium ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Martii 1862.

3115. RUPELLEN. (5323)

Quum SSm̃us Dominus Noster Pius Papa IX clementer deferens votis Rm̃i Episcopi Rupellensis die 19 Octobris anni 1860 de speciali gratia concesserit Vicariis Gene-

ralibus eiusdem Episcopi, nec non Canonicis Titularibus non minus quam Honorariis illius Ecclesiae Cathedralis, privilegium deferendi Crucem inauratam super vestes Chorales; non una est eorumdem Canonicorum sententia relate ad extensionem huius privilegii: ex eis enim aliqui tenent per vestes Chorales intelligi tantum posse rochettum et mozzettam, exclusis paramentis sacris nempe pluviali, Casula, Dalmatica et Tunicella, ac proinde Crucem concessam deferri minime posse a Canonicis paratis; alii e contra sustinent per Chorales vestes intelligi posse quidquid in Choro a Canonicis defertur; ac proinde usum Crucis concessae extendunt etiam ad Canonicos paratos. De facto tamen omnes huc usque unanimes se abstinuerunt ab assumenda Cruce, dum sacris vestibus indui debuerunt; ac interim a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime postulaverunt:

I. An per vestes Chorales intelligi debeant rochettum et mozzetta tantum; vel, praeter mozzettam et rochettum, Sacra etiam Paramenta, quae Canonici Episcopo celebrante deferunt ad normam Caeremonialis?

II. An, posito quod per vestes Chorales intelligenda sint etiam Sacra Paramenta, Crux ex privilegio concessa deferri possit a Canonicis sive simpliciter paratis in Choro sedentibus, sive assistentibus vel ministrantibus Episcopo celebranti?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 22 Martii 1862.

3116. ROMANA. (5324)

Quum nec Missalis nec Ritualis Rubricae determinent numerum genuflexionum, quae a Sacerdote fieri debent, dum ad Altare revertitur cum Sanctissimo Sacramento post distributam fidelibus Sacram Communionem; alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris de sententia desuper requisitus, post accuratum omnium examen, censuit regulam in casu desumendam a Rubricis determinantibus duplicem genuflexionem, antequam Sacerdos Communionem ipsam administret; nimirum: primam, antequam extrahat a Tabernaculo Pyxidem; alteram vero, post discoopertam super Altare eamdem Pyxidem. Quum enim agatur de cultu debito Sanctissimae Eucharistiae congruum profecto est, ut eodem prorsus modo iste cultus praestetur a Sacerdote ad Altare redeunte; nimirum: genuflectendo primo, antequam Pyxidem cooperiat; et iterum, postquam illam in Tabernaculo recondidit, et antequam Tabernaculi ostiolum claudat.

Hanc porro sententiam, quum subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius retulerit in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum subsignata die ad Vaticanum coadunato; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *Placere, seu iuxta votum Magistri Caeremoniarum;* ac proinde decreverunt: « A Sacerdote redeunte ad Altare post fidelium Communionem, genuflectendum antequam cooperiat Sacram Pyxidem; et iterum genuflectendum antequam, Pyxide in Tabernaculo reposita, ipsius Tabernaculi ostiolum claudat ».

Atque ita ubique servandum mandarunt. Die 23 Decembris 1862.

3117. DE AREQUIPA. (5325)

Rmus Dominus Bartholomaeus Herrera Episcopus de Arequipa a Sancta Sede declarari petiit: 1. Anne Capitulares Cathedralis de Arequipa, stante ab ipsis allegata consuetudine, possint in praedicatione Verbi Dei adhibere Stolam et pluviale? Et quatenus affirmative,

2. An id possint vi supra expressae consuetudinis, etiam praesente proprio Episcopo?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario rescribendum censuit: « Dummodo adsit consuetudo, nihil obstare quominus ipsa retineatur ».

Die 23 Decembris 1862.

3118. ORDINIS CARTHUSIANORUM. (5326)

Quum in quibusdam Ecclesiis, in Gallia praesertim, inter Sacerdotalia Paramenta pro Missa celebranda Cingula lanea adhibeantur, Procurator Generalis Ordinis Carthusianorum a Sancta Sede declarari petiit, num Cingula ex lana adhiberi licite valeant in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die

die coadunata, referente subscripto Secretario, re attente considerata, rescribendum censuit:

« Nihil obstare, quominus Cingula in precibus enunciata adhiberi possint ».

Die 23 Decembris 1862.

3119. URBIS ET ORBIS. (5328)

PIUS PP. IX

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod iampridem ab hac Apostolica Sede communia fidelium vota precesque postulaverant, quodque ad augendam in terris Beatissimae Genitricis Dei gloriam maxime pertinebat, id Nos tandem divino afflante Spiritu praestitimus, quum sexto Idus Decembris Anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti in Patriarchali Basilica Nostra Vaticana, frequentissima adstante S. R. E. Cardinalium et Sacrorum Antistitum corona, pronunciavimus, declaravimus ac definivimus: *Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari Dei Omnipotentis gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi Redemptoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.* Difficile porro dictu est quanto exinde gaudio perfusi fuerint universi Catholici Orbis Antistites cum Clero suo, nec non Principes viri ceterique cuiuscumque ordinis fideles, quippe qui inflammato studio ducti, honore debito prosequendi immaculatam Virginem Genitricem Dei Mariam maiorum exempla aemulati, idipsum novissima hac aetate iteratis precibus ab hac Sancta Sede imploraverant. Nos quidem vix dum ad universae Ecclesiae regimen, meritis licet imparibus, evecti fuimus, id praecipue curavimus ut secundum Ecclesiae vota ea perageremus quae ad augendum Deiparae Virginis cultum pertinerent, utque excellentissimae illius dotes et collata divinitus privilegia atque ornamenta fidelium oculis clarius nitescerent; qua de causa novum ecclesiasticum Officium novamque Missam approbavimus, ut solemnius celebraretur Festum Beatissimae Virginis sine labe originali conceptae; atque ita arcano Dei consilio, non intermissis huiusmodi curis, via quodammodo sterni visa est ad solemne edendum Decretum, quod de immaculato Deiparae conceptu memorata die atque anno pronunciavimus. Veruntamen, quoniam necessarium esse novimus ut cum lege credendi lex conveniat supplicandi, idcirco eo curas Nostras convertimus ut novum conderetur Officium cum nova Missa, tam in Vigilia quam in Festo Immaculatae Conceptionis, quibus singula haec ex ordine recolantur et faustissimi eventus series futuris in posterum aetatibus innotescat. Iamvero, quum huiusmodi opus ad optatum exitum perductum sit, memoratum Officium Missamque respondentem, de consilio peculiaris Congregationis Sacrorum Rituum ad id apposite per Nos deputatae, Auctoritate Nostra Apostolica approbandam existimavimus. Itaque de eiusdem Congregationis consilio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra idem Officium Missamque Officio respondentem, nec non Missam pro Vigilia Immaculatae Conceptionis Auctoritate Nostra Apostolica per praesentes Litteras probamus, eademque Auctoritate praecipimus, ut hoc unice Officium et Missam quicumque de Clero Seculari et Regulari, non exclusis Monialibus, ad Horas Canonicas persolvendas quocumque titulo teneantur, assumere debeant; Romae quidem, atque ubi fieri commode possit, hoc ipso anno vertente, alibi vero sequenti anno 1864, sub poena Divini Officii onus minime adimplendi. Ne quis vero reputet peculiari quocumque titulo etiam speciatim designando huiusmodi generali praescriptione minime comprehendi, Auctoritate Nostra Apostolica abolemus et proscribimus quodcumque aliud Officium et quamcumque aliam Missam de Immaculata Conceptione, etiam si sint ritus a Romano diversi, ac licet singulari privilegio concessa fuerint, etiam cuicumque Ordini Regulari; ac iubemus ut in novis editionibus Breviarii et Missalis hoc unice apponatur Officium in corpore Breviarii, et Missa imprimatur in corpore Missalis die 8 Decembris. Et quoniam nonnullae Regularium Familiae ritum servant a Romano diversum, volumus ut ipsae quantocius exhibere teneantur Congregationi Sacrorum Rituum pro opportuno examine et revisione additiones aut variationes proprio ritui respondentes. Haec volumus, iubemus, mandamus, contrariis, speciali licet atque individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 25 Septembris 1863, Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

N. Card. Paracciani Clarelli.

3120. DECRETUM GENERALE. (5329)

Postquam seculo XVI laboribus praesertim et studiis Antonii Bosii iterum Sacra suburbana patuere Coemeteria, quae a seculo VIII exeunte Summorum Pontificum cura penitus interclusa remanserant, ne barbari Romanum solum devastantes ibi aliquam inferrent profanationem, in iis conquiri coeperunt Martyrum Corpora, quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita. Tutissimum dignoscendi Sacra haec pignora Signum a maiorum traditione receptum erant Phialae vitreae vel figulinae cruore tinctae, aut crustas saltem Sanguineas occludentes, quae vel intra vel extra loculos sepultorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit Viris eruditis alias praeter Sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant. Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, placuit Clementi IX Summo Pontifici singularem deligere Congregationem, quae ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque doctissimis Viris constaret, eique hac super re gravissimum commisit examen. Haec Congregatio, quae postea a Sacris Reliquiis et Indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis die 10 Aprilis anni 1668 Decretum hoc tulit: « *Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita de Notis disceptaretur ex quibus verae Sanctorum Martyrum Reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint; eadem Sacra Congregatio, re diligenter examinata, censuit: Palmam et Vas illorum Sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse; aliorum vero Signorum examen in aliud tempus reiecit* ». Decretum huiusmodi duorum fere seculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente seculo nonnulli selecti Scriptores de Phialae Sanguineae Signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV auctoritas obstitit, quum in Literis Apostolicis ad Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis de Sancto Proco Martyre ex Coemeterio Thrasonis cum Vase Sanguinis effosso edoceret: « *Ipsi debetur cultus et titulus Sancti, quia procul dubio, ut eruditioni vestrae notum esse debet, nulli unquam venit in mentem, quamtumvis acuto ingenio is fuerit et cupidus quaerendi, ut aiunt, nodum in scirpo; nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod Corpus in Catacumbis Romanis inventum cum Vasculo Sanguinis aut pleno aut tincto, non sit Corpus alicuius qui mortem pro Christo sustinuerit* ». At nostris hisce diebus alii supervenere Viri eruditione aeque pollentes, et in sacrae Archeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis vel etiam voluminibus editis, adversus Phialam Sanguineam utpote indubium Martyrii signum, decertarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa IX de Decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, quum videret tamen eruditorum difficultates in ephemeridibus, tum Catholicis tum heterodoxis, divulgari; ad praecavendum quodlibet inter fideles scandalum, sapientissime censuit ut huiusmodi difficultates in quadam peculiari Sacrorum Rituum Congregatione severo subiicerentur examini.

Peculiaris vero Congregatio haec ex nonnullis eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis Officialibus ac selectis Ecclesiasticis Viris pietate, doctrina, prudentia rerumque usu eximie praeditis constituta, prae oculis habens universam argumentorum seriem, nec non fidelem eiusdem Secretarii Relationem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die 27 Novembris vertentis anni duobus his propositis dubiis:

I. An Phialae vitreae aut figulinae Sanguine tinctae quae ad Loculos sepultorum in sacris Coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant Martyrii Signum?

II. An ideo sit standum vel recedendum a Decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum, diei 10 Aprilis 1668?

Respondit: Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ideoque declaravit: « Confirmandum esse Decretum anni 1668 ».

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX a subscripto Secretario accurata omnium expositione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, atque praesens Decretum expediri praecepit.

Die 10 Decembris 1863.

3121. PLURIUM DIOECESIUM. (5331)

Nonnulli R̃mi Galliarum Antistites, serio perpendentes in multis suarum Dioecesium Ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante Sanctissimum Eucha-

ristiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt num in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo.

Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus eiusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis.

Emi autem et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt: « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus ».

Die 9 Iulii 1864.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 14 iisdem mense et anno.

3122. SANCTI IACOBI DE CILE. (5332)

Quum nonnulli Capitulares Ecclesiae Metropolitanae Sancti Iacobi de Cile a Sacra Rituum Congregatione humillime declarari petierint:

I. An in recitatione Horarum Canonicarum in Choro sine cantu teneantur Chorales ad asteriscum pausam servare? et quatenus affirmative,

II. An consuetudo in contrarium retinenda sit prout obligatoria in casu?

Eadem Sacra Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunata, respondendum ad utrumque censuit: « Ad asteriscum in recitatione Horarum Canonicarum pausam omnino servandam; non obstante quacumque in contrarium consuetudine ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 9 Iulii 1864.

3123. LIBURNEN. (5335)

Ex interpretatione praepostera Litterarum Apostolicarum in forma Brevis diei 24 Septembris anni 1805, nonnulli ex Cappellanis Cathedralis Ecclesiae Liburnensis autumant sibi competere ius gestandi mozzettam Choralem etiam extra ipsam Cathedralem, quocumque in loco sacras functiones peragant vel iis assistant; quamvis functiones ipsae non sint muneris Cappellanorum. Quapropter Rmus D. Hieronymus Gavì Episcopus Administrator Ecclesiae Liburnen., ne eiusmodi praxis invalescat, a Sacrorum Rituum Congregatione declarari petiit: Num id tolerari possit.

Sacra autem ipsa Congregatio, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, omnibus ac praesertim iisdem Apostolicis Litteris s. m. Pii Papae VII accurate consideratis, rescribendum censuit: « Negative; et usum mozzettae Cappellanis Cathedralis Ecclesiae Liburnensis competere dumtaxat intra ipsam Cathedralem in sacris functionibus: et extra Cathedralem in iis tantum functionibus, quibus interesse debent cum universo Cathedralis Capitulo ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 9 Iulii 1864.

3124. DE NICARAGUA. (5336)

Rmus Dominus Bernardus Piñol Episcopus Nicaraguae vehementer sollicitus, ut quae ad sacram Liturgiam pertinent, omnia rite ac secundum ordinem fiant, cumque anceps haereret num quaedam consuetudines ab immemorabili tempore in Dioecesi sua existentes continuari possint; Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

I. Inter cetera privilegia, quibus religiosi Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum fruebantur, unum erat celebrandi Missam votivam solemnem de Beata Maria omnibus Sabbatis, non obstante quocumque Festo duplici in iis occurrente. Sed cum iamdiu in omnium rerum perturbatione extincta fuerit in hac Dioecesi Sacra Religio Beatae Mariae Virginis de Mercede, nonnullis de Clero Seculari fas visum est uti eodem privilegio in Ecclesiis ipsi Beatae Mariae Virgini de Mercede dicatis. Nunc autem ad dirimendam hac de re ortam controversiam Sacrorum Rituum Congregationem adire consultius censetur, ut declarare dignetur hoc ne

iure fiat? Et quatenus negative: expostulatur, ut pro gratia Clero Seculari ac Regulari Nicaraguensi concedere dignetur praedictum privilegium cantandi Missam votivam de Beata Maria in Ecclesiis eiusdem Beatae Mariae Virginis de Mercede omnibus Sabbatis, Solemnitatibus tantum exceptis iam a Sacra Rituum Congregatione enumeratis; nec non in eius Festo celebrandi ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias eiusdem Ordinis sive titulo Beatae Mariae Virginis de Mercede dedicatas confluentibus, Missam propriam quondam Regularibus concessam.

II. Utrum servanda sit consuetudo ab immemorabili invecta celebrandi in Altari, ubi publice discoopertum manet SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, praeter Missam expositionis, aliam, quae praecipua est, Solemnitatis, cuique magnus populi concursus adest; an potius tamquam abusus eliminanda, licet ex hoc fideles moerore afficiantur?

III. Quando in Altari maiori Ecclesiae Cathedralis palam adorandum exponitur Sanctissimum Sacramentum celebrari assuescitur praeter primam Missam pro exponendo et secundam quae Solemnitatis dicitur, alia tertia Missa quae Capitularis est. Sed dubitatur an huiusmodi usus permittendus sit; vel potius transferendus Chorus ad aliud Ecclesiae pronaum, ut ibidem Missa celebretur? quamvis hoc incongruum videatur, siquidem tunc populus ab adoratione SSm̃i Sacramenti diverteretur.

IV. Aliquando contingere solet infra octavam Corporis Christi vel aliis diebus, quod exposito SSm̃o Sacramento in Altari maiori Ecclesiae Cathedralis, occurrat praeter primam Missam de Festo, altera Conventualis de Vigilia sive de Feria decantanda in eodem Altari; quae quidem iuxta praescriptum Rubricarum celebrari debet in paramentis violaceis cantuque feriali et sine musica. Sed huiusmodi moestitia obsistere videtur pretioso festivoque decoramini in Caeremoniali Episcoporum pro Altari expositionis praescripto: proindeque dubitatur: Num servandus sit usus canendi praedictam Missam ferialem in Altari maiori, ubi expositum patet SSm̃um Sacramentum? et quatenus negative: Num eadem de causa prohiberi debeat SSm̃um Sacramentum patenter exponere in Quadragesima et Adventu, quando Missa de tempore celebratur?

V. Utrum retineri possit inveterata consuetudo exponendi per totam diem SSm̃um Sacramentum in iis Solemnitatibus quae scopum habent sive mysterium aliud ab Eucharistia, sive Festum Beatae Mariae Virginis aut alicuius Sancti; an potius, etsi invito populo, tamquam abusus extirpanda sit?

VI. Utrum permittendus sit usus palam exponendi SSm̃um Sacramentum antequam illucescat aurora et illud reponendi tempore nocturno; an potius prohibendus? Siquidem in hac re eadem videatur esse ratio, propter quam Sacrorum Rituum Congregatio vetuit ne fidelibus tribueretur Sacra Communio ante diluculum.

VII. Utrum tolerari possit in hac Dioecesi consuetudo canendi Hispano idiomate carmina aliosque similes modos musicos coram exposito SSm̃o Sacramento aut in eius Processionibus, cum contraria revera sit Bullae *Piae sollicitudinis* fel. rec. Alexandri VII aliisque Decretis Sacrorum Rituum Congregationis; an potius, quamquam populus moestaretur evellenda sit? Et quatenus negative ad primam partem; Num saltem consuetudo cantandi carmina vulgari sermone in Ecclesiis non exposito Sacramento, esto Divina Officia celebrentur nec ne, servari possit?

Haec vero dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum suum typis cusum dederat, relata quum fuerint ab Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Francisco Pentini in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Negative, ad primam partem; ad secundam, supplicandum Sanctissimo pro gratia iuxta preces in solis Ecclesiis ad Ordinem Beatae Mariae Virginis de Mercede iam pertinentibus ».

Ad II. « Attenta consuetudine immemorabili, tolerari posse ».

Ad III. « In casu, de quo agitur, ut in praecedenti ».

Ad IV. « Ad primam partem, Affirmative; ad secundam, Provisum in prima ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VI. « Ad primam partem, generatim Negative; ad secundam, Provisum in prima ».

Ad VII. « Attenta consuetudine, tolerari posse ».

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 27 Septembris 1864.

Facta postmodum de primo ex praedi-

ctis dubiis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, petitum Indultum iuxta preces benigne concessit. Die 1 Octobris eiusdem anni.

3125. NIVERNEN. (5337)

Quum Rmus Dominus Theodorus Augustinus Forcade Episcopus Nivernen. animadverterit sacrum Chrisma et Oleum Cathecumenorum, Feria V in Coena Domini benedictum, sibi non sufficere ad consecrationem trium Ecclesiarum et duodecim Altarium; a Sacrorum Rituum Congregatione supplicibus votis postulavit facultatem, vi cuius ad benedictionem aliorum Oleorum iterum, licet extra tempora, procedere valeat;

Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunato, omnibus mature perpensis, censuerunt: « Non esse indulgendam petitam facultatem; et Episcopus a vicinioribus petat Olea sacra ». Atque ita rescripserunt.

Die 27 Septembris 1864.

3126. TRECEN. (5338)

Rme Domine, uti Frater.

Exponens Amplitudo Tua saepe saepius contingere, ut instaurari debeant Altaria omni ex parte lapidea, sed ita ordinata ut Tabula lapidea super stipitem itidem lapideum ex utraque parte ponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur Capsae sacrarum Reliquiarum ita commode dispositae, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant; adnotare non praetermisit in Dioecesi ista Trecensi esse et alia Altaria fixa, quae omni ex parte super stipitem reponuntur, sed ab anteriori parte columnolis nituntur, quae stipitis locum habent circiter ad medietatem tabulae. Et quoniam ipsa Amplitudo Tua requisivit: Num Altaria eiusmodi comprehendantur in Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, in quo agitur de Altaribus vacuis? et quatenus affirmative, facultatem a Sancta Sede humillime postulavit istiusmodi Altaria consecrandi;

Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus accurate perpensis ac referente subscripto Secretario, per particulares has Litteras communicare censuit Amplitudini Tuae haec ipsa Altaria, supra expressa, consecrari posse; dummodo omni ex parte stipitibus adhaereant.

Quae dum pro mei muneris ratione exequor, Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae 20 Decembris 1864.

3127. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM SANCTI FRANCISCI. (5339)

Anno 1831 sub die 12 Novembris a Sacra Rituum Congregatione expetitum fuit, ut declarare dignaretur sequens dubium (quod est 40 in una Marsorum) his conceptis verbis: *Aliqui in recitatione divini Officii, tam in Choro quam privatim, signum Crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt et se inclinant, etiam in his locis in quibus nec Rubrica nec Missalis nec Caeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo: Quandonam haec omnia sint facienda, tam in publica quam in privata divini Officii recitatione?* Et Sacra Rituum Congregatio simpliciter respondit: « Serventur Rubricae ».

Quum vero per huiusmodi responsionem inducta minime fuerit exoptata uniformitas, ac diversae in re opiniones deducantur in praxi; Minister Provincialis Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Provinciae Ianuensis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo dubia declaranda proposuit; nimirum:

I. An Crucis signum ad *Magnificat* et *Benedictus* fieri debeat a solis Episcopis, specialiter commemoratis in Caeremoniali Episcoporum; vel ab omnibus recitantibus? et quatenus affirmative ad secundam partem,

II. An hoc signum Crucis fieri debeat semper, idest in quocumque Officio, etiam Defunctorum, tam in Choro quam extra Chorum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem subscripti Secretarii, utrumque dubium declarandum censuit, respondendo: « In casu signum Crucis ab omnibus faciendum, tam in Choro quam extra, iuxta laudabilem communem praxim, praesertim in alma Urbe servatam ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Decembris 1864.

3128. CAMBERIEN. (5341)

Emus et Rmus D. Cardinalis Alexius Billiet Archiepiscopus Camberiensis a Sacra Rituum Congregatione sequens dubium declarari petiit:

In Dioecesibus Sabaudiae opportunum visum est, ut illa Missa diebus Dominicis et Festivis applicetur pro populo, cui populus ipse adstare consuevit; et idcirco haec applicatio fit a Vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Hinc quaeritur:

I. An eiusmodi usus servari et retineri possit?

II. An potius applicatio fieri semper debeat a Parocho, etiam privatim celebrante?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, ad relationem infrascripti Secretarii et omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative, iuxta alias Decreta ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 20 Decembris 1864.

3129. OPPIDEN. (5342)

In Cathedrali Ecclesia Oppidensi usque ad annum 1838, diebus a Rubrica praescriptis, recitari consuevit Officium parvum Beatae Mariae Virginis vel Defunctorum vel Psalmos Graduales vel Psalmos Poenitentiales; quae tamen inde omissa fuerunt. Quum vero arbitraria huiusmodi omissio ad haec usque tempora perseveret; a Sacra Rituum Congregatione declarari petitur:

Utrum, attento diuturno spatio ferme triginta annorum, perseverare liceat in exposita omissione; an potius resumenda laudabilis consuetudo haec additionalia divino Officio in Choro persolvendi?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, ad relationem infrascripti Secretarii et omnibus accurate consideratis, rescribendum censuit: « Omnino resumendam antiquam consuetudinem iuxta Decreta alias edita; ac praesertim in Alexandrina diei 22 Septembris 1827 ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 20 Decembris 1864.

3130. TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI. (5343)

Procurator Generalis Tertii Ordinis Sancti Francisci a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

I. An ea Sanctorum Officia, quae locum habere nequeunt diebus propriis et ad anni usque exitum reponi non possunt, deficientibus diebus liberis, iuxta concessionem factam Capitulo Patriarchalis Basilicae Vaticanae die 30 Ianuarii 1789, recitari valeant in diebus ritus semidulpicis, facta de semiduplicibus commemoratione in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum nona Lectione historica ex tribus II Nocturni?

II. An Regulares sui Ordinis, Romae degentes, teneantur sub ritu duplici recitare ea Sanctorum Summorum Pontificum Officia, quae ex concessione Apostolica enunciato sub ritu persolvit Clerus Secularis Almae Urbis?

III. An in expositione SSmi Sacramenti, sive pro Oratione Quadraginta Horarum sive alia quavis de causa, amovendae omnino sint tres Tabellae ab Altari Expositionis, quas Rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in Missae celebratione?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitiis coadunata, referente subscripto Secretario et omnibus accurate consideratis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative; excepto Missae tempore ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Decembris 1864.

3131. ULTRAIECTEN. (5344)

Rmus Dominus Ioseph Zwysen Archiepiscopus Ultraiecten., cupiens ut Officia votiva SSmi Sacramenti et Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, Archidioecesi sibi concreditae concessa, regulariter persolvi valeant; a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit sequentia dubia; nimirum:

I. An Officia votiva ut supra in Calendario concessa determinatis Feriis, ac proinde minus frequenter occurrentia, etiam celebranda sint in Feriis non privilegiatis, et infra octavas non privilegiatas? et quatenus affirmative ad primam partem,

II. An Officium Immaculatae Conceptionis recitandum sit in Sabbato non impe-

dito, occurrente infra octavam alicuius Festi Deiparae?

Sacra porro Rituum Congregatio ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitiis, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario et omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Quoad Ferias non privilegiatas, extra Adventum et Quadragesimam, Affirmative; dummodo non sit in eis reponendum Officium translatum: Quoad vero octavas non privilegiatas, Negative ».

Ad II. « Negative; nam in casu fieri debet de die infra octavam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 20 Decembris 1864.

3132. DUBIUM. (5344 *a*)

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione: An occurrente Anniversario Consecrationis Episcopi, ea ipsa die qua agi debet de Anniversario Electionis vel Coronationis Summi Romani Pontificis, Oratio: *Deus omnium Fidelium* sit bis dicenda, semel pro Papa et semel pro Episcopo?

Sacra ipsa Congregatio, ad Vaticanum subscripta die coadunata in Ordinariis Comitiis, rescribendum censuit: « In casu, de Anniversario Consecrationis Episcopi agendum sequenti die ». Atque ita servari mandavit.

Die 20 Decembris 1864.

3133. ORDINIS (5345)
MINORUM DE OBSERVANTIA
SANCTI FRANCISCI.

Quum in una Tridentina diei 12 Martii 1836 (dub. 8) interrogata Sacra Rituum Congregatio num Litaniae Sanctorum iuxta praescriptum Rubricarum pro Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci ex Indulto Apostolico rite dispositae, sint modo ab iisdem de praecepto recitandae in Festo Sancti Marci et in Rogationibus, affirmative respondisset; accidit ut responsio haec anxietates et perplexitates pareret quamplurimas pro Religiosis animarum curam habentibus, et pro Religiosis illorum Conventuum qui adnexam habent Ecclesiam parochialem. Ad omnem itaque anxietatem et perplexitatem removendam, Custos Minoriticae Familiae de Observantia in Hetruria et Parochus Ecclesiae Sanctissimi Salvatoris loci nuncupati Sancti Francisci *di Pietrasanta* in Archidioecesi Pisana, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

I. In illis Conventibus in quibus Religiosus Parochus solus cum populo assistit Processionibus, Litaniae ne Ordinis, an potius communes Ecclesiae, erunt vel cantandae vel recitandae?

II. Et quatenus cantandae vel recitandae sint Litaniae communes, satisfacit ne suae obligationi Parochus has recitando; vel potius repetere debet Litanias Ordinis?

III. In Conventibus, in quibus Religiosi omnes ex laudabili consuetudine Processionibus intersunt, si populus Litanias Ordinis nollet recitare, debebit eadem Religiosa Familia Litanias Ordinis, in alia Processione vel in Choro, recitare?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata, re mature diligenterque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Recitandas esse Litanias communes ».

Ad II. « Ad primam partem, Affirmative, nempe satisfacit; ad secundam, provisum in prima ».

Ad III. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 8 Aprilis 1865.

3134. IADREN. (5346)

Director Calendarii ad usum universae Archidioeceseos Iadrensis in Dalmatia exposuit Sacrorum Rituum Congregationi quae sequuntur; videlicet:

Ad Benedictiones cum Sanctissimo Sacramento, quae solent fieri saepius in hac Civitate vel Archidioecesi, in fine post *Tantum ergo* et ℣. *Panem de coelo* dicuntur plures Orationes, nempe prima de Sanctissimo Sacramento, secunda pro Summo Pontifice, tertia pro Imperante, quarta pro Civitate et quinta pro remissione peccatorum: *Deus qui culpa offenderis:* et haec ultima Oratio quae antea concludebatur *Per Christum Dominum nostrum*, paucis abhinc annis concluditur sic: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum;* inhaerendo huius Sacrae Congregationis Decreto sub die 10 Septembris 1718 in Cataniensi.

Cum vero per Decreta eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis statutum fuerit, quod quando in Benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento plures dicuntur Orationes in conclusione servandae sint Rubricae, et cum supradicta ultima Oratio habeat

iuxta Rubricas conclusionem *Per Christum Dominum nostrum;* hinc eidem Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; videlicet:

I. An Oratio haec: *Deus qui culpa offenderis,* in casu de quo agitur, debeat concludi dicendo: *Per Christum Dominum nostrum;* vel potius *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum?*

II. Si, praeter supradictas quinque Orationes, alia Collecta ordinatur ab Archiepiscopo, ultimo semper loco dicenda, quae habeat iuxta Rubricam conclusionem propriam, vel *Per Christum,* vel *Qui tecum;* haec Collecta debetne concludi sic, iuxta nempe Rubricas; vel potius cum: *Qui vivis et regnas?*

III. Quaeritur denique utrum in solo casu, quo vel ultima Oratio habet conclusionem propriam *Qui vivis et regnas,* haec dici debeat; an potius in quocumque casu haec sit dicenda?

Sacra porro eadem Rituum Congregatio, ad Vaticanas Aedes in Ordinariis Comitiis hodierna die coadunata, respondendum censuit tribus propositis dubiis: « Conclusionem debere esse brevem, et concordare cum ultima Oratione, iuxta Rubricas ».

Die 8 Aprilis 1865.

3135. SANCTI IACOBI DE CUBA. (5348)

In Metropolitana Ecclesia Sancti Iacobi de Cuba ab immemorabili tempore fieri consuevit, ut in Festo Sancti Marci et Triduo Rogationum, pro brevitate forsitan viae quam Processio percurrit, Litaniae Sanctorum ita decantentur, ut singuli earum versus per Cantores inchoati concludantur a Clero. Quum autem nuper dubitatio orta fuerit, num recte ita factum sit; Capitulum Metropolitanae Ecclesiae ipsius Sacram Rituum Congregationem adiens ab ea suppliciter exquisivit insequentis dubii solutionem; nempe:

An, in proposito casu, debeant singuli Litaniarum versus integre a Cantoribus dici et a Clero repeti; vel sufficiat ut ab illis inchoati ab hoc terminentur, ut hactenus factum est?

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, Ordinariis in Comitiis hodierna die ad Quirinale habitis, referente subscripto Secretario et re mature diligenterque perpensa, proposito dubio rescribendum censuere: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt.

Die 16 Septembris 1865.

3136. AESINA. (5350)

Quum Editor Calendarii Dioecesis Aesinae et Caeremoniarius Episcopalis sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisierit; nempe:

I. A Sacra Rituum Congregatione die 4 Septembris 1773 in una Conchen. in occurrentia Festi Sancti Eliae Prophetae cum Sabbato quatuor Temporum Quadragesimae, idem Evangelium habente ac illud Festi praedicti, Decretum fecit de Feria fieri debere Commemorationem sine eius Homilia pro IX Lectione, non obstante dispositione Rubricae particularis pro Festo Expectationis Partus Beatae Mariae Virginis. Unde quaeritur: An hoc ipsum servandum sit, quando dies octava Immaculatae Conceptionis eiusdem Beatae Mariae Virginis incidat in Feriam IV Quatuor Temporum Adventus, quae pariter idem Evangelium habet ac illud octavae supradictae?

II. Quum Evangelium Missae Immaculatae Conceptionis non contineat nisi exiguam partem Evangelii Feriae IV Quatuor Temporum Adventus, quaeritur: An, occurrente octava Conceptionis in dicta Feria, legi debeat in fine Missae Evangelium Feriae?

III. An die octava Immaculatae Conceptionis legi debeant in primo Nocturno Lectiones diei Festi; vel de Scriptura occurrente, quando eadem dies octavae non incidat in Feriam IV Quatuor Temporum?

IV. Habetur ex Rubrica: Calicem debere esse vel aureum vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteam intus auratam. Hinc quaeritur: An liceat Episcopo consecrare Calicem ex stamno, vel aere vel aurichalco cum cuppa tamen eiusdem materiei aurata?

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu ad Quirinales Aedes hodierna die habito, audita relatione a subscripto Secretario facta et propositis dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuere:

Ad I. « Omittatur IX Lectio Homiliae Feriae Quatuor Temporum ».

Ad II. « Omittatur Evangelium Feriae ».

Ad III. « Provisum in Rubrica Officii Immaculatae Conceptionis ».

Ad IV. « Standum Rubricis ».

Atque ita responderunt et servari mandarunt.

Die 16 Septembris 1865.

3137. CAMERACEN. (5351)

Quum R̃mus Dominus Renatus Franciscus Regnier Archiepiscopus Cameracen. sequentia dubia enodanda Sacrorum Rituum Congregationi proposuisset; nimirum:

I. Requiritur ne absolute ut super Altare collocentur candelabra ad Missam celebrandam? quin possit tolerari usus antiquus pro Missa privata duorum candelabrorum hinc et hinc parieti, Altare fere tangenti, infixorum.

II. Licetne lampadem ardentem coram Sanctissimo Sacramento velo cooperire, praecavendi humoris causa? item candelabra Altaris aurata, sive intra sive extra oblationem sacrosancti Sacrificii?

III. In variis Missalis Romani Editionibus non eadem est lectio Orationis post Communionem *ad repellendas tempestates* dicendae. Quaenam itaque est inter ambas lectiones melior: *tranquillitatibus huius optatae consolationis;* aut *tranquillitatis huius optatae consolatione?*

IV. Parochus quidam pro sex candelabris hinc et hinc in utroque Altaris latere collocandis, duo Candelabra septiformia ad instar Candelabri Mosaici posuit. Quaeritur hinc: An tolerari possit talis Rubricis et usui derogatio?

V. In Introitu Missae sacratissimi Cordis Iesu duo leguntur *Alleluia.* Ast in Missis votivis, concessis extra Adventum et Quadragesimam, tolli ne debent ista *Alleluia?*

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Quirinale hodierna die habito, his dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative; et contrarius usus etsi antiquus, cum sit contra legem, abolendus erit ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, posse tolerari, exceptis diebus solemnibus ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 16 Septembris 1865.

3138. RATISBONEN. (5352)

Quidam Typographus Ratisbonen. a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit: Num in Missis votivis Immaculatae Conceptionis in Secreta Missae, loco vocabuli *solemnitate,* dici debeat *commemoratione;* vel potius loco dictae Secretae dici debeat Secreta Missae pro Vigilia concessae, quae pro Missis votivis omnino apta videtur?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale infrascripta die habitis, rescribere rata est: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Die 16 Septembris 1865.

3139. BITURICEN. (5353)

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuisset dubium; nimirum: In accipiendis candelis et palmis debentne Canonici et alii osculari primum manum Episcopi et postea candelam aut palmam; an vero primum candelam aut palmam et postea manum Episcopi?

Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu hodierna die ad Quirinale habito, respondendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Die 16 Septembris 1865.

3140. CONCORDIEN. (5356)

Quum Canonici Cathedralis Ecclesiae Concordiensis Sacra peragant et Divinum Officium canant in Ecclesia Concathedrali Portusgruarii a Sancto Andrea nuncupata, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentis dubii solutionem exquisierunt; nimirum:

An Canonici teneantur celebrare Festa Titularis et Dedicationis utriusque Ecclesiae et quidem cum octava?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, ad Quirinale in Ordinariis Comitiis hodierna die coadunata, rescribendum censuit: « Affirmative ».

Die 16 Septembris 1865.

3141. LYCIEN. (5357)

Quum in Cathedrali Lyciensi tres sint Dignitates post Episcopalem, nempe Archidiaconus, Cantor et Thesaurarius, cumque Cantor Vicarii Capitularis munere modo adauctus sit, ad omnem tollendam dissidii causam relate ad praecedentiam, ipse Vicarius Capitularis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo dubia enodanda proposuit; nimirum:

I. Quum in sacris functionibus aut Processionibus publicis tres Dignitates interveniant, et Cantor Vicariali habitu indutus sit, ad quemnam spectat praecedentia?

II. Vel si tantum duae interveniant Dignitates, quaenam debet praecedere?

Eadem vero Sacra Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Quirinale hodierna die habitis, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Praecedentiam spectare ad primam Dignitatem ».

Ad II. « Si adsit Archidiaconus et Cantor, praecedentiam spectare ad Archidiaconum; si adsit Cantor et Thesaurarius, spectare ad Cantorem. Et si Vicarius Capitularis interveniat habitu Vicariali indutus, amittit distributiones ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 16 Septembris 1865.

3142. AUGUSTODUNEN. (5358)

Quum R̃mus D. Episcopus Augustodunen. a S. R. C. insequentium dubiorum solutionem humillime petiisset; nempe:

I. An ad alicuius Ecclesiae consecrationem procedi possit, in qua omnia Altaria sint consecrata, omittendo ea quae Altaris consecrationem respiciunt?

II. An ad Ecclesiae consecrationem procedi possit a duobus Episcopis, quorum unus Ecclesiae et alter Altaris eiusdem Ecclesiae consecrationem peragat?

Sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum infrascripta die habitis, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Opponi ritui consecrationis Ecclesiae ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 3 Martii 1866.

3143. IANUEN. (5360)

Quum Parochus Oppidi *Voltri* intra limites Archidioecesis Ianuen. anceps haereat, num in sua Parochia, praeter Festum Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae Patroni praecipui totius Dioecesis de praecepto celebrandum, debeat quoque sub eodem praecepto celebrari Festum Sancti Caroli Episcopi Confessoris, die 4 Novembris occurrens, utpote ipsius Paroeciae olim Patroni praecipui, sed non confirmati post reductionem Festorum factam a Summis Pontificibus Pio VII et Pio IX, opportunam in re declarationem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostulavit.

Sacra vero eadem Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, exquisita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « In casu servandum est tantum de praecepto Festum Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae Patroni praecipui totius Dioecesis ». Atque ita declaravit.

Die 3 Martii 1866.

3144. ABELLINEN. (5362)

Etsi in Processionibus funerariis una tantum Crux deferri debeat illius Ecclesiae in qua sepeliendus est defunctus, Parochi tamen Civitatis Abellinen. a tempore immemorabili, occasione associationis cadaverum et in aliis Processionibus, singuli incedunt sub propria Cruce cum velo pendente seu pallio; et hoc etiamsi interveniat Capitulum Cathedralis Ecclesiae. Dubius autem haerens R̃mus Dominus Franciscus Gallo Episcopus Abellinen. num exposita consuetudo tolerari possit, ad controversias omnes dirimendas, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit; nimirum:

I. An Parochi, attenta consuetudine, elevare possint omnes propriam Crucem in funeribus ducendis, cum non accedit Capitulum Cathedralis; vel unica tantum Crux, eaque Ecclesiae tumulantis sit deferenda?

II. Quid servandum, quando intervenit Capitulum Cathedralis?

III. An eadem norma tenenda sit in Processionibus festivis?

Sacra vero eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, exquisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Interveniente Capitulo Cathedralis, istius Crux et non altera Ecclesiae tumulantis est adhibenda ».

Ad III. « Si accedat Capitulum Cathedralis, omnes incedere debent sub Cruce Cathedralis. Si vero non accedat, elevanda est unica Crux Ecclesiae, in qua fit Processio, quam sequantur omnes qui sunt de Clero Seculari ».

Atque ita respondit et servari mandavit in Civitate Abellinensi.

Die 28 Aprilis 1866.

3145. DE GUADALAXARA. (5363)

Quum Rm̃us Dñus Petrus Espinosa Archiepiscopus de Guadalaxara penes S. R. C. humillime sequens dubium enodandum proposuisset; nimirum: An revera sacra Paramenta, auro maxima saltem ex parte contexta, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint?

Sacra eadem Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coacta rescribendum censuit: « Tolerandam esse locorum consuetudinem, relate tantum ad Paramenta ex auro contexta ».

Die 28 Aprilis 1866.

3146. NOLANA. (5364)

Quum Rm̃us Dominus Iosephus Formisano Episcopus Nolanus exposuisset huic S. R. C. Sacerdotes, quibus, ratione infirmitatis vel alia rationabili causa, concessum fuit privilegium celebrandi Missam Votivam B. Mariae Virginis, ancipites saepius haerere circa modum eiusmodi Missas celebrandi: eapropter ab eadem humillime horum dubiorum solutionem exquisivit; nempe:

I. An Sacerdos, cui ratione infirmitatis aliave rationabili causa, a S. Sede potestas facta est celebrandi Missam Votivam de Beatissima Virgine, possit huiusmodi Missam celebrare etiam in Festis solemnioribus vel diebus privilegiatis, ex. gr. in Nativitate Domini, in Festo Pentecostes, in Dominica Palmarum? et quatenus affirmative,

II. An teneatur adhibere semper colorem album; vel respondentem Festo?

III. An in Festis solemnioribus in huiusmodi Missa Votiva teneatur addere *Credo* vel *Gloria,* sive privatim sive publice celebret?

IV. Quando in die, praeter Festum Sancti occurrentis, recurrit alia Collecta de Sancto simplici vel de Feria, tunc secunda Oratio eritne de Spiritu Sancto, et tertia *Eccl.* vel pro Papa, prout praescribitur in Rubricis Generalibus; vel de Festo occurrenti et de Sancto simplici aut de Feria?

V. Addenda ne erit huiusmodi Missae Votivae Collecta, si qua ab Ordinario loci praescripta est?

VI. In die Nativitatis Domini potest ne hic Sacerdos tres Missas celebrare de Beata Virgine?

Sacra vero eadem Congregatio his dubiis mature perpensis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Debet semper uti colore albo, iuxta Decreta alias edita ».

Ad III. « Negative; praeter *Gloria* in Sabbatis ».

Ad IV. « Debet tantum illas Orationes legere, quae Missae Votivae conveniunt; nempe de Spiritu Sancto et *Ecclesiae tuae* vel pro Pp. ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Negative, iuxta Decreta alias edita ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 28 Aprilis 1866.

3147. PATAVINA. (5365)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Patavinae de Ordinarii sui consensu a S. R. C. insequentium dubiorum declarationem humillime petiit; nempe:

I. An Regulares in Dioecesi Patavina degentes teneantur ad recitandum Officia ad petitionem Regum et Principum universis eorum Regionibus concessa, cum expressa mentione utriusque Cleri Secularis et Regularis?

II. An iidem teneantur ad recitanda Officia concessa cunctis Dominiis Regi aut Principi subiectis, nulla facta in Indulto distinctione Cleri?

III. An ad Officia utrique Clero alicuius Dioecesis indulta?

IV. An ad Officia Festorum Dioecesis de praecepto quoad forum?

Sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, audita etiam in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad I. II. et III. « Affirmative, si Officia aliquando fuerint ab ipsis Regularibus acceptata; secus, Negative ».

Ad IV. « Affirmative, et dentur Decreta ». Atque ita respondit.

Die 28 Aprilis 1866.

3148. SUESSONIEN. (5366)

Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Suessonien. a S. R. C. insequentium dubiorum solutionem humillime petiit; nimirum:

I. An Canonicus Celebrans et cineres Episcopo impositurus Feria IV in Capite Ieiunii, induere debeat pluviale vel Casulam?

II. Quum in Missa *Cognovi* de Communi nec Virginis nec Martyris duae adsint Epistolae, nimirum: prima *Mulierem fortem,* et alia pro Viduis *Carissime;* quaeritur: An,

quando legitur haec Missa in Festo Sanctae Viduae non Martyris, Celebrans legere possit ad libitum Epistolam *Mulierem fortem;* vel Epistolam *Carissime?* et quatenus affirmative,

III. An in Missis solemnibus vel cantatis earumdem Sanctarum Viduarum Subdiaconus semper teneatur cantare eamdem Epistolam quae legitur a Celebrante?

Sacra eadem Congregatio, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum infrascripta die coadunata, respondendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. et III. « Serventur Rubricae ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 28 Aprilis 1866.

3149. SANCTI IACOBI DE CILE. (5367)

Exorta controversia inter nonnullos Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Cile: An usus vigens in eadem Civitate adhibendi ampullas auro vel argento elaboratas tolerandus esset; ad rem dirimendam, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia duo dubia proposita fuerunt; nimirum:

I. An uti liceat in Missae Sacrificio ampullis aureis vel argenteis? et quatenus negative,

II. An consuetudo, quae invaluit, prorsus improbanda sit in casu?

Sacra vero eadem Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito, propositis dubiis respondendum censuit: « Tolerandam esse consuetudinem ».

Die 28 Aprilis 1866.

3150. SANCTI IACOBI DE CILE. (5368)

Rm̃us Dominus Raphael Valentinus Valdivieso Archiepiscopus Sancti Iacobi de Cile exponens in Ecclesiis suae Archidioeceseos usum ab antiquo tempore vigere non cooperiendi Conopeo Tabernaculum, in quo asservatur SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, sed intus tantum velo pulchriori serico, saepe etiam argento aut auro intexto ornari; a S. R. C. humillime declarari petiit: Num talis usus tolerandus sit; vel potius exigendum ut Conopeum, ultra praedictum velum vel sine eo, apponatur iuxta praescriptum in Rituali Romano.

Sacra vero eadem Congregatio, in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, respondendum censuit: « Usum veli praedicti tolerari posse; sed Tabernaculum tegendum est Conopeo, iuxta praescriptum Ritualis Romani ». Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 28 Aprilis 1866.

3151. COMPOSTELLANA. (5373)

Quum in Metropolitana Ecclesia Compostellana, in qua iuxta dispositionem Sancti Pii V in Missis solemnibus Evangelium cantatur in ambone seu pulpito, Diaconi intendant variare antiquam Ecclesiae ipsius consuetudinem, qua fit ut Subdiaconus librum Evangelii Celebranti ad osculandum portet, a S. R. C. exquisitum fuit: An Diaconus, finito cantu Evangelii in pulpito, debeat tradere librum Subdiacono, qui illum portet Celebranti osculandum?

Sacra vero eadem Congregatio proposito dubio rescribendum censuit: « Servetur solitum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Februarii 1867.

3152. DIANEN. (5374)

Quum Rm̃us D. Dominicus Fanelli Episcopus Dianen. a Sancta Sede privilegium obtinuerit, ob gravem qua laborat oculorum infirmitatem, Missam Votivam B. M. V. quotidie celebrandi; a S. R. C. humillime exquisivit: Num hoc privilegio uti etiam valeat diebus illis, quibus Sacros Ordines confert?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii et re mature accurateque perpensa, rescribere rata est: « Permitti poterit; quatenus, ex concessione Apostolica possit habere Sacras Ordinationes extra tempora ». Atque ita rescripsit.

Die 9 Februarii 1867.

3153. TLASCALEN. (5376)

Quum in Dioecesi Tlascalen. plura Altaria portatilia consecranda sint, Rm̃us D. Carolus Maria Colina hodiernus Episcopus Tlascalen., ne nimium defatigetur, eorumdem consecrationem biduo aut triduo in qualibet hebdomada perficere statuit. Verumtamen cum aqua benedicta mixta cum sale, cinere et vino in hac benedictione requisita ut plurimum supersit, praefatus Episcopus insequentia duo dubia a Sacra Rituum Congregatione enodanda proposuit; nimirum:

I. An aqua benedicta, quae superfuit in una consecratione, adhiberi possit in insequenti? et quatenus affirmative,

II. Pro quo numero consecrationum eadem aqua adhiberi possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti eiusdem Sacrae Congregationis Secretarii, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Negative in omnibus ». Atque ita rescripsit.

Die 9 Februarii 1867.

3154. IACEN. (5378)

Canonicus Poenitentiarius in Cathedrali Ecclesia Iacensi penes S. R. C. exposuit in praefata Cathedrali Praebendam, qua ipse insignitur, non fuisse institutam nisi postremis hisce annis. Quum ergo nullas circa assistentiam Altaris pro Diacono et Subdiacono consuetudines invenire potuerit, eo quod ipse primus ad Poenitentiarii munus fuerit adlectus; eumdem ordinem hac in re cum ceteris Canonicis sequutus est. Verum quum non raro ob huiusmodi assistentiam plures poenitentes inconfessos relinquere debeat, graviter animo angebatur; cumque non eadem praxis in Metropolitanis vel Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae vigeat quoad servitium Altaris a Canonico Poenitentiario praestandum, de R̄mi Ordinarii sui licentia eidem S. Congregationi quae sequuntur dubia enucleanda proposuit; nimirum:

I. Canonicus Poenitentiarius cogi ne potest ad inserviendum pro Diacono et Subdiacono in Pontificalibus et Semi-Pontificalibus, quacumque consuetudine in contrarium non obstante? et quatenus negative,

II. An in Cathedrali Iacensi, attentis expositis circumstantiis, ad id praestandum teneatur Canonicus Poenitentiarius?

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii et re mature accurateque perpensa, rescribere rata est: « Propositis dubiis esse provisum per Decreta Sacrae Congregationis Concilii ». Atque ita declaravit.

Die 13 Aprilis 1867.

3155. CANARIEN. ET DE TENERIFFA. (5379)

Episcopus Canarien. et Administrator Apostolicus Teneriffensis in Altaribus Ecclesiarum utriusque Dioecesis vix aras seu tabulas lapideas rite consecratas invenit: ipse autem plura centena consecravit, ut illis suas ditaret Ecclesias. Attamen ex tabulis recenter consecratis 1. quaedam existunt, in quorum sepulcro ex errore unius tantum Sancti Martyris Reliquiae conditae sunt, et ab aliis separatae existunt. 2. aliquae autem numero perpaucae, de quibus dubitatur an unius vel plurimorum Sanctorum Reliquias contineant, et quae ab aliis, magno numero rite consideratis, distingui non possunt. Quaesivit ergo a S. R. C.

I. An primae sint denuo consecrandae; vel sufficiat in eis ab ipsomet Episcopo, qui eas consecravit, aperiri sepulcrum et ibi alterius Sancti Reliquias adiungere?

II. An secundae possint relinqui prout sunt, permittendo ut in eis celebretur, cum non possint ab aliis, qui duorum Sanctorum Reliquias in sepulcro habent, distingui?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisita antea sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: « Supplicandum Sanctissimo pro sanatione, ad cautelam tantum ».

Die 13 Aprilis 1867.

Facta vero de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX a subscripto Secretario fideli relatione, die 2 Maii eiusdem anni, Sanctitas Sua sanationem ut supra, quatenus opus sit, concedere dignata est.

3156. BOBIEN. (5380)

In Capitulo Cathedralis Ecclesiae Bobien. huc usque usitatum fuit, ut signo Crucis sese signarent Hebdomadarius et Canonici ad *Deus in adiutorium,* initio omnium Horarum et Laudum; ad *Adiutorium nostrum,* ad *Indulgentiam, absolutionem etc.* et ad Benedictionem in fine Primae et Completorii; ad *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis;* ac pollice signarent os ad *Domine labia mea aperies,* et pectus ad *Converte nos Deus.*

Verum modo tres ex Canonicis opinantur in aliquibus ex praefatis locis solum Hebdomadarium se signare debere; et in aliis, neminem. Ne vero diversitas haec in divino Officio recitando dissidiis occasionem praebeat, Canonicus Praepositus, ipsius Capituli nomine, a S. R. C. declarari petiit: Num antiqua praxis servanda sit, an non; exceptis Canticis *Benedictus* et *Magnificat,* super quibus iam a Sacra Congregatione consultum est?

Et Sacra ipsa Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, rescribere rata est: « Servetur consuetudo ».
Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 13 Aprilis 1867.

3157. MECHLINIEN. (5381)

Praepositus Generalis Societatis Sanctissimi Sacramenti, paucis abhinc annis a Sancta Sede canonice approbatae, nonnulla proposuit dubia quoad Officii et Missae dispositionem, nec non alios sacros ritus et caeremonias, quorum enodationem a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit. Dubia autem sunt, quae sequuntur; nimirum:

I. Ex Indulto 9 Iunii 1863, quo benigne Sancta Sedes Societati Sanctissimi Sacramenti concessit Calendario Almae Urbis uti, declaratur quod illi addendum sit Officium praecipui Patroni loci. Quaeritur:

1. Utrum per verbum *loci* intelligendum veniat tantum *Dioecesis;* an simul *Civitatis* et *Regni,* admisso quod omnia ista loca habeant unumquodque suum Patronum praecipuum canonice electum et approbatum? et quatenus affirmative,

2. An inter Suffragia communia commemoratio praedictorum Patronorum sit peragenda?

3. An adhibendum sit Officium proprium specialiter pro istis locis concessum; vel recurrendum sit, sive pro Missa sive pro Officio, ad Commune Sanctorum? (1)

II. Iuxta Indultum pro reductione Festorum in Galliarum imperio Festum Dedicationis Ecclesiarum consecratarum agendum est Dominica post octavam omnium Sanctorum. Quaeritur:

1. An praedictum Indultum Ecclesias Cathedrales et Parochiales tantum respiciat; vel etiam Regularium? et quatenus affirmative ad secundam partem

2. An Regulares Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis transferre; vel omnino omittere debeant? Optaret Superior Generalis, supposito quod in dicto Indulto etiam Regularium Ecclesiarum Dedicatio includatur, ut liceat Alumnis suae Societatis Anniversarium Dedicationis suarum Ecclesiarum consecratarum peragere, prout fert ius commune, idest recurrente die ipso earumdem Consecrationis.

III. Titulus in actu consecrationis Ecclesiae, quam Congregatio Sanctissimi Sacramenti Bruxellis in Belgio habet, fuit enunciatus: *Festum Sanctissimi Sacramenti miraculosi,* quod Dominica prima mensis Iulii Bruxellis celebratur sub ritu duplici primae classis cum octava, repetito Officio Sanctissimi Sacramenti. Cum nullo modo constet de canonica institutione Festi praedicti, saltem post Bullam *Christi Domini* s. m. Pii VII, cuius tenore fuerunt extincta omnia iura et privilegia Ecclesiarum in territorio Gallicanae Reipublicae sitarum; quaeritur:

1. An valeat praedictus titulus?

2. An idem SS. Sacramenti Officium sit adhibendum in illius celebratione?

IV. Cruces ad sacras unctiones praescriptae in Dedicatione memoratae Ecclesiae non fuerunt dispositae prout fert Pontificale Romanum; et aliunde, incuria plane supina, quaedam fuerunt destructae effosso muro. Quaeritur: An novis Crucibus, loco et ordine requisitis ac depictis, suppleri debeat illarum unctionis caeremonia iuxta formam Pontificalis?

V. Licet ne partem adhibere, quae iacet subter pavimentum Ecclesiae praesertim consecratae, ut Cellarium et aliud huiusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad praedicta loca sit extra corpus Sacri Aedificii?

VI. Viget in aliquibus locis usus deferendi Stolam in Verbi Divini annuntiatione, etiam extra Missarum solemnia. Quaeritur inde: An sit dictus usus legitimus, et an obliget Regulares in suis saltem Ecclesiis? et quatenus affirmative: Cuius coloris debeat esse praedicta Stola: an semper coloris albi; vel potius diei currentis?

VII. Quaeritur: An possint praecipi, aut saltem permitti aliquae preces recitandae ad Altare post Missam, non depositis sacris vestibus? Obstare videtur Decretum in Conversanen. diei 31 Augusti 1669.

VIII. Quaeritur: An liceat adhibere publicam quarumdam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum coram Sanctissimo Sacramento exposito? Et an saltem possit admitti exceptio pro formulis communiter dictis *Amendes honorables etc.?*

IX. Alicubi supponitur pulvinar sub Ostensorio in Sanctissimi Sacramenti expositione; et sunt qui asserunt quod ita sit tenendum, ex Rubrica Missalis praescribente pulvinaris usum pro Missali in celebratione Missae. Quaeritur: An pulvinar sub Ostensorio ponendus sit?

(1) E. Dub. II. et X.

X. Quaeritur: An observari possit usus, qui viget in Belgii Dioecesibus, campanulam pulsandi intra Missam, durante Sanctissimi Sacramenti expositione? saltem in casu quo Altare ubi celebratur Missa, ad latera sit Altaris maioris ubi fit expositio, et ita removeatur periculum irreverentiae erga Sanctissimum Saramentum patenter expositum. Pariter: An possit sustineri praxis iis in locis vigens pias pecuniae collectiones agendi in Ecclesiis, ubi adest Sanctissimi Sacramenti expositio?

XI. Quaeritur: An facultas benedicendi ornamenta, sacra linteamina etc., nobis a Sancta Sede benigne concessa, utpote generalis, valeat quoad ornamenta non tantum nostrarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum? et quatenus negative; extensionem dictae facultatis ad ornamenta gratuito omnino distribuenda Ecclesiis pauperioribus desideraremus.

XII. Quaeritur: An commemoratio omnium Apostolorum die 29 Iunii et omnium Martyrum diei 26 Decembris, iuxta Indultum pro reductione Festorum in territorio Gallicanae Reipublicae, nos respiciat, qui utimur Calendario Urbis? et quatenus affirmative: An dicta commemoratio sit facienda immediate post Orationem Festi diei; vel potius suo loco v. g. post commemorationem Dominicae occurrentis die 29 Iunii, et octavae Nativitatis die 26 Decembris?

Haec porro dubia, super quibus Sacra Congregatio voluit, ut alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suam in scriptis sententiam proferret, quum Emus et Rmus D. Card. Barnabò retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Affirmative, ad primam dubii partem pro Patrono loci particulari; Affirmative, ad secundam; Ad tertiam vero, sumatur commemoratio ex Officio proprio si habetur; secus, de Communi, mutatis verbis quae natalitium aut solemnitatem indicant in iis quae memoriam exprimunt ».

Ad II. « Affirmative, ad primum quaesitum; ad secundum vero; Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam. Ad petitionem autem, Negative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; sed omisso verbo *miraculoso* in titulo: ad secundam, pariter Affirmative; facto verbo cum Sanctissimo ».

Ad IV. « Depingantur iterum Cruces in Ecclesia, quarum sex in parte dextera, sex aliae in sinistra appareant: ita tamen ut duae sint prope Altare maius et duae prope Ecclesiae ianuam, omissa unctionis caeremonia ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Affirmative in omnibus, ad primam partem; ad secundam vero, color respondeat Officio diei ».

Ad VII. « Affirmative; dummodo preces dicantur assentiente Ordinario ».

Ad VIII. « Affirmative; dummodo agatur de precibus approbatis ».

Ad IX. « Negative ».

Ad X. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam, prope scilicet Ecclesiae ianuam et absque rumore ».

Ad XI. « Negative in omnibus ».

Ad XII. « Ad primam quaestionem, Affirmative; ad secundam vero: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit et servari mandavit.

Die 31 Augusti 1867.

Facta postmodum de III ex praedictis dubiis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, die 5 Septembris eiusdem anni, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, *pro gratia* benigne annuere dignata est.

3158. AMBIANEN. (5382)

Rmus D. Vicarius Generalis Dioeceseos Ambianen. haec quae sequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi enucleanda exhibuit; nimirum: (1)

I. Non raro accidit, quod aliquis adultus e parentibus Catholicis ortus et in fide Catholica instructus omnique sectae vel impiae pravitati alienus, baptizandus sit; eo quod incuria parentum infans non fuit baptizatus, vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate Baptismi. Quaeritur: Utrum in eo casu adhibendus sit ordo Baptismi parvulorum primo loco positus in Rituali; an potius ordo Baptismi adultorum? Et quatenus respondeatur ordinem Baptismi adultorum esse adhibendum: Num omittenda sint non solum monita: *Horresce idola,* sed etiam *Cole Deum* et Oratio quae sequitur *Te deprecor?*

II. Utrum consuetudo ministrandi Sacra-

(1) E. Dub. I et IV.

mentum Poenitentiae absque Stola, etiam in Ecclesia et Sede Confessionali, servari possit; cum Rituale Romanum, dum praescribit usum Stolae in administratione Sacramentorum, addat: nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat; et alibi idem Rituale subdat: Stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum *consuetudo* feret?

III. Utrum pro superpelliceo uti valeat Sacerdos Alba cum Stola ad pectus transversa, in casibus praefatis; praesertim in celebrando Matrimonio, cum immediate post absolutionem ritus Matrimonii, Missam pro Sponso et Sponsa celebraturus sit?

Sacra vero eadem Congregatio, post auditum votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis mature accurateque perpensis, rescribere rata est:

Ad I. « Recurrat ad Sacram Universalem Inquisitionem ».

Ad II. « Conveniens est, ut in Ecclesia adhibeatur Stola, iuxta S. R. C. Decreta ».

Ad III. « Si immediate sequitur Missa, Sacerdos praeter Albam et Stolam induere debet etiam Planetam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 31 Augusti 1867.

3159. COMPOSTELLANA. (5383)

In omnibus fere Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae post solemne Concordatum anno 1851 inter Sanctam Sedem et Reginam initum, in quibus, praeter Canonicos, Beneficiati in veterum Portionariorum locum constituti et subrogati sunt, iidem Beneficiati in ministerio Diaconi et Subdiaconi inserviunt in Missis Conventualibus a Canonicis celebratis. Iamvero quum Emus et Rmus D. Card. Michael Garcia Cuesta Archiepiscopus Compostellanus a Sacra Rituum Congregatione petiisset: An haec consuetudo in Hispania retinenda sit; vel Canonici, saltem in Festis primae classis, debeant inservire in munere Diaconi et Subdiaconi?

Sacra eadem Rituum Congregatio, post auditam sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declaravit: « Quod consuetudo, ut in Missis, quae a Canonicis decantantur, duo Beneficiarii in ministerio Diaconi et Subdiaconi inserviant, retineri tuto potest. Verum si in Ecclesia Cathedrali adsit aliqua Dignitas, uti Archipresbyter, Archidiaconus etc., convenit, ut quoties ea Dignitas Missam solemnem celebrare debet, munus Diaconi et Subdiaconi non a Beneficiariis sed a Canonicis exerceatur. « Atque ita declaravit ».
Die 31 Augusti 1867.

3160. COMPOSTELLANA. (5384)

In Cathedralibus Ecclesiis Hispaniae communiter ex privilegio cantatur Evangelium in Ambone seu Pulpito, dum Sacra solemnia celebrantur, Subdiacono proinde librum interea non tenente. Iamvero finito Evangelii cantu putant aliqui Diaconum porrigere debere Subdiacono librum, ut Sacerdoti deosculandum deferat: alii autem putant Subdiaconum teneri librum per se sumere, quin ei a Diacono tradatur, in Pulpito praesertim satis amplo et spatioso. Quum autem in Metropolitana Ecclesia Compostellana, in qua afferebatur adesse primam consuetudinem (quae tamen etsi vera esset, ab Emo et Rmo D. Cardinali Michaele Garcia Cuesta Archiepiscopo Compostellano per Decretum ut non obligatoria declarata est) ob hanc opinionum varietatem dissensio non levis exorta fuerit; idem Emus Vir Sacram Rituum Congregationem humillime exoravit, ut declarare dignaretur quid in casu esset agendum?

Et Sacra eadem Congregatio, audita prius sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et re mature perpensa, rescribendum censuit: « Servandam esse consuetudinem ». Atque ita rescripsit et servari mandavit in Metropolitana Ecclesia Compostellana.
Die 31 Augusti 1867.

3161. MALACITANA. (5385)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Malacitanae a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem exquisivit; nimirum:

I. Utrum Concionator petere debeat benedictionem a Celebrante intra Missam in Feriis Quadragesimae; siquidem non constat ex Caeremoniali Episcoporum, cum sit usu et consuetudine receptum, ut non petatur Benedictio intra Missam in Feria IV Cinerum, nisi a praesente proprio Episcopo?

II. Utrum Ministri Sacri uti possint Dalmaticis in Dominicis Adventus et Quadragesimae in Ecclesiis, ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad fidelium venerationem, ut lucrentur Iubilaeum, qui dicitur Quadraginta Horarum?

Et Sacra Rituum Congregatio, propositis dubiis, iuxta alias decreta, rescribendum censuit: « Negative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 31 Augusti 1867.

3162. SANCTI HIPPOLYTI. (5386)

Rm̃us D. Ioseph Fessler Episcopus Sancti Hippolyti Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia exhibuit pro opportuna solutione:

I. Episcopus visitationem suae Dioeceseos instituens reperit quod in plerisque Ecclesiis parochialibus Altare principale seu maius non sit Altare fixum, sed tantum ligneum cum Ara lapidea seu portatili. Quaeritur an istud tolerari possit?

II. Altaria autem portatilia plerumque talia sunt, ut ex duabus partibus constent, quarum pars superior est lapis, pars inferior est lignum, et inter lapidem et lignum in quodam concavo spatiolo positae sunt Reliquiae Sanctorum, quae proinde ex una parte lapidem, ex altera parte lignum tangunt; adeo ut sepulcrum pro dimidia sua parte ex lapide, pro altera dimidia parte ex ligno formetur. Quaeritur an haec Altaria portatilia in usu retineri possint?

III. Aliqua Altaria portatilia, licet nec sepulcrum fuerit violatum nec enormis fractura adsit, tenui scissura laborant, quae per medium integrum lapidem decurrit. Quaeritur an per eiusmodi tenuem scissuram, ad instar fili, Altare execratum censendum sit?

IV. Super Altaria fixa cum tabula ex lapide, ubi nec de Ecclesiae ipsius nec de Altaris consecratione ulla extat memoria, nec in scriptis aliquid invenitur, ab antiquo tamen tempore Missa celebrata semper fuit. Quaeritur an possint haberi pro consecratis? et in casu negativo, quid agendum de eiusmodi Altaribus?

V. Item reperiuntur Altaria fixa, quorum sepulcra per Parochos olim aperta fuere, et post repertas Sacras Reliquias iterum clausa. Quaeritur an huiusmodi Altaria pro execratis habenda sint? (1)

VI. An permitti possit Ciborium, seu sacra Pyxis ex cupro deaurato? item Monstrantia et Lunula?

VII. Reperitur apud Antonelli *de Regimine Ecclesiae Episcopalis* lib. 1, Cap. 17 haec assertio: Si Sacerdos bona fide celebraverit cum vestimentis nondum benedictis, poterunt alii Sacerdotes cum iisdem rite celebrare; quia per primam celebrationem bona fide factam, consecrata seu benedicta remanserunt. Quaeritur an hoc in praxi sequi tuto liceat?

VIII. Ubi agitur de Benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii, Pontificale Romanum his verbis tantum utitur: *Die statuto pro eius Benedictione ordinantur omnia etc.*, quin ipse dies accuratius determinetur. Quaeritur an dies pro tali Benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii sic debeat intelligi, quemadmodum habetur in Benedictione Abbatis auctoritate Apostolica, ubi dies debet esse Dominica vel Festiva iuxta expressam ordinationem Pontificalis Romani?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita prius sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature accurateque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Dummodo adsit in Ecclesia solummodo benedicta saltem unum Altare ad modum fixi, quod potest esse ex muro confectum cum ara lapidea, quae portatilis vocatur; reliqua Altaria, maiori non excluso, possunt quidem esse ex ligno cum ara portatili, idque haberi potest etiam in Ecclesia parochiali. Si vero nullum Altare ex muro saltem confectum reperitur, convenit ut unum saltem hoc modo erigatur, ipsumque etiam convenit sit Altare principale ».

Ad II. « Altaria portatilia, uti describuntur in dubio, admitti nequeunt; sed Reliquiae recondendae sunt in sepulcro intra lapidem effosso, et claudendae cum parvo operculo ex lapide etiam confecto ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, provisum in prima ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Affirmative ».

Ad VII. « Negative ».

Ad VIII. « Convenientius fieri die Dominica vel Festiva ».

Atque ita rescripsit et declaravit.
Die 31 Augusti 1867.

3163. IANUEN. (5387)

In Metropolitana Ecclesia Ianuensi Feria V in Coena Domini, Rm̃o Archiepiscopo Pontificante, pro SSm̃i Sacramenti Processione ab immemorabili ea obtinet observantia, qua eidem Archiepiscopo assistentes Diaconus et Subdiaconus, qui in Missa mini-

(1) E. Dub. VI.

strarunt, etiam in prosecutione remaneant ministraturi, recedentibus qui ad Sedem servitium praestiterant.

Tribus tantum abhinc annis Archidiaconus, cui ex Caeremonialis localisque consuetudinis dispositione prima competit assistentia diaconalis ad Sedem, sibi persuasit deberi etiam ipsi continuationem officii eiusdem ad Altare in ministratione Calicis cum SSm̃o Sacramento et in Processione.

Quum autem ex hoc facto non levis exorta esset controversia in Capitulo, eo vel magis quod Archidiaconus ipse in eodem officio exercendo arbitrarie omnino quoad sacras vestes induendas singulis annis gesserit, quumque controversiam enunciatam facile haud erat ex Caeremoniali Episcoporum dirimere; praefatum Capitulum ad Sacram Rituum Congregationem statuit habere recursum, ac cum expressa Rm̃i Archiepiscopi venia et de ipsius Capituli mandato, Archipresbyter Ioannes Baptista Daneri *massarii* munere fungens insequentia octo dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

Dubium I. Num sustineatur observantia Ianuensis, qua Feria V in Coena Domini, qui Diaconi et Subdiaconi in Missa Pontificali munere functi sunt, recedentibus qui erant assistentes ad Sedem, remaneant Archiepiscopo in Processione Ministri et assistentes, ex saltem probabili perantiqua Caeremonialis Episcoporum interpretatione aut ex immemorabili consuetudine?

Dubium II. Sin autem dicta observantia minime sustineatur, soli ne remanere debent ad latera Praesulis Diaconi assistentes ad Sedem, Diacono et Subdiacono Missae recedentibus?

Dubium III. Si soli maneant assistentes ad Sedem, ex eis dignior satisne paratus est sola Dalmatica supra rochetto sine Stola indutus, ut SS. Sacramentum Archiepiscopo porrigat ab eoque recipiat?

Dubium IV. Sin minus, sufficitne Stola super amictu et rochetto sub Dalmatica?

Dubium V. Quo casu, quandonam ab illo Stola sumenda est? anne cum primum se parat pro Missa, an vero immediate ante Processionem? (1)

Dubium VI. Si opus est primo ex eis Diaconis integer habitus Diaconalis, debetne alter coassistens eodem tempore Albam sumere?

Dubium VII. Quod si omnes Canonici, excepto Presbytero assistente, ad Altare Sedemque servientes prope Celebrantem debeant remanere, utrinam Diacono SSm̃um Sacramentum porrigere et recipere competit? Diacono ne Evangelii, an Diacono qui fuit assistens a dextris ad Sedem?

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum sub infrascripto die in ordinario Coetu coadunata, ad relationem Em̃i et Rm̃i D. Cardinalis Nicolai Clarelli Paracciani Ponentis, exquisita prius alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia scriptis reddita praeloque cusa et omnibus mature libratis ac rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « In casu de quo agitur nihil esse innovandum ».

Ad reliqua dubia: « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et in Metropolitana Ecclesia Ianuensi servari mandavit.

Die 29 Februarii 1868.

3164. DUBII. (5388)

Quum Sacra Congregatio de Propaganda Fide communicaverit Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium a R. D. Thoma M. Aulipe pro opportuna solutione propositum, nimirum: Concurrente Secreta et Postcommunione S. Irenaei Episcopi Martyris cum Secreta et Postcommunione e Missa ad petendam pacem desumpta; si ex praecepto Ordinarii addenda sit Collecta pro Pace, cum eaedem sint excepto nomine Sancti, quid faciendum?

Sacra eadem Congregatio, referente Secretario et dubio mature accurateque perpenso, rescribendum censuit: « In casu omittendam esse Collectam pro Pace ».

Die 29 Februarii 1868.

3165. GALLIPOLITANA. (5389)

Hodiernus Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Gallipolitanae et Canonicus eiusdem Ecclesiae a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. Quum ex statutis eiusdem Ecclesiae, Caeremoniarum Magister esse debeat Canonicus, potest ne ipse in pontificalibus functionibus exercere munus suum cum insignibus Canonicalibus super vestem inferiorem violacei coloris?

Dubium II. In dictis functionibus Episcopus memoratae Ecclesiae Cathedralis Gallipolitanae poterit ne permittere suis Cano-

(1) E. Dub. VI.

nicis induere vestem inferiorem violacei coloris, accedente Decreto fel. rec. Francisci primi Siciliarum Regis sub die 25 Septembris 1829?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii propositis dubiis rescribere censuit:

Ad I. « Affirmative, idest cum veste violacea et supra rochettum superpelliceo ».

Ad II. « Negative; et id effici posse solummodo ex concessione Apostolica ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 29 Februarii 1868.

3166. LINGONEN. (5390)

Hodiernus Episcopus Lingonen. Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit; nimirum: Ex indulto per Cardinalem Caprara dato die IX Aprilis anni MDCCCII aliquot dies festos in Gallia suppressos fuisse, ita ut in illis cessaret praeceptum audiendi Missam et ab operibus servilibus abstinendi, atque in subsequentem Dominicam quoad Solemnitatem esse translatos; in eodem autem Indulto eam legem esse adiectam, ut « in Festis Vigiliisque suppressis nihil de consueto Divinorum Officiorum Sacrarumque Caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverant: exceptis tamen Festis Epiphaniae, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sanctorum Patronorum cuiuslibet Dioecesis et Paroeciae, quae in Dominica proxime occurrente celebrabuntur ». Ita Indultum.

At vero decursu temporis et decrescente in dies pietate fidelium ac fervore, paulatim in desuetudinem venit celebratio Missae cum cantu in Festis, quae de praecepto esse desierant: cum enim cessavissent fideles hisce diebus Sacro assistere, neque necessarium neque etiam utile Pastores duxerunt Missam cantare. Vix nunc sunt ex Festis suppressis tria vel quatuor, in quibus plus minusve frequens populus in Dioecesi Lingonensi Sacro adstandi consuetudinem retinuerit.

His expositis, memoratus Episcopus postulavit:

1. An Parochis licitum sit in Festis suppressis non cantare Missam, ubicumque assistendi desiit fidelium consuetudo?

2. An pro Festo Immaculatae Beatae Mariae Virginis Conceptionis, cuius Solemnitas ex speciali Indulto in secundam Dominicam Adventus transfertur in Dioecesi Lingonensi, eodem modo eademque ratione agatur, ac pro Festo Epiphaniae, Sanctissimi Corporis Christi etc.; ut scilicet die incidentiae Missam cantare non teneatur, cum sit in proxima Dominica peragenda Solemnitas?

Sacra vero Rituum Congregatio, postulationibus ipsis a subscripto Secretario relatis, rescribendum censuit: « Observetur Indultum Cardinalis Caprara; ac responsio Sacrae eiusdem Congregationis ad dubium quartum in Aquilana diei 18 Octobris 1818 ». Atque ita respondit.

Die 29 Februarii 1868.

3167. NOVAE SEGOBIAE. (5391)

Rmus D. Ioannes Iosephus Aragones Episcopus Novae Segobiae exposuit usum perantiquum esse in Dioecesi sua deferendi baldachinum in Processionibus, in quibus portantur Sanctorum Imagines; eo tamen modo ut praefatae Imagines non sint sub baldachino, sed baldachinum deferatur post illas. Iamvero cum ex Decreto Generali Sacrorum Rituum Congregationis diei 27 Maii 1826 non liceat unquam Sanctorum Imagines processionaliter sub baldachino circumferre; ab eadem Sacra Congregatione humiliter memoratus Episcopus exquisivit: An usus baldachini post Sanctorum Imagines in prohibitione praefati Decreti comprehendatur? et an non obstante eodem Decreto, attenta immemorabili consuetudine, permitti possit baldachinum ipsum deferri post Sanctorum Imagines?

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, respondendum censuit: « Morem praefatum tolerari posse ». Atque ita rescripsit.

Die 29 Februarii 1868.

3168. RATISBONEN. (5393)

Fridericus Pustet Bibliopola Ratisbonensis, novam Missalis Romani editionem parans, humillime petiit ut Sacrorum Rituum Congregatio de sequentibus dubiis decernere benignissime dignaretur:

I. In permultis Dioecesibus, praesertim ubi Confraternitas Sacri Cordis viget, *Missae votivae de Sacro Corde Iesu,* quando a Rubricis permittuntur, saepe tam a Confraternitatum statutis quam a piis fidelibus postulantur. Attamen Missa, quae in Missali post Festa mensis Maii inserta et in universa Ecclesia praescripta est, neque Tractum post Septuagesimam, neque *Alleluia* cum suis versibus tempore Paschali conti-

net. Plurimi Sacerdotes hac de re conqueruntur, putantes eiusmodi Tractum vel *Alleluia* ob Editoris culpam in Ratisbonensi Missalis editione desiderari.

Quaeritur ergo 1. Quisnam Tractus post Septuagesimam, et qui Versus tempore Paschali in eiusmodi Missis votivis dicendi sint? 2. Utrum liceat Tractum vel Versus dicere, qui in Missa *Egredimini* de eodem Festo pro aliquibus locis concessa pro Missis votivis designatur? 3. Quid liceat in corpore Missalis in Missa de Ss. Corde Iesu ratione praedictarum Missarum votivarum apponere?

II. In Rubrica, quae praeponitur Praefationi de Cruce in tono *feriali* cantandae, desideratur hucusque additamentum de Missis votivis SS. Cordis et Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. Quaeritur ergo utrum haec Rubrica ita concludi possit: « Et in Missis votivis de Sancta Cruce, de Sacro Corde ac de Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. ».

III. Nulla reperitur in Missali Romano Praefatio de Nativitate D. N. I. C. in tono feriali cantanda. Attamen in pluribus Dioecesibus, singulis Feriis V, Missa votiva de SSmo Sacramento cantatur, quando Rubricae eam admittunt. Quaeritur itaque 1. Utrum in eiusmodi Missis votivis Praefatio in tono solemni cantanda sit; an in feriali? 2. Si ultimum affirmetur, humillime petitur, ut in Missali apponere liceat cantum ferialem eiusdem Praefationis, et ut locus assignetur, quo in Missali inserendus sit; ac Rubrica praescribatur, quae huic Praefationi feriali praeponi debeat. Videtur enim haec Praefatio ferialis toni locum habere vel immediate ante Praefationem in diebus ferialibus Quadragesimae, vel post Praefationem toni ferialis de Spiritu Sancto; et sequentem Rubricam postulare: « Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SSmo Nomine Iesu, de SSmo Sacramento et de SSmo Corde Iesu ».

Sacra vero eadem Congregatio, habita prius sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti eiusdem Sacrae Congregationis Secretarii, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « In Corpore Missalis in Missa Sacri Cordis Iesu post Graduale quod per annum legitur, apponantur sequentia: *In Missis votivis post Septuagesimam post Graduale, omissis Alleluia et ℣. sequenti, dicitur Tractus:* EGO AUTEM etc. ut in Missa pro Dioecesi Venetiarum. — Tempore Paschali *Alleluia, Alleluia.* ℣. Psal. 29 *Domine, Deus meus, etc.* ut in eadem Missa ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Dummodo ea Missa votiva non sit solemnis et pro re gravi, idest dummodo ea cantetur sine *Gloria* et sine *Credo,* Praefatio de Nativitate canenda est tono feriali ».

Sacra vero eadem Congregatio indulget ut ad commoditatem sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis, et ultimo prorsus loco, apponi possit Praefatio de Nativitate cum hac Rubrica « *Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SSmo Sacramento, et de SSmo Nomine Iesu* ».

Die 29 Februarii 1868.

3169. SANCTIMONIALIUM (5394) PERPETUAE ADORATIONIS SS. SACRAMENTI CIVITATIS NEAPOLITANAE.

Sanctimoniales perpetuae Adorationis SSmi Sacramenti, in Asceterio Civitatis Neapolitanae degentes, exposuerunt se frui privilegio persolvendi Officium Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis in III Septembris Dominica sub ritu duplici primae classis cum octava privilegiata, in qua fieri debet tantum Commemoratio Festorum occurrentium. Exceptio tamen statuitur pro Festis duplicibus tum primae tum secundae classis, in quibus fit de Sanctis occurrentibus cum commemoratione octavae. Quum autem in hac octava et Feriae Quatuor Temporum et Vigilia S. Matthaei occurrere possint, quando non occurrant Festa duplicia primae et secundae classis, videtur iuxta Rubricam Missalis § III, n. 2. Missam debere esse de Feria aut de Vigilia cum commemoratione tum octavae tum Sanctorum occurrentium. Verum cum dubium de hac re subortum sit, ac usus coloris violacei aliquam in fidelibus admirationem pariat in iisdem diebus; Superiorissa earumdem Sanctimonialium a Sacra Rituum Congregatione humiliter petiit: Anne octava praedicta, cum sit privilegiata, sequi debeat regulam communem; vel aequiparari debeat octavae Corporis Christi, in qua iuxta citatam Rubricam, occurrente Vigilia aliqua, celebrari debet Missa de octava cum commemoratione Vigiliae?

Et quatenus negative ad secundam partem, postulatur privilegium celebrandi Missam de octava Festi Septem Dolorum Virginis in Feriis ac Vigiliis, quae infra eamdem

octavam occurrunt, cum commemoratione tantum Feriae vel Vigiliae.

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Oratrices nullo egere Indulto; siquidem Missa in casu debet esse de Octava cum Commemoratione Feriae vel Vigiliae ». Atque ita rescripsit.

Die 29 Februarii 1868.

3170. DERTUSEN. (5395)

Etsi iam inde a temporibus s. m. Hadriani VI Summi Pontificis Episcopi Dertusenses utantur rubro bireto ad instar S. R. E. Cardinalium, feraturque hunc usum procedere a praedicto Pontifice, qui Dertusensem Sedem obtinuit; tamen hodiernus Episcopus, ut in hac re securius procederet, inter cetera postulata quae in Relatione status Ecclesiae suae Sacrae Congregationi Concilii exhibuit, illud etiam addidit: « Num usus hic per tria et amplius secula ab Episcopis Dertusensibus adhibitus sustineretur ».

Quum autem pro postulati ipsius resolutione ab enunciata Congregatione ad hanc Sacrorum Rituum remissus fuerit Episcopus memoratus, cumque ad hoc idem Episcopus supplicia vota sua porrexerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunati, rem ad trutinam vocarunt eaque mature discussa et examinata, rescribere rati sunt: « Quatenus certo constet de consuetudine immemorabili, non esse inquietandum ». Atque ita rescripserunt.

Die 27 Iunii 1868.

3171. NUCERINA PAGANORUM. (5396)

Rector ac duodecim Sacerdotes insigniti, inservientes Ecclesiae Beatae Mariae Virginis de Carmelo in Oppido Paganorum Dioecesis Nucerinae, ex Litteris Apostolicis in forma Brevis datis die 29 Novembris anni 1864, facultatem obtinuerunt utendi in perpetuum sacro almutio in omnibus sacris functionibus collegialiter peragendis. Quum autem die XXV Aprilis in Festo Sancti Marci in eadem Dioecesi mos sit, ut a toto Clero obedientiae actus praestetur Rmo Ordinario Dioecesano, Sacerdotibus praedictis an. 1867 denegata fuit praecedentia super reliquo Clero non insignito sacro almutio; quam quidem praecedentiam superioribus annis 1865 et 1866, annuente Rmo Vicario Generali, assequuti fuerant. Etsi autem memorati Sacerdotes penes eumdem Vicarium protestationem suam emiserint; tamen, ut scandalis quibuscumque in posterum via praecidatur, a Sacra Rituum Congregatione insequentium duorum dubiorum solutionem enixe postulaverunt; nimirum:

Dubium I. An actus obedientiae considerari debeant ut religiosae et sacrae functiones? et quatenus affirmative,

Dubium II. An supradictis duodecim Sacerdotibus, collegialiter convenientibus ad obedientiae actum et sacro almutio indutis, praecedentia super reliquum Clerum simplicem non insignitum debeatur?

Sacra eadem Congregatio, exquisita prius informatione a Rmo Dno Ordinario Dioecesano, nec non sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, et re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Praecedentiam iisdem deberi post Capitula Collegiata et post Parochos ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit in Dioecesi Nucerina et Oppido Paganorum.

Die 27 Iunii 1868.

3172. MASSEN. (5397)

Rmus D. Iacobus Bernardi Episcopus Massen. exposuit in Oppido Castrinovi in Carferomana intra limites Dioeceseos suae Parochum Ecclesiae ipsius Oppidi Abbatis mitrati titulo insigniri, qui quoad Pontificalia exercenda plura sibi tribuit privilegia. Quum autem Episcopus orator vehementer dubitet num privilegia quae sibi in iisdem Pontificalibus exercendis memoratus Abbas attribuit, eidem legitime debeantur; Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur dubia pro opportuna solutione exhibenda curavit; nimirum:

I. An praefatus Abbas plura intra annum Pontificalia peragere queat; non tantum in Ecclesia parochiali et Abbatiali, sed etiam in Ecclesiis minoribus et Oratoriis publicis, quae sunt intra limites ipsius Paroeciae?

II. An in Missa Pontificali elargiri possit trinam benedictionem?

III. An in Pontificalibus tres mitras, uti Episcopus, adhibere et ipse valeat?

Sacra vero eadem Congregatio, deductis iuribus mature examinatis, auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, quoad primam partem, absente tamen Episcopo; Negative, quoad secundam ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 27 Iunii 1868.

3173. SANCTIMONIALIUM (5398)
PERPETUAE ADORATIONIS
SS. SACRAMENTI.

Sanctimonialibus praedictis Modoetiae existentibus ac postulantibus:

1. An in casu deficientiae redituum, in Expositione SSmi Sacramenti lumina ex oleo, saltem ex parte, substitui possint luminibus cereis?

2. Et si negative, petitur indultum ut hoc fiat ex dispensatione.

Sacra Rituum Congregatio rescripsit: « Negative ad utrumque ».

Die 27 Iunii 1868.

3174. ORDINIS (5400)
EXCALCEATORUM
S. AUGUSTINI.

Rev. Pater Constantinus a S. Ioanne Baptista hodiernus Prior Conventus Ordinis Excalceatorum S. Augustini in Civitate Ianuensi, cui demandatum est munus conficiendi Calendarium pro Alumnis dicti Conventus, incertus haesit an in eodem Calendario, praeter praecipuos Regni et Civitatis Patronos, Titularem Ecclesiae Metropolitanae eiusdemque Anniversarium Dedicationis, locum etiam habeant Sanctorum et Beatorum Officia quae, instantibus Republica Ianuensi et Sardiniae Regibus, utrique Clero indulta sunt; itemque Officia illa, quae ex particulari concessione Sanctae Sedis in praedicto Conventu recitabantur, non obstante Decreto, quod ad enixas preces Rmi Patris Iosephi Palermo tunc Procuratoris Generalis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini concessit s. m. Gregorius Papa XVI die 30 Martii 1846: et in quo cavetur quod ad inducendam uniformitatem in Divinis persolvendis Laudibus inter utriusque sexus Alumnos enunciati Ordinis; in eorumdem Calendario non alia in posterum sint admittenda Officia, quam illa ad quae vel ex Rubricis vel ex Decretis etiam Regulares teneantur. Ad omnem igitur dubietatem tollendam, memoratus Pater a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

I. An in Calendario ad usum praedicti Conventus in posterum ordinando, locum habere debeant illa Sanctorum et Beatorum Officia, quae, instantibus Republica Ianuensi et Sardiniae Regibus, utrique Clero Seculari et Regulari concessa sunt?

II. An saltem locum habeant in eodem Calendario Officia, quae ex particulari concessione Sanctae Sedis enunciato Conventui concessa fuere ante memoratum Decretum anni 1846?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii et re mature accurateque perpensa, auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, attento etiam supramemorato Decreto diei 30 Martii anni 1846, in casu de quo agitur rescribendum censuit: « Negative ad utrumque ».

Declaravit insuper, relate ad Officium Sacrarum Reliquiarum, quod retineri illud quidem possit sub ritu duplici secundae classis: attamen celebrandum sit eadem die, qua in Calendario Ordinis peragitur Festum Sacrarum Reliquiarum seu Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiae in Ecclesiis Ordinis asservantur.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 27 Iunii 1868.

3175. LIMANA. (5401)

Caeremoniarius Metropolitanae Ecclesiae Civitatis Limanae suppliciter postulavit, ut Sacra Rituum Congregatio sequentia dubia solvere dignaretur; nimirum:

Dubium I. In Anniversario Dedicationis Ecclesiae Metropolitanae Limanae Civitatis fit Processio in circuitu interiori Ecclesiae et Cruces Consecrationis incensantur. Iam vero ab aliquibus Sacrarum Rubricarum minime peritis asseritur, quod Cruces laudatae incensari debeant a Canonico celebrante flexis genibus, omnibus aliis circumstantibus simili modo genuflexis. Dicunt quod haec consuetudo semper viguit in hac Cathedrali; sed videtur omnino ex ignorantia; nam Crux Altaris et ipsa Reliquia SSmae Crucis non est incensanda a Celebrante genuflexo. Petitur igitur ut Sacra Congregatio declaret, tali modo ut ab omnibus intelligi possit: 1. An Cruces supradictae incensari debeant a Celebrante flexis genibus? 2. An ab aliis ciscumstantibus genuflexis adorari debeant?

Dubium II. In die Solemnitatis Corporis Christi habet locum in Ecclesia Metropolitana Expositio SSmi Sacramenti, quam Iubilaeum circulare vocant, huic Civitati concessum a s. m. Pio Papa VII. In fine Missae fit Processio secundum ritum cum Hostia in Missa consecrata, obducto velo Sacramento, quod super Altare maius in loco eminentiori exponitur in Ostensorio fixo iuxta morem Ecclesiarum Hispanarum. Volunt aliqui ut in fine Processionis non detur Benedictio cum SSmo quod a Celebrante fertur in Processione; quia, ut dicunt, non terminatur expositio SSmi Sacramenti, quod statim, peracta Processione, iterum educto velo usque ad noctem permanet expositum. Quaeritur ergo: An dari debeat benedictio in fine Processionis secundum ritum, vel non? (1)

Dubium III. In Ecclesia Metropolitana a die 20 Octobris usque ad diem 28 inclusive canitur quotidie Missa *pro quacumque tribulatione* ante SSmum Sacramentum expositum, in memoriam horrendi terraemotus, qui fere destruxit hanc Civitatem anno 1746. Sacerdos et Ministri induuntur in Sacristia paramentis violaceis, et sic procedunt ad Altare maius ad SSmum Sacramentum exponendum. Quod cum vidisset Caeremoniarius, non bene visum est ei, ut fieret haec expositio cum indumentis violaceis; sed voluit ut in Expositione et Repositione SSmi adhiberetur pluviale album, et ad Litanias tantum et preces cantandas paramenta violacea. Sed cum propter hoc multae contradictiones exortae sint, ad eas in posterum evitandas; quaeritur: utrum liceat in casu praesenti uti solummodo colore violaceo? an vero in expositione et repositione SSmi adhiberi debeat albus color?

Dubium IV. An Canonici, quibus conceditur usus palmatoriae, possint ea uti in Missis solemnibus Defunctorum?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, propositis dubiis mature accurateque perpensis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad utrumque ».

Ad II. « Post Processionem SSmi Sacramenti cum eodem danda est benedictio: hanc enim ritus exposcit. In ceteris serventur dispositiones s. m. Pii Papae VII pro concessione Iubilaei ».

Ad III. « Exposito SSmo Sacramento, si canitur Missa pro quacumque tribulatione et statim sequuntur Litaniae, Benedictio et Repositio SSmi Sacramenti, omnia in paramentis violaceis sunt peragenda: si vero Missa non habeatur, sed tantum preces, tunc in Expositione et Repositione SSmi Sacramenti color albus est adhibendus ».

Ad IV. « Affirmative; nisi aliter notetur in Brevis concessione ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 27 Iunii 1868.

3176. CELSONEN. (5402)

Rmus Dominus Vicarius Capitularis Dioeceseos Celsonen. Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit; nimirum:

In Oppido Sanctae Mariae, cui nomen *Sborra* huiusce Dioeceseos, Reliquiam coli Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi sequenti de causa: quum praelaudati Oppidi Parochus, Bernardus Oliver nomine, inter Missae celebrationem dubitasset num sub panis et vini speciebus esset realiter Christus in Eucharistia, subito qui erat in Calice celebrantis Sanguis Dominicus exuberavit, irrigans corporalia et Altaris mappas, non iam vini, sed veri Sanguinis specie.

Huius prodigii causa, S. Sedem fuisse exoratam, ut id factum examinaret, authenticumque, si ei placuisset, decerneret; quod ipsa effecit, servatis servandis, iuxta Bullam a Sergio IV anno secundo sui Pontificatus expeditam: declaravitque factum illud inter vera miracula recensendum et propter illud fidelibus, Confraternitati in eadem Parochia erectae inscriptis, privilegia innumera concessit: cuius Bullae Pontificiae authenticum testimonium in Archivo Parochiali praedicti Oppidi asservatur.

Corporalia illa exuberante sanguine imbibita etiam nunc in dicta Parochia inter decentem thecam religiose conservari, perfecte tincta rubenti sanguine permanentia.

Hisce corporalibus ab immemorabili (et absque dubio ab epocha facti mirandi) latriae cultum tributum esse.

Recenter vero a nonnullis dubitatum est de legitimitate praedicti cultus, sumpta occasione ex Decreto a Sacra Rituum Congregatione lato die 22 Septembris anni 1827 pro casu, qui accidit in Ecclesia S. Am-

(1) E. Dub. III.

brosii Oppidi *Valpolicella* Dioecesis Veronen.; cui hunc de quo exponitur partim similem ipsi dicunt, etsi in multis, quae substantialia videntur, perdissimilem esse ultro confiteantur.

Ne tamen hac in re leviter procederet, cognito quod in huic conterminae Dioecesis Vicensis Oppido, cui nomen *S. Ioannes de las Abadesas,* extitit casus nostro persimilis (ibi enim ab anno 1251 hostia asservatur consecrata), inquisivit qualis ipsi cultus tribueretur? et comperit cultum tribui latreuticum approbatum, promotumque ipsum esse a 70 et amplius Praelatis, quos inter Cardinales et Archiepiscopi extant, et Sacram Rituum Congregationem Decreto indulsisse ut posset celebrari quotannis Missa votiva de SSm̃o Sacramento, die quo Festum huius miraculi, SSm̃i Mysterii dicti, celebratur.

Quapropter quum pro Reliquia Pretiosissimi Sanguinis Redemptoris, quae in memorato *Sborrae* Oppido colitur, eaedem, ut videtur, quam pro illa *S. Ioannis de las Abadesas* rationes militent; hinc praefatus orator ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit ut declarare dignaretur praefatam Reliquiam, sine labe superstitionis, latriae cultu esse adorandam.

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario et omnibus mature libratis riteque perpensis, auditoque voto tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rm̃i D. Laurentii Advocati Salvati eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris, rescribendum censuit ad tramitem Decreti in una Veronen. diei 22 Septembris 1827, nimirum: « In casu de quo agitur, permittendae tantummodo sunt illae venerationis et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce Domini Nostri Iesu Christi. Atque ita decrevit et servari mandavit ».

Die 27 Iunii 1868.

3177. DECRETUM GENERALE. (5403)

Post liturgicas recentiores leges a Summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII, Paulo V et Urbano VIII conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas: « An in Missis defunctorum aperiri possit tabernaculum ad fideles pane Eucharistico reficiendos ». Sacrorum Rituum Congregatio prima vice interrogata, in una Albinganen. 24 Iulii 1683 ad 2, respondit: *Non esse contra ritum ministrare Communionem in Missa de Requie, vel post illam cum paramentis nigris, omissa benedictione, si administraretur post Missam.*

Verum controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, quin unquam ad Generale Decretum deveniret. Interea ex nonnullorum Doctorum placitis, tum pervasit opinio posse nempe fidelibus Sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis; tum in aliquibus locis mos invaluit Missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam sed etiam ante vel post eamdem pietati fidelium Sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret. Quapropter, Episcopis praesertim Sacrorum Rituum Congregationem saepissime rogantibus ut per Generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret;

Sacra eadem Congregatio anno 1823 edixit ut gravis haec quaestio *videretur peculiariter et ex Officio.* Quod iterum anno 1837 ad dubium: *An mos qui perdurat adhuc, communicandi in Missis defunctorum cum particulis praeconsecratis, possit permitti?* responsum est: *Dilata.* Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias isthaec peculiaris negotii huiusmodi salebrosi disquisitio ad aetatem usque nostram dilata fuit; siquidem in Conventu die 16 Septembris anni 1865 collecto, cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in Altari ubi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio: *Dilata, et reproponatur una cum alio dubio: An Sacerdos possit aperire ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris.*

Tandem novis supervenientibus Sacrorum Antistitum precibus, die 3 Martii anni 1866, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis propositum fuit dubium una cum sententia, quam ex officio aperuit alter e Consultoribus: « *An sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos fideles in paramentis nigris?* » Verum Em̃i et Rm̃i Patres Cardinales responderunt: *Dilata; et scribat alter Consultor, nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus, habita praesertim ratione relate ad opportunitatem.*

Typis traditis communicatisque hisce sententiis tum Rm̃i Assessoris tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris specialiter deputati, Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunata est: ubi Em̃us et Rm̃us

Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani, loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi Praefecti absentis, idem proposuit dubium;

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature accurateque perpensa etiam quoad opportunitatem, responderunt: « Affirmative seu posse in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo Pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2 Novembris Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum ».

Et ita decreverunt ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt.

Die 27 Iunii 1868.

Facta autem per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit, die 23 Iulii eiusdem anni 1868.

3178. SALTEN. (5404)

Rmus D. Bonaventura Rizo Episcopus Salten. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod Altaria Ecclesiarum Dioeceseos sibi commissae, in quibus Feria V in Coena Domini SSmum Eucharistiae Sacramentum asservatur, perpulchre quidem ornari soleant; attamen absque statuis, imaginibus aliisque repraesentationibus. Verum Regulares Missionarii Ordinis Seraphici Sancti Francisci in hac Civitate a duobus vel tribus annis statuas et alia similia ponere coeperunt in hunc modum; videlicet: Passionis Dominicae aliquas scenas repraesentant, imagines et statuas de novo absque Episcopi approbatione collocant, imo etiam hoc praesente anno Imaginem D. N. I. C. in horto orantis et angelum ipsum confortantem posuerunt; ita tamen ut, positis genibus, manibus ad coelum extensis, tunica aperta et pectore discooperto et denudato appareat, nulla habita ratione narrationis Evangelistarum, nempe S. Matthaei cap. XXVI v. 32 usque ad 47; S. Lucae cap. XXII v. 41 usque ad 47; S. Marci cap. XIV v. 23 usque ad 43; S. Ioannis cap. XVIII v. 4 et seq.; unde accidit ut quidam litteralis narrationis Sancti Evagelii veracitatem alteri cuidam libro postponerent, quod mirum non est in hisce regionibus, in quibus Bibliorum studium non multum curatur. Iudas etiam apparebat ad Dominum accedens cum cohorte in actu ipso orationis et confortationis, Apostolorum dormientium statuis longius apparentibus, ut is Dominum in actu orationis repente invenisset; quod procul dubio textui evangelico contradicit, cum iuxta ipsum, Dominus Iesus postquam oravit, discipulis annuntiaverit proditoris adventum et processerit Iudae et cohorti in occursum. Porro haec omnia fidem in Evangelium et litteralem Ss. Evangelistarum narrationem minime servant, sed potius contradicunt; cum plures, prout repraesentatum est et non prout narratur in Evangelio, accidisse crediderint. Accedit quod SSmum Sacramentum sub talibus statuis et arborum picturis in quadam parvae speluncae specie, et super plano presbyterii collocatum sit, quin collocaretur nec collocari possit Altare, et super eum sex candelabra etc. iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum Lib. 2, cap. 23, § 2 et Rubricarum Missalis dicta Feria V in Coena Domini. Super dictam etiam speluncae speciem et super SSmum Sacramentum, Laicus quidam Conventus continuo ascendebat et deambulabat, lampades quae erant coram statuis curandi gratia, coram populo circumstante.

Praeterea populus magis ad statuas et picturas quam ad Sanctissimum Sacramentum attendit, et plurimae irreverentiae locum habent, in hisce repraesentationibus, quae etiam usque post Sanctum diem Paschae asservantur.

Attentis expositis et scandalis quae occasione huiusmodi repraesentationum vitari non possunt, ab eadem Sacra Congregatione humillime postulavit solutionem sequentium dubiorum:

Dubium I. Utrum huiusmodi repraesentationes in Sacello, in quo Feria V maioris Hebdomadae reponi debet Hostia consecrata, tolerari possint? et quatenus negative,

Dubium II. An Regulares ab Episcopo coerceri possint ad huiusmodi repraesentationes non faciendas?

Quum autem haec dubia, super quibus votum suum typis cusum exaravit alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in

Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulisset Emus et Rmus Cardinalis Aloisius Bilio huius Causae Ponens constitutus; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Usum expositum esse contrarium Caeremoniali Episcoporum et Rubricis Missalis Romani; et in casu de quo agitur, Episcopus curet illum eliminari etiam auctoritate Sacrae Rituum Congregationis ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripserunt et declararunt.

Die 26 Septembris 1868.

3179. VIGLEVANEN. (5405)

Decretis Sacrae Rituum Congregationis, uno quidem diei 13 Septembris 1692 ab Innocentio Papa XII approbato, et altero diei 12 Septembris 1716 approbato a s. m. Clemente Papa XI statutum fuit, si Feria V in Coena Domini Festum de praecepto incideret, *per Ordinarios Locorum providendum esse ut, pro Civitatum et Pagorum qualitate ac Christi fidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae ante celebrationem Missae conventualis pro praecepti adimplemento celebrandae non desint.* Verum quum modo in Ditione Pedemontana ob reductionem Festorum a SSmo Dño Nostro Pio Papa IX indultam Litteris in forma Brevis diei 6 Septembris 1853, non amplius de praecepto celebrentur Festa Annuntiationis B. M. V. et S. Iosephi eiusdem Virginis Sponsi, quae Festa pro Dioecesi Viglevanensi incidere poterant in memoratam Feriam V, videntur praedicta indulta diei 13 Septembris 1692 et 12 Septembris 1716 amplius locum non habere, cum iisdem diebus praecepto Sacro adstandi fideles enunciatae Dioeceseos non teneantur. Sed cum ex citatis Litteris, quoad Chori servitium, celebrationem Missarum ac alias ecclesiasticas functiones, nihil innovari debeat; Sacerdos, cui Calendarii Dioeceseos Viglevanen. conficiendi cura commissa est, humillime a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit: Quaenam norma servanda sit, cum in Feriam V in Coena Domini incidit Festum aliquod, quod prius sub utroque praecepto celebrabatur?

Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunati, audita relatione huiusmodi instantiae a subscripto Secretario facta et re mature accurateque perpensa, declarandum censuerunt: « Attentis expositis, non esse amplius locum concessioni Indulti celebrationis aliarum Missarum ». Atque ita declararunt.

Die 26 Septembris 1868.

3180. ANICIEN. (5406)

Iosephus Fayolle Presbyter Eleemosynarius seu Capellanus Confessarius Sanctimonialium Beatae Mariae in Civitate Aniciensi in Galliis, a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit ut diebus Dominicis et Festis sibi suisque successoribus liceat praeesse cum Stola et pluviali in Choro Ecclesiae dictarum Sanctimonialium, cancellis separato a ceteris partibus, in quibus intersunt Sanctimoniales cum suis alumnis dum cantantur Vesperae de Beata Maria: illae enim Sorores ad Officium Beatae Mariae Virginis ex regula tenentur et Officium diei iuxta Rubricam cantare repugnant. Solemnis autem praesidentia Presbyteri Sanctimonialium Vesperis pietati et fidelium et alumnarum plurimum favet.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione per infrascriptum Secretarium facta, rescribere rata est: « Usum praedictum tolerari non posse; ideoque ad petitionem: Negative ». Atque ita declaravit.

Die 26 Septembris 1868.

3181. GADICEN. seu GADITANA (5407)

Quum dubium exortum fuerit num in Officio Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. immutanda sit Hymnorum conclusio; Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Gaditanae a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit, ut declarare dignaretur: An in praedicto Festo immutanda sit conclusio in fine Hymnorum, ita ut concludi debeant: *Iesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine?*

Sacra vero eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: « Negative; seu non esse mutandam Hymnorum conclusionem ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 26 Septembris 1868.

3182. DIVIONEN. (5408)

Renatus Bauzon Canonicus Titularis et Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Divionen. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod Capitulum praedictum Divionense constet octo Canonicis: quod Of-

ficium divinum a Canonicis peragatur alternis vicibus: quod ex gravi necessitate diebus ferialibus Missa Conventualis celebretur lecta et quod in Missa conventuali lecta, dissentiente humili oratore, Canonici se non adstrictos existiment ad observanda ea quae circa genuflexiones in Rubricis Missalis Tit. XVII, N. 5 praescripta sunt. Verumtamen agitur de re summi momenti, quae respicit cultum divinum; quare ipse sui muneris esse duxit eamdem Sacram Congregationem adire et ab ipsa postulare ut declarare dignaretur num Canonici praesentes Missae Conventuali lectae adstringantur praedicto Titulo XVII, N. 5.

Et Sacra Congregatio, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit: « Servetur consuetudo ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Septembris 1868.

3183. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA RECOLLECTORUM. (5409)

Fr. Natalis Neuteleers, Provinciae Belgii Sancti Iosephi Fratrum Minorum de Observantia Recollectorum Minister Provincialis, humiliter exposuit Sacrae Rituum Congregationi infrascriptum punctum Rubricarum non posse in sua Provincia observari sine gravi incommodo: quare humiliter petiit dispensationem; videlicet: Caeremoniale Episcoporum Lib. 1, cap. 28, § 2 et 13 prohibet ne in Dominicis Adventus et Quadragesimae etc., item ne in Missis et Officiis Defunctorum Organum adhibeatur. In praefata autem Religiosa Provincia totum quod iuxta Caeremoniale Episcoporum, Sacra Rituum Congregationis Decreta vel Rubricas Missalis cantandum est, sive in Missa sive in Officiis divinis, ab ipsis Religiosis, nunquam ab extraneis cantatur, etiam in minoribus Conventibus seu Residentiis, ubi ordinarie nonnisi valde exiguus numerus Religiosorum, qui cantare possunt, habetur. Hinc ab eadem Sacra Congregatione postulavit orator ut etiam in praedictis Dominicis et in Missis et Officiis Defunctorum Organum adhiberi possit ad cantum sustentandum; ea tamen lege ut in Officio Defunctorum nulla antiphona, nullus versus, nullum responsorium vel quid aliud ab Organo resumatur, sed totum Officium integre a Religiosis decantetur.

Sacra vero ipsa Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta rescribere rata est: « Serventur Rubricae ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Septembris 1868.

3184. RHEDONEN. (5410)

Quum quaedam exorta fuerint dubia circa colorem Paramentorum, quibus induitur Episcopus quando Defunctorum Exequiis aut praeest aut assistit, Rm̃us D. Godefridus Brossais-St. Marc Archiepiscopus Rhedonen. a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit:

1. Num nigra indui debeat veste talari, vulgo *soutane*?

2. Num nigra mozzetta?

3. Num omni prorsus operis phrygii ornamento carere debeant tum alba tum rochettum, quibus iis in circumstantiis induitur?

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta et re mature perpensa, ad omnia rescribere rata est: « Servetur consuetudo ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Septembris 1868.

3185. TLASCALEN. (5412)

Rm̃us D. Carolus Maria Colina Episcopus Tlascalen. in Mexico exponens Sacerdotes suae Dioeceseos ex antiqua consuetudine Stolam adhibere non solum in Ecclesiasticis functionibus sed etiam in praedicatione, a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit ut ipsa declarare dignaretur quibus in casibus a Sacerdotibus sit adhibenda Stola?

Et Sacra eadem Congregatio, audita tum relatione a subscripto Secretario facta, tum voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declaravit: « Stolam a Sacerdote adhibendam esse quum conficit aut administrat Sacramenta, aut Officium aliquod facit quo Stola adhibenda sit; aut etiam cum concionatur, si in eo loco adest consuetudo ». Atque ita declaravit.

Die 26 Septembris 1868.

3186. TLASCALEN. (5413)

Rm̃us D. Carolus Maria Colina Episcopus Tlascalen. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit Formulam Ritualis Romani circa administrationem SSm̃i Sacramenti esse: *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.* In Pontificali autem Romano pro Episcopo Eucharistiam administrante Ordinandis aliam reperiri formulam, videlicet: *Cor-*

pus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam. Amen. Quum autem ipse anceps haereat quam formulam adhibere debeat cum fidelibus sacram Synaxim administrat, num illam quae in Pontificali invenitur, aut illam quae extat in Rituali; et quum super hoc nihil innuat Caeremoniale Episcoporum; a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit ut proposito dubio satisfacere dignaretur.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit: « Formula Pontificalis utendum esse in Communione Ordinandorum; in aliis autem utendum esse formula Ritualis ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 26 Septembris 1868.

3187. VICARIATUS APOSTOLICI (5414) DE MARYSVILLE.

Rm̃us D. Eduardus O'Connel Vicarius Apostolicus de Marysville a Sacra Rituum Congregatione expostulavit, an permitti possit ad spirituale fidelium emolumentum ut in Ecclesiis et publicis Oratoriis Vicariatus praedicti elargiri valeat benedictio SSm̃i Sacramenti secunda et etiam tertia hora post solis occasum?

Huiusmodi vero instantia in Sacra Rituum Congregatione a subscripto Secretario relata, Sacra ipsa Congregatio rescribere rata est: « Servetur consuetudo ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Septembris 1868.

3188. NUCERINA. (5416)

Rm̃us Antonius Maria Pettinari Episcopus Nucerinus, quando assistit Missae solemni cum cantu celebratae, sive pluviali sive cappa indutus, anceps haeret an pileolum statim post consecrationem possit reassumere. Caeremoniarum Magister qui ei inservit morem hunc sequitur; attamen cum alii diversam teneant opinionem, ut in hac re quaecumque cesset dubitatio, a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit utri opinioni adhaerere ipse debeat?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subcripti Secretarii, respondendum censuit: « Servetur consuetudo ».

Die 5 Decembris 1868.

3189. LINGONEN. (5417)

Nicolaus Prosper Maguère, Sacerdos et in Seminario Lingonensi Sacrae Liturgiae Professor, a Sacra Rituum Congregatione solutionem sequentium dubiorum humiliter expostulavit; nimirum:

Dubium I. Anno 1869 Festum Annuntiationis B. M. V. incidet Feria V in Coena Domini, et iuxta Rubricas Officium et Missam reponendum est in Feria II post Dominicam in Albis. Quaeritur autem: An Missa pro populo debeat applicari Feria V in Coena Domini; vel e contra Feria II post Dominicam in Albis? Ratio dubitandi est, quia in Gallia per concordatum diei 9 Aprilis 1802 sublata est obligatio abstinendi ab operibus servilibus et Sacrum audiendi in Festo Annuntiationis.

Dubium II. Eodem anno 1869 Festum S. Marci occurret Dominica IV post Pascha. Porro quaeritur An Missa Processionis celebranda sit ut in Missali praescribitur post Dominicam V in colore violaceo, sine *Gloria* et sine *Credo* cum cantu feriali, etiam in Ecclesiis in quibus celebratur unica Missa Processionis?

Sacra vero eadem Congregatio post accuratum eorumdem dubiorum examen rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative in omnibus; iuxta Decreta alias edita et praesertim in una Briocen. diei 14 Augusti 1858 ad dubium II ».

Atque ita rescripsit.

Die 5 Decembris 1868.

3190. RHEMEN. (5418)

Ioannes Baptista Principius Suillet Vicarius Generalis Rm̃i Dñi Archiepiscopi Rhemen., Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod iuxta consuetudinem Vicariorum Generalium Rhemensium a pluribus annis habitam, ipse facultatibus a Sancta Sede praefato Rm̃o Archiepiscopo per varia indulta concessis, vice et loco ipsius Archiepiscopi posse uti existimavit et reipsa per menses quindecim bona fide usus est, deputando ad benedictionem Nolarum Sacerdotes idoneos Archidioeceseos Rhemensis, servata forma et tenore indulti.

At vero quum modo in dubium venerit praedicta facultate valide usus fuerit orator, ex eo quod forma et tenor indulti non referat quod sit Vicariis Generalibus communicabilis; quaeritur: Num praedicta facultate valide ipse usus sit? Et in casu negativo sanationem, quatenus opus sit, postulat.

Sacra vero eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, respondendum cen-

suit: « Consulendum SSmo pro petita sanatione; et orator non amplius illud efficiat ».

Die 5 Decembris 1868.

Facta autem, die 10 eiusdem mensis et anni 1868, de praemissis per infrascriptum Secretarium SSmo Dno Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua petitam sanationem, quatenus opus sit, indulsit ad normam superioris Rescripti.

3191. SYREN. (5419)

Rmus Dnus Iosephus Maria Alberti Episcopus Syren. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum: (1)

Dubium I. Quum Superior Regularis, aut alius pro eo, recipit Episcopum Ordinarium ad ingressum Ecclesiae suae ac ei aspersorium porrigit, praeter superpelliceum deferre ne debet etiam Stolam? Et quatenus affirmative, potest ne hoc facere percurrens una cum Episcopo partem Conventus causa comitandi illum usque ad portam interiorem Ecclesiae, in qua ei porrigat aspersorium?

Dubium II. Non obstantibus Decretis in contrarium Sacrorum Rituum Congregationis, potest ne tolerari consuetudo pluribus ab annis introducta in Dioecesi Syrensi, quod in publicis Processionibus Cappellani piarum associationum, comitantes earumdem Consodales sub propria Cruce incedentes, deferant Stolam super superpelliceo?

Dubium III. In publica, id est in Generali Ordinatione, cum Diaconandus ob inadvertentiam tetigerit manu sinistra librum Evangeliorum, illi ab Ordinante ad tangendum porrectum, estne hac in re alicui sanationi locus?

Dubium IV. Paramenta coloris flavi, tum serica tum ex auro contexta, possuntne adhiberi pro albo, viridi, rubro ac violaceo, praesertim in Ecclesiis pauperioribus, facere non valentibus paramenta singulorum colorum a Rubrica praescriptorum?

Dubium V. An in Tobaleis Altarium, in Albis et in superpelliceis tolerari possint vela transparentia, quae repraesentent Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra obiecta?

Sacra vero eadem Congregatio, referente subscripto Secretario et audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Ad Sacram Inquisitionem Universalem ».

Ad IV. « Quoad paramenta coloris flavi, Negative; quoad paramenta ex auro contexta, Affirmative; excluso tamen colore violaceo ».

Ad V. « Posse permitti ».

Atque ita rescripsit.

Die 5 Decembris 1868.

3192. URGELLEN. (5420)

In postrema Relatione status Ecclesiae Urgellen. ad Sacram Congregationem Concilii transmissa, inter alia habentur duo sequentia Postulata; nimirum:

I. In Corona Aragoniae habetur privilegium celebrandi Processionem Corporis Christi post Vesperas et cantandi Missam Conventualem cum Expositione SSmi Sacramenti. Quod ut recte fiat et celebretur digne Institutio tanti Mysterii, dum cantatur Prima in Choro, cantatur etiam Missa solemnis in Cappella dicta *Corpus Christi*, ubi habebantur Concilia Provincialia; et in ea consecratur Hostia exponenda. Post Primam venit Clerus et ad Altare maius solemniter defertur. Simili vero modo *Celsone* fit; ubi vero exponitur sicut in aliis expositionibus, id est ex praeconsecratis. Tolerari ne potest haec consuetudo?

II. Praescriptum est ut SSmum Sacramentum non asservetur in duobus locis in eadem Ecclesia. Hic servatur in maiori Altari, et a principio huius seculi ad latus Templi Cathedralis Cappella constructa est pro SSmo Sacramento; quae cum Cathedrali communicat, portam tamen habens propriam, per quam aliquoties Viaticum ad infirmos defertur. Potest ne permitti ut simul asservetur in Altari maiori?

Quum autem eadem Postulata a praedicta Sacra Congregatione ad aliam Sacrorum Rituum fuerint pro opportuna solutione transmissa; haec, referente subscripto Secretario auditaque etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad utrumque Postulatum rescribere rata est: « Servetur consuetudo loci ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Decembris 1868.

(1) E. Dub. I.

3193. VESTANA. (5421)

Occurrente hoc anno Processione Corporis Domini, Subdiaconus, cuius erat gestare Crucem Capituli Cathedralis, protestando coram Archidiacono aliisque de gremio eiusdem Capituli, denunciavit se illam laturum non esse, si anteire deberet Regulares sine propria Cruce incedentes. Ad eliminandas quascumque altercationes hodiernus Pro-Vicarius Generalis Dioeceseos Vestanae supplicibus votis huic Sacrae Rituum Congregationi duo sequentia dubia proposuit, ut quid in posterum agendum sit declarare dignaretur ; nimirum :

Dubium I. Num Regulares, qui dispersionis causa, Crucem erigere nequeunt, possint in Processionibus Corporis Christi (quibus ex dispositione Sacri Concilii Tridentini Sess. 25 de Ref., de Regul. c. 13 tenentur intervenire) nec non in aliis fieri solitis, incedere sub Cruce Capituli Cathedralis et Collegiatae? et quatenus affirmative,

Dubium II. Num in praedicta Solemnitate Corporis Christi debeant induere sacra linteamina, more Sacerdotum Secularium; vel superpelliceum, prout in aliis Processionibus, aut incedere proprio tantum habitu?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « Incedant sub Cruce Capitulari ».

Ad II. « Induant superpelliceum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Decembris 1868.

3194. ARETINA. (5422)

Usque a mense Decembri elapsi anni 1868 Rm̃us Dñus Iosephus Giusti Episcopus Aretinus Congregationem instituit Parochorum Civitatis Aretii, ac inter Constitutiones pro praedicta Congregatione ab eodem Ordinario approbatas, ad praecidendam quamcumque controversiam quoad praecedentiam, legitur quod *praecedentia inter enunciatos Parochos desumi debeat ex antiquitate expeditionis Bullae respectivae Paroeciae.* Hinc Parocho S. Petri ex Ordine Servorum B. M. V., utpote amovibili, assignatus fuit locus post Parochos perpetuos qui Bullam expediverunt. Quum autem ipse praecedentiam praetenderet a die qua ab Episcopali Curia eius praesentatio confirmata fuit; Parochi Seculares a Sacra Rituum Congregatione declarari petierunt: Num Parocho S. Petri, qui Bullas non expedivit, danda sit praecedentia super Parochos, qui Bullas expediverunt.

Et Sacra eadem Congregatio audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et ad relationem infrascripti Secretarii, declaravit: « Servandam esse consuetudinem favore Parochorum ». Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3195. MELITEN. (5424)

Fratres Carmelitae Excalceati, in Conventu Civitatis Conspicuae Dioeceseos Meliten. commorantes, Dominica infra octavam Solemnitatis Corporis Christi post Vesperas publicam supplicationem SSm̃i Sacramenti extra claustra ab immemorabili peragere solent. Cum autem haec Familia exigua sit, et, praeter paucos Fratres Laicos, vix octo constet Sacerdotibus, quo decentius hanc pompam perageret, alios Presbyteros de Clero Seculari Civitatis Conspicuae ad illam vocare solebat. Postremis vero annis perpauci ad invitationem accedebant, tum quia simplices Presbyteri illa in Civitate exiguo sunt numero, tum quia qui possent accedere renuebant, vel saltem non curabant.

Quamobrem ne caeremonia isthaec indecore fieret, vel penitus omittenda erat, vel aliquot ex alia Religiosa Familia Sacerdotes ad illam convocandi erant. Quod postremum Prior Carmelitarum praeferendum ducens, elapso anno 1868 Fratres Minores Observantes Civitatis Vallettae rogavit, ut aliquot ex illis Sacerdotes supplicationem illam comitarentur. Qui, vocationem libenter excipientes, corpori Carmelitarum sese adiunxerunt. Quum autem hos inter etiam ipsorum Praeses advenisset, enunciato Priori visum est partes Celebrantis illi committere, qui proinde et Vesperas decantavit et Sacramentum in supplicatione gestavit.

Hoc videntes Canonici Ecclesiae Collegiatae, ad quorum corpus curam animarum Civitatis Conspicuae spectat, putantes hoc facto sui Collegii iura laedi, aegre tulerunt; ideoque epistolam ad Priorem Carmelitarum dederunt, qua factum exponentes, aiebant: Carmelitis illis ius non esse Religiosos ex alia Familia ad supplicationem vocandi, multoque minus alteri istorum cuicumque partes Celebrantis in illa committendi: utpote qui ne supplicationem quidem extra claustra sine Parochi venia peragere possint; et nisi

in posterum a similibus abstinerent, iuris remedia sese invocaturos.

Quum autem praedictus Prior putet sibi ius favere, a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentis dubii solutionem expostulavit; nimirum: An liceat Carmelitis Excalceatis Coenobii siti in Civitate vulgo *Burmola,* alias Conspicua, in insula Melitensi, sub titulo S. Teresiae, peragere Processionem Sanctissimi Sacramenti Dominica infra octavam Corporis Christi extra claustra et per Paroeciae vias; in eaque aliam Religiosam Familiam invitare, et alteri huius Familiae Vesperarum celebrationem et SSm̃i Sacramenti delationem committere, absque Episcopi et Parochi venia?

Sacra vero eadem Congregatio, requisitis prius informatione et voto a Rm̃o Dño Archiepiscopo Melitensi, auditaque etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii proposito dubio rescribere censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Martii 1869.

3196. VERCELLEN. (5425)

Magister Caeremoniarum Archiepiscopi Vercellensis Sacrorum Rituum Congregationi humiliter exponens, ad benedictionem gutturis, quae fit die III Februarii, adhiberi candelas benedictas die antecedenti, nimirum in Festo Purificationis B. M. V., ab eadem Sacra Congregatione expostulavit:

I. An Sacerdos, praeter Stolam e collo pendentem adhibere debeat aliam Stolam rubri coloris, quae in manibus deferatur (uti in eadem Archidioecesi fit) veluti ad uniendas duas candelas, quae pro hac benedictione adhibentur, quaeque hinc inde a cruce, in medio ipsius Stolae posita, regantur, cum qua cruce tangatur mentum in actu benedictionis; vel potius in manibus solae candelae tenendae sint, eaeque in extremitatibus inferioribus approximandae sub mento in praedicto benedictionis actu?

II. An formula in hac benedictione adhibenda debeat esse: *Per intercessionem B. M. V. et B. Blasii Martyris liberet te Deus a malo gutturis. Amen;* vel potius *Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen?*

Sacra vero eadem Congregatio, infrascripto Secretario referente, rescribere rata est: « In casu de quo agitur, unam tantum Stolam ad collum a Sacerdote esse adhibendam; et dicendum ab ipso tantum erit: *Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen* ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3197. ORDINIS (5426)
MINORUM S. FRANCISCI
CAPUCCINORUM.

Director Calendarii Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Provinciae Gallicae a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. An Fratribus Minoribus licitum sit recitare Officia votiva Beatae Conceptionis Mariae Virginis, Sancti Patris Francisci et Sanctae Matris Clarae Assisiensis etiam tempore Adventus et Quadragesimae, non obstantibus Decretis in contrarium?

Dubium II. An ipsis liceat continuare recitationem Officii S. Ioannis Francisci Regis Confessoris sub ritu duplici minori, quamvis nullibi constet de authentica concessione huius Officii?

Dubium III. Quaenam Lectiones recitandae sunt in secundo Nocturno diei octavae Beatae Mariae Virginis *de Auxiliis,* ubi sub hoc titulo colitur ut Patrona Ecclesiae Conventus; an ut in Festo Patrocinii eiusdem Beatae Mariae Virginis; an potius repetendae sint Lectiones diei Festi?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, si constet expresse de privilegio ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3198. BRIXIEN. (5427)

Rm̃us D. Hieronymus Verzeri Episcopus Brixiensis in Longobardia exposuit in quadam Paroecia suae Dioecesis iam a seculo una cum parochiali Ecclesia consecratum fuisse Altare maius ad normam Pontificalis Romani. Sed cum novum Altare maius in ea fuerit aedificatum ac rite consecratum, illud prius fuit asportatum in Cappella laterali eiusdem Ecclesiae. In cuius translatione mensa quidem a stipitibus avulsa est, sed omnino integra permansit, et Sancto-

rum Martyrum sepulcrum plane inviolatum. Ipse autem liturgicis praescriptionibus obsequens, ne in eo Sacrum fieret, vetuit, quoadusque a Sacra Rituum Congregatione sequens dubium dissolvatur; nimirum: Utrum praefata mensa ad instar Altaris portatilis haberi, in eaque Missae Sacrificium celebrari possit, sine nova consecratione aut alterius lapidis rite consecrati substitutione? et quatenus negative, Episcopus orator necessariam dispensationem et sanationem implorat.

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Ad Dubium: Negative; ad Postulatum vero: Affirmative; si SSmo Domino Nostro videbitur ».

Die 20 Martii 1869.

Facta autem, die 15 Aprilis eiusdem anni, de praemissis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua petitam dispensationem et sanationem benigne elargiri dignata est.

3199. GNESNEN. ET POSNANIEN. (5428)

Rmus D. Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien. sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit; nimirum:

Dubium I. Ab antiquissimis temporibus existunt fundatae in Ecclesia Metropolitana Posnaniensi Missae votivae de SSma Trinitate, de SSma Eucharistia, de Passione, de Cruce, de Beata *Rorate*, de S. Adalberto et de S. Francisco, quae per singulas hebdomadarum dies distributae quotidie cantantur. Votivae huiusmodi celebrantur, nullo habito respectu ritus Festi, Dominicae vel Feriae in illarum diem incidentis; ita ut dum principalia etiam Festa Dedicationis, Tituli, Patroni vel alia universalis Ecclesiae quae in Cathedrali solemniter peraguntur, non eo minus dictae Votivae locum habeant: si perpauca tantum Domini Nostri Iesu Christi Festa excipiantur. Possunt ne Missae huiusmodi Votivae etiam in posterum, attenta seculari consuetudine sed deficiente quocumque Apostolico privilegio, eodem modo cantari? an potius cantandae sunt iis tantum diebus quibus id generales Rubricae permittunt: in reliquis vero diebus canendae Missae de Officio occurrente ad intentionem praescriptam a fundatoribus?

Dubium II. Episcopi Titulares Suffraganei Gnesnensis et Posnaniensis, qui in Capitulis Metropolitanis Gnesnae et Posnaniae Canonicatus obtinent, altenturne aeque ac alii Canonici Archiepiscopum cappa magna indutum ad Cathedralem, sive ad Missam Pontificalem celebrandam sive ad assistendum Missae ab alio celebrandae, accedentem associare?

Dubium III. Licetne Episcopis huiusmodi in stallis suis permanere, dum Archiepiscopus cappa magna indutus ab integro Capitulo associatus Cathedralem ingreditur, sive Sacrum pontificaliter peracturus sive ut Sacro ab alio celebrando assistat; vel dum, illo peracto, recedit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, rescribendum censuit:

Ad I. « Pro gratia, cum limitatione; nimirum quod praefatae Missae votivae non possint celebrari in Dominica prima Adventus, Feria IV Cinerum, Dominicis prima Quadragesimae et Palmarum cum tota maiori Hebdomada, Dominica Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi et omnibus diebus in quibus celebrari debet iuxta Calendarium Dioecesanum aliud Festum respondens Missae Votivae; ac dummodo diebus in quibus celebratur praedicta Missa Votiva, praeter eam, celebretur etiam Missa Conventualis seu diei Festi currentis ».

Ad II. « Tenentur, ut Canonici ».

Ad III. « Provisum in secundo ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Martii 1869.

3200. PACTEN. (5429)

Rmus Dominus Episcopus Pacten. Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit; nimirum: Exortam esse controversiam inter Clerum praedictae Civitatis et Superiorem Seminarii Dioecesani, utrum in publicis Processionibus praecedentia danda sit Clericis in minoribus constitutis minime servitio Cathedralis addictis, prout huc usque factum est, iuxta dispositionem Synodi Dioecesanae diei 30 Novembris 1687; an potius eadem tribuenda sit Alumnis Seminarii iuxta pluries decreta a praedicta Sacra Congregatione?

Ad hanc igitur controversiam dirimendam memoratus Episcopus eidem Sacrae

Congregationi sequens dubium declarandum proposuit, nimirum: An praescriptio Synodalis favore Clericorum in posterum etiam servanda sit, vel Decretum Sacrae Rituum Congregationis in Andrien. diei 21 Martii 1620 pluries confirmatum, Alumnis Seminarii favens, sit in casu adoptandum?

Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinario Coetu hodierna die ad Vaticanum coadunato, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac re mature accurateque perpensa, rescripserunt: « Servetur Decretum in Rodigen. Andrien. Dioecesis diei 21 Martii 1620; et praecedentiam competere omnino Clericis Seminarii ». Atque ita rescripserunt et servari mandarunt.

Die 20 Martii 1869.

3201. MONTIS REGALIS. (5430)

Xaverius Lorito, Magister Caeremoniarum Insignis Collegiatae Ecclesiae Ssmi Salvatoris Crucifixi Civitatis Montis Regalis in Sicilia, de Ordinarii sui consensu a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarari postulavit dubia sequentia: (1)

Dubium I. An valeat usus de licentia Archiepiscopi transferendi Officium Patrocinii S. Iosephi assignatum Dominicae III post Pascha in una ex sequentibus Dominicis, occurrente cum illo octava Sancti Francisci de Paula aut Festo altioris ritus?

Dubium II. Quale ex duobus Officiis in Festo Sacratissimi Cordis Iesu debeat recitari? illud ne concessum a Pio VI vel aliud a Clemente XIII? et quaenam Missa legi debeat ex duabus *Miseremini* et *Egredimini*?

Dubium III. An Festum S. Rosaliae Virginis die 4 Septembris, quae est Patrona minus principalis, celebrari valeat ex inveterata consuetudine sub ritu duplici secundae classis cum octava et in Missa addi Symbolum?

Dubium IV. An a Dignitatibus et Canonicis Capituli Collegiatae praefatae observari debeat Decretum emanatum a Sacra Rituum Congregatione de obediendo Magistris Caeremoniarum in iis quae ad divinum Cultum spectant?

Dubium V. An valeat quaecumque consuetudo quod dispositio Calendarii pro recitatione Divini Officii ad primam Dignitatem spectet, aut committi possit cuicumque de Capitulo, aut spectet ex officio et munere ad Magistros Caeremoniarum ut Directores Capitularium? et quatenus affirmative ad primas partes; An Magistri Caeremoniarum ius habeant corrigendi errores?

Dubium VI. An valeat consuetudo quod Dignitates et Canonici, in candelarum, cinerum et palmarum benedictione et in quacumque Processione sive benedictione SSmi Sacramenti et S. Crucis Domini, quae solemniter peragi solet quotannis in omnibus Feriis VI mensis Martii, incedant parati Amictu, Stola et pluviali super rochetto; vel potius uti debeant Amictu, Alba, Stola et pluviali?

Dubium VII. An valeat consuetudo non genuflectendi a Choro in transitu ante Altare ubi est exposita Reliquia S. Crucis Domini; atque a Celebrante in incensatione, in accessu et recessu ac quoties transeat ante medium Altaris seu a latere ad latus, ut in incensatione?

Dubium VIII. An fieri possit post Missam solemnem absolutio ad Tumulum, relicta ex dispositione nostri fundatoris Archiepiscopi Domini Hieronymi Venero in Festo S. Hieronymi Doctoris, occurrente in die Dominica?

Dubium IX. An ministri parati, dum canitur Missa solemnis Conventualis, privatim recitare valeant Horas Canonicas?

Dubium X. Potestne adhiberi Pallium nigri coloris in solemni Commemoratione et Exequiis Defunctorum ad Altare SSmi Sacramenti?

Haec autem dubia referente subscripto Secretario, eadem Sacra Rituum Congregatio, audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, eaque mature accurateque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Festum Patrocinii S. Iosephi transferri non debet occurrente die octava S. Francisci, nisi haec speciale habeat privilegium; occurrente vero alio Officio maioris ritus vel dignitatis, transferri debet ad diem primam liberam iuxta Decretum Generale diei 10 Septembris 1847 ».

Ad II. « Recitari debent Officium et Missa eidem Dioecesi concessa ».

Ad III. « Potest tolerari, attento usu immemorabili, omisso tamen Symbolo ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Ius eligendi personam pro confectione Calendarii spectat ad Episcopum,

(1) E. Dub. I, V et XIII.

vel ad Capitulum, vel ad primam eius Dignitatem, iuxta consuetudinem; generaliter vero committitur Praefecto Caeremoniarum, qui Calendarium efformare debet iuxta Rubricas Missalis ac Breviarii Romani ac Decreta Sacrae Rituum Congregationis ».

Ad VI. « Relate ad benedictionem candelarum, cinerum et palmarum, servetur Rubrica Missalis Romani: in Processionibus vero Sacerdos qui SSmum Sacramentum portat, quacumque Dignitate insignitus, incedere debet paratus Amictu, Alba, Stola ac pluviali. In benedictionibus, quae dantur sive cum SSmo Sacramento sive cum Ligno SSmae Crucis, uti potest supra rochettum, si eius habeat usum, Amictu, Stola et pluviali, quatenus Ministri Sacri parati non adsint; secus, Negative ».

Ad VII. « Negative; et detur Decretum Sacrae Rituum Congregationis in Varsavien. 7 Maii 1746 ad 7 et in Lucionen. 23 Maii 1835 ad 1 et 2. Lignum vero Sanctae Crucis thure adoletur triplici quidem ductu a Sacerdote non genuflexo, sed stante, etiam Feria VI in Parasceve, iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis 23 Septembris 1837 in Mutinen. ad X ».

Ad VIII. « Negative; et serventur Decreta ».

Ad IX. « Non est interloquendum; seu Negative ».

Ad X. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3202. IADREN. (5432)

Rmus D. Carolus Fridericus Bianchi, Canonicus Basilicae Metropolitanae Iadrensis in Dalmatia et Calendarii Dioecesani Director, sequentia dubia enodanda proposuit Sacrorum Rituum Congregationi. Etenim Feria V in Coena Domini in consecratione Oleorum, quae fit in medio Chori, Presbyter assistens se sistit ad dexteram Archiepiscopi et operatur cum eodem in omnibus quae spectant ad infusionem Balsami, Olei etc. Videtur hoc esse contrarium eiusdem ministerio; cum ipse sit indutus pluviali et attendere solummodo debeat ad librum Pontificalem et annuntiare Oleorum praesentiam. Videtur potius haec omnia obire debere vel Diaconus assistens a dextris, vel Diaconus Evangelii, qui cum sint Tunicella induti, possunt libere agere cum Celebrante. Quaeritur ergo:

Dubium I. Utrum in solemni Consecratione Oleorum Presbyter assistens; an potius Diaconus assistens a dextris vel Diaconus Evangelii debeat assistentiam praestare Archiepiscopo in infundendo Balsamo et Oleo et in aliis similibus agendis?

Dubium II. Ubinam se sistere debeat Presbyter assistens ut praesto sit ad Librum Pontificalem? ad dexteram nempe an potius ad sinistram celebrantis?

Dubium III. Ubi se sistere debeant Diaconi assistentes et Diaconus et Subdiaconus Officii in casu, cum nihil de hac re in Pontificali habeatur?

Cum autem Archiepiscopus in Pontificalibus sermonem habet ad populum, recedit ab Altare maiori et, ut facilius audiri possit, sedet cum omnibus assistentibus supra gradus Presbyterii, terga vertens Altari. Inde

Dubium IV. Quonam loco in casu sedere debeant Presbyter assistens, Diaconi assistentes, Diaconus et Subdiaconus Officii? Videtur Presbyterum ad dexteram Episcopi, seniorem Diaconum assistentem ad dexteram Presbyteri, et Diaconum officii ad dexteram Diaconi assistentis; similiter ex alia parte ad sinistram Episcopi iuniorem Diaconum assistentem, et ad huius sinistram Subdiaconum Officii se sistere debere.

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « In Oleorum consecratione, ea quae Pontificale tribuit Archidiacono, ab eodem serventur; quae vero ipsi non tribuuntur, spectant ad Diaconum Missae ».

Ad II. « Episcopus in dicta Oleorum consecratione medius stet inter Diaconum et Subdiaconum Missae; Archidiaconus ad latus Subdiaconi, nempe ad sinistram Episcopi, ut commode possit sumere a Ministris vasa Oleorum et Librum seu Pontificale; Diaconi vero assistentes maneant hinc inde ad latus Altaris, manibus iunctis, stantes tamen et Sacramentum adorantes ».

Ad III. « Provisum in secundo ».

Ad IV. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum lib. 2, cap. 8, § 48 et 49, post Evangelium Missae solemnis posita ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3203. MECHLINIEN. (5433)

Cum ab antiquo tempore in Ecclesia Metropolitana Mechliniensi in Belgio Rmo

Archiepiscopo loci Ordinario sacras Ordinationes facienti adstiterint et ad Altare inservierint duo Canonici pluviali induti in Maioribus, et rochetto ac mozzetta induti in Minoribus conferendis Ordinibus; mutato nunc illo usu, dubium natum est cum quonam habitu duo illi Canonici in Ordinationibus quae fiunt per Missam lectam assistere teneantur. Enixe igitur Decanus Capituli praefatae Metropolitanae Sacram Rituum Congregationem rogavit ut sequentia dubia declarare dignetur:

Dubium I. Cum quo habitu duo Canonici ad Altare ministrantes in Ordinatione, quae fit per Missam lectam, assistere debeant, dum soli Ordines Minores conferuntur? anne in habitu Canonicali, scilicet cum rochetto et mozzetta, ut permittitur in Decretis Sacrae Rituum Congregationis 4 Iunii 1817 in una Dubiorum ad 2 dubium additionale; et 12 Septembris 1857 in Molinen. ad 23; vel potius mozzettam deponere et superpelliceum rochetto superimponere teneantur?

Dubium II. In quo habitu duo illi Canonici assistere debeant Episcopo Auxiliari aliive a Rmo Archiepiscopo Loci Ordinario delegato, Maiores Ordines per Missam lectam conferenti cum Diaconi assistentes soli Episcopo Ordinario competant? anne duo Canonici Episcopo Auxiliari aliive in Ordinatione assistentes, assistere possint cum pluvialibus, prouti ab antiquo tempore in Ecclesia Metropolitana Mechliniensi in Ordinatione semper assistere consueverunt? vel potius assistere possint cum habitu Diaconali et Subdiaconali ut in Missa solemni, scilicet cum Alba et Dalmatica seu Tunicella? vel tandem hic applicanda sint Decreta Sacrae Rituum Congregationis 21 Iulii 1855 Vicariatus Apostolici Constantinopolitani ad primum et 6 Februarii 1858 in Montis Pessulani; ita ut cum hoc habitu Diaconali et Subdiaconali assistere nequeant, sed assistere debeant ut in Missa lecta, in qua soli Ordines Minores conferuntur?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario et audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est: « Duos Canonicos in Metropolitana Mechliniensi induere debere superpelliceum supra rochettum, dum assistunt Archiepiscopo vel Episcopo Suffraganeo sacras peragenti Ordinationes, tam in Maioribus, quam in Minoribus ordinibus ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Martii 1869.

3204. SANCTI MINIATI. (5434)

In Cathedrali Miniatensi invaluit usus non accendendi duo saltem lumina tempore Choralis Officiaturae, nempe Horarum Minorum, Completorii et Matutini cum Laudibus; quando in Altari maiori est exposita aliqua Reliquia cum luminibus quae per totam diem illam collucescunt. Quum autem Rmus D. hodiernus Episcopus Sancti Miniati existimet hunc usum tolerandum non esse; a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarari petiit: Num saltem duo alia lumina ponenda sint in Altari maiori, tempore Choralis officiaturae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii declarare rata est: « Praeter lumina, quae circa Reliquiam super Altare Chori expositam collucescunt, requiri saltem duo alia lumina super gradus Altaris, dum in eodem Choro Divina Officia persolvuntur ». Atque ita declaravit et servari mandavit in Cathedrali Ecclesia S. Miniati.

Die 20 Martii 1869.

3205. TERTII ORDINIS S. DOMINICI. (5435)

Anno 1833 in Gallia instauratus fuit Tertius Ordo S. Dominici pro instructione iuventutis. Quum autem Alumni eiusdem Ordinis communiter vitam ducant in propriis Domibus seu Monasteriis, Liturgiam Ordinis Praedicatorum assumpserunt tum in Horarum Canonicarum recitatione, tum in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii aliisque in ecclesiasticis functionibus. Quum vero in postremo Capitulo Generali Ordinis Praedicatorum superiori anno habito dubitatum fuerit: Num id Alumni praedicti facere possint sine speciali facultate Apostolicae Sedis; Rmus Pater Lecuyer Vicarius Generalis dicti Tertii Ordinis a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit: Alumnis suis de iure competere usum Liturgiae, quae adhibetur in Ordine Praedicatorum.

Sacra porro eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, nec non sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis, declaravit: « Tertiariis Ordinis Sancti Dominici collegialiter viventibus de iure in recitatione divini Officii, in celebratione Sacrosancti Sacrificii Missae atque in aliis

functionibus competere usum Breviarii ac Missalis, ac servandos esse ritus et Caeremonias eiusdem Ordinis ad tramitem Const. Xysti Papae IV et aliorum Summorum Pontificum, nec non Concilii V Lateranensis ». Atque ita declaravit.

Die 20 Martii 1869.

3206. RUREMUNDEN. (5436)

Iuxta Indultum pro reductione Festorum diei 9 Aprilis 1802, solemnitas Sanctorum Patronorum cuiuslibet Dioecesis et Paroeciae celebranda est Dominica proxima occurrente. Verum in Dioecesi Ruremundensi usus invaluit celebrandi Solemnitatem translatam non tantum proprii Patroni Loci ubi habetur, sed insuper Patroni Dioeceseos; et quidem in omnibus Parochiis vel locis tum proprium Patronum habentibus, tum forte non habentibus. Aliis in locis, praeter Solemnitatem Patroni proprii Loci, transfertur Solemnitas Patroni seu Titularis Ecclesiae Parochialis. Qui diversi usus verisimiliter originem ducunt a diversa ratione interpretandi haec Indulti praefati verba *Sanctorum Patronorum cuiuslibet Dioecesis et Paroeciae.* Ad hanc igitur diversitatem opinionum praecidendam, ex parte R̃mi D. Episcopi Ruremundensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposita fuerunt dubia; nimirum:

Dubium I. Utrum vi praedicti Indulti pro reductione Festorum transferenda sit unius tantum Patroni Solemnitas singulis in Paroeciis proprii scilicet Loci, si habeatur; an, eo deficiente, Dioeceseos? et quatenus affirmative ad primam partem,

Dubium II. An tollendus sit aut servandus usus transferendi, praeter Solemnitatem Patroni proprii Loci, Solemnitatem sive Patroni Dioeceseos, sive Patroni seu Titularis Ecclesiae parochialis? et quatenus negative,

Dubium III. Quaenam praeterea Patronorum Solemnitas transferri debeat aut possit?

Sacra vero eadem Congregatio, re mature accurateque perpensa, ad relationem subscripti Secretarii, propositis dubiis rescribendum censuit: « Standum esse Decreto Cardinalis Caprara, hoc est transferendam esse Solemnitatem Patroni sive Dioeceseos sive peculiaris Civitatis ad Dominicam insequentem ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Martii 1869.

(1) E. Dub. I.

3207. TOLOSANA. (5438)

Archiepiscopo Tolosano exquirenti num possint Clericis permitti Breviaria quae separatis foliolis constent;

Sacra Rituum Congregatio rescribere rata est: « Non esse huiusmodi Clericos inquietandos ».

Die 20 Martii 1869.

3208. QUEBECEN. (5439)

R̃mus D. Franciscus Baillarzen Archiepiscopus Quebecen. Sacrae Rituum Congregationi sequens exhibuit dubium, nimirum: Utrum in Parochia in qua praeter Parochum nullus est alius Sacerdos, si in diebus Sancti Marci et Rogationum et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quae anticipari vel differri non possit, facienda sit sepultura sine Missa defunctorum; an potius omittenda functio diei, vel saltem Missa huius functionis, ut Missa pro sepultura celebrari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, rescribere rata est: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam et tertiam ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 3 Iulii 1869.

3209. DERTUSEN. (5441)

Paulus Sitius Canonicus Cathedralis Ecclesiae Dertusen. et Director Calendarii Dioeceseos vehementer sollicitus ut quae ad sacram Liturgiam spectant rite et secundum ordinem, praesertim in Cathedralibus, peragantur, de consensu sui R̃mi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia resolvenda proposuit: (1)

Dubium I. Ex concessione Apostolica diei 9 Maii 1867 celebratur in hac Dioecesi Dominica prima Septembris ritu duplici primae classis Festum B. M. V. *de Cingulo;* de quo antea fiebat Dominica secunda Octobris sub ritu duplici secundae classis. Iamvero Confraternitas eiusdem Virginis *de Cingulo* in hac Cathedrali Ecclesia cantari curat quotannis, ob devotionem et grati animi sensum, post diem Festivitatis novemdiales Missas, quae etiam diebus duplicibus cantantur, tamquam votivae, de ipso Festo, cuius Missa est *Salve sancta Parens* cum Oratione propria, *Gloria* et *Credo;* et celebrantur post Nonam a Dignitatibus vel

Canonicis ad id per turnum invitatis in Altari seu Cappella eiusdem Virginis *de Cingulo*, quae altera est ex Cappellis huius Ecclesiae: absente a Choro Capitulo et remanentibus ad cantum solis Commensalibus et Beneficiatis. Verum cum anno proxime elapso orator significasset has Missas votivas, suo et quorumdam aliorum Canonicorum iudicio, iuxta Rubricas et istius Sacrae Congregationis Decreta celebrari non posse absque speciali Sedis Apostolicae privilegio, cumque de privilegio non constet, quamvis existere supponebatur; nunc quaestio eo devenit: An continuari possit consuetudo, quam immemorabilem dicunt, praedictas Missas celebrandi, quamvis privilegium non existat. Orator igitur a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter exposuit declarari, an dicta consuetudo continuari possit, cum non constet de speciali Sedis Apostolicae indulto?

Dubium II. Anne in praedictis Missis Votivis cantari possit *Gloria* et *Credo*?

Dubium III. An diebus infra octavam Nativitatis B. M. V. praedicta Missa votiva cantari debeat de Nativitate iuxta alias decreta; vel de tempore cum Oratione propria B. M. V. *de Cingulo*?

Dubium IV. An Dominica infra octavam Nativitatis B. M. V., occurrente Festo SSmi Nominis eius, praedicta Missa votiva cantari debeat de octava, vel de Festo, vel de Tempore cum Oratione propria B. M. V. *de Cingulo*?

Dubium V. Utrum praedicta Missa votiva cantari possit ipso die Festo Nativitatis B. M. V., quod in hac Dioecesi ritu duplici primae classis et sub duplici praecepto est colendum, utpote Patronale eiusdem Dioecesis ex concessione Apostolica die 12 Decembris 1867?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario et audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Negative; sed eadem Sacra Congregatio de speciali gratia indulget, ut durante octiduo unica Missa solemnis cum *Gloria* et *Credo*, ut in Festo B. M. V. *de Cingulo* decantari valeat, expleta tamen in Choro recitatione Horae Nonae, non omissa Conventuali de die, et exceptis Duplicibus primae classis et quolibet alio Festo vel die infra octavam eiusdem Deiparae ».

Ad II. « Negative; nisi in indulto id exprimatur ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. et V. « Omittendam esse Missam votivam ».

Atque ita rescripsit, concessit et declaravit.

Die 3 Iulii 1869.

3210. ORDINIS MINORUM REFORMATORUM S. FRANCISCI. (5442)

Rmus Pater Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, quum Procuratoris Generalis munere pro Reformatorum Familia fungeretur, a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit:

An religiosi Ordinis sui in suppressis Italiae Provinciis commorantes teneantur ad recitationem Officii Patroni respectivae Provinciae Regularis; ad quod Officium recitandum tenentur ex peculiari Rubrica proprii Ordinis N. 16?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario et audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Affirmative; seu nihil innovetur ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 3 Iulii 1869.

3211. URBIS ET ORBIS. (5443)

De Missa Spiritus Sancti, quam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Litteris Apostolicis in forma Brevis datis die 11 Aprilis anni 1869 omnibus Ecclesiis Capitularibus et Conventualibus Urbis et Orbis, praeter consuetam Conventualem, celebrandam qualibet Feria V iniunxit et de Collecta de eodem Spiritu Sancto in Missis quotidie addenda, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi exhibita fuerunt; nimirum:

Dubium I. An praedicta Missa votiva de Spiritu Sancto debeat esse cantata vel lecta?

Dubium II. An huic Missae addi debeat *Gloria* et *Credo*?

Dubium III. An haec Missa omittenda sit in Octavis privilegiatis Paschatis et Epiphaniae, itemque Nativitatis et Corporis Christi, praesertim si est lecta?

Dubium IV. Qua hora haec Missa celebrari debeat?

Dubium V. An in hac Missa unica Oratio vel plures, ut in Missis votivis, dici debeant?

Dubium VI. An sit onus impositum Canonicis vel potius Ecclesiae?

Dubium VII. In Ecclesiis, praesertim Sanctimonialium, in quibus attentis temporum circumstantiis una Missa vix potest celebrari, quid fieri debeat? quaenam Missa omittenda?

Dubium VIII. An collecta de Spiritu Sancto debeat omitti in diebus primae et secundae classis?

Haec autem dubia quum subscriptus Secretarius retulisset in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto exarato typisque evulgato, rescribendum censuerunt:

Ad I. « In omnibus Cathedralibus et Collegiatis ubi quotidie canitur Missa Conventualis, cantari debet etiam Missa de Spiritu Sancto; in aliis Ecclesiis, in Brevi Apostolico designatis, haec Missa debet legi aut cani prout legitur vel canitur Missa Conventualis ».

Ad II. « In casu, tam in Missa cum cantu quam in Missa sine cantu, addatur *Gloria* et *Credo* ».

Ad III. « Standum est praescriptioni Brevis; ideoque singulis Feriis V, in quibus non occurrat Duplex primae vel secundae classis, est celebranda, etiamsi celebretur lecta ».

Ad IV. « Cantetur aut legatur post Nonam; et etiam post omnes Missas a Rubricis eadem die praescriptas ».

Ad V. « In casu dici debet una tantum Oratio, tam in Missa cum cantu quam in Missa sine cantu ».

Ad VI. « Est onus Ecclesiae, et haberi debet ut pars servitii Choralis ».

Ad VII. « Moniales non comprehendi ».

Ad VIII. « Negative; et in Festis primae classis dici debet sub unica conclusione, in Festis vero secundae classis cum propria conclusione ».

Atque ita rescripserunt.

Die 3 Iulii 1869.

Facta autem per Secretarium de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa approbavit, confirmavit ac servari mandavit. Die 8 iisdem mense et anno.

3212. BRIXIEN. (5444)

Rmus D. Hieronymus Verzeri Episcopus Brixien. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit in Longobardia morem inolevisse, Statutis Municipalibus firmatum, quod mortuorum cadavera a domo ad Ecclesiam et ab hac ad Coemeterium in sarcophago curru imposito ab equis vehantur. Ne autem Clerus sacris vestibus indutus cum Cruce ante equos procedere cogatur, orator constituit ut quoties in Civitate Brixiensi currus in funeribus ducendis adhibeatur, Clerus cum Cruce non comitetur funus, sed recipiat cadaver sarcophago inclusum ad ianuas Ecclesiae, persolutisque Exequiis, si ad Coemeterium super curru deferendum sit, ipsum ad fores Ecclesiae vectoribus reddat. Verum quum id aegre ferant permulti ac querimonias excitent, Parochis praesertim molestissimas, antequam per generale Decretum quidquam praedictus orator statuat, ab eadem Sacra Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. Num in funeribus ducendis tolerari queat usus currus, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad Ecclesiam et Coemeterium? et quatenus affirmative,

Dubium II. Num Parochus et Clerus funus ducere possint sacris vestibus induti erectaque Cruce? vel potius ad Ecclesiae ianuas feretrum excipere, ac post Exequias iuxta Rituale Romanum ibidem persolutas, reddere debeant, super curru ad Coemeterium vehendum?

Sacra vero eadem Congregatio, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Martii 1870.

3213. OLOMUCEN. (5445)

Ut in sacris Caeremoniis ecclesiasticisque functionibus omnia ordinate et iuxta praefinitam methodum procedant, Magister Rituum in Archidioecesi Olomucensi humillime Sacrorum Rituum Congregationem rogavit ut super sequentibus dubiis sententiam suam elicere dignaretur; nimirum:

Dubium I. In Archidioecesi Olomucensi ex mandato Archiepiscopi quotidie in singulis Missis solemnibus et privatis, quae ex Rubricarum dispositione Collectas admittunt, dici debet Oratio pro Papa. Cum autem die anniversaria Electionis et Consecrationis Ar-

chiepiscopi, ex pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis in universa Dioecesi recitanda sit in omnibus Missis Oratio pro Episcopo, et cum haec eadem sit cum illa quae pro Papa dicitur; quaeritur: Quid praedicta die sit agendum?

Dubium II. In Rubricis Generalibus Missalis Romani de Ritu celebrandi Missam, Titul. VII, n. 10, haec de secunda Altaris incensatione praescribuntur: « Deinde facta reverentia incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens: *Dirigatur Domine etc.* ». In ordine Missae vero de eadem incensatione legitur: « Deinde incensat Altare dicens: *Dirigatur Domine etc.* ». Quaeritur igitur num praedicta verba proferenda sint a Celebrante cum incipit thurificare Crucem, vel cum, incensata iam Cruce et Reliquiis, incipit incensare Altare?

Dubium III. Utrum in Completorio post ℣. *Deus in adiutorium meum etc.* addi debeat *Alleluia,* vel suo tempore *Laus tibi Domine,* sicuti in ceteris horis Canonicis peragitur?

Dubium IV. An Episcopus in Missis Defunctorum absolutionem tantum faciens, si lectus mortuorum extra presbyterium situs sit, sedere debeat in capite loci in medio; vel potius paululum versus cornu Epistolae, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat, sicut praescribitur in Rubricis Generalibus Missalis Romani Tit. XIII, n. 4.?

Dubium V. In Metropolitana Olomucensi a fundatione Capituli celebrantur quotannis quinque Missae solemnes pro Defunctis: quarum una pro Benefactoribus, altera pro Archiepiscopis, tertia pro omnibus in Metropolitana sepultis, quarta pro Fundatoribus Metropolitanae, quinta pro defunctis Canonicis. Cum autem hi omnes recensiti non una eademque die obierint, quaeritur: Num praedictae Missae celebrari debeant ut in Anniversario defunctorum; vel potius ut in Missis quotidianis?

Dubium VI. An Episcopo Missam solemnem celebranti, peracta communione, rursus imponi debeant chirothecae?

Dubium VII. An mitram assumere debeat Episcopus, dum in Missa solemni thus imponit pro thurificandis Oblatis?

Dubium VIII. An Episcopus Missae solemni per alium celebratae assistens, dicto in Confessione versiculo *Indulgentiam etc.,* reverti statim debeat ad Sedem suam; vel potius recitare teneatur cum Celebrante etiam versiculos sequentes?

Dubium IX. Tempore Quadragesimali Archiepiscopus aliquoties solemni ritu Vesperas celebrat. Cum vero Completorium non subsequatur, quaeritur: Num Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis post Vesperas decantanda sit; et quatenus affirmative, quo tempore, et qua ratione?

Ad haec porro dubia, super quibus Sacra Congregatio voluit ut alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suam in scriptis proferret sententiam, quam subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, loco et vice Emi et Rmi D. Cardinalis Aloisii Bilio Ponentis, retulit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Ea die omittatur Collecta pro Papa ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad V. « Ad primam partem, Affirmative; excepta Missa pro Episcopis defunctis, quae celebrari debet ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: ad secundam, Negative ».

Ad VI. et VII. « Negative ».

Ad VIII. « Ad primam partem, Negative; ad secundam: dicto per Episcopum ℣. *Indulgentiam etc.* Celebrans retrahit se Confessionem perficiens cum Diacono et Subdiacono; Episcopus vero, stans in eodem loco, Confessionem absolvit cum Diaconibus assistentibus ».

Ad IX. « Ad primam partem, Negative; ad alteram, provisum in prima ».

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Martii 1870.

3214. POSNANIEN. (5448)

Quum modo corrigantur statuta Capituli Metropolitani Posnaniensis, Rmus D. Mieczislaus Ledochowski Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod, vi antiquissimae consuetudinis semper servatae, et modo adhuc in Metropolitana Posnaniensi vigentis, praecedentia Episcopi Suffraganei in Choro et in Capitulo regitur eo modo qui statutus fuit in ordinatione Timothei Gorzénski Episcopi Posnanien. facta in generali Capitulo

anno 1810. Haec autem ordinatio est tenoris sequentis; nimirum § 49: « Repetendo anti- » qua statuta ac decreta Andreae de Brin » Opalénski et Adalberti Tholibowski Prae- » decessorum Nostrorum de electione et » praecedentia Suffraganei, et insuper insi- » stendo laudabili consuetudini in hac Ca- » thedrali Ecclesia observatae, quae vim le- » gis obtinet, Suffraganeus Posnanien. locum » primum in Processionibus: in stallo vero » et Capitulo pro gradu dignitatis, si Prae- » latus; si tantum fuerit Canonicus, non ha- » bita ratione vocationis, locum primum in- » ter Canonicos habebit ».

Praedictam autem observantiam quum etiam in posterum manuteneri Capitulum cuperet, proinde inter nova statuta fuit apposita. Verum quum, contra ipsam, protestationem suam emiserit R̃mus D. Franciscus Stefanowicz Episcopus Samosaten. ac hodiernus Suffraganeus Posnanien., qui sibi praecedentiam deberi asserit ex pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis; hinc praefatus R̃mus orator ab eadem Sacra Congregatione humiliter expetivit: An in praesenti casu attendendum sit protestationi Episcopi Suffraganei, qui Canonicali praebenda in dicta Metropolitana Ecclesia potitur, eidem dando praecedentiam in Choro super Dignitates; vel potius antiqua consuetudo servanda sit descripta in supra relata Ordinatione Timothei Gorzénski?

Sacra vero Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, iuxta alias decreta rescribere rata est: « Competere in omnibus praecedentiam Episcopo Suffraganeo Canonico ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Martii 1870.

3215. VICENTINA. (5449)

Rev. D. Guido Giacomelli Mansionarius Ecclesiae S. Petri Coloniae Venetiarum, cui cura demandata est ordinandi et conficiendi Calendarium pro Clero Coloniensi Veneto, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda proposuit; nimirum:

Dubium I. An Clerus Civitatis ac Districtus Coloniae Venetiarum debeat sequi antiquissimam consuetudinem celebrandi Festum Ss. Felicis et Fortunati Patronorum principalium praedictae Civitatis ac Districtus, sub ritu duplici primae Classis et cum octava; Festum autem S. Vincentii Martyris totius Dioecesis Patroni sub ritu duplici maiori?

Dubium II. An in casu quod Festum Sancti Vincentii Martyris celebrari debeat sub ritu duplici maiori tantum, coniungendum sit cum Festo S. Anastasii Martyris?

Dubium III. An Clerus Districtus in divino Officio persolvendo conformare se debeat Calendario Cleri Civitatis?

Dubium IV. An utrumque praeceptum, adstandi scilicet Sacro et a servilibus abstinendi, observari debeat in Festo S. Vincentii Martyris; vel in Festo Ss. Felicis et Fortunati Martyrum?

Dubium V. An in Districtu cum utroque praecepto observari debeat Festum S. Vincentii; vel Ss. Felicis et Fortunati?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et re mature perpensa, rescribere rata est:

Ad I. et II. « Affirmative ».

Ad III. « Clerus Districtus debet se conformare Calendario Dioecesano; vel in defectu istius, Calendario Cleri praedictae Civitatis ».

Ad IV. et V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Martii 1870.

3216. SANCTI IACOBI DE CILE. (5450)

Quum hodiernus Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Cile a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisierit: An thurificatio, aspersio Aquae benedictae, pacis osculum incipienda sint a latere dextro Chori cum in eo latere non adsit dignior; vel incipienda a latere sinistro si dignior tunc adsit in illo?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii et audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Standum esse praescripto Caeremonialis Episcoporum Lib. 1, cap. XXIV; incipiendo nempe a dignioribus ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Augusti 1870.

3217. VISEN. (5451)

R. D. Eduardus de Figueiredo Veiga Magister Caeremoniarum in Cathedrali Ecclesia Visensi in Lusitania, exponens in aliquibus locis Dioeceseos morem esse transferendi Sacras Sanctorum Imagines de domo in domum, et in his translationibus Ecclesiasticos non

sacris vestibus indutos nec a Laicis separatos incedere, quin Sacerdos aliquis praesit; a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit:

I. An tales Sacrarum Imaginum translationes uti verae Processiones Ecclesiasticae habendae sint?

II. Utrum Clerici, in iisdem translationibus procedentes sine sacris vestibus, cooperto capite ire possint?

Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et Episcopus curet ut Clerici et Ecclesiastici hisce translationibus nequaquam intersint ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3218. DE NICARAGUA. (5452)

Quum Rm̃us D. Emmanuel Alloa Episcopus de Nicaragua a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisierit: An toleranda sit vel potius abolenda consuetudo, non multis abhinc annis inducta, quod Canonici Cathedralis Ecclesiae de Nicaragua absque speciali Sedis Apostolicae indulto utantur rochetto in sacris functionibus peragendis et annulum semper deferant etiam in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii et audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Negative in omnibus, nisi habeatur speciale indultum a Sancta Sede; et Episcopus curet ut quamprimum hi abusus tollantur ».

Die 20 Augusti 1870.

3219. ROSEN. (5453)

Rm̃us D. Renatus Maria Carolus Poirier Episcopus Rosensis, quum in multis locis, praesertim Missionum, unus solum existat Sacerdos qui ibidem Parochi ministerium agit; a Sacra Rituum Congregatione exquisivit: Num huiusmodi Parochus aegrotans in die Coenae Domini, qui ideo non potuit celebrare Missam et consecrare Hostiam pro Missa dicta Praesanctificatorum, possit pro hac functione uti Hostia alio die praeconsecrata, si melius se habens functionem in Parasceve facere possit, propter concursum populi?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario et audito etiam voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Negative ».

Die 20 Augusti 1870.

3220. VICARIATUS APOSTOLICI (5454) TONKINI MERIDIONALIS.

Rm̃us D. Ivo Maria Croc Episcopus Larandae et Coadiutor Vicariatus Apostolici Tonkini Meridionalis exponens Sacrae Rituum Congregationi defunctorum Exequias in Vicariatu praedicto nec in Ecclesiis peragi posse, quum parvo sint numero, nec in Coemeteriis quae ibidem in usu non sunt; ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit ut praedictae Exequiae fieri valeant antequam defunctorum cadavera e domibus efferantur.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione hac de re a Secretario facta, rescribere rata est: « Pro gratia; iuxta expositas preces ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3221. SS. CONCEPTIONIS (5455) DE CILE.

Quum in tota Dioecesi SSm̃ae Conceptionis de Cile, immo et in tota Republica, contra dispositum et ordinatum a Sancto Pio Papa V in Bulla seu Constitutione *Superni Omnipotentis* die 11 Martii 1571 data, usus multo abhinc tempore invaluerit inter pias personas, praesertim Tertiarios Regularium Ordinum, recitandi Officium parvum Beatae Mariae Virginis lingua vernacula hispanica translatum, multaque dicti Officii exemplaria per domos fidelium sint diffusa et publice in officinis librariis vendantur, dissimulantibus usque adhuc Episcopis, immo et approbantibus; cumque traductiones dicti Officii, tum quae Parisiis, tum quae S. Iacobi sunt impressae, textui latino approbato fideles videantur; Rm̃us D. Ioseph Hippolytus Solos praefatae Dioeceseos Sanctissimae Conceptionis Episcopus huic difficultati providere cupiens, ne oves Christi pastu alantur prohibito, animarum suarum detrimento; a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit:

I. An peccent fideles praedictum usum sequentes, dictumque Officium lingua hispanica recitantes?

II. An praefatus usus possit tolerari? An potius expresse debeat prohiberi? Et quatenus affirmative, petit pro gratia dispensationem.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, rescripsit: « Toleretur consuetudo, dummodo Ordinarius caveat ut in Libro Officii extet in alia columna textus latinus ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3222. PACEN. (5456)

Rm̃us D. Ferdinandus Ramirez y Vasquez Episcopus Pacen. a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit solutionem insequentis dubii; nimirum:

An quando aliquod Capitulum Cathedrale statutum habet ut Canonici sine honorificis distinctionibus et cum solo Canonicali habitu, omnibus communi, intersint capitularibus actibus, possint in praedictis actibus dignitatis vel honoris sui distinctionem deferre:

1. Qui Cubicularii secreti vel honorarii sunt Sanctitatis Suae?

2. Qui investiti sunt alia dignitate ecclesiastica?

3. Qui aliqua dignitate civili?

Sacra vero eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, rescribere rata est:

Ad 1. « Cubicularii secreti et honorarii Sanctitatis Suae assumere possunt subtanam violaceam subtus habitum Canonicalem, non obstante statuto enunciato ».

Ad 2. « Enuncientur in particulari quae sint istae dignitates Ecclesiasticae ».

Ad 3. « Canonici in casu pareant Statuto Capitulari ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3223. ERIEN. (5457)

Rm̃us D. Tobias Muller Episcopus Erien. Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. An Episcopus, quando alios Ministros, quorum mentio fit in Caeremoniali Episcoporum, obtinere non valeat, Missam Pontificalem celebrare possit cum Diacono et Subdiacono?

Dubium II. An Dominicis et aliis diebus Festis, Sacerdote absente qui hoc officio perfungitur, Missam ultimam cantatam in sua Cathedrali solus celebrari possit?

Dubium III. An, rogatus a fidelibus ut Missam cantatam pro Defunctis solus celebret, eorum precibus annuere debeat?

Dubium IV. An Presbyteri Eriensis Dioeceseos Festis duplicibus Missam de Reqnie cantare possint?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii et audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

Ad I. II. et III. « Negative ».

Ad IV. « Non potest cantari Missa de Requie in Duplicibus, sine Apostolico Indulto ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Augusti 1870.

3224. MEDIOLANEN. (5458)

Rector Seminarii Missionum Exterarum, erecti prope Ecclesiam a Sancto Calocero nuncupatam in Civitate Mediolanensi, exposuit ab immemorabili in Civitate et Archidioecesi Mediolanen. viguisse praxim quod Sacerdotes Romani Ritus, munus aliquod exercentes, vel apud Congregationes Regularium, vel apud Instituta sive Ecclesiastica sive Civilia, vel etiam apud familias privatas, libere exercuerint publicas functiones ecclesiasticas Ritu Ambrosiano: abstinebant enim tantummodo Sacerdotes praedicti a sequendo eodem Ritu in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii, in recitandis Horis Canonicis et in administratione Sacramentorum. Haec praxis viguit usque huc etiam inter Sacerdotes degentes in enunciato Seminario. Verum quum modo nonnulli ex ipsis dubitent an Sacerdotes Romani Ritus qui hanc praxim sequuntur, non obstante consuetudine, recte se gerant; praefatus Rector a Sacra Rituum Congregatione benigne dispensationem ad praedictam praxim continuandam humiliter exquisivit.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione de omnibus ab infrascripto Secretario facta, nec non voto Rm̃i D. Aloisii Nazari di Calabiana Archiepiscopi Mediolanen. de informatione et voto requisiti, rescribendum censuit: « Iuxta praedicti Rm̃i Archiepiscopi votum; nempe servari solitum ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3225. UTINEN. (5459)

Sacerdos Ioannes Chrysostomus Colmano, hodiernus Rector parochialis Ecclesiae Oppidi nuncupati Furni inferioris, intra limites Archidioeceseos Utinen., exposuit in eadem Paroecia viguisse praxim ab immemorabili benedicendi populum et domos et agros in determinatis stationibus et praesertim ante fores Ecclesiae, quoties fit Processio extra Ecclesiam cum SS̃mo Sacramento.

Quum autem praxis eadem vetita sit per Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 19 Iulii 1687 in una Fanen.; postremus Parochus, qui eamdem Paroeciam anno 1857 regere coepit, praxim hanc abrogare conatus est. Verum tanta exorta est contentio in populo ex illa suppressione, ut etiam decimae Parocho denegatae fuerint. Re ad ecclesiasticam Curiam delata, eadem rem componere studuit: attamen impossibile fuit superius memoratum Sacrae Congregationis Decretum executioni demandare. Quare qui modo Oeconomi munere fungitur in supradicta Paroecia, quum videat praxim hanc aboleri non posse, eo vel magis quod in finitimis Paroeciis etiam locum habeat; a Sacra Congregatione humiliter exquisivit ut, attentis temporum et locorum circumstantiis, ipsa continuari possit.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione de omnibus ab infrascripto Secretario facta, nec non voto Rm̃i Domini Andreae Casasola Archiepiscopi Utinensis de informatione et voto requisiti, rescribere rata est iuxta ipsius Archiepiscopi votum: « Praefatam consuetudinem esse tolerandam ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3226. SACRAE CONGREGATIONIS (5460) DE PROPAGANDA FIDE.

Quum ex actis sacrae visitationis Ecclesiarum in Indiis, cura Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, innotuerit in Vicariatu Apostolico de Madras nonnullos reperiri usus Sacram Liturgiam respicientes, de quibus dubitatur an legitimi sint; Em̃i et Rm̃i Patres Sacrae eiusdem Congregationis mandarunt quod dicti usus ad Sacram Rituum Congregationem transmitterentur, ut eadem quid in posterum faciendum sit decerneret. Usus autem sunt sequentes; nimirum:

I. Missionarii, qui ad Hiberniam pertinent, in dicto Vicariatu usum introduxerant in Hibernia vigentem benedicendi Matrimonia extra Missam, illas preces adhibendo quae in Missali sunt in Missa pro Sponso et Sponsa. Quum autem Anglo-Indiani cupiant ut etiam eodem modo eorum Matrimonium benedicatur, ex Missionariis alii illorum votis favent, alii dubii haerent quid sibi faciendum sit.

II. Quum Ritualia e Missionariis Hibernis in Indiam invecta, quoad Nuptiarum benedictionem, discordent a Rituali Romano; quaeritur: An Missionarii non solum Hiberni, sed etiam aliarum Nationum, iisdem possint uti in benedictione Nuptiarum, non solum si agatur de Hibernis, sed etiam de Catholicis indigenis aut aliarum Nationum?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii et audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Servetur quod decretum fuit, mandante SSm̃o D. N. Pio Papa IX, in una Limburgen. diei 23 Iunii anni 1853 ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Augusti 1870.

3227. LITOMERICEN. (5461)

Benedictus Papa XIV fel. rec., Litteris Apostolicis anno 1744 XVII Calendas Aprilis sub plumbo expeditis ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis Litomericen., Canonicis illius Ecclesiae usum capparum magnarum nec non Decano atque Seniori usum Infulae et Pedi in perpetuum indulsit. Quum autem privilegia supradicta Litteris Apostolicis in forma Brevis a s. m. Pio Papa VII, quarum initium *Decet Romanos Pontifices,* datis die 4 Iulii 1823 super usu talium privilegiorum, non adamussim consentiant; ut illis in posterum uti potuissent Canonici, Decanus et Senior debebant eadem privilegia examinanda deducere in Sacrorum Rituum Congregatione. Quod vero usque huc facere omissum fuit, faciendum modo curavit hodiernus Episcopus Litomericen. qui eidem Sacrae Congregationi iura, quae suo Capitulo favere possunt, exhibuit; illamque eiusdem Capituli nomine rogavit enixe pro manutentione et, quatenus opus sit, pro nova privilegiorum confirmatione.

Et eadem Sacra Congregatio, referente subscripto Secretario, exhibitis rationum momentis serio diligenterque perpensis auditaque etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: « Oratores manuteneantur in possessione privilegiorum, quae per enunciatam Bullam fel. rec. Benedicti Papae XIV ipsis concessa fuere ».

Die 20 Augusti 1870.

Facta autem, die 1 Septembris eiusdem anni, per infrascriptum Secretarium SSm̃o D. N. Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua benigne annuit.

3228. CASALEN. (5462)

Rm̃us D. Petrus Maria Ferrè Episcopus Casalen., quum praesertim in Pontificalibus

peragendis repererit usus Caeremoniali Episcoporum contrarios, quos ipse anceps haeret an tolerare debeat ratione invectae consuetudinis; a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. In Cathedrali Ecclesia Casalensi, quum Missa Pontificalis canitur, eidem Missae non praemittitur cantus Horae Tertiae, ut praescribitur in Caeremoniali Episcoporum. Quaeritur: An hic usus tolerari debeat, quia nec adest consuetudo, nec extat Secretarium, in quo praedicta Hora Tertia cani deberet?

Dubium II. Canonici Cathedralis in eadem Missa Pontificali Paramenta non sumunt in Choro in propriis sedilibus, sed in Sacristia; et potiusquam adsint in Choro tempore Missae et Vesperarum, quae pontificaliter celebrantur, habent proprias Sedes in Presbyterio, a quibus non recedunt, accedendi causa ad Sedem Episcopi pro dicendo cum ipso *Gloria* et *Credo* aliasque Orationes a Caeremoniali Episcoporum praescriptas. Quaeritur: An exposita tolerari possint?

Dubium III. Pro Archidiacono, ad quem spectat iuxta Caeremoniale sustinere librum, dum Episcopus pontificaliter celebrans legit *Gloria* et *Credo;* pro Subdiacono parato, ad quem pertinet deferre sandalia ad Episcopum; pro Subdiacono itidem parato, ad quem pertinet canere Capitulum Vesperarum, haec omnia fiunt a Clericis pluviali indutis. Possuntne haec omnia tolerari ratione invectae consuetudinis?

Dubium IV. Pro formula praescripta in solemni Benedictione Pontificali, cui respondere deberent Cantores Chori, Episcopus dicere tantum formulam communem cogitur. Potestne ipse huic praxi se conformare?

Dubium V. Occasione Processionum Sancti Marci, Rogationum etc., quibus totus Clerus urbanus interesse debet, Parochi Civitatis, qui ad illam accedunt, mozzetta induti cum Stola insimul procedunt, ac ante se tres Cruces hastiles habent. Potestne iste agendi modus tolerari, etsi in quadam Synodo Dioecesana id praescriptum fuerit?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ac re mature accurateque perpensa, rescribere rata est:

Ad I. « In Missa Pontificali ab Episcopo Dioecesano celebranda debet semper praemitti cantus Horae Tertiae; et si desit Secretarium in quo id fieri possit, praedicta Hora cantanda est eodem in loco, in quo cantatur Missa: omitti tamen debet in hoc casu Processio ».

Ad II. « Possunt Canonici capere sacra Paramenta in Sacristia; quae si forte sit valde distans, possunt eadem capere in propriis Sedilibus; a quibus non discedent ad faciendos circulos, qui a Canonicis sacris Paramentis indutis fieri non debent ».

Ad III. « Liber in casu debet sustineri a Presbytero assistente; itemque Subdiaconus debet afferre ex credentia sandalia quibus a Scutiferis Episcopus induitur, manente tamen ante Episcopum Subdiacono dum haec fiunt. Relate autem ad cantum Capituli potest tolerari, attenta consuetudine, quod fiat a Clerico pluviali induto ».

Ad IV. « Debet observari formula praescripta a Caeremoniali Episcop. Lib. II. Cap. XXXII ».

Ad V. « Possunt Parochi uti mozzetta ac Stola, dummodo Collegialiter incedant et Apostolico privilegio fruantur. Attamen non possunt ante se facere elevare propriam Crucem, sed incedere debent sub illa Cathedralis. Usus invectus, non obstante dispositione Synodi Dioecesanae, utpote Decretis contrarius, est abolendus ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 20 Augusti 1870.

3229. HIERACEN. (5463)

R̃mus D. Canonicus Caietanus Scaglione, Vicarius Capitularis Hieracen. Dioeceseos, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod in omnibus parochialibus Ecclesiis totius Hieracen. Dioeceseos consuetudo vigeat, qua simplices Sacerdotes Missam quotidie in praedictis Ecclesiis celebrent, iis in horis, quibus functiones parochiales minime impediuntur, atque etiam sacris paramentis ad eamdem Ecclesiam pertinentibus utuntur. Interim Parochus Ecclesiae S. Mariae de Monte Carmelo Mammulae, ubi talis consuetudo asservatur, cuidam Sacerdoti, absque rationabili causa, sacra paramenta denegavit semel et iterum; nec verba, nec preces Vicarii Capitularis Parochum a sua obstinatione removere potuerunt. Quamobrem idem Vicarius Capitularis a Sacra Congregatione humiliter quaesivit:

I. An isthaec consuetudo habenda sit uti lex?

II. Casu affirmativo, potest necne Vicarius observantiam praescribere interminando

etiam contra transgressores canonicas poenas?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, propositis dubiis rescribendum censuit: « Vicarius Capitularis utatur suis iuribus Ordinariis ».

Die 10 Decembris 1870.

3230. SANCTI HYACINTHI. (5466)

Rmus D. hodiernus Episcopus Sancti Hyacinthi Sacrae Congregationi de Propaganda Fide exposuit in tota Quebecensi Ecclesiastica Provincia usum invaluisse inter Missarum solemnia canendi cantiones vulgari sermone.

Quum autem id prohibitum sit a Decretis Sacrorum Rituum Congregationis, Episcopus orator admonere studuit Clerum et fideles, ut his Decretis sese conformarent. Verum res non cessit iuxta Episcopi vota; nam idem mos in Ecclesiis Dioeceseos suae continuatur adhuc. Quare Episcopus ipse anceps haerens quid factu necessarium sit, petiit declarari: An usus hic esset tolerandus; vel potius omnino abolendus?

Quum vero praedicta Sacra Congregatio de Propaganda Fide preces memorati Episcopi pro opportuna solutione ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem transmisisset;

Eadem Sacra Rituum Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, necnon sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Episcopus prudenter se gerat, ut possit sensim sine sensu hunc morem removere absque fidelium scandalo ». Atque ita rescripsit.

Die 10 Decembris 1870.

3231. BRACHAREN. (5467)

Ioannes Alves ex Sanctis Rector Parochialis Ecclesiae Nostrae Dominae Assumptionis Caminiae in Archidioecesi Bracharensi a Sacra Rituum Congregatione humiliter quaesivit:

1. An Confraternitas Clericorum Divini Spiritus Sancti, in eadem parochiali Ecclesia instituta, possit Sacramentum exponere in Altari maiori ad peragendas Confraternitatis solemnitates, quin functiones Parochiales peractae sint?

2. An possit dicta Confraternitas in eodem Altari maiori Missam solemnem celebrare, Sacramentum processionaliter extra Ecclesiam ducere et populum cum eodem benedicere?

3. An, quavis die hebdomadae, Missas canere et omnia relata peragere, absque licentia oratoris seu Parochi pro tempore?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario ac audita informatione et voto Rmi Domini Archiepiscopi Bracharensis, propositis quaestionibus rescribere rata est:

« Ad eumdem Archiepiscopum, ut conciliationem ineat de bono et aequo inter partes ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 10 Decembris 1870.

3232. ORIOLEN. (5468)

Quum in Ecclesia parochiali Deo in honorem Sanctae Annae Matris Beatae Mariae Virginis dicata, in Civitate, cui nomen *Elda*, intra limites Dioeceseos Oriolen., praedictae Sanctae Annae Festum magna cum devotione ac solemni pompa agi soleat; Parochus et Clerus praefatae Ecclesiae a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisierunt, ut ab ipsis primae Vesperae persolvi valeant de Sancta Anna, facta tantum commemoratione de Sancto Iacobo Apostolo totius Hispaniae Patrono.

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, rescribere rata est: « Pro gratia, iuxta petita ». Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 10 Decembris 1870.

FINIS VOL. II.

Decreta in hoc volumine relata ita reperiuntur in Regestis Decretorum in Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis existentibus.

In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli

Diomedes Panici *S. R. C. Secretarius*